68
9 F
4
6-16-E-2-

esempl. scompleto.
l'opera completa e' collocata
all' 1-46. F. 9-12

QVARTVS TOMVS
IN QVO
MARCI TVLLII CICERONIS OPERA
Philoſophica, nuper ad fidem uetuſtiſſimorꝫ
exemplarium diligentiſſime recogni
ta, quorꝫ catalogum ſequens
indicabit pagina.



VENETIIS EX OFFICINA LVCÆ
ANTONII IVNTÆ ANNO
M. D. XXXVI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QVARTVS HIC TOMVS CONTINET OMnes, qui ſuperſunt Ciceronis Libros de Philoſophia hoc nomine & ordine.

De.IIII. Academicarum quæſtionum libris ad Varronem miſſis Primi partem	
Lucullum	
De Finibus bonorum & malorum	Libros V.
Tuſculanarum quæſtionum	Libros V.
De natura Deorum	Libros III.
De Diuinatione	Libros II.
De Fato	Librum I.
Somnium Scipionis quod è ſex libris de Rep, ſupereſt	
De Legibus	Libros III.
De Officijs	Libros III.
Lælium, ſiue de Amicitia	Librum I.
Catonem Maiorem, ſiue de Senectute	Librum I.
De Paradoxis Stoicorum	Librum I.
De Vniuerſitate	Librum I.
Q. Ciceronis de petitione Conſulatus	Librum I.
Phœnomena Arati à M. Tullio adoleſcente in latinum conuerſa.	

MAgnum fuit ingenium M. Tullij, ſeu cœleſte potius ac diuinum, quod tot optimarum artium ſcientiam capere, atque omnia quæ percepit, ſummo artificio explicare, ac literis mandare potuerit, cum tñ omnem ætatem in rep. & in maximis rebus gerendis verſatus ſit: quibus. n. ille temporibus quietum vacuumq; animũ à magnis curis, cogitationibusq; habuit? quibusq; difficultatibus, & impedimẽtis obrutus non eſt? Poſtq̃. n. ob fortiter geſtum conſulatum, & oppreſſam ſceleratorũ ciuiũ impiam coniurationẽ, magna in ſe improborũ odia concitauit, nunq̃ ceſſarunt non tam ipſius q̃ patriæ, & cõis otij hoſtes eum varijs artib. aggredi, donec vi, armisq; è ciuitate ea expulerunt, quam ipſe ſuis conſilijs ex ipſorũ ferro incendioq; eripuerat: licetq; non multo poſt magno ſenatus populiq; conſenſu in patriã reuocatus ſit incredibili totius Italiæ lætitia, & plauſu, non tñ tutus ab inimicorũ inſidijs viuere potuit, qui ipſum nũq̃ requieſcere paſſi ſunt: cũq; & ſenatorijs munerib. & forenſibus laborib. eſſet hoc tempore diſtrictus, nunq̃ penitus philoſophiæ ſtudium ex animo dimiſit, ſed quodcũq; vacuum tẽpus ab his præclaris, glorioſiſq; laboribus nactus eſt, id omne in legendo aut ſcribendo conſumpſit: conſtat. n. quadã de philoſophia eum ẽt his tẽporibus ſcripſiſſe ſex inq̃ de rep. libros: nã quin tres quoq; illos de Oratore ad Q. Fratrẽ miſſos tunc ſcripſerit, nemini dubium eſſe poteſt: ſed poſt exortũ ciuile bellum, victosq; Pompeianarũ partium duces, cum vnius in poteſtate reſp. eſſet, eiuſq; imperio ac voluntate cuncta regerentur, exoptatũ ſibi otium nactus quãuis reip. lugubre ac funeſtum, mirũ eſt q̃ multa breui tẽpore volumina de obſcuriſſimis & difficillimis philoſophiæ locis, quæſtionibusq; ediderit: cum aliter ille dignitatem ſuam ſe tueri nõ poſſe cogitaret: nec ſe inertiæ, ignauiæq; libero homine indignis dare vellet: tot inq̃ fuere vt qui omnem ætatem in literis conſumpſerunt, ab omniq; publica adminiſtratione ſe abſtinuerunt non mediocri ingenio homines, acerrimo in hoc ſtudio poſito vix tot ſcripſerint, cũq; eo tẽpore ꝓpter varia & multiplicia hoĩum ingenia ab vno Socrate tanquã fonte plures familiæ & diuerſæ diſciplinæ quaſi riui diductæ eſſent, haberetq; vnaquæq; ratio ſuos defenſores et grauiſſimos auctores, omnes eas apprime tenuit, edidicitq; Cicero, & cum ei commodum fuit, aut defendit aut oppugnauit, q̃uis propter obſcuram & abſtruſam ipſarum rerũ veritatem eam maximè rõnem probaret, quæ nihil ſciri, aut percipi poſſe affirmaret, cunctaq;, quæ veriſimilia eſſent, ſectaretur: oportebat aũt egregiè artib. ac doctrinis inſtructũ & eruditum eẽ, qui & pro omnib. philoſophis, & cõtra omnes ſe poſſe ſubtiliter ac copioſè dicere profiteretur: Stoicam verò philoſophiam nõ parũ admirabatur, ꝓpter grauitatem ac magnificentiam ſñiarum (credo) ipſa valdè delectatus: vigebat aũt ea tunc maximè, nonnulliq; Romani præſtantiſſimi ciues ea diſciplina imbuti erant: nã multitudo Epicuri rõnem magis ſequebatur, vt quæ facilius ꝑcipi poſſet, & alliceret caperetq; animos imperitorum laudibus voluptatis, q̃uis ea quoq; grauiſſimas ſanctiſſimasq; ſñias quãdoq; effunderet, quæ fortes ẽt & iuſtos viros ei rõni poſſent conciliare: nã ita illi aduerſatus eſt cõtradixitq; Cicero, ut nõ male de vita & moribus eorum qui ipſam defendebant exiſtimaret, cũ etiam quoſdam habuerit Epicureos hoĩes ſecum magna beneuolentia iocundiſſimaq; familiaritate cõiunctos, qui eum oẽs Epicuri ſñias docuerãt, quẽ ipſum quoq; non odit, nec parciſſimo tenuiſſimoq; victu contentũ fuiſſe vnq̃ repugnauit cũ propter patrociniũ voluptatis apud ſuæ rõnis ignaros malè ille audiret, & vt ventri ac gutturi deditus ab aduerſarijs in hoc male acciperetur: veterem aũt illam Academiã adeo intellectã cognitamq; habuit, vt diu tractare nõ dubitarit: auctores ſanè ipſius ac principes Socratem, Platonem, Xenocratẽ eorũq; auditores omnibus locis mirificè laudat, ac cũctis philoſophis ꝑponit. Quõ igitur põt aliquis ſummum ingeniũ Ciceronis, ſummũq; philoſophiæ ſtudium nõ admirari? conſilium nãq; eius inſtitutumq; latinis literis explicandi quæ ante à Græcis tñ doctoribus ac libris ꝑcipi poterant, quis adeo peruerſus eſt, ac ſibi ipſi cõmodiſq; ſuis inimicus, vt laudandũ eſſe non putet? Cogitabat ipſe hac quoq; parte ciues ſuos iuuare, atq; eos cunctas doctrinas in latinã linguam cõuertens nõ mediocri (vt erat) beneficio afficere: indignum n. ipſi videbat gẽtẽ illã, quæ totũ penè orbẽ armis viciſſet, legibusq; temperaret, vitã moresq; ſuos ſine Græcis magiſtris excolere & regere nõ poſſe, cumq; omnibus rõnibus imperaret, Græcis hominibus, ac doctoribus ſeruire cogi. Reliquit igitur hęc præclara oĩum philoſophiæ diſciplinarũ quæ tunc florebãt, monimenta, quæ nobis multis de cauſis cara eẽ debent, non minus aũt quia cuncti illarum diſciplinarum libri vetuſtate, vel miſeris potius præteritis

temporibus ita perierunt, ut nihil ferè aliud reſtet, vnde poſſint, ſi non perfectè intelligi, at gu
ſtari tamen, & animaduerti ſubtiliſſima illarum doctrinarum decreta ac rõnes: niſi forte cre-
dimus omnia illa iudicio ac ſapiẽtium uirorum conſilio neglecta & deleta eſſe, ꝙ ea indigna
exiſtimarent, quæ legerentur, quaſi non multa ẽt Ariſtotelis, quẽ diu meritò oẽs ſunt ample-
xati, ac ne peiora quidem eodem fato amiſſa ſint: nam quid de Theophraſto dicẽdum eſt, qui
in eadem rõne verſatus omnia fermè quæ doctor ipſius Ariſtoteles eruditiſſime & elegantiſ
ſime tractauit? num & hic ẽt eadẽ de cauſa cõtemptus eſt, atq; in ſitu & ſquallore relictus, qui
penè totus perijt? Quæ.n. pars eius reſtitit, ea quoq; multis maculis & peruerſionibus cõfecta
eſt: quaſiq; non viderimus in latinis etiã ſcriptoribus veteres quoſdam bonoſq; interijſſe, no-
uos aũt alios rudeſq; in vita permanſiſſe, aut ſuſpicari poſſimus ab illis, qui ex ijſdem fontibus,
quibus peripatetici hauſerant clariſſimis ingenijs præditis ab optimiſq; magiſtris eruditis, ni
hil ſapiens aut acutum inuentum, & poſteriores oẽs à veteribus ſine cauſa diſſentiſſe, cũ ſoleãt
recẽtiſſima quæq; perfecta eſſe & abſoluta maximè: Ita tamen iuniores legerat Cicero, vt ma
ioribus illis Platoni, Ariſtoteli, Theophraſto ſemper multũ tribuerit: audiuerit ẽt ſtudioſiſſi-
me Athenis Antiochum veteris Academiæ nobiliſſimum & eloquentiſſimum philoſophũ:
ne forte aliquis exiſtimet ipſum rõnis eius, quæ nunc maxime uiget expertem aut ignarũ fuiſ
ſe: nulla cauſa eſt igitur, quin hi Ciceronis de Philoſophia libri ab omnibus legi, ſemperq; in
manibus haberi debeant: nam quanta ſint elegantia copiaq; ſcripti, nihil attinet dicere, cũ om
nes res, quas ille tractare uoluit, ſemper electiſſimis verbis expoſuerit, in his autem nullus ora
tionis vel copioſæ, vel elegantis ornatus deſit: Quam ſint aũt inculta vel agreſtia potius et bar
bara ſcripta recentiorũ de philoſophia, præter admodum pauca, nemo eſt, qui neſciat, vt indi-
gnum admodum ſit tam bonas & præclaras res tam rudi & inquinato ſermone tractatas eẽ.
Qui aũt hæc volumina ſępe & accurate legerit, et optimarũ rerũ cognitionẽ ſibi inde parabit,
& cũ huiuſcemodi res ſcribere volet, facile poterit eas ornatè & grauiter pro ipſarũ dignitate
dictare: atq; his quidem nos, quæ vix ab iniuria temporũ defenſa & conſeruata ſunt, quã po-
tuimus opem præſtitimus, ſummoq; ſtudio conati ſumus multas in illis maculas perpugrare,
nam quæ iãdiu deſiderantur, quæq; vetuſtate collapſa ſunt, nulla rõne potuimus in vitã reuo
care: Malè profectò nobiſcum actum eſt, ꝙ optimi omnium ſcriptorũ optimam partem ami
ſimus: Acciderit aũt hoc quorundam præpotentium iniuria, qui odio illarũ rerum ducti ſum
ma acerbitate libros qui ea complectebantur, perſecuti ſint, ſiue omnium negligentia ſupio-
rum difficile cognitu & iudicatu eſt: Quin ſũma certe uſi ſint ſtultitia illi excuſari nõ poſſunt,
qui cum.vi.de rep. libros (ut alia omittam) deſcribere poſſent, qui ab optimo reip. tractãdæ au
ctore, omnibus congeſtis, quę vſu & literis didicerat, perfectè & abſolutè ſcripti fuerãt, in nu
gis potius quibuſdam deſcribendis operam ſuam conſumpſerunt: ſed ſit horum finis: neq; ea,
quæ ſanari nõ poſſunt, vulnera, ãplius refricemus. Ad te vero Ardinghelle ſuauiſſime & hos
quoq; libros mitto alterũ amoris erga te mei non valde tamẽ necesſarium pignus: perſpexiſti
n. (ut arbitror) quantopere te merito tuo amem ac diligam, nã cum te obſeruare ac colere de-
buerim, id qđ erat perſonæ ac dignitatis tuæ, me potius hoc facere voluiſti, atq; hoc ipſo ſem-
per magis delectatus es: quid.n. erat (niſi hoc voluiſſes) ꝙ te mihi tantopere dares atq; adeo cõ
modis meis inſeruires? quare & te amo ita vt nihil vnq̃ in amore fuiſſe ardentius putẽ: & co-
lo tamen, vt et perſona quam geris, & ſingularis tua probitas poſtulant: Maxima quidem tua
ſunt, quæ nunquã prædicare deſinã, erga me bñficia: atq; hęc quoq; ipſa tu nunq̃ augere ceſſas;
ea ſanè me tibi valde obligarunt: incredibilis vero tua humanitas, ſenilis quędã prudẽtia, ſum
mum ingeniũ, excellens doctrina, me tibi arctioribus adhuc vinculis coniunxerunt: oĩa verò
hæc ſimul congeſta me ita captum tenent, vt ſemper te animo meo adfixum habeam, nec vnq̃
ceſſem de admirabilibus tuis virtutibus, egregijſq; erga me meritis mecũ ipſe cogitare: qua-
re noli mirari, cur ſecundum etiã hoc volumẽ tibi miſerim, cum in tuo ſolum nomine acquie-
ſcam: ſed expecta potius ſiquid vnquã maiore ſtudio magis te dignum efficere potuero: quod
etſi ſentio q̃ mihi arduum ac difficile ſit, conabor tamẽ vt aliqua ratione & amori erga te meo
& minimæ parti tuorum meritorum videar ſatiſfeciſſe.

M. TVLLII CICERONIS ACADEMICARVM QVAESTIONVM LIBER PRIMVS.

ROMA

AD M. TERENTIVM VARRONEM.

IN CVMANO nuper quum mecum Atticus noſter eſſet, nunciatum eſt nobis à M. Varrone, ueniſſe eum Roma pridie ueſperi, & niſi de uia feſſus eēt, cōtinuo ad nos uenturum fuiſſe. Quod quum audiſſemus, nullam moram interponendã putauimus, quin uideremus hominem nobiſcum & ſtudijs eiſdem, & uetuſtate amicitię coniunctum. Itaq; confeſtim ad eũ ire perreximus, paulumq́; quũ eius uilla abeſſemus, ipſum ad nos uenientem uidimus, atq; illum complexi (ut mos amicorum eſt) ſatis eum longo interuallo ad ſuam uillam reduximus. Hic pauca primo, atq; ea percontantibus nobis, & ſi ꝗd forte Roma noui, Atticus, Omitte iſta quæ nec percōtari nec audire ſine moleſtia poſſumus, quęſo, inq̃t, & quęre potius, ecquid ipſe noui. Silent enim diutius muſæ Varronis q̃ ſolebant. Nec tñ iſtũ ceſſare, ſed celare quæ ſcribat exiſtimo. Minime uero, inquit ille. Intemperantis enim arbitror eſſe ſcribere, quod occultari uelit. Sed habeo opus magnum in manibus, quod iampridem ad hunc eum ipſum (me autem dicebat) quædam inſtitui, quæ & ſunt magna ſanè, & limantur à me politius. Et ego iſta quidem inquam Varro iandiu expectans, non audeo tamen flagitare. Audiui enim è Libone noſtro, cuius noſti ſtudiũ (Nihil enim eiuſmodi celare poſſumus) non te ea intermittere, ſed accuratius tractare, nec de manibus unquã deponere. Illud autem mihi ante hoc tempus nunquam in mentem uenit à te requirere. Sed nunc poſteaquã ſum ingreſſus res eas quas tecum ſimul didici, mandare monumentis, philoſophiamq́; ueterem illam à Socrate ortã, Latinis literis illuſtrare, quæro quid ſit, cur quum multa ſcribas, genus hoc prætermittas, preſertim quum & ipſe in eo excellas, & id ſtudiũ totaq́; ea res longe ceteris & ſtudijs & artibus antecedat. Tum ille, Rem à me ſæpe deliberatã & multum agitatam requiris. Itaq; non hæſitans reſpondebo, ſed ea dicam, quæ mihi ſunt in promptu, quod iſta ipſa de re multum, ut dixi, & diu cogitaui. Nam quum philoſophiam uiderem diligentiſſime Græcis literis explicatam, exiſtimaui ſi qui de noſtris eius ſtudio tenerētur, ſi eſſent Græcis doctrinis eruditi, Græca potius q̃ noſtra lecturos: ſin à Græcorum artibus & diſciplinis abhorrerent, ne hæc quidem curaturos, quæ ſine eruditione Græca intelligi nō poſſunt. Itaq; ea nolui ſcribere, quę nec indocti intelligere poſſent, nec docti legere curarent. Vides autem eadem ipſe. Didiciſti enim non poſſe nos Amafanij aut Rabirij ſimiles eſſe: qui nulla arte adhibita, de rebus ante oculos poſitis, uulgari ſermone diſputant. nihil definiunt, nihil partiuntur, nihil apta interrogatione concludunt, nullam denique artem eſſe, nec dicendi, nec diſſerendi putãt. Nos autem præceptis dialecticorũ, & oratorũ. Et quoniam utramq; uim uirtutem eſſe noſtri putant, ſic parentes ut legibus, uerbis

quanquam nouis cogimur uti,quæ docti,ut dixi,à Græcis petere mallent, indocti ne à nobis quidem accipiunt,ut fruſtra omnis ſuſcipiatur labor. Iam uero phyſica,ſi Epicurum,id eſt ſi Democritum probarem,poſſem ſcribere ita planè ut Amafanius. Quid eſt enim magnum,quum cauſas rerum efficientium ſuſtuleris,de corpuſculorum(ita enim appellat atomos)concurſione fortuita loqui? Noſtra tu phyſica noſti,quæ contineãtur ex effectione, & ex materia ea quam fingit & format effectio. Adhibẽda enim Geometria eſt, quoniam quibuſnam quiſquam enunciare uerbis,aut quem ad intelligẽdum poterit adducere,hæc ipſa de uita & moribus,& de expetendis fugiendiſq́ rebus. Illi enim ſimpliciter pecudis & hominis idem bonum eſſe cenſent:apud noſtros enim non ignoras quæ ſit & quanta ſubtilitas. Siue enim Zenonem ſequare,magnum eſt efficere ut quis intelligat,quid ſit illud uerũ & ſimplex bonum,quod non poſſit ab honeſtate ſeiungi. Quod bonum quale ſit negat omnino Epicurus ſine uoluptatibus ſenſum mouentibus nec ſuſpicari. Si uero Academiã ueterem perſequamur,quam nos,ut ſcis probamus , quàm erit illa acute explicanda nobis,q̃ argute,quàm obſcure etiã contra Stoicos diſſerendum? Totum igitur illud philoſophiæ ſtudium,mihi quidem ipſe ſumo, & ad uitæ conſtantiam quantam poſſum,& ad delectationem animi, nec ullum arbitror(ut apud Platonem eſt)maius aut melius à dijs datum munus homini:ſed meos amicos in quibus eſt ſtudium, in Græciam mitto,id eſt ad Græcos ire iubeo,ut ea à fontibus potius hauriant,quàm riuulos conſectentur. Quę autem nemo adhuc docuerat,nec erat unde ſtudioſi ſcire poſſent, ea quantum potui(nihil enim magnopere meorum miror)feci ut eẽnt nota noſtris. A Græcis enim peti non poterant,ac poſt Lęlij noſtri occaſum, ne à Latinis quidem. Et tamen in illis ueteribus noſtris quæ Menippum imitati nõ interpretati quadam hilaritate cõſperſimus,multa admixta ex intima philoſophia,multa dicta dialectice:quæ quo facilius minus docti intelligerent, iucunditate quadam ad legendum inuitati in laudationibus,in ijs ipſis antiquitatum procemijs philoſophiæ,ſcribere uoluimus,ſi modo cõſequuti ſumus. Tum ego. Sunt inquam iſta Varro. Nam nos in noſtra urbe peregrinãtes, erranteſq́ tãquam hoſpites,tui libri quaſi domum deduxerunt,ut poſſemus aliquando,qui,& ubi eſſemus,agnoſcere. Tu ætatem patrię,tu deſcriptiones temporum,tu ſacrorum iura,tu ſacerdotum,tu domeſticam,tu bellicam diſciplinam,tu ſedem regionum,locorum,tu omnium diuinarum humanarumq́ rerum nomina,genera,officia,cauſas aperuiſti. Plurimum quidem & poetis noſtris,omninoq́ Latinis & literis luminis,& uerbis attuliſti,atque ipſe uarium & elegans omni ferè numero poema feciſti,philoſophiamq́ multis locis inchoaſti ad impellendum ſatis,ad edocendum parum, Cauſam autẽ probabilem tu quidem affers. Aut enim Græca legere mallent,qui erunt eruditi, aut ne hæc quidem,qui illa neſciunt. Sed da mihi nunc,ſatis ne probas? Imo uero & hæc qui illa non potuerunt,& qui Græca poterunt,non contemnant ſua. Quid enim cauſæ eſt cur poetas Latinos Græcis literis eruditi legãt,philoſophos non legant? An quia delectat Ennius,Pacuuius, Accius, multi alij, qui non uerba ſed uim Græcorum expreſſerunt poetarum? Quanto magis philoſophi delectabunt,ſi ut illi Aeſchylum,Sophoclem,Empedoclem,Euripidem:ſic hi Platonem imitentur, Ariſtotelem, Theophraſtum? Oratores

quidem

quidem laudari uideo,ſi qui è noſtris Hyperidem ſint aut Demoſthenẽ imitati.Ego autem (dicam enim ut res eſt) dum me ambitio,dum honores, dũ cauſæ,dum Reipub.non ſolum cura,ſed quædam etiam procuratio multis officijs implicatum & conſtrictum tenebat,hæc incluſa habebam,& ne obſoleſcerent renouabam quum licebat,legendo.Nunc uero & fortunę grauiſſimo percuſſus uulnere,& adminiſtratione Reipub.liberatus,doloris medicinam à philoſophia peto,& otij oblectationem hanc honeſtiſſimam iudico . Aut enim huic ætati hoc maxime aptum eſt,aut ijs rebus,ſi quas dignas laude geſſimus,hoc in primis conſentaneum,aut etiam ad noſtros ciues erudiendos nihil utilius:aut ſi hæc ita non ſunt,nihil aliud uideo quod agere poſſimus. Brutus quidem noſter excellens omni genere laudis,ſic philoſophiam Latinis literis perſequitur,nihil ut ijſdem de rebus Græcia deſideret,& eandẽ quidem ſententiam ſequitur quam tu.Nam Ariſtum Athenis audiuit aliquandiu, cuius tu fratrem Antiochum.Quamobrem da quæſo te huic etiam generi literarum . Tum ille, Iſtuc quidem conſiderabo,nec uero ſine te.Sed de teipſo, quid eſt (inquit) quod audio? Quanam,inquam,de re? Relictam à te ueterem iam,inquit,tractari autem nouam.Quid ergo inquam, Antiocho id magis licuerit noſtro familiari remigrare in domum ueterem è noua, quàm nobis in nouam è uetere? Certe enim recentiſſima quæq; ſunt correcta & emendata maxime,quanquam Antiochi magiſter Philo magnus uir, ut tu exiſtimas ipſe,negaret in libris (quod coràm etiam ex ipſo audiebamus) duas Academias eſſe,errorem'q; eorum qui ita putarũt coarguit.Eſt inquit ut dicis. Sed ignorare te non arbitror,quæ cõtra Philonem Antiochus ſcripſit. Imo uero & iſtam,& totam ueterem Academiam aqua abſumptam diu,renouari à te,niſi moleſtum eſt,uelim.Et ſimul aſſidamus,inquã,ſi uidetur. Sanè iſtud quidem inquit.Sum enim admodum infirmus.Sed uideamus idem ne Attico placeat fieri à me quod te uelle uideo.Mihi uero ille? Quid eſt enim quod malim,quàm ex Antiocho iampridem audita recordari, & ſimul uidere, ſatis ne ea commode dici poſſit latine? Quæ quum ſint dicta, in conſpectu conſedimus omnes.Tum Varro ita exorſus eſt. Socrates mihi uidetur (id quod conſtat inter omnes) primus à rebus occultis & ab ipſa natura inuolutis,in quibus omnibus ante eum philoſophi occupati fuerunt,auocauiſſe philoſophiam,& ad uitam cõmunem adduxiſſe,ut de uirtutibus,& uitijs,omninoq; de bonis rebus & malis quæreret:cœleſtia autem,uel procul eẽ à noſtra cognitione cenſeret,uel ſi maxime cognita eſſent,nihil tamen ad bene uiuendum.Hic in omnibus ferè ſermonibus qui ab ijs qui illum audierũt perſcripti uàrie,copioſe ſunt,ita diſputat,ut nihil affirmet ipſe, refellat alios,nihil ſe ſcire dicat niſi idipſum,eoq; præſtare ceteris,quod illi quæ neſciãt ſcire ſe putent,ipſe ſe nihil ſcire id unum ſciat,ob eam'q; rẽ ſe arbitrari ab Apolline omnium ſapientiſſimum eſſe dictum,quod hæc eſſet una omnis ſapientia,nõ arbitrari ſeſe ſcire quod neſciat.Quæ quum diceret conſtanter,& in ea ſententia permaneret omnis eius oratio,tum in uirtute laudanda, & in hominibus omnibus ad uirtutis ſtudiũ cohortandis cõſumebatur,ut ex Socraticorum libris,maximeq; Platonis,intelligi poteſt.Platonis aũt authoritate, qui uarius,& multiplex,& copioſus fuit,una & cõſentiẽs duobus uocabulis philoſophię forma inſtituta eſt Academicorũ,& Peripateticorũ,qui rebus cõgruen

tes,nominibus differebant.Nā quum Speuſippū ſororis filiū Plato philoſophiæ quaſi hæredem reliquiſſet,duos autem præſtantiſſimos ſtudio atq; doctrina Xenocratem Chalcedonium,& Ariſtotelem Stagiritem,qui erant cū Ariſtotele,Peripatetici dicti ſunt,quia diſputabant inambulantes in Lycio: Illi autem qui Platonis inſtituto in Academia, quod eſt alterum Gymnaſium,cœtus erant,& ſermones habere ſoliti,è loci uocabulo,nomen habuerūt. Sed utriq; Platonis ubertate completi,certam quandam diſciplinæ formulam compoſuerunt,& eam quidem plenam ac refertam.Illam autem Socraticam dubitationem de omnibus rebus,& nulla affirmatione adhibita, cōſuetudinem diſſerendi reliquerunt.Ita facta eſt diſſerendi(quod minime Socrates probabat)ars quædam philoſophię, & rerum ordo,& deſcriptio diſciplinæ.Quę quidem erat primo duobus,ut dixi,nominibus una.Nihil enim inter Peripateticos,& illam ueterem Academiam differebat.Abundātia quadam ingenij præſtabat,ut mihi uidetur quidem,Ariſtoteles. Sed idem fons erat utriſq;,& eadem rerum expetendarum fugiendarumq; partitio. Sed q̄d ago?inquit:aut ſum ne ſanus,qui hæc uos doceo?Nam et ſi non ſus Mineruā, ut aiunt,tamen inepte quiſquis Mineruam docet.Tum Atticus.Tu uero, inquit,perge Varro,Valde enim amo noſtra atque noſtros,meq; iſta delectāt quum latine dicuntur,& iſto modo.Quid me,inquā,putas,qui philoſophiā iam profeſſus ſim,populo noſtro exhibiturū?Pergamus igitur,inquit,quoniam placet. Fuit ergo iam accepta à Platone philoſophandi ratio triplex. Vna,de uita & moribus:altera,de natura & rebus occultis:tertia,de differendo,& quid uerum & quid falſum,quid rectum in oratione prauum'ue, quid conſentiens,quid repugnet iudicando.Ac primam illam partem bene uiuēdi à natura petebant,eiq; parendum eſſe dicebant:neq; ulla alia in re, niſi in natura quærendum eſſe illud ſummum bonum,quo omnia referrentur. Conſtituebantq; extremum eſſe rerum expetēdarum,& finem bonorum, adeptum eſſe omnia è natura,& animo,& corpore,& uita.Corporis autem alia ponebant eē in toto,alia in partibus.Valetudinem,uires,pulchritudinem in toto: in partibus autem ſenſus integros,& præſtātiam aliquam partium ſingularum,ut in pedibus celeritatem,uim in manibus,claritatem in uoce, in lingua etiam explanatam uocum impreſſionem.Animi autem,quæ eſſent ad cōprehendēdā ingenij uirtutem idonea:eaq; ab ijs in naturam & mores diuidebantur.Naturæ celeritatem ad diſcendum & memoriam dabant,quorū utrunq; mentis eſſet proprium & ingenij:morum autem putabant ſtudia eē,& quaſi conſuetudinē,quam partim exercitationis aſſiduitate,partim ratione formabant,in quibus erat philoſophia ipſa.In qua quod inchoatum eſt,neq; perfectum,progreſſio quædam ad uirtutem appellatur: quod autem abſolutum, id eſt uirtus,quaſi perfectio naturæ,omniumq; rerū,quas in animis ponunt, una res optima.ergo hæc animorum.Vitæ autem(id enim erat tertium)adiuncta eſſe dicebant,quæ ad uirtutis uſum ualerēt.Iam uirtus animi bonis & corporis cernitur in quibuſdam,quæ non tam naturæ,q̄ beatæ uitæ adiuncta ſunt.Hominem eſſe cenſebant,quaſi partem quādam ciuitatis & uniuerſi generis humani,eumq; eſſe coniunctum cum hominibus, humana quadam ſocietate.Ac de ſummo quidem atque naturali bono,ſic agunt:cetera autē pertinere ad id putant,aut ad augendum,aut ad tuendum,ut diuitias,ut opes, ut

gloriam,

gloriam,ut gratiam.Ita tripertita ab ijs inducitur ratio bonorum. Atq; hæc
illa ſunt tria genera,quæ putant plerique Peripateticos dicere. Id quidē nō
falſo.Eſt enim hæc partitio illorum.Illud imprudenter,ſi alios eē Academi
cos,qui tum appellarentur,alios Peripateticos arbitrantur.Communis hæc
ratio,& utriſque hic bonorum finis uidebatur,adipiſci quæ eēnt in prima na
tura,quæq; ipſa per ſeſe expetenda,aut omnia,aut maxima,Ea ſunt autē ma-
xima,quæ in ipſo animo,atq; in ipſa uirtute uerſantur.Itaque omnis illa anti
qua philoſophia ſenſit in una uirtute eſſe poſitam beatam uitam : nec tamen
beatiſſimam,niſi adiungerentur,& corporis,& cetera quæ ſupra dicta ſunt,
ad uirtutis uſum idonea.Ex hac deſcriptione,agendi quoque aliquid in uita,
& officij ipſius initiū reperiebatur,quod erat in cōſeruatione earum rerum,
quas natura præſcriberet.Hinc gignebatur fuga deſidiæ, uoluptatumq; con
temptio,ex quo laborum dolorumq; ſuſceptio multorum,magnorumq; re-
cti honeſtiq; cauſa,& earum rerum,quæ erant congruentes cum deſcriptio-
ne naturæ.Vnde & amicitia exiſtebat,& iuſtitia,atque æquitas.Hæq; & uo
luptatibus,& multis uitæ commodis anteponebātur. Hęc quidem fuit apud
eos morum inſtitutio,& eius artis,quam primā poſui,forma atq; deſcriptio.
De natura autem(id enim ſequebatur)ita dicebant,ut eam diuiderent in res
duas,ut altera eſſet efficiens,altera autem quaſi huic ſe præbens, eaq; efficere
tur aliquid.In eo quod efficeret,uim eſſe cenſebant: In eo autem quod effice
retur, materiam quandam. In utroque tamen utrunque.Neque enim materi
am ipſam cohærere potuiſſe, ſi nulla ui contineretur,neq; uim ſine aliqua ma
teria.Nihil eſt enim,quod non alicubi eſſe cogatur.Sed quod ex utroq;, id
iam corpus,& quaſi qualitatem quandam nominabant.Dabitis enim profe
cto,ut in rebus inuſitatis,quod Gręci ipſi faciunt,à quibus hęc iādiu tractan
tur,utamur uerbis interdum inauditis.Nos uero, inquit Atticus. Quinetiā
Græcis licebit,utare quū uoles,ſi te Latina forte deficient. Bene ſanè facis.
Sed enitar,ut latine loquar,niſi in huiuſcemodi uerbis, ut Philoſophiam aut
Rhetoricam,aut Phyſicam,aut Dialecticam appellem,quibus ut alijs mul-
tis conſuetudo iam utitur pro latinis.Qualitates igitur appellaui,quas ποιό-
τητας Gręci uocant, quod ipſum apud Gręcos non eſt uulgi uerbum, ſed
philoſophorum,atque id in multis.Dialecticorum uero uerba nulla ſunt pu
blica; ſuis utuntur.Et id quidem commune omnium ferè eſt artium. Aut
enim noua ſunt rerum nouarum facienda nomina, aut ex alijs tranſferenda.
Quod ſi Gręci faciunt, qui in ijs rebus tot iam ſecula uerſantur , quanto id
magis nobis concedendum eſt, qui hęc nunc primum tractare conamur?
Tu uero,inquam,Varro bene etiam meriturus mihi uideris de tuis ciuibus,
ſi eos non modo copia rerum auxeris,ut effeciſti,ſed etiam uerborum. Aude
bimus ergo,inquit,nouis uerbis uti te auctore,ſi neceſſe eſt.Earum igit̄ qua-
litatum ſunt alię principes,alię ex ijs ortę.Principes ſunt unius modi, & ſim
plices.Ex ijs autē ortę,uarię ſunt,& quaſi multiformes.Itaq; aer quoq; (uti-
mur enim pro Latino)ignis,& aqua,et terra,prima ſunt.Ex ijs aūt ortę ani
mantiū formę,earūq; rerū quę gignuntur è terra.Ergo illa initia,et ut è Grę
co uertā,elemēta dicūt.E quibus aer & ignis,mouēdi uim habēt & efficiēdi:
reliquę partes accipiēdi,& quaſi patiēdi,aquā dico & terrā.Quintū genus è

quo cent aſtra,mēteſq́ ſingulares,eorūq́ quatuor,quæ ſupra dixi diſſimile Ariſtoteles quoddam eſſe rebatur.Sed ſubiectam putant omnibus ſine ulla ſpecie,atque carentem omni illa qualitate(faciamus enim tractãdo uſitatius hoc uerbum et tritius)materiam quandam,ex qua omnia expreſſa atque effecta ſint,quæ tota omnia accipere poſſint,omnibusq́ modis mutare,atque ex omni parte,eoq́ etiam interire non in nihilum,ſed in ſuas partes,quæ infinite ſecari ac diuidi poſſint,quum ſit nihil omnino in rerum natura minimū, quod diuidi nequeat.Quæ autem moueātur,omnia interuallis moueri, quæ interualla etiam infinite diuidi poſſint.Et quum ita moueatur illa uis, quam qualitatem eē dicimus,& quum ſic ultro citroq́ uerſetur,& materiam ipſam totam penitus commutari putant,& illa effici quæ appellāt qualia,è quibus in omni natura coherente & continuata cum omnibus ſuis partibus effectū eē mundum,extra quem nulla pars materiæ ſit,nullumq́ corpus. Parteis autem eē mundi omnia,quæ inſint in eo,quę natura ſentiente teneantur,in qua ratio perfecta inſit,quæ ſit eadem ſempiterna.Nihil enim ualentius eē à quo intereat. Quam uim animum dicunt eē mundi,eandemq́ eſſe mentem,ſapientiamq́ perfectam,quem Deum appellant,omniumq́ rerum, quæ ſunt ei ſubiectę,quaſi prudentiam quandam procurantem cœleſtia maxime, deinde in terris ea quæ pertinent ad homines.Quam interdum eandem: Neceſſitatem appellant,quia nihil aliter poſſit atque ab ea conſtitutum ſit,inter quaſi fatalem,& immutabilem continuationem ordinis ſempiterni. Nonnūquā quidem eandem Fortunam,quod efficiat multa improuiſa hęc nec opinata nobis,propter obſcuritatem ignorationemq́ cauſarum. Tertia deinde Philoſophię pars,quę erat in ratione,& in diſſerendo,ſic tractabatur ab utriſq́.

Quanquam oriretur à ſenſibus,tamen non eſſe iudicium ueritatis in ſenſibus.Mentem uolebant rerum eē iudicem:ſolam cenſebant idoneam cui crederetur,quia ſola cerneret id quod ſemper eſſet ſimplex,& unius modi, & tale quale eſſet.Hāc illi Ideam appellabant,iam a Platone ita appellatam, nos recte Speciē poſſumus dicere.Senſus autem omnes hebetes & tardos eē arbitrabātur,nec percipere ullo modo res eas,quę ſubiectę ſenſibus uiderētur: quæ eſſent aut ita paruę,ut ſub ſenſum cadere non poſſent:aut ita mobiles & concitatæ,ut nihil unquam unum eſſet conſtans eidem quidem, quia continenter laberentur & fluerent omnia. Itaque hanc omnem partem rerum opinabilem appellabant:Scientiam autem nuſquam eſſe cenſebant, niſi in animi motionibus,atque rationibus.Qua de cauſa definitiones rerum probabant,& has ad omnia de quibus diſceptabatur adhibebant. Verborum etiam explicatio probabatur,id eſt,qua de cauſa quæque eſſent ita nominata,quam Etymologiam appellabant.Poſt argumentis,& quaſi rerum notis ducibus utebantur ad probandum, & concludendum id,quod explanari uolebant:in qua tradebatur omnis dialectica diſciplina,id eſt oratiōis rōne cōcluſæ.Huic quaſi ex altera parte,oratoria uis dicendi adhibebat̄,explicatrix orationis perpetuæ,ad perſuadendum accommodatæ. Hęc erat illis prima à Platone tradita:cuius quas accepim diſputationes,ſi uultis,exponā. Nos uero uolumus,inquā,ut pro Attico etiā reſpondeā.Et recte,inquit, rn̄des. Præclare .n.explicat̄ Peripateticorꝝ & Academię ueteris auctoritas. Ariſtoteles

primus,

primus, ſpecies quas pauloãte dixi, labefactauit, quas mirifice Plato erat amplexatus, ut in his quiddam diuinum eẽ diceret. Theophraſtus autem uir & oratione ſuauis, & ita moratus, ut præ ſe probitatem quandam & ingenuitatem ferat, uehementius etiam fregit quodammodo auctoritatem ueteris diſciplinæ. Spoliauit enim uirtutem ſuo decore, imbecillãq; reddidit, quod negauit in ea ſola poſitum eſſe beate uiuere. Nam Strato eius auditor, quanquam fuit acri ingenio, tamen ab ea diſciplina omnino ſemouendus eſt. Qui quum maxime neceſſariam partem philoſophiæ, quæ poſita eſt in uirtute & in moribus, reliquiſſet, totumq; ſe ad inueſtigationem naturæ contuliſſet, in ea ipſa plurimũ diſſedit a ſuis. Speuſippus aũt, & Xenocrates, qui primi Platonis rõnẽ auctoritatemq; ſuſceperant, & poſt eos Polemo & Crates, unaq; Crantor, in Academia congregati, diligenter eis quæ à ſuperioribus acceperant, utebantur. Iam Polemonem audiuerant aſſidue Zeno & Arceſilas. Sed Zeno quum Arceſilam anteiret ætate, ualdeq; ſubtiliter diſſereret, & acute moueret, corrigere conatus ẽ diſciplinã. Eã quoque(ſi uidetur) correctionem explicabo, ſicut ſolebat Antiochus. Mihi uero inquam uidetur, quod uides idem ſignificare Pomponium. Zeno igitur nullo modo is erat, qui, ut Theophraſtus, neruos uirtutis inciderit: ſed contra, qui omnia, quæque ad beatam uitam pertinerent, in una uirtute poneret, nec quicquam aliud numeraret in bonis, idq; appellaret honeſtum, quod eſſet ſimplex quoddam, & ſolum, & unum bonum: cetera autem & ſi nec bona nec mala eſſent, tamen alia ſecundum naturam dicebat, alia naturæ eſſe cõtraria. Iis ipſis alia interiecta & media numerabat. Quæ autem ſecundum naturam eſſent, ea ſumenda, & quadam æſtimatione dignanda docebat, contraq; contraria. Neutra autẽ in medijs relinquebat, in quibus ponebat nihil omnino eſſe momenti. Sed quæ eſſent ſumenda, ex ijs alia pluris eſſe ęſtimanda, alia minoris. Quæ pluris, ea præpoſita appellabat: reiecta autem, quæ minoris. Atque ut hęc non tam rebus q̃ uocabulis commutauerat, ſic inter recte factum atque peccatum, officium & contra officium, media locabat quędã: recte facta ſola in bonis actionibus ponens, praue, id eſt peccata, in malis. Officia autem & ſeruata prætermiſſaq;, media putabat, ut dixi. Quumq; ſuperiores, non omnem uirtutẽ in ratione eſſe dicerent, ſed quaſdam uirtutes natura aut more perfectas, hic omnes in ratione ponebat. Quumq; illi ea genera uirtutum, quæ ſupra dixi, ſeiũgi poſſe arbitrarentur, hic nec id ullo modo fieri poſſe diſſerebat, nec uirtutis uſum modo, ut ſuperiores, ſed ipſum habitum per ſe eẽ pręclarum, nec tñ uirtutem cuiquam adeſſe, quin ea ſemper uteretur. Quumq; perturbationem animi illi ex homine nõ tollerent, naturaq; & condoleſcere, & concupiſcere, & extimeſcere, & efferri lætitia dicerent, ſed ea contraherent, in anguſtumq; deducerẽt, hic, omnibus his quaſi morbis, uoluit carere ſapiẽtẽ. Quumq; eas ꝑturbationes antiqui naturales eẽ dicerent, & rõnis expertes, aliaq; in parte animi cupiditatẽ, alia rationẽ collocarent, ne ijs q̃dẽ aſſentiebatur. Nã et ꝑturbatiões uolũtarias eẽ putabat, opinioniſq; iudicio ſuſcipi & oĩum ꝑturbationum arbitrabatur matrẽ eẽ, ĩmoderatam quandam intẽperãtiã. Hæc ferè de moribus. De naturis aũt ſic ſentiebat. Primum, ut in quatuor initijs rerꝫ illis quintã hãc naturã, ex qua ſuꝑiores ſenſus & mentẽ effici rebantur, non adhi

beret,Statuebat.n.ignē eē ipſam naturam,quę quicq; gigneret,et mentē atq; ſenſus.Diſcrepabat ēt ab ĳſdem,ꝙ nullo modo arbitrabat̄ quicquā effici poſſe,ab ea quæ expers eſſet corporis.Cuius generis Xenocrates, & ſuperiores etiam animum eſſe dixerūt.Nec uero aut quod efficeret aliquid,aut quod efficeretur,poſſe eē non corpus. Plurima autem in illa tertia philoſophiæ parte mutauit.In qua primum de ſenſibus ipſis quædam dixit noua,quos iūctos eſſe cenſuit ē quadam quaſi impulſione oblata extrinſecus,quam ille Phantaſiam,nos Viſum appellemus licet. Et teneamus hoc uerbum quidē,erit enim utendum in reliquo ſermone ſæpius.Sed ad hæc quæ uiſa ſunt,& quaſi accepta ſenſibus,aſſenſionem adiungit animorum,quam eſſe uult in nobis poſitam,& uoluntariam.Viſis non omnibus adiungebat fidem,ſed his ſolū, quę propriam quandam haberent declarationem earum rerū,quæ uiderētur. Id autem uiſum quū ipſum per ſe cerneretur,comprehenſibile:Feretis hæc? nos uero,inquit.Quonam enim modo καταληπτον diceres? ſed quum acceptū iam & approbatum eſſet,comprehenſionem appellabat,ſimilem ĳs rebus q̄ manu prenderentur,ex quo etiam nomen hoc duxerat. At quum eo uerbo ante nemo tali in re uſus eſſet,plurimiſq; idē nouis uerbis(noua enim dicebat) uſus eſt.Quod autem erat ſenſu comprehēſum,id ipſum ſenſum appellabat. Et ſi ita erat comprehenſum,ut conuelli ratione non poſſet,ſcientiam:ſin aliter,inſcientiam nominabat,ex qua exiſteret etiam opinio,quæ eſſet imbecilla,& cum falſo incognitoq; communis.Sed inter ſciētiam & inſcientiā,comprehenſionem illam,quam dixi,collocabat, eamq; neque in rectis neque in prauis numerabat,ſed ſoli credēdum eſſe dicebat:ē quo ſenſibus etiam fidem tribuebat,quod(ut ſupra dixi)comprehenſio facta ſenſibus, & uera eſſe & fidelis uidebatur:non quod omnia quæ eſſent in re comprehenderet, ſed qa nihil quod cadere in eam poſſet,relinqueret,quodq; natura, quaſi normam ſcientiæ & principium ſui dediſſet, unde poſtea notiones rerū in animis imprimerētur,ē quibus non principia ſolum,ſed latiores quędam ad rationem inueniendam uiæ reperiuntur.Errorem autem,& temeritatem, & ignorantiam,& opinationem,& ſuſpicionem,& uno nomine omnia quæ eſſent aliena firmę & conſtantis aſſenſionis,à uirtute ſapientiaq; remouebat. Atque in ĳs ferè commutatio conſtitit omnis, diſſenſioq; Zenonis à ſuperioribus.

Quæ quum dixiſſet,Et breuiter ſanè minimeq; obſcure expoſita eſt,inquā,â te Varro,et ueteris Academię ratio et Stoicorum:uerum eē autem arbitror, ut Antiocho noſtro familiari placebat correptiōem ueteris Academię potius,q̄ aliquam nouam diſciplinam putandam. Tunc Varro. Tuæ ſunt nunc partes,inquit,qui ab antiquorum ratione nūc deſciſcis,& ea quæ ab Arceſila nouata ſunt,probas,docere quod,& qua de cauſa diſſidium factum ſit, ut uideamus ſatis ne iſta ſit iuſta defectio.Tum ego.Cum Zenone, inquam, ut accepimus, Arceſilas ſibi omne certamen inſtituit non pertinacia aut ſtudio uincendi (ut mihi quidem uidetur) ſed earum rerum obſcuritate, quæ ad confeſſionem ignorationis adduxerant Socratem,& ueluti amantes Socratem Democritum,Anaxagoram,Empedoclem,omnes penè ueteres, q nihil cognoſci,nihil percipi,nihil ſciri poſſe dixerunt, anguſtos ſenſus,imbecillos animos,breuia curricula uitę,& (ut Democritus)in ꝓfundo ueritatē eē de-

merſam,

merſam, opinionibus & inſtitutis omnia teneri, nihil ueritati relinqui, dein-
ceps omnia tenebris circunfuſa eſſe dixerunt. Itaqꝫ Arceſilas negabat eē qd-
quam quod ſciri poſſet, ne illud quidē ipſum quod Socrates ſibi reliquiſſet.
Sic omnia latere cenſebant in occulto, neqꝫ eſſe quidquam quod cerni, aut in-
telligi poſſit. Quibus de cauſis nihil oportere, neqꝫ profiteri, neqꝫ affirmare
quenquam, neqꝫ aſſertione approbare, cohibereqꝫ ſemper, & ab omni lapſu
continere temeritatem: quæ tum eſſet inſignis, quum aut falſa, aut incognita
res approbaretur: neqꝫ hoc quidquam eēt turpius, q̄ cognitioni & perceptio
ni aſſertionem approbationemqꝫ præcurrere. Huic rationi quod erat conſen
taneum faciebat, ut cōtra omnium ſentētias dies iam pleroſque deduceret: ut
quum in eadem re paria contrarijs in partibus momenta rationum inuenirē-
tur, facilius ab utraqꝫ parte aſſertio ſuſtineretur. Hanc Academiam nouā ap-
pellant, quæ mihi uetus uidetur. Siquidem Platonem ex illa uetere numera
mus, cuius in libris nihil affirmatur, & in utrāqꝫ partem multa diſſerūtur: de
omnibus quæritur, nihil certi dicitur: ſed tamē illa, quam expoſui, uetus, hæc
noua nominetur: quæ uſqꝫ ad Carneadem perducta, qui quartus ab Arceſila
fuit, in eadem Arceſilæ ratione permanſit. Carneades autem nullius philoſo-
phiæ partis ignarus: &, ut cognoui ex ijs qui illū audierāt, maximeqꝫ ex Epi
cureo Zenone, qui quum ab eo plurimum diſſentiret, unum tamen præter ce
teros mirabatur, incredibili quadam fuit facultate.

Ex quattuor academicis Libris ad Varronem miſſis, hęc tantum
primi pars ſalua eſt, reliqui tres toti periere.

M. TVLLII CICERONIS. LVCVLLVS.

MAGNVM ingenium L. Luculli, magnumqꝫ opti
marum artiū ſtudium, tū omnis liberalis & digna ho
mine nobili ab eo percepta doctrina, quibus tempori
bus florere in foro maxime potuit, caruit omnino re-
bus urbanis. Vt enim admodū adoleſcens cum fratre
pari pietate & induſtria prædito paternas inimicitias
magna cum gloria eſt perſequutus, in Aſiā Quæſtor
profectus, ibi permultos ānos admirabili quadā lau-
de prouinciæ præfuit. Deinde abſens factus Ædilis, cōtinuo Prætor (licebat
enim celerius legis præmio) poſt in Africam, inde ad Conſulatum. quem ita
geſſit: ut diligentiam admirarentur omnes, ingeniū agnoſcerent: poſt ad Mi
thridaticum bellum miſſus à Senatu, nō modo opinionē uicit omnium, quæ
de uirtute eius erat, ſed etiā gloriam ſuperiorū. Idqꝫ eo fuit mirabilius, quòd
ab eo laus imperatoria, nō admodum expectabatur, qui adoleſcentiam in fo-
renſi opera, Quæſturæ diuturnum tempus, Murena bellum in Ponto geren
te, in Aſiæ pace cōſumpſerat. Sed incredibilis quædā ingenij magnitudo nō
deſiderauit indocilem uſus diſciplinam. Itaqꝫ cum totum iter & nauigationē
cōſumpſiſſet, partim in percontando à peritis, partim in rebus geſtis legēdis,
in Aſiam factus imperator uenit, cum eſſet Roma profectus rei militaris ru-
dis. Habuit enim diuinam quandam memoriam rerum, uerborum maiorem

Hortenſius. Sed duo plus in negocijs gerendis res q̃ uerba proſunt, hoc erat memoria illa præſtantior: quam fuiſſe in Themiſtocle, quem facile Græciæ principem ponimus, ſingularem ferunt. Qui quidẽ etiam pollicenti cuidam ſe artem ei memoriæ, quæ tum primum proferebatur, traditurum, reſpõdiſſe dicitur, obliuiſci ſe malle diſcere. Credo, quod hærebãt in memoria quæcũq; audierat aut uiderat. Tali ingenio præditus Lucullus adiunxerat etiã illam, quam Themiſtocles ſpreuerat, diſciplinam. Itaq; ut literis conſignamus, quę monumentis mãdare uolumus, ſic ille in animo res inſculptas habebat. Tantus ergo Imperator in omni genere belli fuit, prælijs, oppugnationibus, naualibus pugnis, totiusq; belli inſtrumento & apparatu, ut ille Rex poſt Alexandrum maximus, hunc à ſe maiorem ducem cognitum, q̃ quẽquam eorum quos legiſſet fateretur. In eodem tanta prudentia fuit in conſtituendis temperandisq; ciuitatibus, tanta æquitas, ut hodie ſtet Aſia Luculli inſtitutis ſeruandis, & quaſi ueſtigijs perſequendis. Sed & ſi magna cum utilitate reipub. tamẽ diutius q̃ uellem tãta uis uirtutis atq; ingenij peregrinata abfuit ab oculis, & fori, & curiæ. Quinetiã quum uictor à Mithridatico bello reuertiſſet, inimicorum calumnia triẽnio tardius q̃ debuerat triumphauit. Nos. n. Coss. introduximus penè in urbem currum clariſſimi uiri. Cuius mihi conſilium et auctoritas quid tum in maximis rebus profuiſſet, dicerem, niſi de meipſo dicendum eſſet, quod hoc tempore nõ eſt neceſſe. Ita priuabo potius illum debito teſtimonio, q̃ id cum mea laude cõmunicẽ. Sed quæ populari gloria decorari in Lucullo debuerũt, ea ferè ſunt & Gręcis literis celebrata & Latinis: nos autem illa externa cum multis, hæc interiora cum paucis ex ipſo ſæpe cognouimus. Maiore enim ſtudio Lucullus cum omni literarũ generi, tum philoſophiæ deditus fuit, q̃ qui illum ignorabant arbitrabantur: nec uero ineunte ætate ſolum, ſed & quæſtore aliquot annos, & ipſo in bello, in quo ita magna rei militaris eſſe occupatio ſolet, ut non multum Imperatori ſub ipſis pellibus otij relinquatur. Quum autem è philoſophis ingenio ſcientiaq; putaretur Antiochus Philonis auditor excellere, eum ſecum & Quęſtor habuit, et poſt aliquot annos Imperator: quumq; eſſet ea memoria quam ante dixi: ea ſæpe audiendo facile cognouit, quæ uel ſemel audita meminiſſe potuiſſet. Delectabatur autem mirifice lectione librorum, de quibus audiebat. Ac uereor interdum ne talium perſonarum, quum amplificare uelim, minuã etiam gloriam. Sunt enim multi, qui omnino Græcas non ament literas, plures qui philoſophiam, reliqui qui etiam ſi hæc non improbent, tamen earũ rerum diſputationem principibus ciuitatis non ita decoram putent. Ego autem quum Græcas literas M. Catonem in ſenectute didiciſſe acceperim: P. autem Aphricani hiſtoriæ loquantur in legatione illa nobili, quam ante Cenſuram obijt, Panætium unum omnino comitem fuiſſe, nec literarum Græcarũ, nec philoſophiæ iam ullum auctorem requiro. Reſtat ut his reſpondeam, qui ſermonibus eiuſmodi nolint, perſonas tam graues illigari: quaſi uero clarorum uirorum aut tacitos congreſſus eſſe oporteat, aut ludicros ſermones, aut rerũ colloquia leuiorum. Etenim ſi quodam in libro uere eſt à nobis philoſophia laudata, profecto eius tractatio optimo atque ampliſſimo quoq; digniſſima eſt. nec quidquam aliud uidẽdum eſt nobis, quos Populus Ro. hoc in gradu collocauit, niſi ne q̃d priuatis ſtudijs de opera publica detrahamus. Quod ſi

quum

quum fungi munere debeamus,nõ modo operam noſtram nũquam à popu lari cœtu remouemus,ſed ne literam quidem ullam facimus niſi forẽſem,quis reprehẽdet otium noſtrum,qui in eo nõ modo noſmetipſos hebeſcere & lan guere nolumus,ſed etiam ut plurimis proſimus enitimur? Gloriam uero non modo nõ minui,ſed etiam augeri arbitramur eorum, quorum ad populares illuſtresq́ laudes,has etiam minus notas minusq́ peruulgatas adiungimus. Sunt etiam qui negent in his qui noſtris libris diſputent,fuiſſe earum rerum de quibus diſputatur ſcientiã.qui mihi uidẽtur nõ ſolum uiuis,ſed etiam mor tuis inuidere. Reſtat unum genus reprehẽſorum,quibus Academiæ ratio nõ probatur.quod grauius ferremus,ſi quiſquam ullam diſciplinã philoſophiæ probaret præter eam quam ipſe ſequeretur. Nos autem quoniã cõtra omnes dicere,quæ uidentur,ſolẽmus,nõ poſſumus quin alij à nobis diſſentiãt, recu ſare. Quãquã noſtra quidem cauſa facilis eſt,qui uerum inuenire ſine ulla cõ tentione uolumus,idq́ ſumma cura ſtudioq́ conquirimus. Et ſi enim omnis cognitio multis eſt obſtructa difficultatibus,eaq́ eſt & in ipſis rebus obſcu ritas,& in iudicijs noſtris infirmitas,ut nõ ſine cauſa antiquiſſimi & doctiſſi mi inuenire ſe poſſe quod cuperẽt diffiſi ſint,tamẽ nec illi defecerũt: neq; nos ſtudium exquirẽdi defatigati relinquemus: neq; noſtrę diſputationes quidq̃ aliud agũt,niſi ut in utrãq; partem dicendo & audiẽdo eliciant, & tanquam exprimãt aliquid,quod aut uerum ſit,aut ad id quãproxime accedat. Nec in ter nos & eos qui ſe ſcire arbitrãtur quidquam intereſt,niſi quod illi non du bitant,quin ea uera ſint quæ defendũt: nos probabilia multa habemus, quæ ſequi facile,affirmare uix poſſumus. Hoc autẽ liberiores & ſolutiores ſumus, quod integra nobis eſt iudicandi poteſtas: nec ut omnia quæ præſcripta & quaſi imperata ſint,defendamus,neceſſitate ulla cogimur. Nam ceteri primũ ante tenẽtur aſtricti,q̃ quid eſſet optimum,iudicare potuerũt. Deinde infir miſſimo tempore ætatis aut obſecuti amico cuidam,aut una alicuius, quę pri mum audierũt,oratione capti,de rebus incognitis iudicant,& ad quancunq; ſunt diſciplinam quaſi tempẽſtate delati,ad eam tãquam ad ſaxũ adhæreſcũt. Nam quod dicũt,omnia ſe credere ei,quem iudicent fuiſſe ſapientem, proba rem,ſi idipſum rudes & indocti iudicare potuiſſent. Statuere enim qui ſit ſa piens,uel maxime uidetur eſſe ſapientis. Sed ut potuerũt,omnibus rebus au ditis,cognitis etiam reliquorum ſentẽtijs iudicauerunt,aut re ſemel audita ad unius ſe auctoritatem cõtulerũt. Sed neſcio quomodo pleriq; errare malunt, eamq́ ſententiam quam adamauerunt, pugnaciſſime defendere, quàm ſine pertinacia quod conſtantiſſime dicatur exquirere. Quibus de rebus & aliâs ſæpe nobis multa quæſita & diſputata ſunt, & quondam in Hortenſij uilla, quæ eſt ad Baulos,quum eò Catulus & Lucullus,nosq́ ipſi poſtridie uenif ſemus,q̃ apud Catulum fuiſſemus. Quò quidem etiam maturius uenimus, quod erat conſtitutum ſi uentus eſſet,Lucullo in Neapolitanũ,mihi in Pom peianum nauigare. Quum igitur pauca in xyſto loquuti eſſemus, tũ eodem in ſpatio conſedimus. Hic Catulus,Et ſi heri,inquit,id quod quærebatur pe nè explicatum eſt, ut tota ferè quæſtio tractata uideatur, tamen expecto ea quæ tu pollicitus es Luculle,ab Antiocho audita dicturum. Equidem, in quit Hortenſius,feci pluſquam uellem. Totam enim rem Lucullo integram

ſeruari oportuit: & tamen fortaſſe ſeruata eſt. A me enim ea quę in promptu erant, dicta ſunt, à Lucullo autem reconditiora deſidero. Tum ille, Nõ ſanè, inquit, Hortenſi cõturbat me expectatio tua, & ſi nihil eſt his, qui placere uolunt tam aduerſarium. Sed quia non laboro quàm ualde ea quæ dico probaturus ſim, eo minus cõturbor. Dicam enim nec mea, nec ea, in quibus ſi nõ fuerint, non uinci me malim, q̃ uincere. Sed mehercule ut quidem nũc ſe cauſa habet, & ſi heſterno ſermone labefacta eſt, mihi tamẽ uidetur eſſe ueriſſima. Agam igitur ſicut Antiochus agebat. Nota enim mihi res eſt: nã & uacuo animo illum audiebam. & magno ſtudio eadem de re etiam ſæpius: ut etiam maiorem expectationem mei faciam, q̃ modo fecit Hortẽſius. Quum ita eẽt exorſus, ad audiendum animos ereximus. At ille, Quum Alexandriæ Proquæſtore, inquit, eſſem, fuit Antiochus mecum, & erat iam antea Alexandriæ familiaris Antiochi Heraclitus tyrius, qui & Clitomachum multos annos, & Philonem audierat, homo ſanè in iſta philoſophia, quæ nũc propè dimiſſa reuocatur, probatus & nobilis, cum quo & Antiochum ſæpe diſputantem audiebam, ſed utrunque leniter. Et quidem iſti libri duo Philonis, de quibus heri dictum à Catulo eſt, tum erant allati Alexandriam, tumque primum in Antiochi manus uenerant: & homo natura leniſſimus (nihil enim poterat fieri illo mitius) ſtomachari tamẽ cœpit. Mirabar, neque enim unquam antea uideram. At ille Heracliti memoriam implorãs quærere ex eo, Viderentur'ne illa Philonis, aut ea num uel è Philone uel ex ullo Academico audiuiſſet aliquando? Negabat, Philonis tamen ſcriptum agnoſcebat: nec id quidem dubitari poterat. Nam aderant mei familiares docti homines P. & C. Selij & Tetrilius Rogus, qui ſe illa audiſſe Romæ de Philone, & ab eo ipſo duo illos libros dicerent deſcripſiſſe. Tum & illa dixit Antiochus, quæ heri Catulus commemorauit à patre ſuo dicta Philoni, & alia plura. Nec ſe tenuit, quin cõtra ſuum doctorem librum etiam ederet, qui Soſus inſcribitur. Tum igitur, et quũ Heraclitum ſtudioſe audirem contra Antiochum differentem, & item Antiochum contra Academicos, dedi Antiocho operam diligentius, ut cauſam ex eo totam cognoſcerem. Itaque quum plures dies adhibito Heraclito, doctisque compluribus, & in ijs Antiochi fratre Ariſto, & præterea Ariſtone et Dione, quibus ille ſecũdum fratrem plurimum tribuebat, multum temporis in iſta una diſputatione conſumpſimus. Sed ea pars, quæ cõtra Philonẽ erat prætermittenda eſt. Minus enim acer eſt aduerſarius is, qui iſta, quæ ſunt heri defenſa, negat Academicos omnino dicere, & ſi enim mẽtitur, tamẽ eſt aduerſarius lenior. Ad Archeſilam Carneademque ueniamus. Quę quum dixiſſet, ſic rurſus exorſus eſt. Primum mihi uidemini (me autem nomine appellabat) quum ueteres phyſicos nominatis, facere idem quod ſeditioſi ciues ſolent, quum aliquos ex antiquis claros uiros proferũt, quos dicant fuiſſe populares, ut eorum ipſi ſimiles eſſe uideantur. Repetunt iam P. Valerium, qui exactis Regibus primo anno Conſul fuit: commemorãt reliquos, qui leges populares de prouocationibus tulerunt, quum Conſules eſſent: tũ ad hos notiores G. Flaminium, qui legem agrariam aliquot annis ante ſecũdum Punicum bellum Trib. pleb. tulerit inuito Senatu, & poſtea bis Conſul factus ſit: L. Caſſium, Q. Pompeium illi quidem, etiã P. Aphricanũ referre in eũdem

numerum ſolent. Duos uero ſapiẽtiſſimos & clariſſimos fratres P. Craſſum, & P. Scęuolam aiunt Ti. Graccho legum auctores fuiſſe: alterum quidem ut uidemus palàm, alterum ut ſuſpicamur obſcurius. Addũt etiam C. Marium, & de hoc quidem nihil mentiũtur. Horum nominibus, tot uirorum atq; tantorum expoſitis, eorum ſe inſtitutũ ſequi dicunt. Simile uos quum perturbare, ut illi Remp. ſic uos philoſophiam bene iam conſtitutam uelitis, Empedoclem, Anaxagoram, Democritum, Parmenidem, & Xenophanem, Platonẽ etiam & Socratem profertis. Sed neq; Saturninus (ut noſtrum inimicũ potiſſimum nominem) ſimile quidquam habuit ueterum illorum: nec Arceſilę calumnia conferenda eſt cum Democriti uerecũdia: & tamen iſti phyſici raro admodum quum hærent aliquo loco exclamant, quaſi mente incitati: Empedocles quidem, ut interdũ mihi furere uideatur, abſtruſa eſſe omnia, nihil eos ſentire, nihil cernere, nihil omnino, quale ſit, poſſe reperire. Maiorem aũt partem mihi quidem omnes iſti uidentur, nimis etiam quædam affirmare, pluſq; profiteri ſe ſcire q̃ ſciant. Quod ſi illi tum in nouis rebus, quaſi modo naſcentes hæſitauerũt, nihil ne tot ſeculis, ſummis ingenijs, maximis ſtudijs explicatum putamus? Non' ne iam quũ philoſophorum diſciplinæ grauiſſimæ conſtitiſſent, tum ut exortus eſt in optima Rep. Ti. Gracchus, qui ocium perturbaret, ſic Arceſilas, qui conſtitutam philoſophiam euerteret, & in eorũ auctoritate delitiſceret, qui negauiſſent quidquã ſciri, aut pcipi poſſe? Quorum è numero tollẽdus eſt & Plato, & Socrates: alter, quia reliquit perfectiſſimam diſciplinam Peripateticos & Academicos nominibus differentes, re congruentes, à quibus Stoici ipſi uerbis magis quàm ſententijs diſſenſerunt: Socrates autem de ſe ipſe detrahens in diſputatione plus tribuebat his, quos uolebat refellere. ita quum aliud diceret atque ſentiret, libenter uti ſolitus eſt ea diſſimulatione, quam Græci εἰρωνείαν uocant, quam ait etiam in Aphricano fuiſſe Fannius. Idq; propterea uitioſum in illo non putandum, quod idẽ fuerit in Socrate. Sed fuerint illa uetera, ſi uultis, incognita: nihil ne eſt igitur actum quod inueſtigata ſunt, poſteaquã Archeſilas Zenoni, ut putatur, obtrectans, nihil noui reperienti, ſed emendanti ſuperiores immutationes uerborum, dum huius definitiones labefactare uult, conatus eſt clariſſimis rebus tenebras obducere: cuius primo non admodum probata ratio, quãquam floruit, cum acumine ingenij, tum admirabili quodam lepore dicendi, proxime à Lacyde ſolo retenta eſt: poſt autem confecta à Carneade, qui eſt quartus ab Archeſila. Audiuit enim Egeſinum, qui Euandrum audierat Lacydi diſcipulum, quum Archeſilæ Lacydes fuiſſet. Sed ipſe Carneades diu tenuit: nã nonaginta uixit annos, & qui illum audierant admodum floruerũt, è quibus induſtriæ plurimum in Clitomacho fuit. Declarat multitudo librorum ingenij non minus in hoc, quàm in Carneade eloquentiæ, in Melõthio Rhodio ſuauitatis. Bene autem noſſe Carneadem Stratoniceus Metrodorus putabatur. Iam Clitomacho Philo ueſter operam multos annos dedit. Philone autẽ uiuo patrocinium Academię non defuit. Sed quod nos facere nũc ingredimur, ut contra Academicos diſſeramus, id quidam è philoſophis, & hi quidẽ non mediocres faciendum omnino putabant, nec uerum eſſe ullam rationem diſputare cum his qui nihil probarent: Antipatrumq; Stoicum, qui multus in

eo fuiſſet, reprehendebant. Nec definiri aiebant neceſſe eſſe, quid eſſet cognitio, aut perceptio, aut ſi uerbum è uerbo uolumus, comprehenſio, quam κατάληψιν illi uocant. Eosq; qui perſuadere uellent eſſe aliquid quod comprehendi & percipi poſſet: inſcienter facere dicebant, propterea quod nihil eſſet clarius ἐνάργεια, ut Græci: perſpicuitatem aut euidētiam nos, ſi placet, nominemus, fabricemurq; ſi opus erit uerba, ne hic ſibi (me appellabat iocans) hoc licere putet ſoli. Sed tamen orationem nullam putabant illuſtriorem ipſa euidentia reperiri poſſe, nec ea quæ tam clara eſſent definienda cenſebant. Alij autem negabant ſe pro hac euidentia quidquā priores fuiſſe dicturos, ſed ad ea quæ contra dicerentur, dici oportere putabant, ne qui fallerentur. Pleriq; tamen & definitiones ipſarum etiam euidentium rerum non improbant, & rem idoneam de qua quæratur, & homines dignos, quibuscū diſſeratur, putant. Philo autem dum noua quædam cōmouet, quod ea ſuſtinere uix poterat, quæ contra Academicorum pertinaciam dicebantur, & aperte mentitur, ut eſt reprehenſus à patre Catulo, & (ut docuit Antiochus) in id ipſum ſe induit, quod timebat. Quum enim ita negaret quidquam eſſe quod comprehēdi poſſet, id enim uolumus eſſe ἀκατάληπτον, ſi illud eēt, ſicut Zeno definiret, tale uiſum: iam enim hoc pro φαντασία uerbum ſatis heſterno ſermone triuimus: uiſum igitur impreſſum effictumq; ex eo unde eſſet, quale eſſe non poſſet, ex eo unde non eſſet: id nos à Zenone definitum rectiſſime dicimus. Qui enim poteſt quidquam comprehendi, ut planè confidas perceptum id cognitumq; eſſe, quod eſt tale, quale uel falſum eſſe poſſit? Hoc quum infirmat, tollitq; Philo, iudicium tollit incogniti & cogniti: ex quo efficitur, nihil poſſe comprehendi. Ita imprudens eò, quò minime uult, reuoluitur. Quare omnis oratio contra Academiam ſuſcipitur à nobis, ut retineamus eam definitionē, quam Philo uoluit euertere: quam niſi obtinemus, percipi nihil poſſe concedimus. Ordiamur igitur à ſenſibus, quorum ita clara iudicia & certa ſunt, ut ſi optio naturæ noſtræ detur, & ab ea deus aliqui requirat, contenta ne ſit ſuis integris incorruptisq; ſenſibus, an poſtulet melius aliquid, non uideā quid quærat amplius. Neq; uero hoc loco expectandum eſt dum de remo inflexo, aut de collo columbæ reſpondeam. Non enim is ſum, qui quidquid uideatur tale, dicam eſſe quale uideatur. Epicurus hoc uiderit, & alia multa. Meo autē iudicio, ita eſt maxima in ſenſibus ueritas, ſi ſani ſunt ac ualentes, & omnia remouentur quæ obſtant & impediunt. Itaq; & lumen mutari ſæpe uolumus, & ſitus earum rerum quas intuemur, & interualla, aut cōtrahimus, aut diducimus, multaq; facimus uſq; eò, dum aſpectus ipſe fidē faciat ſui iudicij. Quod idem fit in uocibus, in odore, in ſapore, ut nemo ſit noſtrum, qui non in ſenſibus ſui cuiusq; generis iudicium requirat acrius. Adhibita uero exercitatione, & arte, ut oculi pictura teneātur, aures cantibus, quis eſt quin cernat quanta uis eſt in ſenſibus? quàm multa uident pictores in umbris, & in eminentia, quæ nos non uidemus? q̄ multa quæ nos fugiunt in cantu, exaudiunt in eo genere exercitati, qui primo inflatu tibicinis Antiopam eſſe aiunt, aut Andromacham, quum id nos ne ſuſpicemur quidem? Nihil neceſſe eſt de guſtatu et odoratu loqui, in quibus intelligentia, & ſi uitioſa, eſt quædam tamen. Quid de tactu, & eo quidem quem philoſophi interiorem uocant, aut doloris, aut

uoluptatis,

uoluptatis, in quo Cyrenaici ſolo putant ueri eſſe iudicium, quia ſentiatur? Poteſt'ne igitur quiſquam dicere inter eum qui doleat, & inter eũ qui in uoluptate ſit, nihil intereſſe? aut ita qui ſentiet, non apertiſſime inſaniat? Atqui qualia ſunt hæc, quæ ſenſibus percipi dicimus, talia ſequuntur ea quæ nõ ſenſibus ipſis percipi dicuntur, ſed quodam modo ſenſibus: ut hæc, illud eſt album, hoc dulce: canorum illud, hoc bene olens, hoc aſperum. Animo iam hæc tenemus comprehenſa, non ſenſibus. Ille deinceps equus eſt, ille canis; cetera ſeries deinde ſequitur maiora nectens: ut hæc, quæ quaſi expletam rerum comprehenſionem amplectuntur, ſi homo eſt, animal eſt mortale, rationis particeps. Quo è genere nobis notitiæ rerum imprimuntur, ſine quibus nec intelligi quidquam, nec quæri diſputari'ue poteſt. Quod ſi eſſent falſæ notitię (ἐννοίας enim notitias appellare tu uidebare). Si igitur eſſent hæ falſæ, aut eiuſmodi uiſis impreſſæ, qualia uiſa à falſis diſcerni non poſſent, quo tandem his modo uteremur? Quomodo autem quid cuiq; rei cõſentaneum eſſet, quid repugnaret, uideremus? Memoriæ quidem certe, quæ non modo philoſophiam, ſed omnis uitæ uſum omneſq; artes una maxime cõtinet, nihil omnino loci relinquitur. Quæ poteſt enim eſſe memoria falſorum, aut quid quiſquam meminit, quod non animo comprehendit & tenet? Ars uero quæ poteſt eſſe, niſi quæ non ex una aut duabus, ſed ex multis animi perceptionibus conſtat? Quam ſi ſubtraxeris, qui diſtingues artificem ab inſcio? Non enim fortuito hunc artificem dicemus eſſe, illum negabimus: ſed quum alterum percepta & comprehenſa tenere uidemus, alterum nõ item. Quũq; artium aliud eiuſmodi genus ſit ut tantummodo animo rem cernat, aliud ut moliatur aliquid & faciat, quomodo aut geometres cernere poteſt, quæ aut nulla ſunt, aut internoſci à falſis non poſſunt: aut is qui fidibus utitur, explere numeros, & conficere uerſus? Quod idem in ſimilibus quoq; artibus continget, quarum omne opus eſt in faciendo atque agendo. Quid enim eſt quod arte effici poſſit, niſi is qui artem tractabit multa perceperit? Maxime uero uirtutum cognitio confirmat percipi & comprehendi multa poſſe, in quibus ſolis ineſſe etiam ſcientiam dicimus: quam nos non comprehenſionem modo rerum, ſed eam ſtabilem quoq; & immutabilem eſſe cenſemus. Itemq; ſapientiam artem uiuendi, quæ ipſa ex ſeſe habeat conſtantiam. Ea autem conſtantia, ſi nihil habeat percepti & cogniti, quæro unde nata ſit, & quomodo? Quæro etiam, ille uir bonus qui ſtatuit omnem cruciatum perferre, intolerabili dolore lacerari potius quàm aut officium prodat, aut fidẽ, cur has igitur ſibi tam graues leges impoſuerit, quũ quamobrẽ ita oporteret, nihil haberet comprehenſi, percepti, cogniti, conſtituti? Nullo igitur modo fieri poteſt, ut quiſquã tanti æſtimet æquitatem & fidem, ut eius conſeruãdæ cauſa nullum ſuppliciũ recuſet, niſi his rebus aſſenſus ſit, quę falſæ eſſe nõ poſſunt. Ipſa uero ſapientia ſi ſe ignorabit ſapientia ſit nec'ne, quomodo primum obtinebit nomen ſapientiæ? Deinde quomodo ſuſcipere aliquam rem, aut agere fidẽter audebit, quum certi nihil erit quod ſequatur? Quũ uero dubitabit quid ſit extremum & ultimum bonorum, ignorãs quò oĩa referãtur, qui poterit eſſe ſapientia? Atq; etiam illud perſpicuum eſt, conſtitui neceſſe

eſſe initium quod ſapientia,quum quid agere incipiat,ſequatur. Idq; initium eſſe naturæ accommodatum. Nam aliter appetitio (eam enim eſſe uolumus ὁρμὴν) qua ad agendum impellimur,& id appetimus quod eſt uiſum, moueri nõ poteſt. Illud autem quod mouet,prius oportet uideri,eiq; credi: quod fieri non poteſt,ſi id quod uiſum erit,diſcerni non poterit à falſo. Quomodo autem moueri animus ad appetendum poteſt,ſi id,quod uidetur,nõ percipitur accommodatum'ne naturæ ſit an alienum? Itemq;,ſi id quod officij ſui ſit,nõ occurrit animo,nihil unquam omnino aget,ad nullam rem unquam impelletur,nũquam mouebitur. Quod ſi aliquid aliquãdo acturus eſt, neceſſe eſt id ei uerum quod occurrit uideri. Quid? quod ſi iſta uera ſunt,ratio omnis tollitur,quaſi quædã lux lumenq; uitæ,tamen ne in iſta prauitate perſtabitis? Nã quærendi initium ratio attulit,quæ perfecit uirtutem,quum eſſet ipſa rõ confirmata quærendo. Quæſtio autem eſt appetitio cognitionis, quæſtionisq; finis inuentio. At nemo inuenit falſa: nec ea quæ incerta permanent, inuenta eſſe poſſunt. Sed quũ ea quæ quaſi inuoluta fuerunt,aperta ſunt,tum inuenta dicũtur: ſic & initium quęrendi,& exitus percipiendi & comprehendendi tenet. Itaq; argumenti concluſio,quæ eſt græcè ἀπόδειξις, ita definitur. Ratio quæ ex rebus perceptis ad id quod non percipiebatur adducit. Quod ſi omnia uiſa eiuſmodi eſſent,qualia iſti dicũt,ut ea uel falſa eẽ poſſent,neq; ea poſſet ulla notio diſcernere,quomodo quẽquam aut concluſiſſe aliquid,aut inueniſſe diceremus? aut quæ eſſet concluſi argumenti fides? Ipſa autem philoſophia,quæ rationibus progredi debet,quem habebit exitum? Sapientiæ uero quid futurũ eſt,quæ neq; de ſeipſa dubitare debet,neq; de ſuis decretis (quæ philoſophi uocant dogmata) quorũ nullum ſine ſcelere prodi poterit? Quũ enim decretũ proditur,lex ueri rectiq; proditur. Quo è uitio & amicitiarum proditiones,& rerũ publicarum naſci ſolent. Non poteſt igitur dubitari, qn decretum nullũ falſum poſſit eſſe: ſapientiq; ſatis ſit nõ eſſe falſum, ſed etiam ſtabile,fixum,ratum eſſe debeat,quod mouere nulla ratio queat. Talia autem neq; eſſe,neq; uideri poſſunt eorũ ratione,qui illa uiſa,è quibus omnia decreta ſunt nata,negant quidquam à falſis intereſſe. Ex hoc illud eſt natum quod poſtulabat Hortenſius,ut idipſum ſaltem perceptum à ſapiente diceretis,nihil poſſe percipi. Sed Antipatro hoc idem poſtulanti quum diceret,eiq; affirmaret nihil poſſe percipi conſentaneum eſſe,unum tamẽ illud dicere percipi poſſe conſentaneum eſſe, ut alia non poſſent, Carneades acutius reſiſtebat. Nam tantum abeſſe dicebat ut id conſentaneũ eſſet, ſed maxime etiam repugnaret. Qui enim negaret quidquam eſſe quod perciperetur, cum nihil excipere: ita neceſſe eſt ne id ipſum quidem quod exceptum non eſſet, comprehendi & percipi ullo modo poſſe. Antiochus ad iſtum locum preſſius uidebatur accedere. Quoniam enim id haberent Academici decretum. (Sentitis enim iam hoc me dogma dicere) Nihil poſſe percipi, non debere eos in ſuo decreto,ſicut in ceteris rebus fluctuare,preſertim quum in eo ſumma conſiſteret. Hanc enim eſſe regulam totius philoſophiæ,conſtitutionem ueri, falſi,cogniti,incogniti. Quam rationem quoniam ſuſciperent,docereq; uellent quæ à quouis accipi oporteret,& quæ repudiari,certe hoc ipſum ex quo omne ueri falſiq; iudicium eſſet,percipere eos debuiſſe. Etenim duo eſſe hæc maxima

in philoſophia,

in philoſophia, iudicium ueri, & finem bonorum: nec ſapientem poſſe eſſe, qui aut cognoſcēdi eſſe initium ignoret, aut extremum expetendi, ut aut unde proficiſcatur, aut quò perueniēdum ſit, neſciat. Hęc autem habere dubia, necꝫ his ita cōfidere, ut moueri nō poſſint, abhorrere à ſapientia plurimum. Hoc igitur modo potius erat ab his poſtulandum, ut hoc unum ſaltem percipi nihil poſſe, perceptum eſſe dicerent. Sed de inconſtantia totius illorum ſententiæ (ſi ulla ſentētia cuiuſquam eſſe poteſt nihil approbantis) ſit ut opinor dictum ſatis. Sequitur diſputatio copioſa illa quidem, ſed paulo abſtruſior. Habet enim aliquantum à Phyſicis, ut uerear ne maiorem largiar ei qui contradicturus eſt libertatem & licētiam. Nam quid eum facturū putem de abditis rebus, & obſcuris, qui lucem eripere conetur? Sed id diſputari poterat ſubtiliter, quanto quaſi artificio natura fabricata eſſet primum animal omne, deinde hominem maxime, quæ uis eſſet in ſenſibus, quemadmodum prima uiſa nos pellerent, deinde appetitio ab his pulſa ſequeretur, tū ut ſenſus ad res percipiendas intenderemus. Mens enim ipſa quæ ſenſuum fons eſt, atcꝫ etiā ipſa ſenſus eſt, naturalem uim habet. quam intendit ad ea, quibus mouetur. Itacꝫ alia uiſa ſic arripit. ut his ſtatim utatur: aliqua ſic recondit, è quibus memoria oritur. Cetera autem ſimilitudinibus conſtruit, ex quibus efficiuntur notitiæ rerum, quas Græci tum ἐννοίας, tum προλήψεις uocant. Eò quum acceſſit ratio, argumentiꝗ concluſio, rerumꝗ innumerabilium multitudo, tum & perceptio eorum omniū apparet, & eadem ratio perfecta his gradibus ad ſapiētiam peruenit. Ad rerum igitur ſcientiam uitæꝗ conſtantiam aptiſſima quū ſit mens hominis, amplectitur maxime cognitionem, & iſtam κατάληψιν, quā, ut dixi, uerbum è uerbo exprimentes comprehenſionem dicemus, quū ipſam per ſe amat: nihil eſt enim ei ueritatis luce dulcius, tum etiam propter uſum: quocirca & ſenſibus utitur, & artes efficit quaſi ſenſus alteros, & uſcꝫ eò philoſophiam ipſam corroborat, ut uirtutem efficiat, ex qua re una uita omnis apta ſit. Ergo hi qui negāt quidquā poſſe comprehendi, hæc ipſa eripiunt uel inſtrumenta uel ornamenta uitæ, uel potius etiam totam uitam euertūt funditus, ipſumꝗ animal orbāt animo, ut difficile ſit de temeritate eorum, perinde ut cauſa poſtulat, dicere. Nec uero ſatis cōſtituere poſſum quod ſit eorum cōſilium, aut quid uelint. Interdum enim quum adhibemus ad eos orationē eiuſmodi, ſi ea quæ diſputētur uera non ſint, tum omnia fore incerta, reſpondent. Quid ergo iſtud ad nos? num noſtra culpa eſt? Naturam accuſa, quę in profundo ueritatem (ut ait Democritus) penitus abſtruſerit. Alij autem elegātius, qui etiā querūtur, quod eos inſimulemus omnia incerta dicere, ꝗtūꝗ interſit inter incertū, & id quod percipi non poſſit, docere conantur, eaꝗ diſtinguere. Cum ijs igitur agamus, qui hæc diſtinguūt: illos qui omnia ſic incerta dicūt, ut ſtellarum numerus par an impar ſit, neſciatur, quaſi deſperatos aliquos relinquamus. Volūt enim (& hoc quidē uel maxime uos animaduertebam moueri) probabile aliquid eſſe, & quaſi ueriſimile, eaꝗ ſe uti regula, & in agenda uita, & in quærendo ac diſſerēdo. Quæ iſta regula eſt ueri et falſi, ſi notionem ueri & falſi, propterea ꝙ ea non poſſunt internoſci, nullā habemus? Nā ſi habemus, intereſſe oportet, ut inter rectū et prauū, ſic inter uerū et falſum. Si nihil intereſt, nulla regula eſt, nec pōt is cui ē uiſio ueri falſiꝗ com

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

munis,ullum habere iudicium,aut ullam omnino ueritatis notam. Nã quum dicunt hoc ſe unum tollere,ut quidquam poſſit ita uideri ut nõ eodem modo falſum etiam poſſit ita uideri,cetera autem concedere,faciũt pueriliter. Quo enim omnia iudicantur ſublato,reliqua ſe negant tollere,ut ſi quis quem oculis priuauerit,dicat ea quæ cerni poſſent,nõ ſe ei ademiſſe. Vt enim illa oculis modo agnoſcũtur,ſic reliqua uiſis,ſed propria ueri,nõ communi ueri & falſi nota. Quamobrem ſiue tu probabilem uiſionem ſiue improbabilem, & quæ nõ impediatur(ut Carneades uolebat) ſiue aliud quid proferes quod ſequare,ad uiſum illud de quo agimus,tibi erit reuertendum. In eo autem ſi erit cõmunitas cum falſo,nullum erit iudicium,quia proprium in cõmuni ſigno notari nõ poteſt. Sin autem cõmune nihil erit,habeo quod uolo. Id enim quæro,quod ita mihi uideatur uerum,ne poſſit item falſum uideri. Simili in errore uerſantur,quum cõuicti,ac ui ueritatis coacti,perſpicua à perceptis uolunt diſtinguere,& conãtur oſtendere eſſe aliquid perſpicui: uerum illud quidem impreſſum in animo atque mẽte, neq; tamẽ id percipi ac comprehẽdi poſſe. Quo enim modo perſpicue dixeris album eſſe aliquid,quum poſſit accidere, ut id quod nigrum ſit album eſſe uideatur? Aut quomodo iſta aut perſpicua dicemus,aut impreſſa ſubtiliter,quum ſit incertũ uere inaniter'ue moueatur? Ita neq; color,neq; corpus,nec ueritas,nec argumentum,nec ſenſus,neq; perſpicuum ullum relinquitur. Et hoc illud his uſu uenire ſolet, ut quidquid dixerint,a quibuſdam interrogẽtur. Ergo iſtud quidem percipis? Sed qui ita interrogant,ab his irridẽtur. Nõ enim urgent ut coarguãt neminem ulla de re poſſe cõtẽdere,nec aſſeuerare ſine aliqua eius rei,quam ſibi quiſq; placere dicit,certa & propria nota. Quod eſt igitur iſtuc ueſtrum probabile? Nam ſi quod cuiq; occurrit,et primo quaſi aſpectu probabile uidetur,id cõfirmatur, quid eo leuius? Sin ex circũſpectione aliqua,& accurata cõſideratione, quod uiſum ſit,id ſe dicẽt ſequi,tamẽ exitum nõ habebũt. Primum quia ijs uiſis,inter quæ nihil intereſt,æqualiter omnibus abrogatur fides. Deinde quum dicant poſſe accidere ſapienti,ut quum omnia fecerit,diligentiſſimeq; circũſpexerit,exiſtat aliquid quod & ueriſimile uideat̃,& abſit lõgiſſime à uero, quo modo ſi magna parte quidem(ut ſolent dicere)ad uerum ipſum: aut quãproxime accedãt,cõfidere ſibi poterũt? Vt enim cõfidant,notum his eſſe debebit inſigne ueri: quo obſcuro & oppreſſo,quod tãdem uerum ſibi uidebũtur attingere? Quid autem tam abſurde dici poteſt,q̃ quum ita loquuntur, eſt hoc quidem illius rei ſignum aut argumẽtum,& ea re id ſequor,ſed fieri poteſt,ut id quod ſignificatur,aut falſum ſit,aut nihil ſit omnino? Sed de perceptiõe hactenus. Si quis enim ea quæ dicta ſunt labefactare uolet,facile etiã abſentibus nobis ueritas ſe ipſa defendet. His ſatis cognitis,quæ iam explicata ſunt,nunc de aſſenſione atq; approbatione,quã Græci συγκατάθεσιν uocãt,pauca dicemus: nõ quo non latus locus ſit,ſed paulo ante iacta ſunt fundamenta. Nam quum uim quæ eſſet in ſenſibus explicabamus,ſimul illud aperiebatur, cõprehẽdi multa et percipi ſenſibus, quod fieri ſine aſſenſione nõ põt. Deinde quũ inter inanimũ & animal hoc maxime interſit,qđ inanimũ nihil agit,animal agit, aliquid(Nihil.n.agens,ne cogitari quidem põt quale ſit)aut ei ſenſus adimẽdus eſt,aut ea,quæ eſt in noſtra poteſtate ſita,reddẽda aſſenſio. At uero aĩus

quodam

quodã modo eripit his, quos neq; ſentire, neq; aſſentiri uolũt. Vt enim neceſſe eſt lancem in libra ponderibus impoſitis deprimi, ſic animũ perſpicuis cedere. Nam quomodo nõ poteſt animal ullum non appetere id quod accõmodatum ad naturam appareat (Græci id οἰκεῖον appellant) ſic nõ poteſt obiectã rem perſpicuam non approbare. Quanq̃ ſi illa de quibus diſputatum eſt, uera ſunt, nihil attinet de aſſenſione omnino loqui. Qui enim quid percipit, aſſentitur ſtatim. Sed hæc etiam ſequũtur, nec memoriam ſine aſſenſione poſſe conſtare, nec notitias rerum, nec artes: idq; quod maximum eſt, ut ſit aliquid in noſtra poteſtate, in eo qui rei nulli aſſentietur, non erit. Vbi igitur uirtus, ſi nihil ſitum eſt in ipſis nobis? Maxime autem abſurdum uitia in ipſorũ eſſe poteſtate, neq; peccare quenq̃ niſi aſſenſione: hoc idem in uirtute non eſſe, cuius omnis cõſtantia & firmitas ex his rebus cõſtat, quibus aſſenſa eſt, & quas approbauit: omninoq; ante uideri aliquid q̃ agamus, neceſſe eſt, eiq; quod uiſum ſit aſſentiatur. Quare qui aut uiſum aut aſſenſum tollit, is omnẽ actionẽ tollit è uita. Nunc ea uideamus quę contra ab his diſputari ſolẽt, ſed prius poteſtis totius eorum rationis quaſi fundamenta cognoſcere. Componunt igitur primum artem quandam de his quæ uiſa dicimus, eorumq; & uim & genera definiunt, in his quale ſit id quod percipi, & comprehendi poſſit, totidẽ uerbis quot Stoici. Deinde illa exponunt duo, quę quaſi contineant omnẽ hanc quæſtionem: quæ ita uideantur, ut etiam alia multa eodem modo uideri poſſint: nec in his qdquã interſit, nõ oẽs poſſe eorũ alia percipi, alia nõ pcipi. Nihil intereſſe autem nõ modo ſi omni ex parte eiuſdẽmodi ſint, ſed etiam ſi diſcerni nõ poſſint. Quibus poſitis, unius argumenti cõcluſione, tota ab his cã comprehenditur. Compoſita autem ea cõcluſio ſic eſt. Eorum quæ uidentur alia uera ſunt, alia falſa: & quod falſum eſt, id percipi nõ poteſt: quod autem uerum uiſum eſt, id omne tale eſt, ut eiuſdem modi falſum etiam poſſit uideri. & quæ uiſa ſunt eiuſmodi, ut in ijs nihil interſit, non poſſe accidere, ut eorũ alia percipi poſſint, alia nõ poſſint. Nullũ igitur eſt uiſum quod percipi poſſit. Quæ autem ſumunt ut concludant id quod uolunt, ex his duo ſibi putant concedi, neq; enim quiſquam repugnat. ea ſunt hæc: quæ uiſa, falſa ſint, ea percipi non poſſe: & alterum, inter quæ uiſa nihil interſit, ex his non poſſe alia talia eẽ, ut percipi poſſint, alia ut nõ poſſint. Reliqua uero multa & uaria oratione defendunt. Quæ ſunt item duo: unum, eorum quæ uideantur alia uera eſſe, alia falſa: alterum, omne uiſum quod ſit à uero, tale eſſe, quale etiam à falſo poſſit eſſe. Hæc duo propoſita non pręteruolant, ſed ita dilatant, ut nõ mediocrem curam adhibeant & diligentiam. Diuidunt enim in partes, & eas quidem magnas, primum in ſenſus, deinde in ea quæ ducuntur à ſenſibus, & ab omni conſuetudine, quam obſcurari uolunt: tum perueniunt ad eam partem, ut ne ratione quidem & coniectura ulla res percipi poſſit. Hæc autem uniuerſa concidunt etiam minutius. Vt enim de ſenſibus heſterno ſermone uidiſtis, item faciunt de reliquis, in ſingulisq; rebus, quas in minima diſpertiunt, uolunt efficere his omnibus, quæ uiſa ſint ueris adiuncta eſſe falſa, quæ à ueris nihil differant. ea quum talia ſint, non poſſe comprehendi. Hanc ego ſubtilitatem philoſophia quidem digniſſimam iudico, ſed ab eorum cauſa, qui ita diſſerunt, remotiſſimam. Definitiones enim & partitiones, & horũ luminibus utens oratio, tum ſimilitudines diſſimilitudineſq;, & earũ tenuis

& acuta diſtinctio,fidentium eſt hominū. Illa uero & firma & certa eſſe quę
tutentur,non eorū qui clament nihilo magis uera illa eē,q̃ falſa. Quid enim
agant,ſi quum aliquid definierint,roget eos quiſpiam,num illa definitio poſ
ſit in aliam rem tranſferri quamlibet? Si poſſe dixerint (quid enim dicere ha
beant) cur illa uera definitio ſit? Si negauerint,fatendum ſit,quoniam uel illa
uera definitio tranſferri non poſſit in falſum,quod ea definitione explicet̃ id
percipi poſſe,quod minime illi uolunt. Eadem dici poterunt in omnibus par
tibus. Si enim dicent ea,de quibus diſſerunt ſe dilucide perſpicere, nec ulla cō
munione uiſoꝝ impediri,comprehendere ea ſe fatebuntur:ſin autē negabūt
uera uiſa à falſis poſſe diſtingui,qui poterunt longius progredi? Occurretur
enim ſicut occurſum eſt. Nam cōcludi argumentum nō poteſt,niſi his quę ad
cōcludendum ſumpta erunt ita probatis,ut falſa eiuſdem modi nulla poſſint
eſſe. Ergo ſi rebus comprehenſis & perceptis,uiſa & progreſſa ratio hoc effi-
ciet nihil poſſe comprehendi, quid poteſt reperiri,quod ipſum ſibi repugnet
magis? Quumq; ipſa natura accuratæ orationis hoc profiteatur,ſe aliq̃d pa-
tefacturam quod nō appareat,& quo id facilius aſſequatur,adhibiturā et ſen
ſus,& ea quæ perſpicua ſunt,qualis eſt iſtorum oratio,qui omnia non tā eſſe
q̃ uideri uolunt? Maxime autem cōuincuntur,quum hæc duo pro cōgruen-
tibus ſumunt tam uehementer repugnantia. Primum eſſe quædam falſa uiſa:
quod quum uolunt,declarant quædā eſſe uera. Deinde inter falſa uiſa & uera
nihil intereſſe. At primum ſumpſeras tanq̃ intereſſet,ita priori poſterius,po
ſteriori ſuperius cōiungitur. Sed progrediamur longius,& ita agamus, ut ni
hil nobis aſſentati eſſe uideamur:quæq; ab his dicuntur ſic perſequamur, ut
nihil in præteritis relinquamus. Primum igitur perſpicuitas illa quam dixi-
mus,ſatis magnam habet uim,ut ipſa per ſeſe ea quæ ſint,nobis ita ut ſint in-
dicet. Sed tamē ut maneamus in perſpicuis firmius & cōſtātius, maiore qua-
dam opus eſt,uel arte,uel diligētia,ne ab his quæ clara ſint ipſa per ſeſe, quaſi
præſtigijs quibuſdam & captionibus depellamur. Nam qui uoluit ſubueni-
re erroribus Epicurus ijs qui uidentur cōturbare ueri cognitiōem: dixitq; ſa
pientis eſſe opinionē à perſpicuitate ſeiungere,nihil fecit. ipſius enim opinio
nis errorem nullo modo ſuſtulit. Quamobrem quum duæ cauſæ perſpicuis,
& euidentibus rebus aduerſentur,auxilia totidem ſunt contra comparanda,
Aduerſantur enim primū quod parum defigunt animos, & intendunt in ea
quæ perſpicua ſunt,ut quanta luce ea circūfuſa ſunt,poſſint agnoſcere. Alte-
rum eſt quod fallacibus & captioſis interrogationibus circūſcripti atq; dece
pti quidam,quum eas diſſoluere nō poſſunt,deſciſcūt à ueritate. Oportet igi
tur,et ea quæ pro perſpicuitate reſpōderi poſſunt in promptu habere,de qui-
bus iā diximus,& eſſe armatos ut occurrere poſſimus interrogationibus eo-
rum,captionesq; diſcutere,quod deinceps facere conſtitui. Exponam igi-
tur generatim argumēta eorum,quoniam ipſi etiam illa ſolent non cōfuſe lo
qui. Primum conantur oſtendere multa poſſe uideri eſſe,quæ omnino nulla
ſunt,quum animi inaniter moueantur eodē modo rebus his quæ nullæ ſint,
ut his quæ ſint. Nam quum dicatis,inquiunt,uiſa quædam mitti à Deo uelut
ea quæ in ſomnijs uideātur,quæq; oraculis,auſpicijs,extis declarentur. (Hęc
enim aiunt probari à Stoicis,quos contra diſputant) quærūt quonam modo
falſa uiſa quæ ſint,ea deus efficere poſſit probabilia:quæ autē plane proxime

ad uerum

ad uerum accedunt,efficere non poſſit. Aut ſi ea quoq; poſſit,cur illa nō poſſit,quæ perdifficiliter internoſcantur tamen.Et ſi hæc,cur nō inter quæ nihil ſit omnino? Deinde quum mens moueatur ipſa per ſeſe,ut & ea declarāt quæ cogitatione depingimus,& ea quæ uel dormientibus uel furioſis uidentˉ,non inquam uериſimile ſit ſic etiam mentem moueri,ut non modo nō internoſcat uera illa uiſa ſint, an ne falſa,ſed ut in his nihil interſit omnino:ut ſi qui tremerent,& exalbeſcerent,uel ipſi per ſe motu mentis aliquo,uel obiecta terribili re extrinſecus,nihil ut eſſet qui diſtingueretur tremor ille,& pallor,neque ut quidquam intereſſet inter inteſtinum & oblatū.Poſtremo ſi nulla uiſa ſunt probabilia,quæ falſa ſint,alia ratio eſt.Sin autem ſunt,cur non etiā, quæ nō facile internoſcantur? Cur non ut planè nihil interſit? preſertim quum ipſi dicatis ſapiētem in furore ſuſtinere ſe ab omni aſſenſu quia nulla in uiſis diſtinctio appareat. Ad has omnes uiſiones inanes Antiochus quidem & permulta dicebat,& erat de hac una re unius diei diſputatio. Mihi autem nō idem faciendum puto,ſed ipſa capita dicenda,& primum quidem hoc reprehendendum,quod captioſiſſimo genere interrogationis utuntur. Quod genus minime in philoſophia probari ſolet,quum aliquid minutatim,& gradatim additur,aut demitur: Soritas hos uocant,qui aceruum efficiūt uno addito grano. Vitioſum ſanè & captioſum genus. Sic enim aſcendentis. Si tale uiſum obiectum eſt à deo dormienti ut probabile ſit,cur non etiam ut ualde uериſimile? cur deinde non ut difficiliter à uero internoſcatur? deinde ut ne internoſcatur quidem? poſtremo ut nihil inter hoc & illud interſit? Huc ſi perueneris me tibi primum quidq; concedente,meum uitium fuerit:ſin ipſe tua ſponte proceſſeris,tuum. Quis enim tibi dederit,aut omnia deum poſſe, aut ita facturū eſſe ſi poſſit? Quomodo autem ſumis,ut ſi quid,cui ſimile eē poſſit, ſequatur ut etiam difficiliter internoſci poſſit? deinde ut ne internoſci quidem? poſtremo,ut eadem ſint? ut ſi lupi canibus ſimiles,eoſdem dices ad extremū. Et qdē honeſtis ſimilia ſunt quædam non honeſta,& bonis non bona,& artificioſis minime artificioſa. Quid dubitamus igitur affirmare nihil inter hæc intereſſe? Ne repugnantia quidē uidemus. Nihil eſt enim quod de ſuo genere in aliud genus trāſferri poſſit. At ſi efficeretur ut inter uiſa differentium generū nihil intereſſet,reperirentur quæ & in ſuo genere eſſent,& in alieno. Quod fieri qui poteſt? Omniū deinde inaniū uiſorum una depulſio eſt,ſiue illa cogitatione informātur,quod fieri ſolere cōcedimus,ſiue in quiete,ſiue per uinum, ſiue per inſaniam. Nam ab omnibus eiuſdē modi uiſis perſpicuitatē,quā mordicus tenere debemus,abeſſe dicemus. Quis.n.quū ſibi fingit aliquid, et cogitatione depingit,nō ſimul ac ſe cōmouit,atq; ad ſe reuocauit, ſentitq̄d interſit inter perſpicua & inania? Eadē ratio eſt ſomniorum. Num cēſes Enniū, quū in hortis cum Seruio Galba uicino ſuo ambulauiſſet,dixiſſe, Viſus ſum mihi cum Galba ambulare? At quum ſomniauit ita narrauit.

" Viſus Homerus adeſſe poeta. Idemq; in Epicharmo,
" Nam uidebar ſomniare me & ego eſſe mortuum.

Itaq; ſimul ut experrecti ſumus,uiſa illa cōtēnimus,neq; ita habemus,ut ea q̄ foro geſſimus. At.n.dum uidentˉ,eadē eſt in ſomnijs ſpecies eorū,quæ uigilātes uidemus. Primū intereſt,ſed id omittamus. Illud enim dicimus, non eandem

eſſe uim,neq; integritatem dormientium & uigilantium,nec mēte nec ſenſu.
Ne uinolenti quidē quæ faciunt,eadem approbatione faciunt,qua ſobrij: du
bitant,hæſitant,reuocant ſe interdum,hiſq; quæ uidentur imbecillius aſſen-
tiuntur:quumq; edormiuerunt,illa uiſa q̄ leuia fuerunt intelligūt. Quod idē
contingit inſanis,ut & incipientes furere ſentiant,& dicant aliquid quod nō
ſit,id uideri ſibi:& quū relaxentur,ſentiant,atq; illa dicant Alcmeonis,
Sed mihi neutiq̄ cor conſentit cum oculorum aſpectu.
At enim ipſe ſapiens ſuſtinet ſe in furore,ne approbet falſa pro ueris,& aliās
quidē ſępe:ſi aut in ſenſibus ipſius ē aliqua forte grauitas,aut tarditas,aut ob
ſcuriora ſunt quæ uidētur,aut à perſpiciendo temporis breuitate excluditur.
Quanq; totum hoc,ſapientem aliquando ſuſtinere aſſenſionem, contra uos
eſt.Si enim inter uiſa nihil intereſſet,aut ſemper ſuſtineret,aut nūquam. Sed
ex hoc genere toto perſpici poteſt leuitas orationis eorum,qui omnia cupiūt
confundere.Quærimus grauitatis,conſtantiæ,firmitatis,ſapiētiæ iudicium:
utimur exemplis ſomniātium,furioſorum,ebrioſorum. Illud attendimus in
hoc omni genere, q̄ inconſtanter loquamur.Non enim proferremus uino
aut ſomno oppreſſos,aut mente captos tam abſurde,ut quum diceremus in-
tereſſe inter uigilantium uiſa & ſobriorū,& ſanorum,& eorū qui eſſent ali-
ter affecti,tum nihil intereſſe. Ne hoc quidem cernūt,omnia ſe reddere incer
ta,quod nolunt:ea dico incerta,quæ ἄδηλα Græci.Si enim res ſe ita habeāt,ut
nihil interſit utrum ita cui uideatur,ut inſano an ſano,cui poſſit exploratum
eſſe de ſua ſanitate? quod uelle efficere,nō mediocris inſaniæ eſt. Similitudi-
nes uero,aut geminorum,aut ſignorū anulis impreſſorū pueriliter conſectan
tur. Quis enim noſtrū ſimilitudines negat eē,quum eæ plurimis in rebus ap-
pareant? Sed ſi ſatis eſt ad tollendam cognitionem ſimillima eſſe multa mul-
torū,cur eo non eſtis cōtenti preſertim cōcedentibus nobis? Et cur id potius
contenditis,quod rerum natura nō patitur,ut non ſuo quidq; genere ſit tale
quale eſt,nec ſit in duobus,aut pluribus nulla re differens,ulla cōmunitas, ut
ſibi ſint & oua ouorum,& apes apium ſimillimæ? Quid pugnas igitur? aut
quid tibi uis in geminis? Cōceditur enim ſimiles eſſe,quo cōtentus eē potue-
ras. Tu aūt uis eoſdem planè eſſe non ſimiles,quod fieri nullo modo pōt.De-
in confugis ad phyſicos eos qui maxime in Academia irridentur, à quibus
ne tu quidē iam te abſtinebis.Et ais Democritū dicere innumerabiles eē mun
dos,& quidem ſic quoſdam inter ſe eſſe nō ſolum ſimiles,ſed undiq; perfecte
& abſolute ita pares,ut inter eos nihil prorſus interſit.Et eos quidē innume-
rabiles: itemq; homines.Deinde poſtulas,ut ſi mūdus ita ſit par alteri mūdo,
ut inter eos ne minimū quidē interſit,concedatur tibi ut in hoc quoq; noſtro
mundo aliquid alicui ſic ſit par,ut nihil differat,nihil interſit. Cur enim (in-
quies) quū ex illis indiuiduis unde omnia Democritus gigni affirmat, in re-
liquis mūdis,& in his quidē innumerabilibus,īnumerabiles Q. Luctatij Ca
tuli nō modo poſſint eſſe,ſed ēt ſint,in hoc tāto mundo Catulus alter nō poſ-
ſit effici? Primum quidem me ad Democritū uocas,cui nō aſſentior,potiuſq;
refellam,poteſt,id quod dilucide docetur à politioribus phyſicis,ſingularum
rerum ſingulas proprietates eſſe.Fac enim antiquos illos Seruilios,qui gemi
ni fuerunt,tam ſimileis quàm dicūtur:num cenſes etiam eoſdem fuiſſe? Non
cognoſcebantur

cognoſcebantur foris,at domi:nõ ab alienis, at à ſuis. An non uidemus hoc uſu uenire,ut quos nunq̃ putaſſemus à nobis internoſci poſſe,eos conſuetudine adhibita tam facile internoſceremus,uti minimum quidem ſimiles eſſe uiderentur.Hic pugnes licet,nõ repugnabo.Quinetiã concedam illum ipſum ſapientem,de quo omnis hic ſermo eſt,quum ei res ſimiles occurrãt, quas nõ habeat denotatas,retẽturũ aſſenſum,nec unq̃ ulli uiſo aſſenſurũ, niſi quod tale fuerit,quale falſum eẽ nõ poſſit.Sed ad ceteras res habet quandã artẽ, qua uera à falſis poſſit diſtinguere,& ad ſimilitudines iſtas uſus adhibẽdus ẽ. Vt mater geminos internoſcit cõſuetudine oculorũ,ſic tu internoſces,ſi aſſueueris. Vides'ne ut in prouerbio ſit ouorũ inter ſe ſimilitudo? tamen hoc accepimus, Deli fuiſſe complures (ſaluis rebus illis) qui gallinas alere permultas, quæſtus cauſa ſolerent.Hi quũ ouum inſpexerant,quæ id gallina peperiſſet dicere ſolebant.Neq; id eſt contra nos.Nã nobis ſatis eſt oua illa internoſcere.Nihil enim magis aſſentiri poteſt,hoc illud eẽ,q̃ ſi inter illa omnino nihil intereſſet.Habeo enim regulã ut talia uiſa uera iudicem, qualia falſa eſſe non poſſint.Ab hac mihi non licet tranſuerſum (ut aiunt) digitũ diſcedere, ne cõfundam omnia.Veri enim & falſi nõ modo cognitio,ſed etiã natura tolletur, ſi nihil erit quod interſit. Vt etiã illud abſurdũ ſit,quod interdum ſoletis dicere,quũ uiſa in animos imprimãtur,nõ uos id dicere, inter ipſas impreſſiones nihil intereſſe,ſed inter ſpecies,& quaſdam formas eorũ.quaſi uero non ſpecie uiſa iudicentur,quæ fidem nullam habebũt ſublata ueri & falſi nota.Illud uero perabſurdũ quod dicitis.probabilia uos ſequi, ſi nulla re impediamini. Primum qui poteſtis nõ impediri,quũ à ueris falſa nõ diſtent? deinde quod iudicium eſt ueri,quum ſit cõmune falſi? Ex his illa neceſſario nata eſt ἐποχή, id eſt aſſenſionis retẽtio,in qua melius ſibi cõſtitit Arceſilas,ſi uera ſunt, quæ de Carneade nõnulli exiſtimant.Si enim percipi nihil poteſt,quod utriq; uiſum eſt,tollendus aſſenſus eſt. Quid enim eſt tam futile,q̃ quidq̃ approbare non cognitum? Carneadem aũt etiam heri audiebamus ſolitum eſſe delabi interdum,ut diceret opinaturum,id eſt peccaturum eſſe ſapientem.Mihi porrò non tam certũ eſt eſſe aliquid quod comprehendi poſſit,de quo iã nimiũ etiã diu diſputo,q̃ ſapientẽ nihil opinari,id eſt nunq̃ aſſentiri rei,uel falſæ,uel incognitæ.Reſtat illud quod dicũt,ueri inueniẽdi cauſa cõtra omnia dici oportere,& pro omnibus. Volo igitur uidere quid inuenerint. Non ſolemus, inquit,oſtendere. Quæ ſunt tandẽ iſta myſteria? aut cur celatis,quaſi turpe aliquid,ſentẽtiam ueſtrã? Vt qui audient,inquit,rõne potius q̃ auctoritate ducantur. Quid ſi utrunq;? num peius eſt? unum tamen illud non celant, nihil eſſe quod percipi poſſit. An in eo auctoritas nihil obeſt? Mihi quidem uidetur uel plurimum. Quis enim iſta tam aperte perſpicueq;,& peruerſa & falſa ſequutus eſſet,niſi tanta in Arceſila,multo etiam maior in Carneade,& copia rerum,& dicendi uis fuiſſet? Hæc Antiochus ferè,& Alexandriæ tum & multis annis poſt,multo etiam aſſeuerantius in Syria,quum eẽt mecum, paulo antequã eſſet mortuus.Sed iam cõfirmata cauſa te hominem amiciſſimum (me autem appellabat) & aliquot annis minorem natu, non dubitabo monere. Tu'ne cum tantis laudibus philoſophiam extuleris,Hortẽſiũq; noſtrũ diſſentientem commoueris,eam philoſophiam ſequere, quæ confundit uera cum falſis, ſpoliat nos iudicio, priuat approbatione omni orbat ſenſibus?

Et Cimmerijs quidem,quibus aſpectū ſolis,ſiue deus aliquis, ſiue natura ademerat,ſiue eius loci,quem incolebant ſitus,ignes tamē aderāt,quorū illis uti lumine licebat. Iſti aūt quos tu probas,tantis offuſis tenebris,ne ſcintillā qdē ullam nobis ad aſpiciendū reliquerunt. Quos ſi ſequamur,his uinclis ſimus aſtricti,ut nos cōmouere nequeamus.Sublata enim aſſenſione,oēm & motū animorꝫ,& rationem rerū ſuſtulerūt:quod nō modo recte fieri, ſed omnino fieri nō pōt.Prouide etiā,ne uni tibi iſtam ſentētiā minime liceat defendere. An tu cū res occultiſſimas aperueris,in lucemq́ꝫ protuleris,iuratusq́ꝫ dixeris ea te comperiſſe,quod mihi quoqꝫ licebat,qui ex te illa cognoueram, negabis eſſe rem ullam quæ cognoſci,cōprehēdi,percipi poſſit? Vide quæſo etiā atqꝫ etiam, ne illarū quoqꝫ rerū pulcherrimarꝫ,à teipſo minuatur auctoritas. Quę cum dixiſſet ille,finem fecit.Hortenſius aūt uehementer admirans, quod quidem perpetuo Lucullo loquēte fecerat,ut etiā manus ſæpe tolleret:nec mirū, nam nunq̄ arbitror cōtra Acamediam dictū eſſe ſubtilius, me quoqꝫ iocans ne,an ita ſentiēs(nō enim ſatis intelligebam)cœpit hortari,ut ſententia deſiſterem. Tum mihi Catulus, Si te,inquit,Luculli oratio flexit,quæ eſt habita memoriter,accurate,copioſe,taceo,neqꝫ te quo minus ſi tibi ita uideatur ſentētiā mutes,deterrēdū puto. Illud uero nō cēſuerim,ut eius auctoritate moueare. Tm̄ enim te mō monuit inquit arridēs,ut caueres ne qs improbus Trib. pl.quorū uides quāta copia ſemper futura ſit,arriperet te,& in cōcione quæreret qui tibi cōſtares,quum idē negares quidquā certi poſſe reperiri,idem te comperiſſe dixiſſes.Hoc quęſo ne te terreat.De cauſa aūt ipſa malim quidē te ab hoc diſſentire. Sin ceſſeris,nō magnopere mirabor. Memini enim Antiochum ipſum cū annos multos talia ſenſiſſet,ſimul ac uiſum ſit ſentētia deſtitiſſe. Hæc quum dixiſſet Catulus,me omnes intueri. Tum ego non minus cōmotus quàm ſoleo in cauſis maioribus,huiuſmodi quadam oratione ſum exorſus. Me Catule oratio Luculli de ipſa re ita mouit,ut docti hoīs, & copioſi,& parati,& nihil prætereūtis eorum quæ pro illa cauſa dici poſſent,nō tamen ut ei reſpondere poſſe diffiderem. Auctoritas aūt tanta planè me mouebat,niſi tu oppoſuiſſes nō minorem tuam. Aggrediar igit̄ ſi pauca ante quaſi de fama mea dixero. Ego enim,ſi aut oſtentatiōe aliqua adductus, aut ſtudio certandi,ad hanc potiſſimū philoſophiam me applicui,non modo ſtultitiam meam, ſed etiā mores & naturā condemnandā puto. Nā ſi in minimis rebus pertinacia reprehenditur,calūnia etiā coercetur:ergo de omni ſtatu cōſilioq́ꝫ totius uitæ,aut certare cum alijs pugnaciter,aut fruſtrari quum alios,tū etiam meipſum uelim? Itaqꝫ niſi ineptum putarē,in tali diſputatiōe id facere quod quū de Repub.diſceptatur,fieri interdū ſolet. Iurarem per Iouem deosq́ꝫ penates,me & ardere ſtudio ueri reperiendi,& ea ſentire quæ dicerē. Qui enim poſſum nō cupere uerum inuenire,quum gaudeam ſi ſimile ueri quid inuenerim? Sed ut hoc pulcherrimū eſſe iudicem uera uidere: ſic ꝑ ueris probare falſa turpiſſimū eſt. Nec tamē ego is ſum,qui nihil unquā falſi approbem,q nūquam aſſentiar,qui nihil opiner. Sed quærimus de ſapiente. Ego uero ipſe & magnus quidem ſum opinator. Non enim ſum ſapiens,& meas cogitationes ſic dirigo,non ad illam paruulam Cynoſuram,

Qua fidunt duce nocturna Phœnices in alto,

ut ait Aratus:eoq́ꝫ directius gubernant quod eam teneant,

Quæ

„ Quæ curſu interiore breui conuertitur orbe:
ſed ad Helicen & clariſſimos ſeptẽtriones, id eſt rati ões has latiore ſpecie, nõ ad tenue elimatas. Eo fit ut errem & uager latius. Sed non de me, ut dixi, ſed de ſapiẽte quæritur. Viſa enim iſta, quum acriter mentem ſenſum'ue pepulerunt, accipio: ijsq; interdum etiam aſſentior, nec percipio tamen. Nihil enim arbitror poſſe percipi. Non ſum ſapiens, itaq; uiſis cedo, neq; poſſum reſiſtere. Sapientis autem hanc cenſet Arceſilas uim eſſe maximam Zenoni aſſentiens, cauere ne capiatur, ne fallatur uidere. Nihil eſt enim ab ea cogitatione, quam habemus de grauitate ſapientis, errore, leuitate, temeritate diiunctius. Quid igitur loquar de firmitate ſapiẽtis, quem quidẽ nihil opinari tu quoq; Luculle concedis? Quod quoniam à te probatur, ut præpoſtere tecũ agam, iam enim referam me ad ordinẽ. Hæc primum cõcluſio quam habeat uim, cõſidera. Si ulli rei ſapiens aſſentietur unq̃, aliquãdo etiam opinabitur: nũquã autem opinabitur, nulli igitur rei aſſentietur. Hanc cõcluſionem Arceſilas ꝓbat. Confirmabat enim & primũ & ſecũdum. Carneades nõnunq̃ ſecũdum illud dabat, aſſentiri aliquãdo: id aſſequebatur etiam opinari, quod tu nõ uis, & recte, ut mihi uideris: ſed illud primũ, ſapientem ſi aſſenſurus eſſet, etiã opinaturum, falſum eſſe & Stoici dicunt, & eorũ aſtipulator Antiochus. Poſſe enim eum falſa à ueris, & quæ nõ poſſint percipi ab his, quæ poſſint, diſtinguere. Nobis aũt primum etiã ſi quid percipi poſſit, tamen ipſa cõſuetudo aſſentiendi periculoſa eẽ uidetur & lubrica. Quãobrem quum tam uitioſum eẽ cõſtet aſſentiri quidquã, aut falſum, aut incognitum, ſuſtinẽda eſt potius oĩs aſſenſio ne præcipitet, ſi temere proceſſerit. Ita enim finitima ſunt falſa ueris, eaq; quæ percipi poſſunt, ſi modo ea ſunt quædam (iam enim uidebimus) ut tamẽ in præcipitẽ locum non debeat ſe ſapiens cõmittere. Sin aũt omnino nihil eẽ quod percipi poſſit à me ſumpſero, & quod tu mihi das accepero, ſapientem nihil opinari, effectum illud erit, ſapiẽtem aſſenſus omnes cohibiturũ: ut uidẽdum tibi ſit id ne malis, an aliquid opinaturum eẽ ſapiẽtem. Neutrum inquies illorum. Nitamur igitur nihil poſſe percipi. etenim de eo omnis ẽ cõtrouerſia. Sed prius pauca cum Antiocho, qui hæc ipſa quæ à me defenduntur, & didicit apud Philonem tandiu, ut cõſtaret diutius didiciſſe neminem, & ſcripſit de his rebus acutiſſime, & idem hęc non acrius accuſauit in ſenectute, quàm antea defenſitauerat. Quãuis igitur fuerit acutus ut fuit, tamẽ inconſtãtia leuatur auctoritas. Quis inquam enim iſte dies illuxerit, quæro, qui illi oſtenderit eam quam multos annos eẽ negauiſſet, ueri & falſi notam? Excogitauit aliquid, eadem dicit quæ Stoici. Pœnituit eum illa ſenſiſſe. Cur nõ ſe trãſtulit ad alios, & maxime ad Stoicos? Eorum enim erat propria iſta diſſenſio. Quid eum Mneſarchi pœnitebat? Quid Dardani? qui erant Athenis tum principes Stoicorum. Nũquam à Philone diſceſſit, niſi poſteaquam ipſe cœpit qui ſe audirent habere. Vnde autem ſubito uetus Academia reuocata eſt? nominis dignitatẽ uidetur quum à re ipſa deſciſceret, retinere uoluiſſe, quod erant qui illum gloriæ cauſa facerent, ſperare etiam fore, ut hi qui ſe ſequerentur, Antiochi uocarẽtur. Mihi autem magis uidetur non potuiſſe ſuſtinere cõcurſum omniũ philoſophoꝝ. Etenim de ceteris ſunt inter illos nõnulla communia, hæc Academicorum eſt una ſententia, quam reliquorum Philoſophorũ nęmo probet. Itaq; ceſſit, Et ut ij qui ſub nubes ſolem non ſe

runt,item ille quum ęstuaret ueterum ut Mœnianorꝝ,sic Academicorum um
bram ſequutus eſt. Quoq́ꝫ ſolebat uti argumēto tum quum ei placebat nihil
poſſe percipi,quū quæreret Dionyſius ille Heracleotes,utrū comprehendiſ-
ſet,certa illa nota qua aſſentiri dicitis oportere:illud ne quod multos annos
tenuiſſet,Zenoniq́ꝫ magiſtro credidiſſet,honeſtum quod eſſet,id bonum ſo-
lum eſſe? An quod poſtea defenſitauiſſet,honeſti inane nomen eſſe,uolupta-
tem eſſe ſummū bonum? Qui ex illius cōmutata ſententia docere uellet,nihil
ita ſignari in animis noſtris à uero poſſe,quod non eodē modo poſſit à falſo,
is curauit quod argumentū ex Dionyſio ipſe ſumpſiſſet,ex eo ceteri ſumerēt.
Sed quū hoc,alio loco plura,nūc ad ea quæ à te Luculle dicta ſunt : & primū *
quod initio dixiſti.uideamus quale ſit:ſimiliter à nobis de antiquis philoſo-
phis cōmemorari,atqꝫ ſeditioſi ſolerent claros uiros,ſed tamen populares ali-
quos noīare,Illi quū res nō bonas tractent,ſimiles bonorū uideri uolūt. Nos
aūt ea dicimus nobis uideri,quæ uoſmetipſi nobiliſſimis philoſophis placuiſ-
ſe cōceditis. Anaxagoras niuem nigram dixit eſſe:ferres me ſi ego idem dice-
rem? Tu ne ſi dubitarem quidem. At quis eſt nūc hic Sophiſtes? Sic enim ap-
pellantur hi qui oſtentationis,aut quæſtus cauſa philoſophātur. Maxima fu-
it & grauitatis & ingenij gloria. Quid loquar de Democrito,quem cū eo cō-
ferre poſſumus nō modo ingenij magnitudine,ſed etiam animi? qui ita ſit au-
ſus ordiri. Hæc loquor de uniuerſis. Nihil excipit,de quo nō profiteať. Quid
enim eſſe poteſt extra uniuerſa? Quis hūc philoſophum non anteponit Cle-
anthi,Chriſippo,reliqsq́ꝫ inferioris ętatis? Qui mihi cū illo collati qntæ claſ-
ſis uidentur. Atqꝫ is non hoc dicit quod nos,qui ueri eſſe aliquid non nega-
mus,percipi poſſe negamus. Ille uerū eſſe planè negat, eſſe ſenſus quidem nō
obſcuros dicit,nec tenebricoſos. Sic enim appellat eos is qui hūc maxime eſt
admiratus Chius Metrodorus,initio libri qui eſt de natura. Nego,inquit, ſci-
re nos,ſciamus'ne aliqd an nihil ſciamus,ne idipſū qdē neſcire aut ſcire, ſcire
nos:nec oīno ſit'ne aliqd an nihil ſit. Furere tibi Empedocles uideť,at mihi di-
gniſſimū rebus his de qbus loqť ſonū fundere. Nū ergo is excęcat nos:aut or-
bat ſenſibus,ſi parū magnā uim cenſet in his eē ad ea quæ ſub eos ſubiecta ſūt
iudicanda? Parmenides,Xenophanes minus bonis quāq̄ uerſibus, ſed tamē
illis uerſibus increpant eorū arrogantiam quaſi irati,qui cū ſciri nihil poſſit,
audeant ſe ſcire dicere. Et ab his aiebat remouendū Socratem & Platonem.
Cur? an de ullis certius poſſum dicere? uixiſſe cū his equidem uideor. Ita mul-
ti ſermones præſcripti ſunt,è quibus dubitari nō poſſit,quin Socrati nihil ſit
uiſum ſciri poſſe. Excepit unū tantū ſcire ſe,nihil ſe ſcire,nihil amplius. Quid
dicam de Platone? qui certe tam multis libris hoc perſequutus non eſſet, niſi
probauiſſet. Ironiam enim alterius perpetuam preſertim nulla fuit ratio per-
ſequi. Videor'ne tibi non ut Saturninus nominare modo illuſtres homines,
ſed etiam imitari nūquam niſi clarū,niſi nobilem? Atqui habebam moleſtos
uobis,ſed minutos Stilbonem,Diodorū,Alexinū,quorum ſunt contorta &
aculeata quædam ſophiſmata. Sic enim appellātur fallaces cōcluſiūculæ. Sed
quid eos colligam,quū habeam Chryſippum, qui fulcire putatur porticum
Stoicorꝝ? Quàm multa ille contra ſenſus,q̄ multa contra omnia quæ in con-
ſuetudine probantur,diſſoluit? Idem mihi quidem non uidetur,ſed diſſolue-
rit ſanè,certe tam multa non collegiſſet,quæ nos fallerent probabilitate ma-

gna,niſi uideret his reſiſti non facile poſſe. Quid Cyrenei? uidentur mihi minime contempti philoſophi,qui negant eſſe quidquam quod pcipi poſſit extrinſecus:ea ſe ſola percipere,quæ tactu intimo ſentiant,ut dolorem,ut uoluptatem:neq; ſe quo quid colore,aut quo ſono ſit ſcire,ſed tantum ſentire affici ſe quodãmodo. Satis multa de auctoribus:quanq̃ ex me quæſieras, non ne putarem poſt illos ueteres tot ſeculis inueniri uerũ potuiſſe,tot ingenijs, tantisq; ſtudijs quærentibus. Quid inuẽtum ſit paulo poſt uidero teipſo qdem iudice. Archeſilam uero nõ obtrectandi cauſa cum Zenone pugnauiſſe, ſed uerũ inuenire uoluiſſe,ſic intelligitur. Nemo inquam ſuperiorum non modo expreſſerat,ſed ne dixerat quidẽ poſſe hominem nihil opinari,nec ſolũ poſſe,ſed ita neceſſe eſſe ſapienti,uiſa eſt Archeſilæ cum uera ſententia,tum honeſta & digna ſapiente. Quęſiuit de Zenone fortaſſe quid futurum eſſet,ſi nec percipere quidquam poſſet ſapiens,nec opinari ſapiẽtis eſſet. Ille credo nihil opinatur,quoniam eſſet quod percipi poſſet. Quid ergo eẽt id? uiſum credo. Quale igitur uiſum? Tum illũ ita definiſſe,ex eo quod eſſet ſicut eſſet impreſſum & ſignatũ & effectum. Poſt requiſitum etiam,niſi eiuſmodi eſſet uiſum uerũ,quale falſum. Hic Zenonem uidiſſe acute nullum eſſe uiſum quod percipi poſſet,ſi id tale eſſet ab eo quod eſt,ut eiuſmodi ab eo quod non eſt, poſſet eſſe. Recte conſenſit Archeſilas ad definitionem additũ,neq; enim falſum percipi poſſe,neq; uerũ ſi eſſet tale quale uel falſum. Incubuit autem in eas diſputationes,ut doceret nullũ tale eſſe uiſum à uero,ut non eiuſdẽmodi etiam à falſo poſſit eſſe. Hæc autem eſt una cõtentio,quæ adhuc permanſerit. Nam illud,nulli rei aſſenſurũ eſſe ſapientem,nihil ad hanc cõtrouerſiam pertinebat. Licebat enim nihil percipere,& tamẽ opinari:quod à Carneade dicitur probatum. Equidẽ Clitomacho plusq̃ Philoni aut Metrodoro credens, hoc magis ab eo diſputatũ,q̃ probatum puto. Sed id omittamus. Illud certe opinatione & perceptione ſublata ſequitur,omniũ aſſenſionum retentio,ut ſi oſtẽdero nihil poſſe percipi,tu concedas nũquam aſſenſurum eſſe. Quid ergo eſt quod percipi poſſit,ſi ne ſenſus quidem uera nũciant? quos tu Luculle omni loco defendis. Quod ne id facere poſſes,idcirco heri non neceſſario loco cõtra ſenſus tam multa dixeram. Tu aũt te negas infracto remo neq; columbæ collo cõmoueri. Primum cur? nam & in remo ſentio nõ eſſe id quod uideat̃, & in columba plures uideri colores,nec eſſe plus uno. Deinde nihil ne prætere a diximus? Maneãt illa omnia,lacerat iſta cauſa,ueraces ſuos eſſe ſenſus dicit. Igitur ſemper auctorem habes,& eum, qui magno ſuo periculo cauſam agat. Eò enim rem dimittit Epicurus,Si unus ſenſus ſemel in uita mẽtitus ſit, nulli unq̃ eſſe credendum. Hoc eſt uerũ eſſe,confidere ſuis teſtibus, & importune inſiſtere. Itaq; Timagoras Epicureus negat ſibi unquam quũ oculũ torſiſſet,duas ex lucerna flãmulas eſſe uiſas. Opinionis enim eſſe mendaciũ,non oculorũ. quaſi quæratur quid ſit,non quid uideatur. Sic hic quidem maiorũ ſimilis. Tu uero qui uiſa ſenſibus alia uera dicas eẽ,alia falſa,q ea diſtinguis? Deſine quæſo cõmunibus locis,domi nobis iſta naſcũtur. Si,inquis, deus te interroget ſanis modo & integris ſenſibus,num amplius quid deſideras, qd reſpondeas? Vtinam quidem roget.audies q̃ nobiſcum male agerent. Vt.n. uera uideamus q̃ longe uidebimus? Ego Catuli Cumanã ex hoc loco regionem uideo,Pompeianum non cerno. Neq; quidquam interiectum eſt quod

obſtet,ſed intēdi acies longius nō poteſt.O præclarum proſpectū, Puteolos
uidemus,at familiarem noſtrum Auianū fortaſſe in porticu Neptuni ambu-
lantem nō uidemus. At ille neſcio qui,qui in ſcholis nominari ſolet, mille &
octingenta ſtadia quod abeſſet uidebat,quædam uolucres longius. Reſpon
derem igitur audacter iſti ueſtro deo,me planè his oculis nō eſſe contentum.
Dicet me acrius uidere q̃ ullos piſces fortaſſe,qui neq; uidētur à nobis,et nūc
quidem ſub oculis ſunt,neq; ipſi nos ſuſpicere poſſunt.Ergo ut illis aqua,ſic
nobis aer craſſus offunditur. At amplius nō deſideramus. Quid talpam? nū
deſiderare lumē putas? neq; tam quereretur cū deo quod parum lōge, quàm
quod falſum uideret. Vides'ne nauem illā? ſtare nobis uidetur. At ijs qui in
naui ſunt,moueri hæc uilla. Quære rationem cur ita uideatur:quam ut maxi
me inueneris,quod haud ſcio an nō poſſis,nō tu uerum teſtem habere, ſed eū
non ſine cauſa falſum teſtimoniū dicere oſtenderis. Quid ego de naui? Vidi
enim à te remū contemni. Maiora fortaſſe quæris. Quid poteſt eē ſole ma-
ius? quem mathematici amplius duodeuiginti partibus cōfirmant maiorem
eſſe q̃ terram. Quantulus nobis uidetur? mihi quidē quaſi pedalis,Epicurus
aūt poſſe putat etiam minorē eē eum q̃ uideatur,ſed nō multo. Ne maiorem
quidē multo putant eſſe,uel tātum eſſe quātus uideatur,ut oculi, aut nihil mē
tiantur,aut nō multum mētiantur. Vbi igitur illud eſt ſemel? Sed ab hoc cre-
dulo,qui nūquam ſenſus mentiri putat,diſcedamus,qui ne nūc quidem putat
quū ille ſol qui tanta incitatione fertur,ut celeritas eius quanta ſit ne cogitarī
quidē poſſit,tamē nobis ſtare uideatur. Sed ut minuam cōtrouerſiam, uidete
quæſo q̃ in paruulis ſitis. Quatuor ſunt capita quę concludunt nihil eē quod
noſci,percipi,comprehēdi poſſit,de quo hæc tota quæſtio eſt. E quibus pri-
mum eſt,eſſe aliquod uiſum falſum:ſecūdum,non poſſe id percipi:tertiū,in-
ter quæ uiſa nihil interſit,fieri nō poſſe ut eorū alia percipi poſſint, alia non
poſſint:quartū,nullum eſſe uiſum uerū à ſenſu profectum,cui nō appoſitum
ſit uiſum aliud,quod ab eo nihil interſit,quodq; percipi nō poſſit. Horꝝ qua-
tuor capitum ſecūdum & tertium omnes concedūt. Primū Epicurus nō dat,
uos quibuſcum res eſt id quoq; conceditis. Omnis pugna de quarto eſt. Qui
igitur P. Seruiliū Geminum uidebat,ſi Quintū ſe uidere putabat, incidebat
in eiuſmodi uiſum,quod percipi nō poſſet,quia nulla nota uerū diſtingueba
tur à falſo. Qua diſtinctione ſublata,quam haberet M.Cotta,qui bis cū Ge-
mino Conſul fuit,agnoſcendo eiuſmodi notam,quæ falſa eſſe nō poſſit? Ne-
gas tantam ſimilitudinē in rerū natura eſſe:pugnas omnino,ſed cū aduerſa-
rio facili. Ne ſit ſanè,uideri certe poteſt. Fallet igitur ſenſum:& ſi una fefelle-
rit ſimilitudo,dubia omnia reddiderit. Sublato enim iudicio illo quo opor-
tet agnoſci,etiā ſi ipſe erit quem uideris qui tibi uidebitur,tamē nō ea nota iu
dicabis,qua dicis oportere ut nō poſſit eſſe eiuſdēmodi falſa. Quādo igitur
poteſt tibi P.Geminus Quintus uideri,quid habes explorati? Cur non poſ-
ſit tibi Cotta uideri qui non ſit,quoniā aliquid uidetur eſſe quod non eſt? O-
mnia dicis ſui generis eſſe,nihil eē idem quod ſit aliud. Stoicum eſt quidem,
nec admodū credibile. Nullum eſſe pilum omnibus rebus talem qualis ſit pi
lus alius,nullū granum. Hæc refelli poſſunt,ſed pugnare nolo. Ad id enim
quod agitur nihil intereſt,omnibus'ne partibus uiſa res nihil differat, an in-
ternoſci non poſſit etiam ſi differat. Sed ſi hominū ſimilitudo tanta eſſe non

poteſt,

poteſt,ne ſignorũ quidem. Dic mihi, Lyſippus eodem ære,eadem tẽperatio-ne,eodem cœlo,aqua,ceteris omnibus certum Alexandrum eiuſdẽmodi facere non poſſet? Qua igitur notione diſcerneres? Quid ſi eiuſmodi cæra centum ſigilla hoc anulo impreſſero,ecquę poterit in agnoſcẽdo eſſe diſtinctio? An tibi erit quęrẽdus anularius aliqui,quoniam gallinariũ inueniſti Deliacũ illum qui oua cognoſceret? Sed adhibes artem aduocatam etiã ſenſibus. Pictor uidet quæ nos nõ uidemus. Et ſimul inflauit tibicen,à pito carmẽ agnoſcitur. Quid hoc? non'ne uidet̃ cõtra te ualere,ſi ſine magnis artificijs ad quæ pauci accedũt,noſtri quidem generis admodum nec uidere nec audire poſſumus? Iam illa præclara,quãto artificio eẽt ſenſus noſtros mẽtem'q; & totam cõſtructionem hominis fabricata natura,cur non extimeſcã opinandi temeritatem? Etiam ne hoc affirmare potes Luculle,eſſe aliquã uim cum prudentia & cõſilio,ſcilicet quæ finxerit,uel ut tuo uerbo utar,quæ fabricata ſit hominem? Qualis iſta fabrica eſt? ubi adhibita? quãdo? cur? quomodo? Tractantur iſta ingenioſe,diſputantur etiã eleganter. Deniq; uideantur ſané,ne affirmentur modo. Sed de Phyſicis mox,& quidẽ ob eam cauſam,ne tu qui idem me facturũ paulo ante dixeris,uideare mẽtitus. Sed ut ad ea quæ clariora ſunt ueniam,res iam uniuerſas profundã,de quibus uolumina impleta ſunt non à noſtris ſolum,ſed etiã à Chryſippo,de quo queri ſolent Stoici, dum ſtudioſe omnia conquiſierit,cõtra ſenſus & perſpicuitatem,cõtra'q; omnem conſuetudinẽ,cõtra'q; rationẽ,ipſum ſibi reſpondentẽ inferiorem fuiſſe: itaq; ab eo armatum eſſe Carneadẽ. Ea ſunt eiuſmodi,quę à te diligentiſſime tractata ſunt, Dormientium & uinolentorũ & furioſorum uiſa imbecilliora eſſe dicebas q̃ uigilantium,ſiccorũ,ſanorum. Quomodo? quia quũ experrectus eſſet Ennius,non diceret ſe uidiſſe Homerum,ſed uiſum eſſe. Alcmæo autem,

» Sed mihi neutiq̃ cor conſentit.

Similia de uinolẽtis. Quaſi quiſq̃ neget & qui experrectus ſit eum ſomniare, & cuius furor conſederit,putare non fuiſſe ea uera quæ eſſent ſibi uiſa in furore. Sed non id agitur,tũ quum uideantur: quomodo uidentur,id quærit̃. Niſi uero Ennium nõ putamus ita totũ illud audiuiſſe, O pietas animi: ſi modo id ſomniauit,ut ſi uigilans audiret. Experrectus enim potuit illa uiſa putare ut erant,& ſomnia,dormienti uero æque ac uigilanti probant̃. Quid Iliona ſomno illo?

Mater te appello. Non'ne illa credit filium loquutum, ut experrecta ẽt crederet? Vnde enim illa?

Age adſta,mane,audi,itera dum eadem & iſta mihi.

Num uidetur minorẽ habere uiſis q̃ uigilãtes fidẽ? Quid loquar de inſanis? Qualis tandẽ fuit affinis tuus Catule Tuditanus? Quiſq̃ ſaniſſimus tam certa putat quæ uidet,q̃ is putabat quæ uidebantur? Quid ille qui,

Video uideo te uiuum Vlyſſes,dum licet.

non'ne etiam bis exclamauit ſe uidere quum omnino nõ uideret? Quid apud Euripidem Hercules quũ ut Euriſthei filios ita ſuos configebat ſagittis,quũ uxorem interimebat,quum conabatur etiam patrẽ,non perinde mouebat̃ falſis ut ueris moueretur? Quid ipſe Alcmæo tuus,qui negat cor ſibi cum oculis conſentire? Non'ne ibidem incitato furore.

Vnde hæc flamma oritur?

Et illa deinceps:

Incede incede, adſunt adſunt, me me expetunt.

Quid quum uirginis fidem implorat?

Fer mi auxilium, peſtem abige à me
Flammiferam, hanc uim quæ me excruciat.
Ceruleæ incinctæ igni incedunt,
Circunſtant cum ardentibus tædis.

Num dubitas quin ſibi hæc uidere uideatur? Itemq́; cetera.

Intendit Crinitus Apollo,
Arcum auratum luna innixus:
Diana facem iacit à læua.

Qui magis hęc crederet ſi eſſent, q̃ credebat quia uidebantur? Apparet enim iam cor cum oculis cõſentire. Omnia aũt hæc proferuntur, ut illud efficiatur, quo certius nihil poteſt eſſe, inter uiſa uera & falſa ad animi aſſenſum nihil intereſſe. Vos aũt nihil agitis cum illa falſa uel furioſorum uel ſomniantium, recordatione ipſorũ refellitis. Non enim id quæritur, qualis recordatio fieri ſoleat eorum qui experrecti ſunt, aut eorum qui furere deſtiterint: ſed qualis uiſio fuerit aut furentium aut ſomniãtium tum quum cõmouebantur. Sed abeo à ſenſibus, quid eſt quod ratione percipi poſſit? Dialecticam inuentam eẽ dicitis ueri & falſi quaſi diſceptatricem & iudicem. Cuius ueri & falſi? et in qua re? In Geometria ne, quid ſit uerũ aut falſum Dialecticus iudicabit? an in literis? an in muſicis? At ea nõ nouit. In philoſophia igitur ſol quantus ſit, quid ad illum? quod ſit ſummum bonum, quid habet ut queat iudicare? Quid igitur iudicabit? Quæ cõiunctio, quæ diiunctio uera ſit? quid ambigue dictum ſit, quid ſequat̃ quãq; rem, quid repugnet? Si hęc et horũ ſimilia iudicat, de ſe ipſa iudicat, plus aũt pollicebatur. Nã hæc quidẽ iudicare ad ceteras res, quæ ſunt in philoſophia multæ atq; magnæ, nõ eſt ſatis. Sed qm̃ tm̃ in ea arte ponitis, uidete ne cõtra uos tota nata ſit, quæ primo progreſſu feſtiue tradit elementa loquendi, & ambiguoꝝ intelligentiã concludendiq́; rationem, tũ paucis additis uenit ad Soritas lubricũ ſanè & periculoſum locum, quod tu modo dicebas eſſe uitioſum interrogãdi genus. Quid ergo, iſtius uitij nũ noſtra culpa eſt? Rerũ natura nullam nobis dedit cognitionem finium, ut ulla in re ſtatuere poſſimus, quatenus nec hoc in aceruo tritici ſolum, unde nomen eſt. Sed nulla omnino in re minutatim interroganti diues paup̄, clarus obſcurus ſit, multa pauca, magna parua, longa breuia, lata anguſta, quanto aut addito aut dempto certum reſpõdeamus non habemus. At uitioſi ſunt Soritæ. Frangite igitur eos ſi poteſtis, nè moleſti ſint. Erunt enim niſi cauetis. Cautum eſt, inquit. Placet enim Chryſippo quũ gradatim interrogetur, uerbi cauſa, tria pauca ſint, an ne multa, aliquãto priuſquam ad multa perueniat quieſcere, id eſt, quod ab his dicitur ἡσυχάζειν. Per me uel ſtertas licet, inquit Carneades, non modo quieſcas. Sed quid ꝓficit? Sequitur enim qui te ex ſomno excitet, & eodem modo interroget, quòd in numero cõticuiſti. Si ad eum numerum unũ addidero, multa ne erunt? progrediere rurſus quoad uidebitur, quid plura? Hoc enim fateris, neq; ultimũ te paucorum, neq; primum multorũ reſpõdere poſſe. Cuius generis error ita manat, ut non uideam quo non poſſit accedere. Nihil me lædit, inquit. Ego enim ut agitator callidus priuſq̃ ad finem

ueniam

ueniam equos ſuſtinebo,eoq́ꝫ magis,ſi locus is quo ferētur equi præceps erit. Sic me,inquit,ante ſuſtineo,nec diutius captioſe interroganti reſpondeo. Si habes quod liqueat,neqꝫ reſpondes,ſuperbis:ſi non habes,ne tu quidē percipis,ſi quia obſcura:cōcedo.Sed negas te uſqꝫ ad obſcura ꝓgredi. illuſtribus igitur rebus inſiſtis.Si id tātūmodo ut taceas,nihil aſſequeris.Quid enim ad illum qui te captare uult,utrum tacentem irretiat te,an loquētem? Sin autem uſqꝫ ad nouem,uerbi gratia,ſine dubitatione reſpōdeas pauca eſſe,in decimo inſiſtis,etiam à certis & illuſtrioribus cohibes aſſenſum,hoc idem me in obſcuris facere nō ſinis.Nihil igitur te contra Soritas ars iſta adiuuat, quæ nec augendi nec minuendi quid aut primum ſit,aut poſtremum,docet.Quid qđ eadem illa ars quaſi Penelope,telam retexens tollit ad extremum ſuperiora, utrum ea ueſtra,an noſtra culpa eſt? Nempe fundamentum Dialecticæ eſt, quidquid enuncietur.(Id autem appellant ἀξίωμα,quod eſt quaſi effatū) aut uerum eſſe aut falſum.Quid igitur,hæc uera an falſa ſunt? Si te mentiri dicis, idq́ꝫ uerum dicis,mentiri uerum dicis.Hæc ſcilicet inexplicabilia eſſe dicitis, quod eſt odioſius q̄ illa quæ nos non comprehenſa & nō percepta dicimus. Sed hæc omitto:illud quæro,ſi iſta explicari nō poſſunt,nec eorum ullum iudicium inuenitur,ut reſpōdere poſſitis uera'ne an falſa ſint,ubi eſt illa definitio,Effatum eſſe id quod aut uerum aut falſum ſit? Rebus ſumptis adiungam ex his ſequendas eſſe alias,alias improbandas, quæ ſint in genere contrario. Quomodo igitur hoc cōcluſum eſſe iudicas,ſi dicis nunc lucere,& uerum dicis,lucet igitur? Probatis certe genus,& rectiſſime cōcluſum dicitis : itaqꝫ in docendo eum primum cōcludendi modum traditis.Aut quidquid igit̃ eodē modo cōcluditur ꝓbabitis,aut ars iſta nulla eſt. Video ergo hanc concluſionem probaturus'ne ſis,ſi dicis te mentiri,uerūqꝫ dicis,mētiris : dicis aūt te mētiri,uerumq́ꝫ dicis,mentiris igitur.Qui potes hāc nō probare,quū probaueris eiuſdem generis ſuperiorem? Hæc Chryſippea ſunt,ne ab ipſo quidē diſſoluta.Quid .n. faceret huic cōcluſioni, ſi lucet lucet, lucet aūt,lucet igit̃? Cederet ſcilicet. Ipſa enim ratio cōnexi,quum conceſſeris ſuperius,cogit inferius concedere.Quid ergo hoc ab illa cōcluſione differt? Si mentiris, mentiris, mentiris autem,mentiris igitur.Hoc negas te poſſe nec approbare nec improbare:qui igitur magis illud? Si ars,ſi ratio,ſi uia,ſi uis deniqꝫ concluſionis ualet,eadem eſt in utroqꝫ.Sed hoc extremum eorum eſt,poſtulant ut excipiātur hæc inexplicabilia. Tribunum aliquem cenſeo uideant,à me iſtam exceptionem nunq̄ impetrabunt, Etenim quum ab Epicuro, qui totam Dialecticam & contemnit & irridet,nō impetrent,ut uerum eſſe cōcedat quod ita effabimur:aut uiuet cras Hermachus,aut non uiuet:quum Dialectici ſic ſtatuant, omne quod ita diſiunctum ſit,quaſi aut etiam,aut non,nō modo uerum eſſe, ſed etiam neceſſarium,uide q̄ ſit cautus is quem iſti tardum putant. Si enim, inquit,alterutrum conceſſero neceſſarium eſſe,neceſſe erit cras Hermachum aut uiuere,aut nō uiuere.Nulla autem eſt in natura rerū talis neceſſitas. Quū hoc igitur Dialectici pugnent,id eſt Antiochus & Stoici,totam enim euertit Dialecticam.Nam ſi è contrarijs diſiunctio,cōtraria autem ea dico quum alterum ait,alterum neget:ſi talis diſiunctio falſa poteſt eē,nulla uera eſt. Mecum uero quid habent litium,qui ipſorum diſciplinam ſequor? Quum aliq̄d huiuſmodi inciderat,ſic ludere Carneades ſolebat.Si recte concluſit, teneo:

ſin uitioſe,minam Diogenes reddet:ab eo enim Stoico Dialecticā didicerat. Hæc autē merces erat dialecticoꝝ.Sequor igitur eas uias,quas didici ab Antiocho,nec reperio quomodo iudicem,ſi lucet,lucet,uerū eſſe ob eam cauſam, quod ita didici,omne quod ipſum ex ſe cōnexum ſit uerū eſſe,non iudicem,ſi mentiris mentiris,eodem modo eſſe cōnexum. Aut igitur hoc & illud,aut niſi hoc ne illud quidē iudicabo.Sed ut omnes iſtos aculeos,& totū tortuoſum genus diſputandi relinquamus,oſtendamusq́ qui ſimus,iam explicata tota Carneadis ſententia,Antiochi iſta corruent uniuerſa.Nec uero quidq̄ ita dicam,ut quiſquā id fingi ſuſpicetur:à Clitomacho ſumam,qui uſq; ad ſenectutem cum Carneade fuit,homo & acutus ut Pœnus,& ualde ſtudioſus ac diligens.Et quatuor eius libri ſunt de ſuſtinendis aſſenſionibus.Hæc aūt quæ iā dicam,ſunt ſumpta de primo.Duo placet eē Carneadi genera uiſorū. In uno hāc diuiſionē:alia uiſa eſſe quæ percipi poſſint,alia quæ ꝑcipi nō poſſint . In altero aūt, alia uiſa eē probabilia,alia nō probabilia. Itaq; q̄ cōtra ſenſus,cōtraq́ perſpicuitatē dicātur,ea pertinere ad ſuperiorem diuiſionem,cōtra poſteriorem nihil dici oportere. Quare ita placere,tale uiſum nullū eſſe ut perceptio cōſequeretur:ut autem probatio multa,etenim cōtra naturam eſſet , ſi probabile nihil eēt,ſequitur omnis uitæ ea,quam tu Luculle cōmemorabas, euerſio. Itaq; & ſenſibus probāda multa ſunt,teneatur modo illud,non ineſſe in his quidq̄ tale,quale non etiā falſum nihil ab eo differens eſſe poſſit . Sic quidquid acciderit ſpecie probabile,ſi nihil ſe offeret quod ſit probabilitati illi cōtrarium utetur eo ſapiens,ac ſic omnis ratio uitæ gubernabitur.Etenim is quoq; qui à uobis ſapiens inducitur,multa ſequitur probabilia, non cōprehenſa,neq; percepta,neq; aſſenſa,ſed ſimilia ueri:quæ niſi probet,omnis uita tollatur. Quid enim conſcendens nauem ſapiens,num cōprehenſum animo habet atq; perceptū,ſe ex ſententia nauigaturum? Qui poteſt? Sed ſi iam ex hoc loco proficiſcatur Puteolos ſtadia triginta probo nauigio,bono gubernatore ac tranquillitate,probabile uideatur ſe illuc uenturum eſſe ſaluū . Huiuſmodi igitur uiſis cōſilia capiet & agendi et non agendi,faciliorq́ erit,ut albam eſſe niuem ꝓbet,q̄ erat Anaxagoras,qui id non modo ita eſſe negabat, ſed ſibi quia ſciret aquam nigrā eſſe,unde illa congregata eſſet,albam ipſam eſſe ne uideri quidem.Et quæcunq; res eum ſic attinget,ut ſit uiſum illud probabile,neq; ulla re impeditum,mouebitur.Non enim eſt è ſaxo ſculptus , aut è robore dolatus,habet corpus,habet animum,mouetur mente,mouetur ſenſibus,ut ei uera multa uideantur.Neq; tamen habere inſignem illam & propriā percipiendi notam:eoq́ ſapientem non aſſentiri,quia poſſit eiuſdēmodi exiſtere falſum aliquod cuiuſmodi hoc uerum. Neq; nos contra ſenſus aliter dicimus ac Stoici,qui multa falſa eſſe dicūt,longeq́ aliter ſe habere ac ſenſibus uideantur.Hoc aūt ſi ita ſit ut unū modo ſenſibus falſum uideať,præſto eſt qui neget rem ullā percipi poſſe ſenſibus.Ita nobis tacentibus,ex uno Epicuri capite,altero ueſtro,ꝑceptio et cōprehenſio tollitur. Quod eſt caput Epicuri? Si ullū ſenſibus uiſum falſum eſt,nihil poteſt percipi . Quod ueſtrum? Sunt falſa ſenſus uiſa,quid ſequitur? ut taceam , concluſio ipſa loquitur nihil percipi poſſe.Non concedo,inquit,Epicuro.Certa igitur cum illo,qui à te totus diuerſus eſt:noli mecum,qui hoc quidem certe falſi eſſe aliq̄d in ſenſibus tibi aſſentior:quanq̄ nihil mihi tam mirum uidetur,q̄ iſta dici ab Antiocho

quidem

quidem maxime,cui erant quæ paulo ante dixi,notiſſima.Licet.n.hæc quiuis arbitratu ſuo reprehēdat,quod negemus rem ullam percipi poſſe, certe leuior reprehēſio ē.Quod tamen dicimus eſſe quædam probabilia, non uidetur hoc ſatis eē uobis:nec ſic illa certe debemus effugere,quæ à te uel maxime agitata ſunt.Nihil igitur cernis,nihil audis,nihil tibi eſt perſpicuum? Explicaui paulo ante Clitomacho auctore,quomō iſta Carneades diceret. Accipe quēadmodum eadem dicantur à Clitomacho in eo libro,quem ad C.Luciliū ſcripſit poetā,quum ſcripſiſſet eiſdem de rebus ad L.Cenſorinum eum, qui Conſul cū M. Manilio fuit. Scripſit igitur his ferè uerbis:ſunt enim mihi nota,ꝑpterea,quod earū ipſarum rerū,de quibus agimus,prima inſtitutio & quaſi diſciplina illo libro continetur.Sed ſcriptum eſt ita, Academicis placere, eſſe rerum eiuſmodi diſſimilitudines,ut aliæ probabiles uideantur,aliæ cōtra.Id autē non eſſe ſatis cur alia poſſe percipi dicas,alia non poſſe,propterea quod multa falſa probabilia ſint,nihil autem falſi perceptum & cognitū poſſit eē. Itaq; ait uehementer errare eos qui dicāt ab Academia ſenſus eripi, à quibus nonnunq̄ dictum ſit,aut colorem,aut ſaporem,aut ſonum nullū eſſe. Illud ſit diſputatū,non ineſſe in his propriam,quæ nuſq̄ alibi eſſet,ueri & certi notā. Quæ quum expoſuiſſet,adiungit dupliciter dici aſſenſus ſuſtinere ſapientē: uno modo,quum hoc intelligatur omnino eū rei nulli aſſentiri:altero, quum ſe à reſpōdēdo,ut aut approbet qd,aut improbet,ſuſtineat, ut neq; neget aliquid neq; ait.Id quum ita ſit,alterꝝ placere ut nunq̄ aſſentiatur:alterū tenere, ut ſequens probabilitatem,ubicūq; hæc aut occurrat,aut deficiat, aut etiā aut non,reſpōdere poſſit,nec ut placeat eum qui de omnibus rebus contineat ſe ab aſſentiendo,moueri tamen et agere aliquid,reliquit eiuſmodi uiſa,quibus ad actionem excitemur.Item ea quę interrogati in utrāq; partem reſpondere poſſumus,ſequentes tantūmodo quod ita uiſum ſit,dum ſine aſſenſu:neq; tamen omnia eiuſmodi uiſa approbari,ſed ea quæ nulla re impedirentur. Hæc ſi uobis non probamus,ſint falſa ſanè,inuidioſa certe non ſunt. Non enim lucem eripimus:ſed ea quæ uos percipi comprehendiq;,eadem nos ſi mō probabilia ſint,uideri dicimus.Sic igitur inducta & conſtituta probabilia, & eo quidem expedito,ſoluto,libero,nulla re implicato,uides profecto Luculle iacere iam illud tuum perſpicuitatis patrociniū.Iiſdem enim hic ſapiēs,de quo loquor,oculis quibus iſte ueſter cœlum,terram,mare intuebitur:ijſdem ſenſibus reliqua quæ ſub quenq; ſenſum cadūt ſentiet. Mare illud quod nūc Fauonio naſcente purpureū uidetur,idem huic noſtro uidebitur.Nec tamen aſſentietur, quia nobiſmetipſis modo ceruleū uidebat, mane flauum, quodq; nunc quia à ſole collucet,albeſcit & uibrat,diſſimileq; eſt proximo ei continēti:ut etiā ſi poſſis rationē reddere cur id eueniat,tamen non poſſis id uerū eſſe quod uidebatur oculis defendere. Vnde memoria ſi nihil percipimus (ſic.n. quærebas) quod meminiſſe uiſa niſi cōprehenſa non poſſumus? quid Polyęnus,qui magnus Mathematicus fuiſſe dicitur? Is poſteaq̄ Epicuro aſſentiens totam Geometriam falſam eſſe credidit,num illa etiā quæ ſciebat oblitus eſt? Atqui falſum quod eſt id percipi non pōt,ut nobiſmetipſis placet.Si igitͬ memoria perceptarū comprehenſarūq; rerū eſt,omnia quæ quiſq; meminit,habet ea cōprehenſa atq; percepta,falſi aūt comprehēdi nihil pōt,& omnia meminit Scyron Epicuri dogmata,uera igitur illa ſunt nūc omnia.Hoc per me

licet,ſed tibi aut cõcedendum eſt ita eſſe,quod minime uis,aut memoriã mihi remittas oportet,& facile eſſe ei locum,ẽt ſi cõprehẽſio perceptioq́ nulla ſit. Quid fiet artibus? quibus? his ne quæ ipſæ fatentur cõiectura ſe plus uti q̃ ſcientia,an his quæ tantũ id quod uidetur ſequuntur,nec habent iſtã artem ueſtrã,qua uera & falſa diiudicent? Sed illa ſunt lumina duo,quæ maxime cãm iſtam cõtinent. Primũ enim negatis fieri poſſe,ut quiſq̃ nulli rei aſſentiatur. At id quidem perſpicuũ eſt,quum Panætius princeps propè (meo quidẽ iudicio) Stoicorum ea de re dubitare ſe dicat,quam omnes præter eum Stoici certiſſimam putant,uera eſſe aruſpicum auſpicia,oracula,ſomnia,uaticinatiões, ſeq́ ab aſſenſu ſuſtineat. Quod is poteſt facere de his rebus quas illi à quibus ipſe didicit certas habuerint. cur id ſapiens de reliqs rebus facere non poſſit? An eſt aliquid quod poſitũ uel improbare uel approbare poſſit,dubitari nõ poſſit? An tu in ſoritis poteris hoc quũ uoles,ille in reliquis rebus non poterit eodem modo inſiſtere,preſertim quum poſſit ſine aſſenſione ipſam ueri ſimilitudinem nõ impeditam ſequi? Alterũ eſt quod negatis,actionẽ ullius rei poſſe in eo eſſe,qui nullã rem aſſenſu ſuo comprobet. Primũ enim uideri oportet in quo ſit etiã aſſenſus. Dicunt enim Stoici ſenſus ipſos aſſenſus eſſe, quos quoniã appetitio cõſequatur,actionem ſequi: tolli autem omnia, ſi uiſa tollantur. Hac de re in utrãq; partem & dicta ſunt & ſcripta multa,uide ſuperiora,ſed breui res põt tota confici. Ego enim & ſi maximam actionem puto repugnare uiſis,obſiſtere opiniõibus,aſſenſus lubricos ſuſtinere,credoq́ Clitomacho ita ſcribenti: Herculi quendam laborẽ exanclatũ à Carneade, quod ut feram & immanem beluã,ſic ex animis noſtris aſſenſionem, id eſt, opinationem & temeritatẽ extraxiſſet,tamẽ ut ea pars defenſionis relinquatur, q̃d impediet actionem eius qui probabilia ſequitur nulla re impediente? Hoc inquit,ipſum,impediet quod ſtatuet,ne id quidẽ quod probet poſſe percipi. Iam iſtuc te quoq; impediet in nauigando,& in cõſerendo,in uxore ducẽda, in liberis procreandis,plurimiſq́ in rebus,in quibus nihil ſequere præter probabile. Et tamẽ illud uſitatum & ſæpe repudiatum refers, non ut Antipater, ſed ut ais preſſius. Nam antipatrũ reprehenſum, quod diceret cõſentaneum eſſe ei qui affirmaret nihil poſſe cõprehendi,id ipſum ſaltem dicere poſſe cõprehendi: quod ipſi Antiocho pingue uidebatur,& ſibi cõtrariũ. Non enim poteſt cõuenienter dici nihil cõprehendi poſſe,ſi ipſum cõprehendi poſſe dicatur. Illo modo potius putat urgendũ fuiſſe Carneadem: quum ſapiẽtis nullum decretũ eſſe poſſit,niſi comprehẽſum,perceptũ,cognitum: ut hoc ipſum decretum quod ſapientis eſſet,nihil poſſe percipi,fateretur eſſe perceptum. Proinde quaſi ſapiens nullum aliud decretum habeat,et ſine decretis uitã agere poſſit,ſed ut illa habet probabilia non percepta, ſic hoc ipſum nihil poſſe percipi. Nam ſi in hoc haberet cognitionis notã,eadẽ uteretur in ceteris: quã quoniã nõ habet utitur probabilibus. Itaq; non metuit ne cõfundere omnia uideatur,& incerta reddere. Non enim quemadmodum ſi quæſitum ex eo ſit ſtellarũ numerus par an impar ſit,item ſi de officio multiſq́ aliĳs de rebus, in quibus uerſatur exercitatuſq́ ſit,neſcire ſe dicat. In incertis enim nihil eſt probabile. In quibus autem eſt,in his nõ deerit ſapienti nec quid faciat, nec quid reſpõdeat. Ne illam quidem prætermiſiſti Luculle reprehenſionẽ Antiochi, nec mirũ: in primis enim ẽ nobilis,qua ſolebat dicere Antiochus Philonem

maxime

maxime perturbatum. Quum enim ſumeretur unum, eſſe quædam falſa uiſa:
alterum, nihil ea differre à ueris, non attendere ſuperius illud ea re à ſe eſſe cõ
ceſſum, quod uideretur eſſe quædam in uiſis differẽtia: eam tolli altero quod
neget uiſa à falſis uera differre: nihil tam repugnare. Id ita eſſet ſi nos uerum
omnino tolleremus. Non facimus, nã tam uera quàm falſa cernimus: ſed pro
bãdi ſpecies eſt, percipiendi ſignum nullum habemus. Ac mihi uideor nimis
etiam nũc agere ieiune. Quũ ſit enim cãpus in quo exultare poſſit oratio, cur
eam tantas in anguſtias, & Stoicorum dumeta compellimus? Si enim mihi
cum Peripatetico res eſſet, qui id percipi poſſe diceret, quod impreſſum eſſet
è uero, neq; adhiberet illam magnam acceſſiõem quomodo imprimi nõ poſ-
ſet à falſo, cum ſimplici homine ſimpliciter agerem, nec magnopere contẽde-
rem: atq; etiam ſi quum ego nihil dicerem poſſe comprehendi, diceret ille ſa-
pientem interdum opinari, nõ repugnarem, preſertim ne Carneade quidem
huic loco ualde repugnante. Nunc quid facere poſſum? Quæro enim quid
ſit quod comprehendi poſſit. Reſpõdet mihi nõ Ariſtoteles aut Theophra
ſtus, nec Xenocrates quidem aut Polemo, ſed mihi minor eſt tale uerũ quale
falſum eſſe non poſſit. nihil eiuſmodi inuenio. Itaq; in cognitione nimirũ aſ-
ſentiar, id eſt, opinabor. Hoc mihi & Peripatetici & uetus Academia conce-
dit, uos negatis, Antiochus in primis, qui me ualde mouet, uel ꝙ amaui homi
nem ſicut ille me, uel ꝙ ita iudico politiſſimum & acutiſſimum omnium no-
ſtræ memoriæ philoſophorũ. A quo primum quæro, quo tandem modo ſit
eius Academiæ, cuius eſſe ſe profiteatur? Vt omittam alia, hęc duo de quibus
agitur, quis unquam dixit aut ueteris Academiæ aut Peripateticorum, uel id
ſolum percipi poſſe quod eſſet uerum tale, quale falſum eſſe non poſſet, uel ſa
pientem nihil opinari? Certe nemo horum neutrum ante Zenonem magno-
pere defenſum eſt. Ego tamẽ utrumq; uerum puto, nec dico temporis cauſa,
ſed ita planè probo. Illud ferre non poſſum, tu quum me incognito aſſentiri
uetes, idq; turpiſſimum eſſe dicas & pleniſſimum temeritatis, tantum tibi ar-
roges, ut exponas diſciplinam ſapientiæ, naturam rerum omniũ euoluas, mo
res fingas, fines bonorum malorumq; conſtituas, officia deſcribas, quam ui-
tam ingrediar definias, idemq; etiam diſputandi & intelligendi iudicium di-
cas te & artificium traditurũ, perficies ut ego iſta innumerabilia complectẽs
nuſquam labar, nihil opiner? Quæ tandem ea eſt diſciplina ad quam me de-
ducas ſi ab hac abſtraxeris? Vereor ne ſubarroganter facias, ſi dixeris tuam.
Atqui ita dicas neceſſe ẽ: neq; uero tu ſolus, ſed me ad ſuã quiſq; rapiet. Age
reſtitero Peripateticis, qui ſibi cum oratoribus cognationem eſſe, qui claros
uiros à ſe inſtructos dicãt Remp. ſæpe rexiſſe? Suſtinuero Epicureos tot me-
os familiares, tam bonos, tam inter ſe amantes uiros? Diodoto quid faciam
Stoico, quem à puero audiui, qui mecum uiuit tot ãnos, qui habitat apud me,
quem & admiror & diligo, qui iſta Antiochea contemnit? Noſtra, inquies,
ſola uera ſunt. Certe ſola, ſi uera: plura enim uera diſcrepãtia eſſe nõ poſſunt.
Vtrum igitur nos impudentes qui labi nolumus, an illi arrogantes qui ſibi
perſuaſerint ſcire ſe ſolos omnia? Non me quidem, inquit, ſed ſapientem di
co ſcire. optime. Nempe iſta ſcire quæ ſunt in tua diſciplina. Hoc primũ qua-
le eſt, à non ſapiente explicari ſapientiam? Sed diſcedamus à nobiſmetipſis,
de ſapiente loquamur, de quo (ut ſæpe iam dixi) omnis hæc quæſtio eſt. In

tres igitur partes & à pleriſq; & à nobiſmetipſis diſtributa ſapientia eſt. Primum ergo ſi placet quæ de natura rerũ ſint quęſita uideamus, uelut illud ante. Eſt ne quiſquam tãto inflatus errore, ut ſibi ſe illa ſcire perſuaſerit? Nõ quæro rationes eas quæ ex coniectura pẽdent, quæ diſputationibus huc & illuc trahuntur, nullam adhibent perſuadendi neceſſitatem. Geometræ prouideant qui ſe profitentur non perſuadere ſed cogere, & qui omnia uobis quę deſcribunt probant. Non quæro ex his illa initia Mathematicorum, quibus nõ conceſſis digitum progredi non poſſunt. Punctum eẽ quod magnitudinem nullam habeat, extremitatem & quaſi librametum, in quo nulla omnino craſſitudo ſit, liniamẽto ſine ulla latitudine carentem. Hæc quum uera eſſe cõceſſero, ſi adijciam iuſiurandum, ſapientem ne priuſquam Archimedes eo inſpectãte rationes omnes deſcripſerit eas, quibus efficitur multis partibus ſolem maiorem eſſe quàm terram, iuraturum putas? ſi fecerit ſolem ipſum, quẽ deum cenſet eſſe, contempſerit? Quod ſi Geometricis rationibus nõ eſt crediturus, quæ uim afferunt in docendo, uos ipſi ut dicitis, næ ille longe aberit ut argumẽtis credat philoſophorum: aut ſi eſt crediturus, quorum potiſſimum? Omnia Phyſicorum licet explicare, ſed longum eſt, quęro tamen quẽ ſequatur. Finge aliquem nunc fieri ſapiẽtem, nondum eſſe, qua potiſſimum ſententia melius eliget diſciplinam? & ſi quamcunq; eliget, inſipiẽs eliget. Sed ſit ingenio diuino, quem unum ex Phyſicis potiſſimum probabit? nec enim plus uno poterit. Non perſequor quæſtiones infinitas, tantum de principijs rerũ, è quibus omnia cõſtant, uideamus quem probet. Eſt enim inter magnos homines ſumma diſſenſio. Princeps Thales unus è ſeptem, cui ſex reliquos conſenſiſſe primos ferunt, ex aqua dixit conſtare omnia. At hoc Anaximandro populari & ſodali ſuo non perſuaſit. Is enim infinitatem naturæ dixit eſſe, è qua omnia gignerẽtur. Poſt eius auditor Anaximenes infinitum aera, ſed ea quæ ex eo orirentur definita: gigni autem terram, aquam ignem, tum ex his omnia. Anaxagoras materiam infinitam, ſed ex ea particulas ſimiles inter ſe minutas, eas primum cõfuſas, poſtea in ordinem adductas mẽte diuina. Xenophanes paulo etiam antiquior, unum eſſe omnia, neq; id eſſe mutabile, & id eſſe deum: neq; natum uſquam quidquam & ſempiternum conglobata figura. Parmenides ignem qui moueat terram quæ ab eo formetur, Leucippus plenum & inane. Democritus huic in hoc ſimilis, uberior in ceteris. Empedocles hæc peruulgata, & nota quatuor. Heraclitus ignem. Meliſſus hoc quod eſſet infinitum & immutabile, & fuiſſe ſemper & fore. Plato ex materia in ſe omnia recipiẽte mundum eſſe factum cẽſet à Deo ſempiternum. Pythagorei numeris, & Mathematicorum initijs proficiſci uolũt omnia. Ex his eliget ueſter ſapiens unum aliquem credo quem ſequatur, ceteri tot uiri & tanti repudiati ab eo condemnatiq; diſcedent. Quamcunque uero ſententiam probauerit, eam ſic animo comprehẽſam habebit, ut ea quæ ſenſibus: nec magis approbabit nunc lucere, quàm quoniam Stoicus eſt, hunc mundum eſſe ſapientem, habere mẽtem, quæ & ſe & ipſum fabricata ſit, & omnia moderetur, moueat, regat. Erit perſuaſum etiam ſolem, lunam, ſtellas omnes, terram, mare, deos eſſe, quod quædam animalis intelligẽtia per omnia ea permeet & tranſeat: fore tamẽ aliquando, ut omnis hic mundus ardore deflagret. Sint iſta uera. Vides enim iam me fateri aliquid eſſe ueri, comprehẽdi ea tamẽ & percipi nego.

Quum

Quum enim tuus iſte Stoicus ſapiēs ſyllabatim tibi iſta dixerit, ueniet illud flumen orationis aureum fundens Ariſtoteles, qui illum deſipere dicat. Neq; enim ortum eſſe unquam mundum, quod nulla fuerit nouo cōſilio inito tam præclari operis incœptio: & ita eē eum undiq; aptum, ut nulla uis tātos queat motus mutationemq́; moliri, nulla ſenectus diuturnitate temporum exiſtere, ut hic ornatus unquam dilapſus occidat. Tibi hoc repudiare, illud autem ſuperius, ſicut caput & famam tuam defendere neceſſe erit, mihi ne ut dubitē quidem relinquatur? ut omittam leuitatem temere aſſentiētiū, quāti libertas iſta æſtimanda eſt, non mihi neceſſe eſſe quod tibi eſt? Cur Deus omnia noſtri cauſa quum faceret, ſic enim uultis, tantam uim natricum uiperarumq́; fecerit, cur mortifera tam multa pernicioſa terra mariq́; diſperſerit? Negatis hęc tam polite tamq́; ſubtiliter effici potuiſſe ſine diuina aliqua ſolertia, cuius quidem uos maieſtatem deducitis uſque ad apium formicarumq́; perfectionem, ut etiam inter deos Myrmecides aliquis minutorum opuſculorū fabricator fuiſſe uideatur. Negas ſine deo poſſe q̄dq̄, ecce tibi ē traſuerſo Lampſacenus Strato, qui det iſti deo immunitatem magni quidem muneris. Sed quū ſacerdotes deorum uacationem habeant, quanto eſt æquius habere ipſos deos? Negat opera deorum ſe uti ad fabricandum mundum. Quæcunq; ſint docet omnia effecta eſſe natura, nec ut ille qui aſperis & leuibus, & hamatis uncinatisq́; corporibus concreta hæc eſſe dicat interiecto inani, ſomnia cenſet hæc eſſe Democriti non docentis, ſed optantis. Ipſe autē ſingulas mundi partes perſequens, quidquid aut ſit aut fiat, naturalibus fieri aut factum eſſe docet ponderibus & motibus: ſic ille & deum opere magno liberat, & me timore. Quis enim poteſt (quum exiſtimet curari ſe à deo) non & dies & noctes diuinum numē horrere? & ſi quid aduerſi acciderit (quod cui non accidit?) extimeſcere, ne id iure euenerit? Nec Stratoni tamē aſſentior, neque uero tibi modo hoc, modo illud probabilius uidetur. Latēt iſta omnia Luculle craſſis occultata & circumfuſa tenebris, ut nulla acies humani ingenij tanta ſit, quæ penetrare in cœlum, terram intrare poſſit. Corpora noſtra nō nouimus, qui ſint ſitus partium, quam uim quæq; pars habeat ignoramus. Itaq; medici ipſi, quorum intererat ea noſſe, aperuerunt ut uiderentur, nec eo tamen aiunt Empiricis notiora eſſe illa, quia poſſit fieri ut patefacta & detecta mutentur. Sed ecquid nos? Eodem modo rerum naturas perſecare, aperire, diuidere poſſumus, ut uideamus terra penitus ne defixa ſit, & quaſi radicibus ſuis hæreat, an media pendeat. Habitari ait Xenophanes in luna, eamq́; eſſe terram multarum urbium & montium. Portenta uidentur: ſed tamē nec ille qui dixit iurare poſſet ita ſe rem habere, neq; ego. Nōne etiam dicitis eſſe è regione nobis, è contraria parte terræ, qui aduerſis ueſtigijs ſtent cōtra noſtra ueſtigia, quos Antipodas uocatis? Cur mihi magis ſuſcenſetis qui iſta non aſpernor, quàm eis qui quum audiunt deſipere uos arbitrantur? Nicetas Syracuſius, ut ait Theophraſtus, cœlum, ſolem, lunam, ſtellas, ſupera deniq; omnia ſtare cenſet, neq; præter terram rem ullam in mundo moueri: quæ quum circum axem ſe ſumma celeritate conuertat & torqueat, eadem effici omnia. quaſi ſtante terra cœlum moueretur. Atq; hoc etiam Platonem in Timæo dicere quidam arbitrantur, ſed paulo obſcurius. Quid tu Epicure? loquere, pu-

tas ſolem eſſe tantulum? Egone uobis quidem tantum, ſed & uos ab illo irridemini, & ipſi illum uiciſſim eluditis. Liber igitur à tali irriſione Socrates, liber Ariſto Chius, qui nihil iſtorum ſciri putat poſſe. Sed redeo ad animum & corpus. Satis ne tandem ea nota ſunt nobis, quæ neruorum natura ſit, quæ uenarũ? Tenemus'ne quid animus ſit, ubi ſit, deniꝗ ſit ne, aut ut Dicæarcho uiſum eſt, ne ſit quidem ullus? Si eſt, tres ne partes habeat, ut Platoni placuit, rationis, iræ, cupiditatis, an ſimplex unusꝗ ſit? Si ſimplex, utrum ſit ignis an anima, an ſanguis, an ut Xenocrates mens nullo corpore, quod intelligi quale ſit uix poteſt: & quidquid eſt, mortale ſit an æternum? Nam in utraꝗ parte multa dicuntur. Horum aliquid ueſtro ſapienti certum uidetur, noſtro ne quid maxime quidem probabile ſit occurrit. Ita ſunt in pleriſꝗ cõtrariarum rationum paria momenta. Sin agis uerecundius, & me accuſas, nõ quòd tuis rationibus nõ aſſentiar, ſed quòd nullis, uincam animum, cuiꝗ aſſentiar deligam: quem potiſſimum? quem? Democritũ? Semper enim ut ſcitis ſtudioſus nobilitatis fuit. Vrgebor iam omnium ueſtrum conuicio. Tu ne aut inane quidquam putes eſſe, quum ita completa & cõferta ſint omnia, ut et quod mouebitur corporũ cedat, & qua quidꝗ ceſſerit, aliud ilico ſubſequatur, aut atomos ullas, è quibus quidquid efficiatur, illarum ſit diſſimillimum, aut ſine aliqua mente rem ullam effici poſſe præclaram? Et quum in uno mundo ornatus hic tam ſit mirabilis, innumerabilis, ſupra infra, dextra ſiniſtra, ante poſt, alios diſſimiles, alios eiuſdem modi mundos eſſe, & ut nos nunc ſumus ad Baulos Puteolosꝗ uideamus, ſic innumerabiles paribus in locis eſſe eiſdem nominibus, honoribus, rebus geſtis, ingenijs, formis, ætatibus, eiſdẽ de rebus diſputantes: & ſi nũc, aut ſi etiam dormientes aliquid animo uidere uideamur, imagines extrinſecus in animos noſtros per corpus irrumpere? Tu uero iſta ne aſciueris, ne'ue fueris commẽtitijs rebus aſſenſus. Nihil ſentire eſt melius, quàm tam praua ſentire. Non ergo id agitur, ut aliquid aſſenſũ meo comprobem: quæ tu uide ne impudenter etiam poſtules nõ ſolum arroganter, preſertim quum iſta tua mihi ne probabilia quidem uideantur. Nec enim diuinationem, quam probatis, ullam eſſe arbitror: fatumꝗ illud etiam, quo omnia contineri dicitis, cõtemno: ne exædificatum quidem hunc mundum diuino conſilio exiſtimo, atque haud ſcio an ita ſit. Sed quum rapior in inuidiam, licet'ne per uos neſcire quod neſcio? An Stoicis ipſis inter ſe diſceptare cum his non licebit? Zenoni & reliquis ferè Stoicis æther uidet̃ ſummus Deus mente præditus qua omnia regantur. Cleanthes qui quaſi maiorum eſt gentium Stoicus Zenonis auditor, Solem dominari, & rerum potiri putat. Ita cogimur diſſenſione ſapientum dominum noſtrum ignorare: quippe qui neſciamus ſoli an ætheri ſeruiamus. Solis autem magnitudo (ip- * ſe enim hic radiatus me intueri uidetur) admonet, ut crebro faciam mentionem ſui. Vos ergo huius magnitudinem quaſi decempeda, hinc me quaſi malis architectis, menſuræ ueſtræ nego hoc permenſi refertis. Ergo credere dubium eſt uter noſtrum ſit (leuiter ut dicam) uerecundior, nec tamẽ iſtas quęſtiones Phyſicorum exterminandas puto. Eſt enim animorum ingeniorũꝗ naturale quoddam quaſi pabulum conſideratio contemplatioꝗ naturæ. Erigimur, latiores fieri uidemur, humana deſpicimus: cogitantesꝗ ſupera atque

cœleſtia,

cœleſtia,hæc noſtra ut exigua & minima contemnimus. Indagatio ipſa rerũ cum maximarum,tum etiam occultiſſimarum habet oblectationem. Si uero aliquid occurret quod ueriſimile uideatur, humaniſſima completur animus uoluptate. Quæret igitur hæc & ueſter ſapiens,& hic noſter: ſed ueſter ut aſſentiatur,credat,affirmet.noſter,ut uereatur temere opinari, præclareq́ agi ſecum putet,ſi in eiuſmodi rebus ueriſimile quod ſit inuenerit. Veniamus nũc ad bonorum malorumq́ notionem,& paululum ante dicendum eſt,non mihi uidentur conſiderare quum Phyſici,iſta ualde adfirmant,earum etiam rerum auctoritatem,ſi quæ illuſtriores uideantur,amittere. Non enim magis aſſentiuntur,nec approbant lucere nunc quàm quum cornix cecinerit, tum aliquid eam aut iubere,aut uetare: nec magis affirmabunt ſignum illud (ſi erunt ſex menſi pedum) eſſe,quàm ſolem quẽ metiri non poſſunt,plus quàm duodeuiginti partibus maiorem eſſe q̃ terram. Ex quo illa concluſio naſcitur, Si ſol quãtus ſit percipi nõ poteſt, qui ceteras res eodem modo quo magnitudinem ſolis approbat,is eas res nõ percipit. Magnitudo autem ſolis percipi nõ poteſt. Qui igitur id approbat quaſi percipiat,nullam rem percipit. Reſponderint poſſe percipi quantus ſol ſit,non repugnabo,dummodo eodem pacto cetera percipi comprehendiq́ dicant. Nec enim poſſunt dicere aliud alio magis minus'ue comprehendi,quoniam omnium rerum una eſt definitio comprehendendi. Sed quod cœperam,quid habemus in rebus bonis, & malis exploratí? Nempe fines cõſtituendi ſunt,ad quos & bonorum & malorũ ſumma referatur. Qua de re eſt igitur inter ſummos uiros maior diſſenſio? Et omitto illa quæ relicta iam uidentur,& Herillum,qui in cognitione & ſcientia ſummum bonum ponit. Qui quum Zenonis auditor eſſet,uides quãtum ab eo diſſenſerit: & quàm non multum à Platone Megarici,quorum fuit nobilis diſciplina: cuius,ut ſcriptum uideo,princeps Xenophanes,quẽ modo nominaui,deinde eum ſequuti Parmenides,& Zeno. Ita q́ ab his Eretriaci philoſophi nominabantur. Poſt Euclides Socratis diſcipulus Megareus, à quo ijdem illi Megarici dicti,qui id bonum ſolum eſſe dicebant,quod eſſet unum & ſimile & idem ſemper. Hi quoq́ multa à Platone: à Menedemo aũt,quod is Eretrias fuit, Eretriaci appellati. Quorum omne bonum in mente poſitum,& mentis acie,qua uerum cerneretur. Illis ſimilia, ſed opinor explicata uberius & ornatius. Hos ſi contemnimus,etiam abiectos putamus illos, certe minus deſpicere debemus Ariſtonem,qui quum Zenonis fuiſſet auditor, reprobauit ea,quæ ille uerbis, Nihil eſſe bonum, niſi uirtutem: nec malum, niſi quod uirtuti eſſet contrarium. In medijs ea momenta quæ Zeno uoluit, nulla eſſe cẽſuit. Huic ſummum bonum eſt,in his rebus neutram in partẽ moueri, quæ ἀδιαφορία ab ipſo dicitur. Pyrrho autem ea ne ſentire quidem ſapientem, quæ ἀπαθὴ nominatur. Has igitur tot ſententias ut omittamus, hæc uideamus, quæ nunc diu multumq́ defenſa ſunt. Alij uoluptatem finem eſſe uoluerunt, quorum princeps Ariſtippus, qui Socratem audierat, unde Cyrenaici. Poſt Epicurus, cuius eſt diſciplina nunc notior, nec tamen cum Cyrenaicis de ipſa uoluptate conſentiens. Voluptatem autem & honeſtatem finem eſſe Callipho cenſuit: uacare omni moleſtia Hieronymus: hoc idem cum honeſtate Diodorus. Ambo hi Peripatetici. Honeſte autem uiuere fruentẽ rebus his,quas primas homini natura cõciliet,& uetus Academia

cenſuit,ut indicāt ſcripta Polemonis,quæ Antiochus ꝓbat maxime,& Ariſtoteles eiuſq́ amici nunc proxime uidentur accedere,Introducebat etiā Carneades,non quo probaret,ſed ut opponeret Stoicis,ſummum bonum eē frui his rebus,quas primas natura conciliauiſſet. Honeſtum autem quod ducatur à conciliatione naturæ,Zeno ſtatuit finem eſſe bonorum,qui inuentor et princeps Stoicorum fuit.Iam illud perſpicuum eſt omnibus,his finibus bonorum,quos expoſui,malorum fines eſſe cōtrarios. Ad uos nūc refero quem ſequar:modo ne quis illud tam ineruditum abſurdumq́ reſpondeat, quemlibet,modo aliquem.Nihil poteſt dici inconſideratius.Cupio ſequi Stoicos, licet'ne?omitto per ipſum Ariſtotelē meo iudicio in Philoſophia propè ſingularem:per ipſum Antiochum,qui appellabatur Academicus: erat q̄dem, ſi perpauca mutauiſſet,germaniſſimus Stoicis. Erit igitur res iam in diſcrimine.Nam aut Stoicus conſtituatur ſapiens,aut ueteris Academiæ, utrunq́ nō poteſt.Eſt enim inter eos non de terminis,ſed de tota poſſeſſione contentio. Nam omnis ratio uitæ definitione ſummi boni continetur: de qua qui diſſident,de omni uitæ ratione diſſident.Non poteſt igitur uterq́ ſapiēs eē, quoniam tantopere diſſentiunt,ſed alter.Si Polemoneus peccat Stoicus rei falſæ aſſentiens,num quidem nihil dicitis à ſapiente tam alienum eſſe?ſin uera ſunt Zenonis,eadem in ueteres Academicos Peripateticosq́ dicenda. Hic igitur neutri aſſentiens ſi nunquam,uter eſt prudentior? Quid quum ipſe Antiochus diſſentit quibuſdam in rebus ab his quos amat Stoicis? Nonne indicat non poſſe illa probanda eſſe ſapienti?Placet Stoicis omnia peccata eē paria; at hoc Antiocho uehementiſſime diſplicet: liceat tandem mihi conſiderare utram ſententiam ſequar.Præcide,inquit,ſtatue aliquando quid libet, quid? quæ dicuntur quidem et acuta mihi uidentur in utranq́ partem & paria:nōne caueam,ne ſcelus faciam?Scelus enim dicebas eſſe Luculle dogma prodere.Contineo igitur me ne incognito aſſentiar, quod mihi tecum eſt dogma commune.Ecce multo maior etiam diſſenſio.Zeno in una uirtute poſitā beatam uitam putat.Quid Antiochus?Et iam,inquit,beatam, ſed non beatiſſimam.Deus ille qui nihil cenſuit deeſſe uirtuti,homuncio hic qui multa putat præter uirtutem homini partim clara eſſe, partim neceſſaria.Sed ille uereor ne uirtuti plus tribuat,quàm natura patiatur, preſertim Theophraſto multa diſerte copioſeq́ dicente.Et hic metuo ne uix ſibi conſtet,qui quum dicat eſſe quædam & corporis & fortunæ mala,tamen eum qui in his omnibus ſit, beatum fore cenſet,ſi ſapiens ſit.Diſtrahor,tum hoc mihi probabilius, tum illud uidetur:& tamen niſi alterutrum ſit,uirtutem iacere planè puto. Verum in his diſcrepant. quid illud in quibus conſentiunt? num pro ueris probare poſſumus ſapientis animum nunquam,nec cupiditate moueri, nec lætitia efferri?Age hæc probabilia ſanè ſint,num etiam illa,nunquam timere, nunquā dolere?Sapiens ne non timeat,nec ſi patria deleatur non doleat,ſatis durum, Sed Zenoni neceſſarium, cui præter honeſtum nihil eſt in bonis. Tibi uero Antioche minime, cui præter honeſtatem multa bona, præter turpitudinem multa mala uidentur: quæ & uenientia metuat ſapiens neceſſe eſt,& ueniſſe doleat. Sed quæro quando iſta fuerint ab Academia uetere decreta, ut animum ſapientis commoueri & conturbari negarent?Mediocritates illi probabāt,& in omni permotione naturalem uolebant eſſe quendā modum,

Legimus

Legimus omnes Crātoris ueteris Academici de luctu: eſt enim nō magnus, uerum aureolus, & ut Tuberoni Panætius præcipit, ad uerbum ediſcēdus libellus. Atque illi quidem etiam utiliter à natura dicebant permotiones iſtas animis noſtris datas: metum, cauendi cauſa: miſericordiam ægritudinēq; clementię: ipſam iracundiam, fortitudinis quaſi cotem eſſe dicebant: recte, ſecus ne, alias uiderimus: atrocitas quidem iſta tua quomodo in ueterē Academiam irruperit neſcio. Illa uero ferre non poſſum, non quo mihi diſpliceāt. Sūt enim Socratica pleraq; mirabilia, Stoicorum quæ παράδοξα nominātur. Sed ubi Xenocrates? ubi Ariſtoteles iſta tetigit? hos enim quaſi eoſdem eſſe uultis. Illi unquam dicerent ſapiētes ſolos Reges, ſolos diuites, ſolos formoſos? oīa quæ ubiq; eſſent ſapientis eſſe, neminem Conſulem, Prætorem, Imperatorem, neſcio an ne V. uirum quidem quēquam, niſi ſapientem. Poſtremo ſolum ciuem, ſolum liberum, inſipiētes omnes peregrinos, exules, ſeruos, furioſos: deniq; ſcripta Lycurgi, Solonis, XII. tabulas noſtras non eſſe leges, ne urbeis deniq; aut ciuitateis, niſi quæ eſſent ſapiētium. Hæc tibi Luculle, ſi es aſſenſus Antiocho familiari tuo, tam ſunt defendēda q̃ mœnia: mihi autē bono modo tantum quantum uidebitur. Legi apud Clitomachum, quum Carneades & Stoicus Diogenes ad Senatum in capitolio ſtarent, Aulum Albinum (qui tum P. Scipione, & M. Marcello Coſs. Prætor eſſet) eum, q cum auo tuo Luculle Cōſul fuit, doctum ſanè hominem, ut indicat ipſius hiſtoria ſcripta græce, iocantem dixiſſe Carneadi, Ego tibi Carneade Prætor eē non uideor, quia ſapiēs non ſum: nec hæc urbs, nec in ea ciuitas. Tum ille, Huic Stoico non uideris. Ariſtoteles aut Xenocrates, quos Antiochus ſequi uolebat, non dubitauiſſet quin & Prætor ille eſſet, & Roma urbs, & eam ciuitas incoleret. Sed ille noſter eſt planè, ut ſupra dixi, Stoicus perpauca balbutiens: uos autem mihi ueremini ne labar ad opinionem, & aliquid adſciſcam, & comprobem incognitum, quod minime uultis. Quid conſilij datis? Teſtatur ſæpe Chryſippus tris ſolas eſſe ſententias, quæ defendi poſſint de finibus bonorum: circūcidit & amputat multitudinem. Aut enim honeſtatem eſſe finem, aut uoluptatem, aut utrūq;. Nam qui ſummum bonum dicant id eſſe, ſi uacemus omni moleſtia, eos inuidioſum nomē uoluptatis fugere, ſed in uicinitate uerſari: quod facere eos etiam qui illud idem cum honeſtate coniungerent, nec multo ſecus eos, qui ad honeſtatem prima naturæ commoda adiū gerent. Ita tris relinquit ſentētias, quas putet probabiliter poſſe defendi. Sit ſanè ita, quāquam à Polemonis, & Peripateticorum, & Antiochi finibus nō facile diuellor, nec quidquam habeo adhuc probabilius, ueruntamen uideo quàm ſuauiter uoluptas ſenſibus noſtris blandiatur, laboro ut aſſentiar Epicuro aut Ariſtippo. Reuocat uirtus uel potius reprehendit manu, pecudum illos motus eſſe dicit, hominē iungit Deo. Poſſum eſſe medius, ut quoniā Ariſtippus, quaſi animum nullum habeamus, corpus ſolum tuetur, Zeno quaſi corporis ſimus expertes, animum ſolum complectitur, ut Calliphontem ſequar, cuius quidē ſententiam Carneades ita ſtudioſe defenſitabat, ut eam probare etiam uideretur, q̄q̃ Clitomachus affirmabat, nūquam ſe intelligere potuiſſe quid Carneadi probaretur. Sed ſi ipſum finem uelim ſequi, nonne ipſa ueritas, & grauis & recta ratio mihi obuerſetur? Tu quum honeſtas in uoluptate contēnenda conſiſtat, honeſtatem cum uoluptate, tanq̃ hoīem cū belua

copulabis? Vnum igitur par quod depugnet reliquum eſt, uoluptas cum honeſtate, de quo Chryſippo fuit quantũ ego ſentio, non magna contentio. Alterũ ſi ſequare, multa ruunt, et maxime cõmunitas cum hominũ genere, charitas, amicitia, iuſtitia, reliquæ uirtutes, quarũ eſſe nulla poteſt, niſi erit gratuita. Nam quę uoluptate quaſi mercede aliqua ad officium impellitur, ea nõ eſt uirtus, ſed fallax imitatio, ſimulatioq́ uirtutis. Audi contra illos, qui nomen honeſtatis à ſe ne intelligi quidem dicant: niſi forte quod glorioſum ſit in uulgus, id honeſtum uelimus dicere: fontem omnium bonorũ in corpore eẽ: hãc normam, hanc regulam, hãc præſcriptionem eſſe naturæ. à qua qui aberrauiſſet, eũ nunquã quid in uita ſequeretur habiturum. Nihil igitur me putatis hęc & alia innumerabilia quum audiam moueri? Tam moueor q̃ tu Luculle, nec me minus hominem q̃ te putaueris. Tantum intereſt, quòd tu quum es cõmotus acquieſcis, aſſentiris, approbas, uerum illud certum, comprehenſum, perceptum, ratũ, firmum, fixum fuiſſe uis, deq́ eo nulla ratione, neq́ pelli, neque moueri potes. Ego nihil eiuſmodi eſſe arbitror, cui ſi aſſenſus ſim, non aſſentiar ſæpe falſe, quoniam uera à falſis nullo diſcrimine ſeparantur, preſertim quum iudicia iſta dialecticæ nulla ſint. Venio enim iam ad tertiam partẽ philoſophiæ. Aliud iudicium Protagoræ eſt, qui putet id cuiq́ uerum eſſe quod cuiq́ uideatur. Aliud Cyrenaicorum, qui præter permotiones intimas nihil putant eſſe iudicij. Aliud Epicuri, qui omne iudicium in ſenſibus, & in rerum notitijs, & in uoluptate conſtituit. Plato autem omne iudicium ueritatis, ueritatemq́ ipſam abductam ab opinionibus, & à ſenſibus cogitationis ipſius & mentis eſſe uoluit. Nũquid horum probat noſter Antiochus? Ille uero ne maiorũ quidem ſuorum. Vbi enim aut Xenocratem ſequitur, cuius libri ſunt de ratione loquendi multi, & multum probati? aut ipſum Ariſtotelem, quo profecto nihil eſt acutius, nihil politius? à Chryſippo pedem nunquã. Qui ergo Academici appellamur, an abutimur gloria nominis? Aut cur cogimur eos ſequi, qui inter ſe diſſident? In hoc ipſo quod in elementis Dialectici docent, quomodo iudicare oporteat uerũ falſum ne ſit, ſi quid ita connexum eſt ut hoc: ſi dies eſt, lucet, quanta contentio eſt? Aliter Diodoro, aliter Philoni, Chryſippo aliter placet. Quid cum Cleãthe doctore ſuo, quàm multis rebus Chryſippus diſſidet? Quid duo uel principes Dialecticorum Antipater & Archidemus opinoſiſſimi homines, nonne multis in rebus diſſentiũt? Quid me igitur Luculle in inuidiã, & tanq̃ in concionem uocas? Et quidem ut ſeditioſi Tribuni ſolent, occludi tabernas iubes? Quo enim ſpectat illud, quũ artificia tolli quereris à nobis, niſi ut opifices concitẽtur? Qui ſi undiq́ omnes conuenerint, facile cõtra uos incitabuntur. Expromam primũ illa inuidioſa, quod eos omnes qui in concione ſtabunt exules, ſeruos, inſanos eſſe dicatis: deinde ad illa ueniã, quæ iã non ad multitudinẽ, ſed ad uoſmetipſos q adeſtis pertinent. Negat enim uos Zeno, negat Antiochus ſcire quidq̃. Quomodo inquies? Nos enim defendimus ẽt inſipientem multa comprehendere. At ſcire negatis quẽq̃ rem ullã niſi ſapientẽ. Et hoc quidem Zeno geſtu cõficiebat. Nam quũ extenſis digitis aduerſam manũ oſtenderat, Viſum, inquiebat, huiuſmodi eſt. Deinde quũ paulum digitos contraxerat, Aſſenſus huiuſmodi. Tum quum planè cõpreſſerat, pugnũq́ fecerat, cõprehẽſionẽ illã eẽ dicebat. Qua ex ſimilitudine etiã nomẽ ei rei, quod ante nõ fuerat, κατάληψιν impoſuit.

Quum autem læuam manū admouerat,& illum pugnum arcte uehemēterq́ compreſſerat,ſcientiam talem eſſe dicebat,cuius compotem niſi ſapientē eſſe neminem: ſed qui ſapiens ſit,aut fuerit,ne ipſi quidem ſolēt dicere. Ita tu nūc Catule lucere neſcis,nec tu Hortenſi in tua uilla nos eſſe. Num minus hæc inuidioſe dicuntur? nec tamen nimis eleganter,illa ſubtilius. Sed quo modo tu, ſi comprehēdi nihil poſſet,artificia cōcidere dicebas,nec mihi dabas id quod probabile eſſet,ſatis magnam uim habere ad artes: ſic ego nunc tibi refero artem ſine ſcientia eſſe nō poſſe. An pateretur hoc Zeuxis,aut Phidias,aut Polycletus,nihil ſe ſcire,quum in his eſſet tanta ſolertia? Quod ſi eos docuiſſet aliquis quam uim habere diceretur ſcientia,deſinerent iraſci: ne nobis quidē ſuſcenſerent,quum didiciſſent id tollere nos quod nuſquā eſſet, quod autem ſatis eſſet,ipſis relinquere. Quam rationē maiorum etiam cōprobat diligentia. qui primum iurare ex ſui animi ſententia quenq́ uoluerunt. Deinde ita teneri, ſi ſciens falleret, quòd inſcientia multa uerſaretur in uita. Tum qui teſtimonium diceret, ut arbitrari ſe diceret, etiam quod ipſe uidiſſet: quæq́ iurati iudices cognouiſſent, ut ea non ut eſſe facta, ſed ut uideri pronunciarentur. Verum quoniam non ſolum nauta ſignificat, ſed etiam Fauonius ipſe inſuſurrat nauigandi nobis Luculle tempus eſſe,& quoniam ſatis multa dixi,eſt mihi perorādum. Poſthac tamē quum hæc quæremus, potius de diſſenſionibus tantis ſummorū uirorum diſſeramus: de obſcuritate naturæ,deq́ errore tot philoſophorum,qui de bonis cōtrariȷsq́ rebus tantopere diſcrepant: ut quum plus uno uerum eē nō poſſit,iacere neceſſe ſit tot tam nobiles diſciplinas,q̄ de oculorum ſenſuumq́ reliquorū mendaciȷs,& de ſorite,aut pſeudomeno,quas plagas ipſi cōtra ſe Stoici texuerunt. Tum Lucullus. Non moleſte,inquit,fero nos hæc contuliſſe. Sæpius enim cōgredientes nos,& maxime in Tuſculanis noſtris,ſiquæ uidebuntur requiremus. Optime inquā,ſed quid Catulus ſentit? Quid Hortenſius? Tum Catulus. Ego ne? inquit ad patris reuoluor ſentētiam,quam quidem ille Carneadeam eē dicebat,ut percipi nihil putem poſſe,aſſenſurum autem non percepto,id eſt opinaturum ſapientem exiſtimē,ſed ita ut ſi intelligat ſe opinari,ſciatq́ nihil eſſe
* quod cōprehendi & percipi poſſit,per ἐποχὴν illā oīum rerū cōprobās. illi alteri ſententię,nihil eſſe quod percipi poſſit,uehemēter aſſentior. Habeo inquam ſentētiam tuam,nec eam admodū aſpernor. Sed quid tibi tandem uidetur Hortenſi? Tum ille ridens, tollendum. Teneo te inquam: Nam iſta Academiæ eſt propria ſentētia. Ita ſermone confecto Catulus remanſit, nos ad nauiculas noſtras deſcendimus.
*

M. TVLLII CICERONIS DE FINIBVS BONORVM ET MALORVM AD BRVTVM, LIB. PRIMVS.

NON Eram Neſcius Brute, quum quę ſummis ingenijs, exquiſitaq́ꝫ doctrina philoſophi Græco ſermone tractauiſſent, ea Latinis literis mãdaremus, fore ut hic noſter labor in uarias reprehẽſiones incurreret. Nam quibuſdam & ijs quidem nõ admodum indoctis totũ hoc diſplicet philoſophari. Quidam autem nõ id tam reprehendunt, ſi remiſſius agatur: ſed tantũ ſtudium, tamq́ꝫ multam operam in eo ponendam non arbitrantur. Erunt etiam & hi quidem eruditi Græcis literis, contemnentes Latinas, qui ſe dicant in Grǽcis legendis operam malle conſumere. Poſtremo aliquos futuros ſuſpicor, qui me ad alias literas uocent: genus hoc ſcribẽdi, & ſi ſit elegans, perſonæ tamẽ & dignitatis eſſe negent. contra quos omnes dicendum breuiter exiſtimo. Quãq̃ philoſophiæ quidem uituperatoribus ſatis reſponſum eſt eo libro, quo à nobis philoſophia defenſa & collaudata eſt, quum eẽt accuſata & uituperata ab Hortenſio. Qui liber quum & tibi probatus uideretur, & ijs quos ego poſſe iudicare arbitrarer, plura ſuſcepi, ueritus ne mouere hominũ ſtudia uiderer, retinere nõ poſſem. Qui autem, ſi maxime hoc placeat, moderatius tamẽ id uolunt fieri, difficilem quandam temperantiã poſtulant in eo, quod ſemel iã miſſum coerceri reprimiq́ꝫ non poteſt: ut propemodum iuſtioribus utamur illis, qui omnino auocent à philoſophia, q̃ ijs qui rebus infinitis modum conſtituant, in req́ꝫ eo meliore quo maior ſit, mediocritatem deſiderent. Siue enim ad ſapientiam perueniri poteſt, non paranda nobis ſolum ea, ſed fruenda etiã ſapientia eſt: ſiue hoc difficile eſt, tamen nec modus eſt ullus inueſtigandi ueri, niſi inueneris: & quærendi defatigatio turpis eſt, quum id quod quæritur ſit pulcherrimum. Etenim ſi delectamur quũ ſcribimus, quis eſt tam inuidus, qui ab eo nos abducat? Sin laboramus, quis eſt qui alienæ modum ſtatuat induſtriæ? Nam ut Terentianus Chremes nõ inhumanus, qui nouum uicinum non uult

Fodere, aut arare, aut aliquid ferre deniq́ꝫ.

(Nõ enim illum ab induſtria, ſed ab illiberali labore deterret) ſic iſti curioſi, quos offendit noſter minime nobis iniucundus labor. His igitur eſt difficilius ſatiſfacere, qui ſe Latina ſcripta dicunt cõtemnere: in quibus hoc primum eſt in quo admirer, cur in grauiſſimis rebus non delectet eos patrius ſermo, quum ijdem fabellas Latinas ad uerbũ de Græcis expreſſas non inuiti legãt. Quis enim tam inimicus penè nomini Romano eſt, qui Ennij Medeam, aut Antiopam Pacuuij ſpernat, aut rejiciat? qui ſe ijſdem Euripidis fabulis delectari dicat, Latinas literas oderit? Synephebos ego, inq̃t, potius Cæcilij, aut Andriam Terentij, q̃ utranq́ꝫ Menandri legam? A quibus tãtum diſſentio, ut quum Sophocles uel optime ſcripſerit Electrã, tamẽ male conuerſam Attilij mihi legendam putem: de quo Licinius, ferreum ſcriptorem, uerum opinor ſcriptorem tñ, ut legendus ſit. Rudẽ enim eſſe omnino in noſtris poetis,

aut

aut inertiſſimę ſegnitiæ eſt, aut faſtidij delicatiſſimi. Mihi quidem nulli ſatis eruditi uidētur, quibus noſtra ignota ſunt. At, Vtinam ne in nemore, nihilo minus legimus, q̄ hoc idem Græcum. Quæ autem de bene beateq́ꝫ uiuendo à Platone diſputata ſunt, hæc explicari non placebit latine? Quod ſi nos nō interpretum fungimur munere, ſed tuemur ea quæ dicta ſunt ab ijs, quos probamus, eisq́ꝫ noſtrum iudicium & noſtrum ſcribendi ordinem adiungimus, quid habent cur Græca anteponant his quæ & ſplendide dicta ſunt, neque ſint conuerſa de Græcis? Nam ſi dicerent ab illis omnes res eſſe tractatas, ne ipſos quidem Græcos eſt cur tam multos legant q̄ legēdi ſunt. Quid enim eſt à Chryſippo prætermiſſum in Stoicis? legimus tamen Diogenem, Antipatrum, Mneſarchum, Panætium, multos alios, in primisq́ꝫ familiarem noſtrum Poſidonium. Quid Theophraſtus? mediocriter ne delectat quum tractat locos ab Ariſtotele ante tractatos? Quid epicurei? Nū deſiſtūt de ijſdē, de quibus & ab Epicuro ſcriptum eſt, & ab antiquis ad arbitrium ſuum ſcribere? Quod ſi Græci leguntur à Græcis ijſdem de rebus alia ratione compoſitis, quid eſt cur noſtri à noſtris non legantur? Quanq̄ ſi planè ſic uerterem Platonē aut Ariſtotelem, ut uerterunt noſtri poetæ fabulas, male credo mererer de meis ciuibus, ſi ad eorum cognitionem diuina illa ingenia trāſferrem. Sed id neq́ꝫ feci adhuc, nec mihi tamen ne faciam interdictum puto. locos quidem quoſdam ſi uidebitur transferam, & maxime ab his quos modo nominaui, quum inciderit ut id apte fieri poſſit, ut ab Homero Ennius, Afranius à Menandro ſolet. Nec uero, ut noſter Lucilius, recuſabo, quo minus omnes mea legant. Vtinam ille Perſius, Scipio uero et Rutilius multo etiam magis: quorū ille iudicium reformidans, Tarentinis ait ſe & Conſentinis & Siculis ſcribere facete is quidem, ſicut aliâs, ſed neq́ꝫ tam docti tūc erant ad quorum iudiciū elaboraret: & ſunt illius ſcripta leuiora, ut urbanitas ſumma appareat, doctrina mediocris. Ego autem quē timeam lectorem, quū ad te, ne Græcis quidem cedentem, in philoſophia audeā ſcribere? Quanq̄ à teipſo id quidem facio prouocatus, gratiſſimo mihi libro, quē ad me de uirtute miſiſti. Sed ex eo credo quibuſdam uſu uenire ut abhorreant à Latinis, quod inciderint in inculta quædā & horrida, de malis Græcis latine ſcripta deterius. Quibus aſſentior, dūmodo de eiſdē rebus, ne Græcos quidem legendos putent, res uero bonas uerbis electis grauiter ornateq́ꝫ dictatas q̄s nō legat? niſi qui ſe planè Græcū dici uelit, ut à Scæuola eſt Prætor ſalutatus Athenis Albutius, quē quidē locū cū multa uenuſtate & omni ſale, idē Lucilius, apud quē præclare Scæuola:

Græcum te albuti, q̄ Romanum atq́ꝫ Sabinum
Municipem Ponti, Titi, Anni centurionum
Præclarorum hominum, ac primorum ſigniferumq́ꝫ,
Maluiſti dici. græce ergo Prætor Athenis,
Id quod maluiſti, te quum ad me accedis ſaluto.
χαῖρε inquam Tite lictores turma omnis chorusq́ꝫ,
χαῖρε, hinc hoſtis Muti Albutius, hinc inimicus.

Sed iure Mutius. Ego autem mirari non queo, unde hoc ſit tam inſolens domeſticarum rerum faſtidium. Non eſt omnino hic docendi locus, ſed ita ſentio, & ſæpe diſſerui, Latinam linguam non modo non inopem, ut uulgo putarent, ſed locupletiorem etiam eſſe quàm Græcam. Quando enim nobis uel

dicam,aut oratoribus bonis,aut poetis, poſtea quidem q̄ fuit quem imitarentur,ullus orationis uel copioſæ,uel elegantis ornatus defuit? Ego uero quum foreſibus operis,laboribus,periculis nō deſeruiſſe mihi uideor præſidium in quo à Populo R.locatus ſim,debeo profecto, quantumcunq; poſſim, in eo quoq; elaborare,ut ſint opera ſtudio,labore meo doctiores ciues mei: nec cū iſtis tantopere pugnare,qui Græca legere malint,modo legāt illa ipſa,nec ſimulent,et his ſeruire qui uel utriſq; literis uti uelint,uel ſi ſuas habent,illas nō magnopere deſiderent. Qui autē alia malunt ſcribi à nobis,æqui eſſe debent, quod & ſcripta multa ſunt,ſic ut plura nemini è noſtris,& ſcribentur fortaſſe plura ſi uita ſuppetet: & tamen qui diligenter hæc,quæ de philoſophia literis mādamus,legere aſſueuerit,iudicabit nulla ad legendum his eſſe potiora. Quid eſt enim in uita tātopere quærēdū quàm quum omnia in philoſophia, tum id quod ijs libris quæritur,quis ſit finis,quid extremum, quid ultimum, quo ſint omnia bene uiuendi,recteq; faciendi conſilia referenda: quid ſequatur natura ut ſummum ex rebus expetēdis,quid fugiat ut extremum malorū? Qua de re quum ſit inter doctiſſimos ſumma diſſenſio,quid alienum putem eius eſſe dignitatis,quam mihi quiſq; tribuit,quid omni in munere uitæ optimū & ueriſſimum ſit exquirere? An partus ancillæ ſit ne in fructu habendus diſſeretur inter principes ciuitatis P. Scæuolā,M.q; Manilium: ab hiſq; M. Brutus diſſentiet,quod & acutū genus eſt,& ad uſus ciuiū non inutile,noſq; ea ſcripta reliquaq; eiuſdem generis,& legimus libēter & legemus,hæc quæ uitam cōtinent omnem negliguntur? Nam ut ſint illa uendibiliora,hæc uberiora certe ſunt,quanquā id quidem licebit his exiſtimare qui legerint. Nos autem hāc omnem quæſtionem de finibus bonorū & malorum, ferè à nobis explicatam eſſe his literis arbitramur: in quibus quantum potuimus,nō modo quid nobis probaretur,ſed etiā quid à ſingulis philoſophiæ diſciplinis diceretur perſequuti ſumus. Vt autē à facillimis ordiamur prima ueniat in medium Epicuri ratio,quæ pleriſq; notiſſima eſt,quam à nobis ſic intelliges expoſitam, ut ab ipſis qui eam diſciplinam probant,non ſoleat accuratius explicari: uerū enim inuenire uolumus,nō tāquam aduerſarium aliquem cōuincere. Accurate autē quondam à L. Torquato homine omni doctrina erudito,defenſa eſt Epicuri ſententia de uoluptate: à meq; ei reſpōſum,quū C. Triarius in primis grauis & doctus adoleſcens ei diſputationi intereſſet. Nā quum ad me in Cumanum ſalutandi cauſa uterq; ueniſſet,pauca primo inter nos de literis,quarū ſummum erat in utroq; ſtudium: deinde Torquatus. Quoniam nacti te,inquit,ſumus aliquando ocioſum,certe audiam quid ſit,quod Epicurum noſtrum non quidem tu oderis,ut ferè faciunt qui ab eo diſſentiunt, ſed certe nō probes: eum quē ego arbitror unum uidiſſe uerum,maximiſq; erroribus animos hominum liberauiſſe,& omnia tradidiſſe,quæ pertinent ad bene beateq; uiuendū: ſed exiſtimo te,ſicut noſtrum Triariū,minus eo delectari,quod illa Platonis, Ariſtotelis, Theophraſti orationis ornamenta neglexerit. Nam illuc quidem adduci uix poſſum,ut ea quæ ſenſerit ille,tibi non uera uideantur. Vide quantum inquam fallare Torquate,oratio me iſtius philoſophi non offendit: nam & complectitur uerbis quod uult, & dicit planè quod intelligam: & tamen à philoſopho ſi afferat eloquētiam,non aſperner: ſi non habeat,non admodum flagitem. Re mihi non æque ſatisfecit,& quidem

dē locis pluribus.ſed quot homines tot ſententiæ.falli igitur poſſumus.Quā obrem tandē,inquit nō ſatisfacit? Te enim iudicem æquum puto,modo quæ dicat ille bene noris.Niſi tu Phædrum,inquam,mentitum aut Zenonem putas(quorum utrūq; audiui,quum mihi nihil ſanè præter ſedulitatem probarent.)Omnes mihi Epicuri ſententiæ ſatis notæ ſunt,atq; eos quos nominaui cum Attico noſtro frequenter audiui,quum miraretur ille quidem utrunque,Phædrum autem etiā amaret,quotidieq; inter nos,ea quæ audiebamus, cōferebamus:neq; erat unquam cōtrouerſia quid ego intelligerem, ſed quid probarem.Quid igitur eſt,inquit?audire enim cupio,quid nō probes.Principio inquam in Phyſicis,quibus maximè gloriatur,primū totus eſt alienus. Democrito adijcit perpauca mutās,ſed ita,ut ea,quæ corrigere uult,mihi quidem deprauare uideatur. Ille atomos quas appellat,id eſt corpora indiuidua, propter ſoliditatē,cenſet in īfinito inani,in quo nihil æquè nec ſummum,nec infimum,nec mediū,nec ultimum,nec extremū ſit,ita ferri ut concurſionibus inter ſe cohæreſcant,ex quo efficiantur ea quæ ſint, queq; cernantur omnia, eumq; motum atomorum nullo à principio,ſed ex æterno tempore intelligi cōuenire.Epicurus autem in quibus ſequitur Democritum non ferè labitur. Quanquam utriuſq; quum multa non probo,tum illud in primis,quod quū in rerū natura duo quærēda ſint,unum quæ materia ſit,ex qua quæq; res efficiantur,alterum quæ uis ſit,quæ quidq; efficiat,de materia diſſeruerunt,uim & cauſam efficiendi reliquerunt.Sed hoc cōmune uitium,illæ Epicuri propriæ ruinæ.Cēſet enim eadem illa indiuidua & ſolida corpora ferri ſuo deorſum pōdere ad lineam,hunc naturalem eſſe omnium corporum motū. Deinde ibidē homo acutus,quum illud occurreret,ſi omnia deorſum è regione ferrentur,& ut dixi ad lineā,nunq̄ fore ut atomus altera alteram poſſet attingere:itaq; attulit rem cōmētitiam,declinare dixit atomum perpaulū, quo nihil poſſet fieri minus,ita effici cōplexiones,& copulationes,& adhæſiones atomorum inter ſe,ex quo efficeretur mundus,omnesq; partes mundi quæq; in eo eſſent.Quæ cū res tota ficta ſit pueriliter,tū ne efficit quod uult,nā & ipſa declinatio ad libidinē fingitur.Ait enim declinare atomum ſine cauſa,quo nihil turpius Phyſico,q̄ fieri ſine cauſa quidquid dicere.Et illum motum naturalem omnium ponderum,ut ipſe conſtituit,è regione inferiorem locū petentium,ſine cauſa eripuit atomis,nec tamen id cuius cauſa hæc finxerat aſſequutus eſt:nam ſi omnes atomi declinabūt,nullæ unq̄ cohæreſcent:ſiue aliæ declinabunt,aliæ ſuo nutu recte ferētur, primum erit hoc quaſi prouincias atomis dare,quæ recte,quæ oblique ferantur: deinde eadem illa atomorum, in quo etiam Democritus hæret,turbulenta concurſio,hunc mundi ornatū efficere nō poterit.Ne illud quidem Phyſici,credere aliquid eſſe minimū,quod profecto nunq̄ putauiſſet,ſi à Polyæno familiari ſuo geometriam diſcere maluiſſet,q̄ illum etiā dedocere.Sol Democrito magnus uidetur,quippe homini erudito,in geometriaq; perfecto,huic bipedalis fortaſſe:tantum enim eſſe cenſet quantus uidetur,uel paulo aut maiorem,aut minorem:ita quæ mutat, ea corrūpit.Quæ ſequitur,ſunt tota Democriti,atomi,inane,imagines, quæ idola nominant,quorum incurſione nō ſolū uideamus,ſed etiam cogitemus. Infinitio ipſa,quam ἀπειρίαν uocant,tota ab illo eſt:tum īnumerabiles mūdi, qui & oriantur & intereant quotidie.Quæ & ſi mihi nullo modo probātur,

tamen Democritũ laudatum à cæteris, ab hoc qui eum unum ſequutus eſſet, nollem uituperatum. Iam in altera philoſophiæ parte, quæ eſt quærendi ac diſſerendi, quæ λογικὴ dicitur, iſte ueſter planè, ut mihi quidẽ uidetur, inermis ac nudus eſt: tollit definitiones, nihil de diuidẽdo ac partiẽdo docet: nõ quo modo efficiatur, cõcludaturq́ ratio tradit, non qua uia captioſa ſoluãtur, ambigua diſtinguãtur oſtendit. Iudicia rerum in ſenſibus ponit: quibus ſi ſemel aliquid falſi pro uero probatum ſit, ſublatum eſſe omne iudicium ueri & falſi putat. deeſt non nihil.

Cõfirmat autẽ illud uel maxime, quod ipſa natura, ut ait ille, aſciſcat & reprobet, id eſt uoluptatẽ & dolorẽ. Ad hæc et quæ ſequamur & quæ fugiamus refert omnia. Quod q̃q̃ Ariſtippi eſt, à Cyrenaicisq́ melius uberiusq́ defenditur, tamẽ eiuſmodi eſſe iudico, ut nihil homine uideatur indignius. Ad maiora enim quædam nos natura genuit & cõformauit, ut mihi quidem uidetur: ac fieri poteſt, ut errem, ſed ita ꝓrſus exiſtimo: neq́ eum Torquatũ, qui hoc primus cognomẽ ĩuenerit, aut torquem illum hoſti detraxiſſe, ut aliquam ex eo perciperet corpore uoluptatem, aut cum Latinis tertio Conſulatu cõflixiſſe apud Veſerim ꝓpter uoluptatem. Quod uero ſecuri pcuſſerit filium, priuauiſſe ſe etiã uidetur multis uoluptatibus, quum ipſi naturæ patrioq́ amori prætulerit ius maieſtatis atq́ Imperij. Quid L. Torquatus? is qui Conſul cũ Cn. Octauio fuit, quum illã ſeueritatem in eo filio adhibuit, quem in adoptionem D. Syllano emãcipauerat, ut eũ Macedonũ Legatis accuſantibus, quod pecunias Prætorem in prouincia cepiſſe arguerent, cauſam apud ſe dicere iuberet, req́ ex utraq́ parte audita, pronunciaret eum nõ talem uideri fuiſſe in Imperio, quales eius maiores fuiſſent, & in conſpectum ſuum uenire uetuit? Nunquid tibi uidetur de uoluptatibus ſuis cogitauiſſe? Sed ut omittã pericula, labores, dolorem etiã quem optimus quiſq́ pro patria, et pro ſuis ſuſcipit, ut nõ modo nullã captet, ſed etiã prætereat omnes uoluptates, dolores deniq́ quoſuis ſuſcipere malit q̃ deſerere ullã officij partem, ad ea quę hoc nõ minus declarãt, ſed uidẽtur leuiora ueniamus. Quid tibi Torquate? quid huic Triario literæ? quid hiſtoriæ cognitioq́ rerum? quid poetarum euolutio? quid tãta tot uerſuum memoria uoluptatis affert? Nec mihi illud dixeris. Hæc enim ipſa mihi ſunt uoluptati, & erant illa Torquatis. Nunq̃ hoc ita defendit Epicurus, neq́ uero tu Triari, aut quiſq̃ eorũ, qui aut ſaperet aliquid, aut iſta didiciſſet. Et quod quęritur ſæpe, cur tã multi ſunt Epicurei, ſunt aliæ quoq́ cauſæ: ſed multitudinem hoc maxime allicit, quod ita putat dici ab illo, recta & honeſta quæ ſint, ea facere ipſa ꝑ ſe lætitiã, id eſt uoluptatem. Homines optimi nõ intelligunt totã rationem euerti, ſi ita ſe res habeat. Nam ſi concederetur, etiam ſi ad corpus nihil referatur, iſta ſua ſponte & per ſe eſſe iucũda, per ſe eſſet & uirtus & cognitio rerum, quod minime ille uult, expetẽda. Hæc igitur Epicuri non probo, inquam, de cætero uellem equidem aut ille ipſe doctrinis fuiſſet inſtructior: eſt enim (quod ita tibi uideri neceſſe eſt) nõ ſatis politus his artibus, quas qui tenent, eruditi appellantur: aut ne deterruiſſet alios à ſtudijs. Q̃q̃ te quidem uideo minime eſſe deterritum. Quæ cum dixiſſem, magis ut illũ prouocarem q̃ ut ipſe loquerer, tum Triarius leniter arridens, Tu quidem, inquit, totum Epicurum penè è philoſophorũ choro ſuſtuliſti: quid ei reliquiſti, niſi te quoq́ ut id modo loqueretur, ĩtelligere quid diceret.

Aliena

Aliena dicit in Phyſicis,nec ea ipſa quæ tibi probarentur,ſed ſiquæ in ijs cor rigere uoluit,deteriora fecit:differendi artem nullã habuit: uoluptatem quũ ſummum bonum diceret,primum in eo ipſo parum uidit,deinde hoc quoque alienum:nam ante Ariſtippus,& ille melius.Etenim quaſi detractis de homi ne ſenſibus * addidiſti ad extremum etiam indoctum fuiſſe. Fieri,inquam,o Triari nullo pacto poteſt,ut non dicas quid non probes eius à quo diſſenti- as.Quid enim me prohibet Epicureũ eſſe,ſi probarem quæ ille diceret? quũ preſertim illa perdiſcere ludus eſſet. Quamobrem diſſentientium inter ſe re- prehenſiones non ſunt uituperandæ:maledicta,contumeliæ,tum iracundiæ, contentiones,concertationesq́ in diſputando pertinaces , indignæ philoſo- phia mihi uideri ſolent.Tunc Torquatus,Prorſus ,inquit,aſſentior,neq; enĩ diſputari ſine reprehenſione,nec cum iracundia aut pertinacia recte diſputari poteſt:ſed ad hæc,niſi moleſtum eſt,habeo quæ uelim.At me,inquam,niſi te audire uellem,cenſes hæc dicturum fuiſſe? Vtrum igitur percurri omnẽ Epi- curi diſciplinam placet,an de una uoluptate quæri,de qua omne certamẽ eſt? Tuo uero id quidem,inquam,arbitratu.Sic faciam igitur,inquit , unam rem explicabo,eamq́ maximam,de Phyſicis aliâs,& quidem tibi & declinatio- nem iſtam atomorum,& magnitudinem ſolis probabo, & Democriti errata ab Epicuro reprehenſa & correcta permulta.Nunc dicam de uoluptate , ni- hil ſcilicet noui,ea tamen quæ teipſum probaturum eſſe confidam. Certe , in- quam,pertinax non ero,tibiq́,ſi mihi probabis ea quæ dices, libenter aſſen- tiar.Probabo,inquit,modo iſta ſis ęquitate qua oſtẽdis,ſed uti oratione per- petua malo q̃ interrogare,aut interrogari. Vt placet, inquam. Tunc dicere exorſus eſt.Primũ igitur,inquit,ſic agam,ut ipſi auctori huius diſciplinæ pla cet.Conſtituam quid & quale ſit id de quo quærimus,non quo ignorare uos arbitrer , ſed ut ratione & uia procedat oratio.Quærimus igitur quid ſit ex- tremum,quid ultimum bonorum.Quod omnium philoſophorum ſentẽtia tale debet eſſe,ut ad id omnia referri oporteat,ipſum autem nuſquã.Hoc Epi- curus in uoluptate ponit,quod ſummum bonum eſſe uult,ſummumq́ malum dolorem,idq́ inſtituit docere ſic.Omne animal ſimulatq; natum ſit uolupta- tem appetere,eaq́ gaudere ut ſummo bono:dolorem aſpernari ut ſummum malum,& quantum poſſit à ſe repellere , idq́ facere nondum deprauatum, ipſa natura incorrupte atq; integre iudicante.Itaq; negat opus eſſe ratione, neq; diſputatione,quamobrem uoluptas expetenda,fugiendus dolor ſit.Sen tiri hoc putat,ut calere ignem,niuem eſſe albam,dulce mel,quorũ nihil opor teret exquiſitis rationibus confirmare,tantum ſatis eſſe admonere. Intereſſe enim inter argumentum concluſionemq́ rationis, & inter mediocrem ani- maduerſionem atq; admonitionem:altera occulta quædam & quaſi inuoluta aperiri,altera prompta & aperta indicari.Etenim quoniam detractis de ho- mine ſenſibus reliqui nihil eſt,neceſſe eſt quid aut ad naturam,aut contra ſit, à natura ipſa iudicari.En quid percipit,aut quid iudicat,quo aut petat aut fu- giat aliquid præter uoluptatẽ & dolorẽ? Sunt autẽ quidã è noſtris,qui hæc ſubtilius uelint tradere,& negẽt ſatis eſſe quid bonũ ſit aut quid malũ, ſenſu iudicari,ſed animo etiã ac ratione intelligi poſſe,& uoluptatem ipſam per ſe eſſe expetendam,& dolorem ipſum per ſe eſſe fugiendum.Itaque aiunt hanc quaſi naturalem atq; inſitam in animis noſtris ineſſe notionem,ut alterũ eſſe

appetendum,alterum aſpernandum ſentiamus. Alíj autem quibus ego aſſen-
tior,quum à philoſophis tamen pluribus permulta dicantur,cur nec uoluptas
in bonis ſit numeranda,nec in malis dolor,non exiſtimant oportere nimium
nos cauſę confidere: ſed & argumentandum,& accurate diſſerendum,& ra-
tionibus conquiſitis de uoluptate & dolore diſputandum putant. Sed ut per
ſpiciatis unde omnis iſte natus ſit error uoluptatem accuſantium, doloremq́;
laudantium,totam rem aperiam,eaq́; ipſa,quæ ab illo inuentore ueritatis, &
quaſi architecto beatæ uitæ dicta ſunt,explicabo. Nemo enim ipſam uolupta
tem,quia uoluptas ſit aſpernatur,aut odit,aut fugit,ſed quia conſequãtur ma-
gni dolores eos,qui ratione uoluptatem ſequi neſciunt. Neq; porro quiſquã
eſt,qui dolorem ipſum,quia dolor ſit amet,conſectetur, adipſci uelit,ſed quia
nonnunq̃ eiuſmodi tempora incidunt,ut labore & dolore magnam aliquam
quęrat uoluptatẽ. Vt enim ad minima ueniã,quis noſtrũ exercitationẽ ullam
corporis ſuſcipit laborioſam niſi ut aliquid ex ea cõmodi conſequatur? Quis
autẽ uel eum iure reprehenderit,qui in ea uoluptate uelit eſſe,qua nihil mole-
ſtiæ conſequatur: uel illũ qui dolorem eum fugiat,quo uoluptas nulla paria-
tur? At uero eos & accuſamus,& iuſto odio digniſſimos ducimus,qui blandi
tíjs pręſentiũ uoluptatum deliniti atq; corrupti,quos dolores & quas mole-
ſtias excepturi ſunt occecati cupiditate non prouident: ſimiliq́; ſunt in culpa
qui officia deſerunt mollitia animi,id eſt laborũ & dolorũ fuga. Et harũ qui-
dẽ rerũ facilis eſt & expedita diſtinctio. Nã libero tẽpore, quũ ſoluta nobis
eſt eligẽdi optio,quũq́; nihil impedit quo minus id quod maxime placet fa-
cere poſſimus,omnis uoluptas aſſumenda eſt,omnis dolor depellẽdus. Tem
poribus autẽ quibuſdã,& aut officíjs debitis, aut rerũ neceſſitatibus,ſępe eue
nit ut & uoluptates repudiandæ ſint,& moleſtiæ non recuſãdę. Itaq; earũ re-
rũ hic tenetur à ſapiente delectus,ut aut reíjciẽdis uoluptatibus maiores alias
conſequatur,aut perferendis doloribus aſperiores repellat. Hanc ego quũ te
neã ſententiã,quid eſt cur uerear ne ad eã nõ poſſim accõmodare Torquatos
noſtros? quos tu paulo ante, cũ memoriter, tũ etiã erga nos amice & bene-
uole collegiſti. Nec me tamẽ laudandis maioribus meis corrupiſti,nec ſegnio
rẽ ad reſpõdẽdũ reddidiſti,quorũ facta quemadmodũ quæſo interpretaris?
Siccine eos cenſes,aut in armatũ hoſtẽ impetum feciſſe,aut in liberos,aut in ſã
guinem ſuũ tam crudeles fuiſſe,nihil ut de utilitatibns, nihil ut de commodis
ſuis cogitarent? At id ne feræ quidẽ faciunt,ut ita ruant, atq; turbent,ut earũ
motus & impetus quo pertineãt nõ intelligamus. Tu tã egregios uiros cẽſes
tãtas res geſſiſſe ſine cauſa? Quæ fuerit cauſa mox uidero: interea hoc tenebo,
ſi ob aliquã cauſã iſta quę ſine dubio pręclara ſunt fecerint,uirtutẽ his ipſã per
ſe cauſã nõ fuiſſe. Torquẽ detraxit hoſti,& quidẽ ſe texit ne interiret. At ma-
gnũ periculũ adíjt. In oculis quidẽ exercitus: quid ex eo eſt cõſequutus? Lau
dẽ & caritatẽ,quę ſunt uitæ ſine metu degẽdę præſidia firmiſſima. Filiũ mor
te multauit, ſi ſine cauſa,nollẽ me ab eo ortũ tã importuno tamq́; crudeli: ſin
ut dolore ſuo ſanciret militaris imperíj diſciplinã,exercitumq́; in grauiſſimo
bello animaduerſionis metu contineret,ſaluti proſpexit ciuium,qua intellige
bat contineri ſuam. Atque hæc ratio late patet. In quo enim maxime con-
ſueuit iactare ueſtra ſe oratio,tua preſertim qui ſtudioſe antiqua perſequeris
claris & fortibus uiris commemorandis,eorumq́; factis non emolumento ali

quo,ſed ipſius honeſtatis decore laudādis,id totū euertitur eo delectu rerum
quē modo dixi cōſtituto,ut aut uoluptates omittātur maiorū uoluptatū adi-
piſcēdarum cauſa,aut dolores ſuſcipiātur,maiorū dolorum effugiendorū gra
tia.Sed de clarorum hominum factis illuſtribus & glorioſis,ſatis hoc loco di
ctum ſit:erit enim iam de omniū uirtutū curſu ad uoluptatē proprius diſſerē-
di locus:nunc autē explicabo uoluptas ipſa quę qualiſq; ſit,ut tollatur omnis
error imperitorum,intelligaturq; ea quæ uoluptaria,delicata,mollis, habea-
tur diſciplina,q̃ grauis,q̃ cōtinens,q̃ ſeuera ſit.Non enim hanc ſolā ſequimur,
quæ ſuauitate aliqua naturā ipſam mouet,& cum iucunditate quadā percipi-
tur ſenſibus,ſed maximā illam uoluptatē habemus,quę percipitur omni dolo
re detracto.Nā quoniā quum priuamur dolore,ipſa liberatione & uacuitate
omnis moleſtiæ gaudemus:omne autē id quo gaudemus uoluptas eſt,ut om
ne id quo offendimur dolor,doloris omnis priuatio recte eſt nominata uolu
ptas.Vt enim quum cibo potioneq; fames ſitiſq; depulſa eſt, ipſa detractio
moleſtiæ cōſequutionē affert uoluptatis,ſic in omni re doloris amotio ſucceſ-
ſionē efficit uoluptatis.Itaq; nō placuit Epicuro medium eſſe quiddam inter
dolorē & uoluptatē.Illud enim ipſum quod quibuſdā medium uidetur, quū
omni dolore caret,non modo uoluptatē eſſe,uerū etiā ſummam uoluptatem.
Quiſquis enim ſentit quēadmodum ſit affectus,eū neceſſe eſt aut in uolupta-
te eſſe,aut in dolore.Omni autem priuatione doloris putat Epicurus termi-
nari ſummā uoluptatem,ut poſtea uariari uoluptas diſtinguiq; poſſit,augeri
amplificariq; nō poſſit. At etiā Athenis, ut è patre audiebā,facete & urbane
Stoicos arridēte ſtatua eſt in Ceramico Chryſippi ſedentis, porrecta manu:
quæ manus ſignificet illum in hac eſſe rogatiuncula delectatū,num quidnam
manus tua ſic affecta,quēadmodū affecta nūc eſt,deſiderat? Nihil ſanè. At ſi
uoluptas eſſet bonū,deſideraret? Ita credo.Nō ē igitur uoluptas bonū. Hoc
ne ſtatuā quidē dicturā pater aiebat,ſi loqui poſſet. Cōcluſum eſt enim cōtra
Cyrenaicos ſatis acute,nihil ad Epicurū.Nā ſi ea ſola uoluptas eſſet,quę quaſi
titillaret ſenſus,ut ita dicam,& ad eos cū ſuauitate afflueret,& illaberetur, nec
manus eſſe cōtēta poſſet,ulla uacuitate doloris ſine iucūdo motu uoluptatis.
Sin autē ſumma uoluptas eſt,ut Epicuro placet,nihil dolere, primū tibi recte
Chryſippe cōceſſum eſt,nihil deſiderare manum,quum ita eſſet affecta:ſecun-
dū,nō recte,ſi uoluptas eſſet bonū,fuiſſe deſideraturā.Idcirco enim nō deſi-
deraret,quia quod dolore caret,id in uoluptate eſt.Extremū autē eſſe bono-
rū uoluptatē ex hoc facillime perſpici poteſt.Conſtituamus aliquem magnis
multis perpetuis fruentē & animo & corpore uoluptatibus,nullo dolore nec
impediēte nec impēdēte,quem tandē hoc ſtatu præſtabiliorē aut magis expe
tēdum poſſumus dicere? Ineſſe enim neceſſe eſt in eo,qui ita ſit affectus,& fir
mitatē animi,nec mortē nec dolorē timētis : quod mors ſenſu careat,dolor in
lōginquitate leuis,ī grauitate breuis ſoleat eſſe,ut eius magnitudinē celeritas,
diuturnitatē alleuatio cōſoletur. Ad ea quū accedit,ut neq; diuinū numen hor
reat,nec præteritas uoluptates effluere patiatur,earumq; aſſidua recordatio-
ne lætetur,quid eſt quod huc poſſit quod melius ſit accedere? Statue cōtrà ali
quē cōfectū tātis animi corporiſq; doloribus,quāti in hominē maximi cade-
re poſſūt,nulla ſpe propoſita fore leuius aliquādo, nulla p̄terita, neq; p̄ſenti,
neq; expectata uoluptate,q̄d eo miſerius dici aut fingi pōt? Quod ſi uita do-

loribus referta maxime fugienda eſt,ſummū profecto malū eſt uiuere cū dolore.Cui ſentētiæ cōſentaneum eſt,ultimū eſſe bonorū cū uoluptate uiuere.Nec enim habet noſtra mens quidq̃ ubi conſiſtat,tāquam in extremo,omnesq́ & metus & ægritudines ad dolorē referuntur,nec præterea eſt res ulla quæ ſua natura aut ſolicitare poſſit,aut angere.Præterea & appetendi,& refugiendi, & omnino rerum gerendarum initia proficiſcuntur,aut à uoluptate,aut à dolore:quod quum ita ſit,perſpicuum ē omnes rectas res atq; laudabiles eo referri,ut cum uoluptate uiuatur.Quoniam autem id eſt uel ſummum bonorū, uel ultimum,& extremum,quod Græci τέλος nominant,quod ipſum nullam ad aliam rem,ad id autem res referuntur omnes,fatendū eſt ſummum eſſe bonum iucunde uiuere.Id qui in una uirtute ponunt,& ſplendore nominis capti quid natura poſtulet non intelligunt,errore maximo ſi Epicurum audire uoluerint,liberabuntur.Iſtę enim ueſtræ eximiæ pulchræq; uirtutes,niſi uoluptates efficerent,quis eas aut laudabiles aut expetendas arbitraretur? Vt enim medicorum ſcientiam nō ipſius artis,ſed bonæ ualetudinis cauſa probamus,& gubernatoris ars,quia bene nauigandi rationem habet,utilitate non arte laudatur:ſic ſapientia quæ ars uiuendi putanda eſt,non expeteretur ſi nihil efficeret,nūc expetitur quod eſt tanq̃ artifex conquirēdæ & comparādæ uoluptatis.Quam autē dicam uoluptatem iam uidetis,ne inuidia uerbi labefactetur oratio mea.Nam quum ignoratione rerum bonarum & malarū,maxime hominum uita uexetur,ob eumq́ errorem & uoluptatibus maximis ſæpe priuentur,& grauiſſimis animi doloribus torqueantur,ſapientia eſt adhibenda,quæ & terroribus cupiditatibusq́ detractis,& omnium falſarum opinionum temeritate direpta,certiſſimam ſe nobis ducem præbeat ad uoluptatem.Sapientia enim eſt una,quæ mœſtitiam pellat ex animis,quæ nos exhorreſcere metu non ſinat,qua præceptrice in tranquillitate uiui poteſt,omnium cupiditatum ardore reſtincto.Cupiditates enim ſunt inſatiabiles,quæ nō modo ſingulos homines,ſed uniuerſas familias euertunt,totam etiam labefactāt ſæpe rēp.Ex cupiditatibus,odia,diſſidia,diſcordiæ,ſeditiones,bella naſcunt̄. Nec hæ ſeſe foris ſolū iactāt,nec tātū in alios cęco impetu incurrunt,ſed intus etiā in animis incluſę inter ſe diſſidēt atq; diſcordāt,ex quo uitā amariſſimam neceſſe eſt effici:ut ſapiēs ſolū amputata circūciſaq́ inanitate omni & errore, naturę finibus cōtētus ſine ęgritudine poſſit & ſine metu uiuere.Quæ eſt enī aut utilior,aut ad bene uiuēdum aptior partitio q̃ illa,qua eſt uſus Epicurus? Qui unū genus poſuit earū cupiditatū,quæ eſſent & naturales & neceſſarię: Alterum,quæ naturales eſſent,nec tamen neceſſariæ.Tertium,quæ,nec naturales,nec neceſſariæ.Quarum ea ratio eſt,ut neceſſariæ,nec opera multa nec impenſa expleantur.Ne naturales quidem multa deſiderant,propterea quod ipſa natura diuitias,quibus contenta ſit,& parabiles & terminatas habet.Inaniū autē cupiditatū,nec modus ullus,nec finis inueniri poteſt.Quod ſi uitā omnē perturbari uidemus errore & inſcitia,ſapiētiāq; eſſe ſolā quę nos à libidinū impetu & formidinū terrore uindicet,& ipſius fortunę modice ferre doceat iniurias,& omnes doceat uias quę ad quietē & tranquillitatē ferāt, quid eſt cur dubitemus dicere & ſapientiā propter uoluptatē expetendā,& inſipiētitiā propter moleſtias eſſe fugiendā?Eademq́ ratione ne tēperātiam quidē propter ſe expetendam eſſe dicemus,ſed quia pacem animis afferat,&

eos quaſi cõcordia quadã placet ac leniat. Temperãtia eſt enim quæ in rebus aut expetẽdis aut fugiendis, ut rationem ſequamur monet. Nec enim ſatis eſt iudicare quid faciendũ nõ faciendũue ſit, ſed ſtare etiã oportet in eo quod ſit iudicatũ. Pleriq; autem quod tenere atq; ſeruare id quod ſtatuerunt non poſſunt, uicti & debilitati obiecta ſpecie uoluptatis tradũt ſe libidinibus cõſtringendos, nec quid ꝓuenturũ ſit prouidẽt: ob eamq; cauſam ꝓpter uoluptatẽ et paruã & nõ neceſſariã, et quæ uel aliter pararetur, et qua etiã carere poſſent ſine dolore, tũ in morbos graues, tũ in dãna, tum in dedecora incurrunt, ſæpe etiã legũ iudiciorũq; pœnis obligãtur. Qui autẽ ita frui uolũt uoluptatibus, ut nulli ꝓpter eas dolores cõſequãtur, & qui ſuũ iudiciũ retinẽt ne uoluptate uicti faciãt id quod ſentiũt nõ eſſe faciendũ, hi uoluptatem maximã adipiſcũtur prætermittenda uoluptate. Iidẽ etiã dolorem ſæpe ꝑpetiũtur, ne ſi id non faciãt, incidãt in maiorẽ. Ex quo ĩtelligitur, nec intẽperantiã ꝓpter ſe fugiendã eſſe: temperantiãq; expetendã nõ quia uoluptates fugiat, ſed quia maiores cõſequatur. Eadẽ fortitudinis ratio reperietur. Nã neq; laborum perfunctio, neq; perpeſſio dolorũ per ſe ipſa allicit, nec patiẽtia, nec aſſiduitates, nec uigiliæ, nec ea ipſa quæ laudatur ĩduſtria, ne fortitudo quidem: ſed iſta ſequimur ut ſine cura metuq; uiuamus, animũq; & corpus, quantum efficere poſſimus, moleſtia liberemus. Vt enim mortis metu omnis quietæ uitæ ſtatus ꝑturbatur, & ut ſuccũbere doloribus, eoq; humili animo ĩbecilloq; ferre miſerũ eſt, ob eamq; debilitatem animi multi parentes reliquerunt, multi amicos, nonnulli patriam, pleriq; autem ſeipſos penitus perdiderũt: ſic robuſtus animus & excelſus omni eſt liber cura, & rigore animi etiam mortem cõtemnit: qua qui affecti ſunt, in eadem cauſa ſunt, qua anteq̃ nati: & ad dolores ita paratus eſt, ut meminerit maximos morte finiri, paruos multa habere interualla requietis: mediocriũ nos eſſe dominos, ut ſi tolerabiles ſint feramus: ſin minus, æquo animo è uita (quum ea non placeat) tanquam è theatro exeamus. Quibus rebus intelligitur nec timiditatem ignauiamq; uituperari, nec fortitudinem patientiamq; laudari ſuo nomine: ſed illas reijci quia dolorem pariant, has optari quia uoluptatem. Iuſtitia reſtat ut de omni uirtute ſit dictum, ſed ſimilia ferè dici poſſunt. Vt enim temperantiam, ſapientiam, fortitudinem copulatas eſſe docui cũ uoluptate, ut ab ea nullo modo nec diuelli nec diſtrahi poſſint, ſic de iuſtitia iudicandum eſt: quæ non modo nunquam nocet cuiq̃, ſed contra ſemper alit aliquid tum ui ſua atq; natura quod trãquillet animos, tum ſpe nihil earũ rerum defuturum, quas natura deprauata deſiderat. Quẽadmodum temeritas & libido & ignauia ſemper animum excruciant, & ſemper ſolicitant, turbulentæq; ſunt, ſic cuius in mente conſedit, hoc ipſo quod adeſt, turbulenta non poteſt fieri: & ſi uero molita quippiam eſt, quamuis occulte fecerit, nunq̃ tamen confidet id fore ſemper occultum. Plerunq; improborum facta primo ſuſpitio inſequitur, deinde ſermo, atq; fama, tum accuſator, tum iudex: multi etiam ut te Conſule ipſi ſe indicauerunt. Quod ſi qui ſatis opibus hominum ſibi contra conſcientiam ſepti eſſe & muniti uidentur, deorum tamen horrent, easq; ipſas ſolicitudines, quibus eorum animi noctesq; diesq; exeduntur, à dijs immortalibus ſupplicij cauſa importari ꝑutãt. Quæ autẽ tãta ex improbis factis ad minuendas uitę moleſtias acceſſio fieri poteſt, quanta ad augendas, cum conſcientia factorũ, tum pœna legũ, odioq;

ciuium? Et tamē in quibuſdā neq; pecuniæ modus eſt,neq; honoris,neq; imperij,nec libidinum,nec epularū,nec reliquarū cupiditatū:quas nulla præda unq; improbe parta minuit,ſed auget potius atq; inflāmat,ut coercendi magis q̄ dedocēdi eſſe uideantur. Inuitat igitur uera ratio bene ſanos ad iuſtitiā, æquitatem,fidem:neq; homini infanti aut impotenti iniuſte facta cōducunt, qui nec facile efficere poſſit id quod conetur,nec obtinere ſi effecerit:& opes uel fortunæ uel ingenij liberalitati magis cōueniunt,qua qui utantur beneuolētiam ſibi cōciliant,& quod aptiſſimū eſt ad quiete uiuēdum charitatem: perſertim quū omnino nulla ſit cauſa peccandi. Quæ enim cupiditates à natura ꝓficiſcūtur,facile explētur ſine ulla iniuria:quæ autē inanes ſunt,his parendū nō eſt. Nihil enim deſiderabile cōcupiſcūt,pluſq; in ipſa iniuria detrimēti eſt q̄ in his rebus emolumēti,quæ pariūtur iniuria. Itaq; ne iuſtitiā quidem recte quis dixerit per ſeipſam optabilē:ſed quia iucūditatis uel plurimū afferat. Nā diligi & charū eſſe iucundū eſt,ꝓpterea quia tutiorem uitam, & uoluptatē efficit pleniorē. Itaq; nō ob ea ſolū incōmoda quę eueniūt improbis,fugiēdam improbitatē putamus,ſed multo etiā magis quod cuius in animo uerſatur,nunq̄ ſinit eū reſpirare,nunq̄ acquieſcere. Quod ſi ne ipſarū quidem uirtutū laus,in qua maxime ceterorū philoſophoꝝ exultat oratio, reperire poteſt exitū niſi dirigatur ad uoluptatē:uoluptas aūt eſt ſola,quæ nos uocet ad ſe,et alliciat ſuapte natura,nō poteſt eſſe dubiū,quin id ſit ſummū atq; extremū bonoꝝ omniū:beateq; uiuere nil aliud ſit,niſi cū uoluptate uiuere. Huic certæ ſtabiliq; ſententiæ quæ ſint cōiuncta,explicabo breui. Nullus in ipſis error eſt finibus bonorum & maloꝝ,id eſt,in uoluptate,aut in dolore: ſed in his rebus peccant quū è quibus hæc efficiātur ignorant. Animi autem uoluptates & dolores naſci fatemur è corporis uoluptatibus & doloribus. Itaque cōcedo quod modo dicebas,cadere cauſa,ſi qui è noſtris aliter exiſtiment,quos quidem uideo eſſe multos,ſed imperitos. Quāq̄ autem & lætitiam nobis uoluptas animi,& moleſtiā dolor afferat,eorū tamē utrunque & ortū eſſe è corpore,& ad corpus referri,nec ob eā cauſam non multo maiores eſſe & uoluptates & dolores animi q̄ corporis. Nā corpore nihil niſi præſens,& quod adeſt,ſentire poſſumus:animo autē & p̄terita & futura. Vt enim æque doleamus animo quum corpore dolemus,fieri tamen permagna acceſſio poteſt,ſi aliquid ęternū & infinitū impēdere malum nobis opinemur,quod idē licet trāsferre in uoluptatē,ut ea maior ſit,ſi nihil tale metuamus. Iā illud quidē perſpicuū eſt,maximā animi aut uoluptatē,aut moleſtiā plus aut ad beatā, aut ad miſerā uitā afferre momēti,q̄ eorū utrumuis,ſi æque diu ſit in corpore. Nō placet autē detracta uoluptate ægritudinē ſtatim cōſequi,niſi in uoluptatis locum dolor forte ſucceſſerit. At cōtra gaudere noſmet omittēdis doloribus,etiā ſi uoluptas ea quæ ſenſum moueat nulla ſucceſſerit:eoq; ītelligi pōt quāta uoluptas nō dolere ſit. Sed ut his bonis erigimur,q̄ expectamus,ſic lætamur his quę recordamur. Stulti aūt maloꝝ memoria torquētur, ſapientes bona p̄terita grata recordatione renouata delectāt. Eſt aūt ſitū in nobis,ut et aduerſa,quaſi perpetua obliuione obruamus, & ſecunda iucunde ac ſuauiter meminerimus. Sed quum ea quæ præterierunt, acri animo & attento intuemur,tunc fit ut ægritudo ſequatur,ſi illa mala ſint,lætitia,ſi bona. O præclarā beate uiuēdi,& apertam,& ſimplicem,& directam uiam. Quum enim certe

nihil homini poſſit melius eſſe, q̃ uacare omni dolore & moleſtia, perfruiq́; maximis & animi et corporis uoluptatibus, uidetis'ne q̃ nihil prætermittatur quod uitam adiuuet, quo facilius id quod propoſitum eſt ſummũ bonum cõſequamur? Clamat Epicurus is quem uos nimis uoluptatibus eſſe deditum dicitis, non poſſe iucunde uiui, niſi ſapienter honeſte iuſteq́; uiuatur: nec ſapienter honeſte, iuſte, niſi iucũde. Neq; enim ciuitas in ſeditione poteſt eſſe beata, nec in diſcordia dominorũ domus, quo minus animus à ſe ipſe diſſidens, ſecumq́; diſcordans, guſtare partẽ ullam liquidæ uoluptatis & liberæ poteſt? Atqui pugnantibus & contrarijs ſtudijs conſilijsq́; ſemper utens nihil quieti uidere, nihil trãquilli poteſt. Quod ſi corporis grauioribus morbis uitæ iucunditas impeditur, quãto magis animi morbis impediri neceſſe eſt? Animi autem morbi ſunt cupiditates immenſæ, & ĩmanes diuitiarum, gloriæ, dominationis, libidinoſarum etiam uoluptatum. Accedunt ęgritudines, moleſtiæ, mœrores, qui animos exedunt, conficiuntq́; curis, hominũ nõ intelligentiũ, nihil dolendũ eſſe omnino, quod ſit à dolore corporis pſenti futuroúe ſeiunctũ. Nec uero quiſquã ſtultus nõ horum morborũ aliquo laborat. Nemo igitur eſt nõ miſer. Accedit etiam mors, quæ quaſi ſaxum Tantalo ſemper impẽdet. Tũ ſuperſtitio, qua qui eſt imbutus, quietus eſſe nunquam poteſt. Præterea bona præterita non meminerunt, præſentibus nõ fruuntur, futura modo expectant: quæ quia certa eſſe non poſſunt, conficiuntur & angore, & metu: maximeq́; cruciantur quũ ſero ſentiũt fruſtra ſe aut pecuniæ ſtuduiſſe, aut imperijs, aut opibus, aut gloriæ. Nullas enim cõſequuntur uoluptates, quarum potiendi ſpe inflãmati, multos labores magnosq́; ſuſceperant. Ecce autẽ alij minuti & anguſti, aut omnia ſemper deſperantes, aut malleuoli, inuidi, difficiles, lucifugi, maledici, monſtroſi: alij autẽ etiam amatorijs leuitatibus dediti, alij petulantes: alij audaces, proterui, ijdem intemperantes & ignaui, nunquã in ſententia permanentes, quas ob cauſas in eorum uita nulla eſt intercapedo moleſtiæ. Igitur neq; ſtultorum quiſq̃ beatus, neq; ſapientum non beatus.

Multoq́; hoc melius nos uerius'q́; quàm Stoici. Illi enim negant bonũ quidquã eſſe, niſi neſcio quam illam umbram, quod appellant honeſtum, non tam ſolido q̃ ſplendido nomine. Virtutem autem nixam hoc honeſto, nullã requirere uoluptatem, atq; ad beate uiuendũ ſe ipſa eſſe cõtentam. Sed poſſunt hęc quadam ratione dici, non modo non repugnantibus, uerumetiam approbantibus nobis. Sic enim ab Epicuro ſapiens ſemper beatus inducitur, finitas habet cupiditates, negligit mortem, de dijs ĩmortalibus ſine ullo metu uera ſentit, nõ dubitat ſi ita melius ſit migrare de uita. His rebus ĩſtructus ſemper eſt in uoluptate. Neq; enim tẽpus eſt ullũ quo nõ plus habeat uoluptatũ quàm dolorũ. Nam & præterita grate meminit, & præſentibus ita potitur, ut animaduertat quãta ſint ea, quàmq́; iucũda: neq; pendet ex futuris, ſed expectat illa, fruitur pręſentibus, ab hijsq́; uitijs quę paulo ante collegi, abeſt plurimũ. & quum ſtultorum uitam cum ſua comparat, magna afficitur uoluptate: dolores autem ſi qui incurrũt, nunquam uim tantam habent, ut non plus habeat ſapiens quo gaudeat, q̃ quo angatur. Optime uero Epicurus, quod exiguam dicit fortunam interuenire ſapienti, maximasq́; ab eo & grauiſſimas res cõſilio ipſius & ratione adminiſtrari, nec maiorem uoluptatẽ ex infinito tempore ætatis percipi poſſe, quàm ex hoc percipiatur, quod uideamus eſſe finitũ.

In Dialectica autem ueſtra nullam uim exiſtimauit eſſe, nec ad melius uiuendum, nec ad cõmodius diſſerendum. In Phyſicis quidem plurimum poſuit, ea ſcientia, & uerborum uis, & natura orationis, & conſequentium repugnãtiúmue ratio pteſt perſpici. Omniũ autem rerum natura cognita, leuamur ſuperſtitione, liberamur mortis metu, non conturbamur ignoratione rerum, è qua ipſa horribiles exiſtũt ſæpe formidines. Deniq; etiam morati melius erimus, quum didicerimus, quid natura deſideret. Tum uero ſi ſtabilem ſcientiã rerum tenebimus, ſeruata illa, quæ quaſi delapſa de cœlo eſt ad cognitionem omnium, regula, ad quam omnia iudicia rerum dirigẽtur, nunq̃ ullius oratio ne uicti ſentẽtia deſiſtemus: niſi autem rerum natura perſpecta erit, nullo modo poterimus ſenſuum iudicia defendere. Quidquid porrò animo cernimus, id omne oritur à ſenſibus, qui ſi omnes ueri erunt, ut Epicuri ratio docet, tum deniq; poterit aliquid cognoſci, & recipi. Quos qui tollunt, et nihil poſſe pcipi dicunt, ij remotis ſenſibus, ne idipſum quidem expedire poſſunt quod diſſerunt. Præterea ſublata cognitione & ſcientia, tollitur omnis ratio, & uitæ degendæ, & rerum gerendarum. Sic è Phyſicis & fortitudo ſumitur contra mortis timorem, & cõſtantia contra metum religionis, & ſedatio animi omnium rerum occultarum ignoratione ſublata, & moderatio, natura cupiditatum, generibusq; earum explicatis, & ut modo docui cognitionis regula & iudicio, ab eadem illa conſtituto, ueri à falſo diſtinctio traditur. Reſtat locus huic diſputationi uel maxime neceſſarius de amicitia, quam, ſi uoluptas ſummum ſit bonum, affirmatis nullã omnino fore: de qua Epicurus quidem ita dicit, Omnium rerum quas ad beate uiuẽdum ſapientia cõparauerit, nihil eſſe maius amicitia, nihil uberius, nihil iucundius. Neq; uero hoc oratione ſolum, ſed multo magis uita & moribus comprobauit. Quod q̃ magnum ſit, ſictæ ueterum fabulæ declarant, in quibus tam multis tamq; uarijs ab ultima antiquitate repetitis, tria uix amicorum paria reperiuntur, ut ad Oreſtem peruenias profectus à Theſeo. At uero Epicurus una in domo, & ea quidẽ anguſta, quàm magnos, quãtaq; amoris conſpiratione cõſentientes tenuit amicorum greges? Quod fit etiam nunc ab Epicureis. Sed ad rem redeamns, de omnibus dici non neceſſe eſt. Tribus igitur modis uideo à noſtris de amicitia diſputatum. Alij quum eas uoluptates quæ ad amicos pertinerent, negarent eſſe per ſe ipſas tam expetẽdas, q̃ noſtras expeteremus, quo loco uidetur quibuſdam ſtabilitas amicitiæ uacillare, tuentur tamen eum locum, ſeq; facile, ut mihi uidetur, expediũt. Vt enim uirutes, de quibus ante dictum eſt, ſic amicitiam negant poſſe à uoluptate diſcedere. Nam quũ ſolitudo & uita ſine amicis, inſidiarum & metus plena ſit, ratio ipſa monet amicitias comparare, quibus partis confirmetur animus, & à ſpe pariendarum uoluptatũ ſeiungi non poteſt. Atq; ut odia, inuidiæ, deſpicationes aduerſantur uoluptatibus: ſic amicitiæ non modo fautrices fideliſſimæ, ſed etiam effectrices ſunt uoluptatum tam amicis, q̃ ſibi: quibus non ſolũ præſentibus fruuntur, ſed etiam ſpe erigũtur conſequentis ac poſteri temporis. Quod quia nullo modo ſine amicitia firmam & perpetuam iucunditatẽ uitæ tenere poſſumus, nec uero ipſam amicitiam tueri, niſi ipſi æque amicos & nos metipſos diligamus, idcirco & hoc ipſum efficitur in amicitia, & amicitia cũ uoluptate connectitur. Nã & lætamur amicorũ lætitia æque atq; noſtra, & pariter dolemus angoribus. Quocirca

circa eodem modo ſapiens erit affectus erga amicum,quo in ſeipſum: quosq́ labores propter ſuam uoluptatē ſuſciperet,eoſdem ſuſcipiet ꝓpter amici uoluptatem. Quæq́ de uirtutibus dicta ſunt,quēadmodum hæ ſemꝑ uoluptatibus inhærēt,eadem de amicitia dicēda ſunt. Præclare enim Epicurus his penè uerbis. Eadem,inquit,ſciētia confirmauit animum,ne quod aut ſempiternum aut diuturnū timeret malum,quæ perſpexit in hoc ipſo uitæ ſpatio amicitiæ præſidium eſſe firmiſſimū. Sūt autem quidam Epicurei timidiores paulo contra ueſtra conuicia,ſed tamen ſatis acuti,qui uerentur ne ſi amicitiā propter noſtram uoluptatē expetendam putemus,tota amicitia quaſi claudicare uideatur. Itaq́ primos cōgreſſus,copulationesq́ cōſuetudinem inſtituendarum amicitiarum,fieri propter uoluptatem: quum autem uſus progrediēs familiaritatem effecerit,tum amorem efflorescere tātum,ut etiam ſi nulla ſit utilitas ex amicitia,tñ̄ ipſi amici pp ſeipſos ament. Etenim ſi loca,ſi phana, ſi urbes,ſi gymnaſia,ſi campū,ſi canes,ſi equos,ſi ludicra exercēdi, aut uenādi, cōſuetudine adamare ſolemus,quāto id in hominū cōſuetudine facilius fieri poterit & iuſtius? Sunt autem qui dicant fœdus quoddam eſſe ſapientum, ut ne minus amicos quidem q̄ ſeipſos diligant. Quod & fieri poſſe intelligimus, & ſæpe id fieri uidemus, & perſpicuum eſt,nihil ad iucūde uiuendum reperiri poſſe,quod cōiūctione tali ſit aptius. Quibus ex omnibus iudicari poteſt, nō modo non impediri rationem amicitiæ,ſi ſummum bonum in uoluptate ponatur,ſed ſine hoc,inſtitutiōem amicitiæ omnino nō poſſe reperiri. Quapropter ſi ea quę dixi ſole ipſo illuſtriora & clariora ſūt,ſi omnia dixi hauſta è fonte naturæ,ſi tota oratio noſtra omnē ſibi fidem ſenſibus cōfirmat, id eſt incorruptis atq́ integris teſtibus: ſi infantes pueri,mutæ etiam beſtiæ penè loquuntur magiſtra ac duce natura,nihil eſſe proſperum niſi uoluptatē, nihil improſperum niſi dolorem,de quibus neq́ deprauate iudicāt,neq́ corrupte, non ne ei maximam gratiā habere debemus,qui hac exaudita quaſi uoce naturæ,ſic eam firme grauiterq́ comprehenderit,ut omnes bene ſanos in uiam placatæ,tranquillæ,quietæ,beatæ uitæ deduceret? Qui quod tibi parum uidetur eruditus,ea cauſa eſt,quod nullam eruditionem eſſe duxit,niſi quæ beatæ uitæ diſciplinam iuuaret. An ille tempus aut in poetis euoluendis (ut ego & Triarius te hortatore fecimus) cōſumeret,in quibus nulla ſolida utilitas, omniſq́ puerilis eſt delectatio? aut ſe,ut Plato in muſicis, geometria, numeris,aſtris cōtereret,quæ & à falſis initijs profecta uera eſſe nō poſſunt: & ſi eſſent uera,nihil afferrēt quo iucūdius,id eſt,quo melius uiueremus? Eas ergo artes perſequeretur,uiuendi artem tantam,tamq́ operoſam, & perinde fructuoſam relinqueret? Non ergo Epicurus ineruditus,ſed ij indocti q q̄ pueros nō didiciſſe turpe eſt,ea putant uſq́ ad ſenectutē eſſe diſcenda. Quæ quū dixiſſet, Explicaui,inquit,ſententiam meam, & eo quidem conſilio, tuum iudicium ut cognoſcerem: quæ mihi facultas,ut id meo arbitratu facerem, ante hoc tempus nunquam eſt data. FINIS.

M. TVLLII CICERONIS DE FINIBVS BONORVM ET MALORVM AD BRVTVM, LIBER II.

HIc quum uterq; me intueretur, ſeſeq; ad audiendū ſignificarent paratos. Primū inquam deprecor, ne me tanq̄ philoſophum putetis ſcholam uobis aliquam explicaturum, quod ne in ipſis quidem philoſophis magnopere unq̄ probaui. Quādo enim Socrates qui parens philoſophiæ iure dici poteſt, quidquam tale fecit? Eorum erat iſte mos, qui tunc ſophiſtæ nominabantur. Quorū è numero primus eſt auſus Leontinus Gorgias in cōuētu poſcere quæſtionem, id eſt iubere dicere, qua de re quis uellet audire. Audax negocium dicerem, & impudens, niſi hoc inſtitutum poſtea tranſlatū ad philoſophos noſtros eſſet. Sed & illum quē nominaui, & ceteros ſophiſtas, ut è Platone intelligi pōt, luſos uidemus à Socrate. Is enim percontādo atq; interrogando elicere ſolebat eorū opiniones, quibuſcum diſſerebat, ut ad ea quæ hi reſpōdiſſent, ſiquid uideret̄, diceret. Qui mos quum à poſterioribus non eſſet retētus, Archeſilas eū reuocauit, inſtituitq; ut hi qui ſe audire uellēt, nō de ſe quærerent, ſed ipſi dicerent, quid ſentirent. Quod quum dixiſſent, ille cōtra: ſed qui audiebant quoad poterant, defendebant ſentētiam ſuā: apud ceteros autem philoſophos, qui quęſiuit aliquid tacet, quod quidē iam fit etiā in Academia. Vbi enim is qui audire uult, ita dixit, uoluptas mihi uidetur eē ſummū bonum, perpetua oratione cōtra diſputatur, ut facile intelligi poſſit, eos qui aliquid ſibi uideri dicant, nō ipſos in ea ſententia eſſe, ſed audire uelle cōtraria. Nos cōmodius agimus, nō enim ſolum Torquatus dixit quid ſentiret, ſed etiam cur. Ego aūt arbitror, q̄q̄ admodum delectatus ſum eius oratione perpetua, tamē commodius quū in rebus ſingulis inſiſtas, & intelligas quid quiſq; cōcedat, quid abnuat, ex rebus cōceſſis cōcludi quod uelis, & ad exitum perueniri. Quum enim fertur quaſi torrens oratio, quāuis multa cuiuſq; modi rapiat, nihil tamē teneas, nihil apprehendas, nuſquā orationem rapidam coerceas. Omnis autem in quærendo, quæ uia quadā & ratione habetur oratio, præſcribere primū debet, ut quibuſdam in formulis ea res agatur, ut inter quos diſſeritur, cōueniat quid ſit id, de quo diſſeratur. Hoc poſitū in Phædro à Platone probauit Epicurus, ſenſitq; in omni diſputatione id fieri oportere. Sed quod proximum fuit, non uidit. Negat enim definiri rem placere, ſine qua fieri interdum non poteſt, ut inter eos qui ambigunt conueniat quid ſit id de quo agatur, uelut in hoc ipſo de quo nunc diſputamus. Quærimus enim finem bonorū, poſſumuſ' ne ſcire hoc quale ſit, niſi cōtulerimus inter nos quum finem bonorū dixerimus, quid finis, quid etiā ſit ipſum bonū? Atqui hæc patefactio quaſi rerū opertarum, quum quid, quidq; ſit aperit̄, definitio eſt, qua tu etiā imprudens utebare nonnunq̄. Nā hunc ipſum ſiue finē, ſiue extremum, ſiue ultimū definiebas id eſſe, quò omnia quæ recte fierent, referrentur, neq; id ipſum uſq̄ referretur. Præclare hoc q̄dem, bonū ipſum etiā quid eſſet fortaſſe, ſi opus fuiſſet, definiſſes: aut quod eēt natura appetēdum

aut quod

aut quod prodeſſet,aut quod iuuaret,aut quod liberet:modo idē(niſi moleſtum eſt)qm̄ tibi nō omnino diſplicet definire,& id facis quū uis,uelim definire quid ſit uoluptas,de quo hęc omnis quęſtio ē. Quiſq̄ ſit,inquit, qui, qd ſit uoluptas neſciat?aut qui quo magis id intelligat,definitionem aliquā deſideret? Me ipſum eſſe dicerem,inquam,niſi mihi uiderer habere bene cognitā uoluptatem,& ſatis firme cōceptam animo atq; cōprehenſam:nūc autem dico ipſum Epicurū neſcire,& in eo nutare,eumq́; qui crebro dicat, diligenter oportere exprimi quæ uis ſubiecta ſit uocibus,non intelligere interdū qd ſonet hæc uox uoluptatis,id eſt,quæ uis huic uoci ſubĳciatur. Tū ille ridēs, hoc uero,inquit,optimū,ut is qui finem rerū expetendarū uoluptatem eſſe dicat, id extremū,id ultimū bonorum,idipſum quid ſit quale ſit neſciat. Atq;,inq̄, aut Epicurus quid ſit uoluptas,aut omnes mortales qui ubiq; ſunt, neſciunt. Quonam,inquit,modo? Quia uoluptatem hanc eſſe ſentiūt omnes,quā ſenſus accipiens mouetur,et iucūditate quadam perfunditur. Quid ergo,inquit, iſtam uoluptatem Epicurus ignorat? Non ſemper,inquā,nam interdū nimis etiam nouit:quippe qui teſtificetur,ne intelligere quidem ſe poſſe ubi ſit, aut quod ſit ullum bonū præter illud quod cibo,& potione,et auriū delectatiōe, & obſcœna uoluptate capiatur. An hæc ab eo non dicūtur? Quaſi me pudeat,inquit,iſtorū,aut non poſſim quemadmodū ea dicantur oſtēdere. Ego uero non dubito,inquam,quin facile poſſis,nec eſt quod te pudeat ſapiēti aſſentiri,qui ſe unus quod ſciam ſapientem profiteri ſit auſus. Nam Metrodorum non putant ipſum profeſſum,ſed quū appellaret̄ ab Epicuro,repudiare tantum beneficiū noluiſſe. Septem autem illi non ſuo ſed populorū ſuffragio omniū nominati ſunt. Verum hoc loco ſumo,uerbis his eandem certe uim uoluptatis Epicurū noſſe quam ceteros. Omnes enim iucūdum motū quo ſenſus hilaretur,græce ἡδονὴν,latine uoluptatem uocāt. Quid eſt igitur,inquit,quod requiras? Dicam,inquam,& quidem diſcendi cauſa magis,q̄ quo te aut Epicurū reprehenſum uelim. Ego quoq;,inquit,didicerim libentius,ſi quid attuleris,q̄ te reprehēderim. Tenes'ne igitur,inquam,Hieronymus Rhodius qd dicat eſſe ſummū bonum,quò putet omnia referri oportere? Teneo, inquit, finem illi uideri nihil dolere. Quid? idem iſte de uoluptate,quid ſentit? Negat eſſe eam,inquit,propter ſeipſam expetendam. Aliud igitur eē cenſet, gaudere,aliud non dolere. Et quidem,inquit,uehementer errat:nam ut paulò ante docui,augendæ uoluptatis finis eſt,doloris omnis amotio. Non dolere inquam iſtud,quam uim habeat,poſtea uidero:aliam uero uim uoluptatis eſſe, aliam nihil dolendi,niſi ualde pertinax fueris,concedas neceſſe eſt. Atqui reperies,inquit,in hoc quidem pertinacē. Dici enim nihil poteſt uerius. Eſtne quæſo inquam ſitienti in bibendo uoluptas? Quis iſtud,inquit,poſſet negare? Eadem'ne inquam quæ reſtincta ſiti? Immo alio genere: reſtincta enim ſitis ſtabilitatem uoluptatis habet,inquit,illa autē uoluptas ipſius reſtinctionis in motu eſt. Cur igitur,inquā,res tam diſſimiles eodē nomine appellas? Quid paulo ante,inquit,dixerim,non'ne meminiſti,quū omnis dolor detractus eſſet,uariari,non augeri uoluptatem? Memini uero,inquam,ſed tu iſtuc dixti bene latine,parū planè:uarietas enim latinum uerbum eſt,idq́; proprie quidem in diſparibus coloribus dicitur,ſed transfertur in multa diſparia,uarium poema,uaria oratio,uarĳ mores,uaria fortuna: uoluptas etiā uaria dici

ſolet, quum percipitur è multis diſſimilibus rebus diſſimiliter efficiētibus uoluptates. Eam ſi uarietatem diceres intelligerem, ut etiā non dicente te intelligo. Iſta uarietas quæ ſit nō ſatis perſpicio, quod ais quum dolore careamus, tum in ſumma uoluptate nos eſſe: quum autem ueſcamur his rebus, quæ dulcem motū afferant ſenſibus, tum eſſe in motu uoluptatem quæ faciat uarietatem uoluptatum, ſed non augeri illam non dolendi uoluptatem, quā cur uoluptatem appelles neſcio. An poteſt ille, inquit, quidquā eſſe ſuauius q̄ nihil dolere? Imò ſit ſanè nihil melius inquam (nondum enim id quæro) num propterea idem uoluptas eſt, quod (ut ita dicā) indolētia? Planè idem, inquit, & maxima quidem, qua fieri nulla maior poteſt. Quid dubitas igitur, inquam, ſummo bono à te ita cōſtituto, ut id totū in nō dolendo ſit, id tenere unum, id tueri, id defendere? Quid enim neceſſe eſt tanq̄ meretricem in matronarū cœtum, ſic uoluptatem in uirtutum cōcilium adducere? Sed inuidioſum nomen eſt, & infamiæ ſubiectū. Itaq; hoc frequenter dici ſolet à uobis, non intelligēre nos quam dicat Epicurus uoluptatem: quod quidem mihi ſiquādo dictum eſt, eſt autem dictum nō parum ſępe, & ſi ſatis clemens ſum in diſputando, tn̄ interdū ſoleo ſubiraſci. Ego'ne non intelligo quid ſit ἡδονὴ græce, latine uoluptas? Vtram tādem linguā neſcio? deinde qui ſit, ut ego neſciam, ſciāt omnes quicunq; Epicurei eſſe uoluerunt? quod ueſtri quidem uel optime diſputant, nihil opus eſſe eum, qui philoſophus futurus ſit, ſcire literas. Itaq; ut maiores noſtri ab aratro abduxerūt, Cincinnatum illum, ut Dictator eſſet: ſic uos de Pelaſgis omnibus colligitis, bonos illos quidē uiros, ſed certe non pereruditos. Ergo illi intelligunt quid Epicurus dicat, ego non intelligo? Vt ſcias me intelligere, primum idem eſſe dico uoluptatem quod ille ἡδονήν. Et quidem ſæpe quærimus uerbum latinum par græco, & quod idem ualeat, hic nihil fuit quod quæreremus. Nullum inueniri poteſt, quod magis idem declaret latine, quod græce, quàm declarat uoluptas. Huic uerbo omnes, qui ubique ſunt, qui latine ſciunt, duas res ſubijciunt, lætitiam in animo, commotionem ſuauem iucunditatis in corpore. Nam & ille apud Trabeam, uoluptatē animi nimiā, lætitiam dicit, eandem quā ille Cecilianus, qui omnibus lætitijs lætum eſſe ſe narrat. Sed hoc intereſt, quod uoluptas dicitur etiā in animo uitioſa res, ut Stoici putant: qui eam ſic definiūt, Sublationem animi ſine rōne, opinātis ſe magno bono frui: nō dicitur lætitia neq; gaudium in corpore. In eo autem uoluptas omnium latine loquentium more ponitur, quum percipitur ea quæ ſenſum aliquem moueat iucunditas. Hanc quoq; iucunditatem ſi uis tranſfer in animum: iuuare enim in utroq; dicitur, ex eoq; iucundum, modo intelligas inter illum qui dicat,

Tanta lætitia auctus ſum ut nihil conſtet: & eum qui,
Nunc demum mihi animus ardet:

quorum alter lætitia geſtiat, alter dolore crucietur, eſſe illum medium,

Quanq̄ hæc inter nos nuper notitia admodum eſt,

qui nec lætetr nec angatur. Iteq; inter eum qui potiatur expetitis corporis uoluptatibus, & eum qui crucietr ſummis doloribus, eſſe eum, qui utroq; careat. Satis'ne igitur uideor uim uerborū tenere? An ſum etiā nunc uel græce loqui, uel latine docendus? & tamen uide ne ſi ego nō intelligā q̄d Epicurus loquatur, quum græce, ut uideor, luculenter ſciā, ſit aliqua culpa eius q ita loquatr ut

non

non intelligatur. Quod duobus modis ſine reprehenſione fit. Si aũt de induſtria facias, ut Heraclitus cognomẽto qui σκοτεινὸς perhibetur, quia de natura nimis obſcure memorauit: aut quũ rerũ obſcuritas non uerborũ facit ut non intelligatᷣ oratio, qualis eſt in Timæo Platonis. Epicurus aũt, ut opinor, nec non uult ſi poſſit planè & aperte loqui, nec de re obſcura ut Phyſici, aut artificioſa ut Mathematici, ſed de illuſtri & facili ẽt in uulgus ꝓmulgata loquitur. Quãꝗ nõ negatis nos ĩtelligere qd ſit uoluptas, ſed qd ille dicat. Ex quo efficitᷣ nõ ut nos nõ intelligamus ꝗ uis ſit iſtius uerbi, ſed ut ille ſuo more loquatᷣ, noſtrũ negligat. Si enim idẽ dicit quod Hieronymus, qui cenſet ſũmũ bonũ eſſe ſine ulla moleſtia uiuere, cur mauult dicere uoluptatem ꝗ uacuitatẽ doloris? ut ille facit, qui quid dicat, intelligit. Sin aũt uoluptatẽ putat, dicat adiungendam eam, quæ ſit in motu. Sic enim appellat hanc dulcem in motu, illam nihil dolentis in ſtabilitate. Quid tendit quũ efficere nõ poſſit, ut cuiꝗ qui ipſe notus ſibi ſit, hoc eſt qui ſuã naturam ſenſumꝗ perſpexerit, uacuitas doloris & uoluptas idem eſſe uideatᷣ? hoc eſt uim afferre Torquate ſenſibus, extorquere ex animis cognitiones uerborũ, quibus imbuti ſumus. Quis enim eſt qui nõ uideat hæc eſſe in natura rerũ tria, unũ quum in uoluptate ſumus, alterũ quum in dolore, tertiũ hoc in quo nunc quidẽ ſumus? Credo quidem uos nec in dolore, nec in uoluptate eſſe, quũ in uoluptate ſint qui epulentᷣ, in dolore qui torqueantur. Tu aũt inter hęc tantam multitudinem hominum interiectam non uides, nec lætantiũ nec dolentium? Non prorſus, inquit. Omnẽꝗ qui ſine dolore ſit, in uoluptate, & ea quidem ſumma eſſe. Dico ergo in eadẽ uoluptate eum qui alteri miſceat mulſum, ipſe non ſitiens & eum qui illud ſitiens bibat. Tum ille, Finem, inquit, interrogandi ſi uidetur, quod quidẽ ego à principio ita me malle dixeram, hoc ipſum prouidens dialecticas captiões. Rhetorice igitur inꝗ, nos mauis ꝗ dialectice diſputare. Quaſi uero, inquit, ꝑpetua oratio Rhetorũ ſolum non etiam philoſophorũ ſit. Zenonis eſt inquã hoc Stoici, omnem uim loquendi, ut iam ante Ariſtoteles, in duas tributã eẽ partes dicere: rhetoricam palmæ, dialecticam pugno ſimilem eſſe dicebat, qđ latius loquerẽtur Rhetores, Dialectici autem compreſſius. Obſequar igitur uoluntati tuæ, dicamꝗ ſi potero rhetorice. Sed hæc rhetorica philoſophorũ, non noſtra illa forenſi, quã neceſſe eſt quũ populariter loquatur eſſe interdũ paulo hebetiorem. Sed dum dialecticam Torquate cõtemnit Epicurus, quæ una continet omnem & perſpiciendi quid in quaꝗ re ſit, ſcientiã, & iudicandi quale quidꝗ ſit, & ratione & uia diſputandi ruit in dicendo, ut mihi quidẽ uidetur, nec ea ꝗ docet, uult ulla arte diſtingui, ut hæc ipſa, quæ modo loquebamur. Summũ à uobis bonum uoluptas dicitur, aperiẽdum eſt igitᷣ quid ſit uoluptas (aliter enim explicari quod quæritur non poteſt) quam ſi explicauiſſet, non tam hæſitaret. Aut enim eam uoluptatem tueretᷣ, quam Ariſtippus, id eſt qua ſenſus dulciter ac iucunde mouetᷣ, quam etiam pecudes ſi loqui poſſent, appellarent uoluptatem: aut ſi magis placeret ſuo more loqui ꝗ ut

Omnes Danai aut Mycenenſes, Attica pubes,

reliquiꝗ Græci, qui hoc anapęſto citantur, hoc non dolere ſolum uoluptatis nomine appellaret, illud Ariſtippeum contemneret: aut ſi utrunꝗ probaret aut probat, cõiungeret doloris uacuitatem cum uoluptate, & duobus ultimis uteretur. Multi enim & magni philoſophi, hæc ultima bonorum iuncta ſe

cerunt,ut Ariſtoteles,qui uirtutis uſum cum uitæ perfectæ proſperitate con-
iunxit.Callipho adiunxit ad honeſtatem uoluptatem.Diodotus ad eandem
honeſtatem adijcit uacuitatem doloris.Idem feciſſet Epicurus ſi ſententiam
hanc,quæ nūc Hieronymi eſt coniunxiſſet cum Ariſtippi uetere ſentētia.Illi
enim inter ſe diſſentiunt,propterea ſingulis finibus utuntur: & quū uterque
græce egregie loquatur,nec Ariſtippus,qui uoluptatem ſummū bonum di-
cit,in uoluptate ponit non dolere:neq; Hieronymus,qui ſummum bonū ſta-
tuit nō dolere,uoluptatis nomine unquā utitur pro illa indolētia,quippe qui
ne in expetendis quidem rebus numeret uoluptatem.Duæ ſunt.n.res quoq;,
ne tu uerba ſolum putes,unū eſt ſine dolore eſſe,alterum cum uoluptate. Vos
ex his tam diſſimilibus rebus nō modo nomen unum,(nam id facilius pate-
rer) ſed etiam rem unam ex duabus facere conamini, quod fieri nullo modo
poteſt.Hic qui utranq; probat,ambobus debuit uti ſicut facit,remq; tamē di
uidit uerbis.Quū enim ipſam eā uoluptatē,quā eodem nomine oēs appella-
mus,laudat locis plurimis,audet dicere,ne ſuſpicari quidē ſe ullū bonū ſeiun
ctum ab illo Ariſtippeo genere uoluptatis.Atq; ibi hoc dicit,ubi omnis eius
oratio eſt de ſūmo bono:in alio uero libro,in quo breuiter cōprehenſis gra-
uiſſimis ſententijs,quaſi oracula edidiſſe ſapientiæ dicitur, ſcribit his uerbis
quæ nota profecto Torquate tibi ſunt.Quis enim ueſtrū nō edidicit Epicu
ri κυρίασ δόξασ,id eſt maxime ratas? quia grauiſſimæ ſunt ad beate uiuendum
" breuiter enūciatæ ſentētiæ.Animaduerte igit̃ rectè'ne hāc ſnĩam interpreter.
" Si ea quæ ſunt luxurioſis efficientia uoluptatū,liberarent eos deorū & mor-
" tis & doloris metu,docerētq; qui eſſent fines cupiditatū,nihil hæreremus,cū
" undiq; cōplerentur uoluptatibus,nec haberent ulla ex parte aliquid aut do-
" lens aut ægrū,id eſt aut malū. Hoc loco tenere ſe Triarius nō potuit.Obſe
cro,inquit,Torquate,hæc dicit Epicurus? Quod mihi quidē uiſus eſt quum
ſciret,uelle tamē confitentē audire Torquatū.At ille non pertimuit,ſaneq; fi
denter,iſtis quidem ipſis uerbis,inquit,ſed quid ſentiat,nō uidetis.Si alia ſen
tit,inquam,alia loquitur,nunq̃ intelligam quid ſentiat:ſed planè dicit qđ in-
telligā,idq; ſi ita dicit,non eſſe reprehendendos luxurioſos,ſi ſapiētes ſint,di
cit abſurde:ſimiliter & ſi dicat nō reprehendendos parricidas,ſi neq; cupidi
ſint,nec deos metuant,nec mortē nec dolorē,& tñ quid attinet luxurioſis ul-
lam exceptionē dari,aut fingere aliquos,qui quū luxurioſe uiuerēt, à ſummo
philoſopho nō reprehenderent̃ eo nomine dūtaxat, cetera cauerēt? ſed tamē
non'ne reprehenderes Epicure luxurioſos ob eā ipſam cām,quod ita uiuerēt,
ut perſequerent̃ cuiuſq; modi uoluptates? quū eſſet preſertim,ut ais tu, ſūma
uoluptas nihil dolere.Atqui reperiemus aſotos,primū ita non religioſos, ut
edant de patella,deinde ita mortē non timentes,ut illud in ore habeāt, ex Hy
mnide, Mihi ſex menſes ſatis ſunt uitę,ſeptimū orco ſpōdeo. Iā doloris
medicamenta illa Epicurea,tanq̃ de narthecio promant:ſi grauis,breuis,ſi lō
gus leuis.Vnum neſcio,quomodo poſſit ſi luxurioſus ſit,finitas cupiditates
habere.Quid ergo attinet dicere,nihil haberem quod reprehēderē, ſi finitas
cupiditates haberent? Hoc eſt dicere,nō reprehenderem aſotos,ſi non eſſent
aſoti.Iſto modo ne improbos quidem,ſi eſſent boni uiri. Hic homo ſeuerus
luxuriam per ſeipſam reprendendam non putat.Et hercule Torquate,ut ue-
rum loquamur, ſi ſummū bonum uoluptas eſt,rectiſſime non putat. Nolim

enim

enim mihi fingere aſotos,ut ſoletis,qui in menſam uomant,et qui de cõuiuijs
auferantur,crudiq́ꝫ poſtridie ſe rurſus ingurgitent,qui ſolem,ut aiunt,neque
occidentem unq̃ uiderint nec orientem,qui cõſumptis patrimonijs egeãt.Ne
mo noſtrũ iſtius generis aſotos iucũde putat uiuere,mundos,elegantes,opti-
* mis cocis,piſtoribus,piſcatu,aucupio,uenatiõe,his omnibus exquiſitis uitan
tis cruditatem,quibus uinum diffuſum è pleno ſit hirſiphon, ut ait Lucilius,
cui nihil dum ſit,ius & ſarculos abſtulerit,adhibentis ludos,& quæ ſequun-
tur illa,quibus detractis clamat Epicurus,ſe neſcire quid ſit bonum . Adſint
* ẽt formoſi pueri,q miniſtrent,reſplendeat ijs ueſtis,argẽtũ,odrilitiũ locus ip
ſe,ædificium.Hos ego aſotos bene quidem uiuere aut beate nunquam dixe-
rim.Ex quo efficitur,non ut uoluptas ne ſit uoluptas,ſed ut uoluptas non ſit
ſummũ bonum.Nec ille qui Diogenem Stoicum adoleſcens,poſt autem Pa
nætium audierat Lælius,eo dictus eſt ſapiens,quod nõ intelligeret quid ſua-
uiſſimum eſſet,nec enim ſequitur,ut cui cor ſapiat,ei nõ ſapiat palatus,ſed q̃a
parui id duceret.

O Lapathe ut iactare neceſſe eſt,cognitus cui ſis
In quo Læliu' clamores,ſophos ille ſolebat
Edere,compellans gumas ex ordine noſtros
Lælius præclare,& recte ſophos illudq́ꝫ uere:
O Publi,o gurges,Galloni es homo miſer,inquit,
Cenaſti in uita nunq̃ bene,quum omnia in iſto
Conſumis,ſquilla,atq́ꝫ acipenſere cum decumano.

Is hæc loquitur qui in uoluptate nihil ponens,negat eũ bene cenare, qui
omnia ponat in uoluptate,& tamẽ nõ negat libenter unq́ꝫ cenaſſe Galloniũ
(mentiretur enim)ſed bene,ita grauiter & ſeuere uoluptatẽ ſecernit à bono.
Ex quo illud efficitur,qui bene cenent, omnis libenter cenare : qui libenter,
nõ continuo bene.Semper Lęlius bene.Quid bene? dicet Lucilius, horto cõ
dito.ſed cedo caput cenæ, ſermone bono.quid ex eo,ſequit̃ is,libenter: uenie
bat.n.ad cenã,ut ſatiaret animo quieto deſideria naturæ. Recte ergo is negat
unq̃ bene cenaſſe Galloniũ,recte miſerũ,quum preſertim in eo omne ſtudiũ
cõſumeret,quẽ libẽter cenaſſe nemo negat? Cur igitur nõ bene? Quia quod
bene,id recte,frugaliter,honeſte:ille porrò male,praue,nequiter, turpiter ce
nabat.Nõ igitur nec Lapathi ſuauitatem acipenſeri Gallonij Lælius antepo
nebat,ſed ſuauitatem ipſam negligebat.Quod nõ faceret,ſi in uoluptate ſum
mum bonũ poneret.Semouenda eſt igitur uoluptas,nõ ſolum ut recta ſequa
mini,ſed etiam ut loqui deceat frugalietr.Poſſumus'ne igitur in uita ſummũ
bonum dicere,quũ id ne in cena quidem poſſe uideamur? Quomodo autem
philoſophus loquitur tria genera cupiditatũ? naturales & neceſſarias, natu-
rales & nõ neceſſarias,nec naturales nec neceſſarias.Primũ diuiſit inelegan-
ter.Duo enim genera quæ erant,fecit tria.Hoc eſt non diuidere,ſed frangere
rem.Qui ſi diceret cupiditatum eſſe duo genera,naturales & inanes. natura-
lium quoq́ꝫ itẽ duo,neceſſarias & nõ neceſſarias,cõfecta res eẽt. Vitioſum eſt
.n.in diuidẽdo partẽ in genere numerare.Sed hoc ſanè cõcedamus. Contẽnit
enim differẽdi elegãtiã,confuſe loquit̃, gerendus eſt mos modo recte ſentiat.
Et quidẽ illud ipſum nõ nimium ꝓbo(& tñ patior)philoſophũ loq de cupi
ditatibus finiẽdis.An põt cupiditas finiri? tollẽda eſt atq́ꝫ extrahenda radici-

tus. Quis eſt.n.in quo cupiditas ſit,q̄n recte cupidus dici poſſit? Ergo & aua rus erit,ſed finite: & adulter,uerū habebit modū: & luxurioſus, eodē modo. Qualis iſta philoſophia eſt,quæ nō interitum afferat prauitati,ſed ſit conten ta mediocritate uitiorū? Quanq̄ in hac diuiſione rem ipſam prorſus probo, elegantiā deſidero. Appellet hæc deſideria naturæ,cupiditatis nomen ſeruet alio,ut quū de auaritia,quum de intemperantia,quū de maximis uitijs loque tur,eam tanq̄ capitis accuſet. Sed hæc quidē liberius ab eo dicuntur & ſępius, quod equidē non reprehendo. Eſt enim tanti philoſophi tamq́ nobilis auda cter ſua decreta defendere. Sed tamē ex eo quod eam uoluptatem,quā omnes gentes hoc nomine appellant,uidet̄ amplexari ſæpe uehementius,in magnis interdum uerſatur anguſtijs,ut hominū cōſcientia remota nihil tam turpe ſit quod uoluptatis cauſa nō uideatur eē facturus. Deinde ubi erubuit,uis enim eſt permagna naturæ,cōfugit illuc,ut neget accedere quidq̄ poſſe ad uolupta tem nihil dolentis. At iſte nō dolendi ſtatus nō uocatur uoluptas. Nō labo- ro,inquit,de nomine. Quid quod res alia tota eſt? Reperiā multos uel innu- merabiles potius,nō tam curioſos,nec tā moleſtos q̄ uos eſtis, quibus q̄dq̄d uelim facile perſuadeam. Quid ergo dubitamus quin ſi non dolere uoluptas ſit ſumma,nō eſſe in uoluptate dolor ſit maximus? Cur id non ita fit? quia do lori nō uoluptas contraria eſt,ſed doloris priuatio. Hoc uero nō uidere maxi mo argumento eſſe uoluptatem ullam,qua ſublata neget ſe intelligere omni- no quid ſit bonū. Eam autem ita perſequitur,quæ palato percipiatur,quæ au ribus: cetera addit,quæ ſi appelles,honos præfandus ſit. Hoc igitur quod ſo lum bonū ſeuerus & grauis philoſophus nouit,idem non uidet ne expetēdū quidem eſſe,quod eam uoluptatē hoc eodem auctore non deſideremus, quū dolore careamus,q̄q̄ hæc ſunt cōtraria. Hic ſi definire & diuidere didiciſſet,ſi loquendi uim,ſi deniq́ cōſuetudinē uerborꝶ teneret,nunq̄ in tantas ſalebras incidiſſet. Nūc uides quid faciat,quam nemo unq̄ uoluptatē appellat, & hāc in motu uoluptatem,quæ duo ſunt,unū facit: ſic enim has ſuaues & quaſi dul ces uoluptates appellat. Interdum ita extenuat,ut M. Curium putes loqui: in terdum ita laudat,ut quid pręterea ſit bonum neget ſe poſſe ne ſuſpicari qui- dem. Quæ iam oratio non à philoſopho aliquo,ſed à Cenſore opprimenda eſt. Non eſt enim uitiū ſolum in oratione,ſed etiam in moribus. Luxuriam non reprehendit,modo ſit uacua infinita cupiditate & timore. Hoc loco diſci- pulos quærere uidetur,ut qui aſoti eſſe uelint,philoſophi ante fiāt. A primo, ut opinor,animantium ortu petitur origo ſummi boni. Simulatq; natum ani mal eſt,gaudet uoluptate,& eam appetit ut bonū,aſpernatur dolorē ut ma- lum. De malis aūt & bonis ab ijs animalibus quæ nōdum deprauata ſint, ait optime iudicari. Hæc & tu ita poſuiſti,& uerba ueſtra ſunt, quanquam mul- tum uitioſa. Summum enim bonum & malum uagiens puer utra uoluptate diiudicabit,ſtante an mouente? (quoniam ſi dijs placet ab Epicuro loqui di ſcimus). Si ſtante,hæc natura uidelicet uult,ſaluam eſſe ſe,quod cōcedimus: ſi mouente,quod tamen dicitis,nulla turpis uoluptas erit,quæ prætermitten- da ſit,& ſimul non proficiſcitur animal illud modo natum à ſumma uolupta- te,quæ eſt à te poſita in non dolendo. Nec tamen argumentum hoc Epicu- rus à paruis petiuit,aut etiam à beſtijs, quæ putat eſſe ſpecula naturæ, ut dice ret ab ijs duce natura hanc uoluptatē expeti nihil dolendi: neq́ enim hęc mo- uere

* *

uere poteſt appetitum animi,nec ullum habet ictum,quo pellat animi ſtatum hic non dolendi.Itaq; in hoc eodē peccat Hieronymus. At ille pellit,qui permulcet ſenſum uoluptate.Itaq; Epicurus ſemper hoc utitur,ut probet uoluptatem natura expeti,quod ea uoluptas quæ in motu ſit,& paruos ad ſe alliciat & beſtias,non illa ſtabilis,in qua tantū ineſt nihil dolere. Quid igitͬ conuenit ab alia uoluptate dicere naturam proficiſci,in alia ſummū bonum ponere? Beſtiarꝝ uero nullum iudicium puto.Quamuis enim deprauatæ non ſint, prauæ tñ eſſe poſſunt. Vt bacillum aliud eſt inflexum & incuruatum de induſtria,aliud ita natum,ſic ferarum natura nō eſt illa quidem deprauata mala diſciplina,ſed natura ſua.Nec uero ut uoluptatem expetat natura mouet infantem,ſed tm̄ ut ſeipſum diligat,ut integrum ſe ſaluumq; uelit. Omne enim animal ſimul ut ortum eſt,& ſeipſum,& omnes partes ſuas diligit, duasq;, quæ maximæ ſunt,in primis amplectitur,animū ſcilicet et corpus,deinde utriuſq; partes.Nam ſunt & in animo præcipua quædam,& in corpore:quæ quū leuiter agnouit,tunc diſcernere incipit,ut ea quæ prima data ſunt natura appetat,aſpernaturq; cōtraria.In his primis naturalibus uoluptas inſit,nécne, magna quæſtio eſt.Nihil uero putare eſſe præter uoluptatem,non membra, nō ſenſus,non ingenij motum,nō integritatem corporis,non ualetudinem, ſummæ mihi uidetur inſcitiæ.Atq; ab ipſo capite fluere neceſſe eſt omnem rōnē bonorꝝ & malorū.Polemoni & ante Ariſtoteli ea prima uiſa ſunt,quæ paulo ante dixi.Ergo nata eſt ſententia ueterū Academicorꝝ et Peripateticorꝝ, ut finem bonorum dicerent ſecundum naturā uiuere,id eſt uirtute adhibita frui primis à natura datis.Callipho ad uirtutem nihil adiunxit niſi uoluptatem. Diodorus uacuitatem doloris.His omnibus quos dixi cōſequētes ſunt fines bonorꝝ.Ariſtippo ſimplex uoluptas,Stoicis conſentire naturæ.Quod eē uolunt è uirtute,id eſt honeſte uiuere.Quod ita interpretanͭ,uiuere cum intelligentia earum rerum,quæ natura euenirent,eligente ea quæ eſſent ſecundum naturā,reijcienteq; cōtraria.Ita tres ſunt fines expertes honeſtatis. Vnus Ariſtippi uel Epicuri,alter Hieronymi,Carneadis tertius. Tres in quibus honeſtas cum aliqua acceſſione,Polemonis,Calliphonis,Diodori. Vna ſimplex, cuius Zeno auctor,poſita in decore tota,id ē in honeſtate.Nā Pyrrho,Ariſto,Herillus iā diu abiecti.Reliq ſibi cōſtiterunt ut extrema cum initijs cōuenirēt,ut Ariſtippo uoluptas,Hieronymo doloris uacuitas,Carneadi frui prīcipijs naturalibus eſſet extremum.Epicurus aūt quum in prima cōmendatione uoluptatē dixiſſet,ſi eā quā Ariſtippus,idē tenere debuit ultimum bonorꝝ quod ille:ſin eā quā Hieronymus,feciſſet idem,ut uoluptatem illā Ariſtippi in prima cōmendatiōe poneret.Nā qđ ait ſenſibus ipſis iudicari uoluptatem bonum eſſe,dolorem malum,plus tribuit ſenſibus, q̄ nobis leges ꝑmittunt. Priuatarꝝ litium iudices ſumus,nihil enim poſſumus iudicare, niſi qđ eſt noſtri iudicij.In quo fruſtra iudices ſolent,quum ſnīam pronunciāt,addere. Si qd mei iudicij eſt.Si enim nō fuit eorꝝ iudicij,nihilo magis hoc nō addito,illud eſt iudicatum qđ iudicat ſenſus,dulce amarum,lene aſperꝝ, prope longe, ſtare mouere,quadratum rotundum.Quā igitur pronunciabit ſnīam ratio? adhibita primū diuinarꝝ humanarumq; rerꝝ ſcientia,quæ poteſt appellari rite ſapientia.Deinde adiunctis uirtutibus, quas ratio rerꝝ omnium dominas, tu uoluptatum ſatellites & miniſtras eē uoluiſti.Quarꝝ adeo omniū ſentētia

pronunciabit primũ de uoluptate nihil eſſe ei loci non modo ut ſola ponatur in ſummi boni ſede, quã quærimus, ſed ne illo quidem modo, ut ad honeſtatem applicetur. De uacuitate doloris eadem ſnĩa eſt. Reijcietur ẽt Carneades. Nec illa de ſummo bono rõ aut uoluptatis nõ dolendi'ue particeps, aut honeſtatis expers probabitur. Ita relinquet duas de quibus etiã atq; etiam conſideret. Aut enim ſtatuet nihil eſſe bonum, niſi honeſtum, nihil malũ niſi turpe, cetera aut omnino nihil habere momenti, aut tantũ ut nec expetenda nec fugienda, ſed eligenda modo aut reijcienda ſint, aut anteponet eam quã quum honeſtate ornatiſſimã, tum etiã ipſis initijs naturæ, & totius perfectione uitæ locupletatã uidebit. Quod eo liqdius faciet, ſi perſpexerit rerũ inter eas, uerborum'ne ſit cõtrouerſia. Huius ego nũc auctoritatem ſequẽs idem faciã. Quãtum enim potero minuã cõtentiones, omnesq; ſimplices ſententias eorum, in quibus nulla ineſt uirtutis adiũctio, omnino à philoſophia ſemouẽdas putabo. Primum Ariſtippi Cyrenaicorũq; omnium, quos nõ eſt ueritũ in ea uoluptate, quæ maxima dulcedine ſenſum moueret ſũmum bonũ ponere, contẽnentes iſtam uacuitatẽ doloris. Hi nõ uiderunt ut ad curſum equũ, ad arandũ bouem, ad indagandum canẽ, ſic hominem ad duas res, ut ait Ariſtoteles, intelligendũ & agendum eſſe natum, quaſi mortalem deũ, contraq; ut tardã aliquam & languidã pecudem ad paſtum, & procreandi uoluptatem, hi hoc diuinum animal ortum eſſe uoluerũt, quo nihil mihi uidet̃ abſurdius. Atq; hęc cõtra Ariſtippum, qui eã uoluptatem nõ modo ſummã, ſed ſolam etiã ducit, quã omnes unã appellamus uoluptatem, aliter autem uobis placet. Sed ille ut dixi uitioſe. Nec enim figura corporis, nec ratio excellens ingenij humani ſignificat ad hanc unã rem natũ hominem ut frueretur uoluptatibus. Nec uero audiẽdus Hieronymus, cui ſummũ bonum eſt idem, quod uos interdum uel potius nimium ſæpe dicitis, nihil dolere. Non enim ſi malum dolor eſt, carere eo malo ſatis eſt ad bene uiuendum. Hoc dixerit potius Ennius,

Nimium boni eſt cui nihil eſt mali.

Nos beatam uitam nõ depulſione mali, ſed adeptione boni iudicemus: nec eam ceſſando ſiue gaudendo ut Ariſtippus, ſiue non dolendo ut hic, ſed agendo aliquid conſiderando'ue quæramus. Quæ poſſunt eadem contra Carneadium illud ſummum bonum dici, quod is non tam ut probaret, protulit, q̃ ut Stoicis, quibuscum bellum gerebat, opponeretur. Id autem eiuſmodi eſt, ut additum ad uirtutem auctoritatem uideatur habiturum, & expleturũ cumulate uitam beatam, de quo omnis hæc quæſtio eſt. Nam qui ad uirtutem adiũgunt uel uoluptatem, quam unã uirtus minimi facit, uel uacuitatem doloris, quæ etiam ſi malo caret, tamen non eſt ſummũ bonum, acceſſione utuntur nõ ita probabili. Nec tamen cur id tam parce tamq; reſtricte faciant intelligo: quaſi enim emendum eis ſit quod addant ad uirtutem, primum uiliſſimas res addunt, deinde ſingulas potius quàm omnia, quæ prima natura approbauiſſet, ea cum uoluptate coniungerent. Quæ quum Ariſtoni & Pyrrhoni omnino uiſa ſunt pro nihilo, ut inter optime ualere & grauiſſime ægrotare, nihil prorſus dicerent intereſſe, recte iampridẽ cõtra eos deſitum eſt diſputari. Dum enim in una uirtute ſic omnia eſſe uoluerunt, ut eam rerum ſelectiõe expoliarẽt, nec ei quidquã aut unde oriretur, darent, aut ubi niteretur, uirtutem ipſam quam amplexabantur ſuſtulerunt. Herillus autem ad ſcientiam omnia

reuocans,

reuocans,unum quoddã bonum uidit,ſed nec optimũ,nec quo uita guberna
ri poſſit.Itaq; hic ipſe iampridem eſt reiectus:poſt enim Chryſippũ nõ ſanè
eſt diſputatum.Reſtatis igitur uos.Nam cum Academicis incerta luctatio ē,
qui nihil affirmant,& quaſi deſperata cognitione certi,id ſequi uolũt, quod-
cunq; uerißimile uideatur.Cum epicuro autē hoc plus eſt negocij,quod è du-
plici genere uoluptatis coniunctus eſt,quodq; & ipſe & amici eius, & multi
poſtea defenſores eius ſentētiæ fuerunt,& neſcio quomodo is qui auctorita-
tem minimam habet,maximã uim cũ illis populus facit, quos niſi arguimus,
omnis uirtus,omne decus,omnis uera laus deſerenda eſt. Ita ceterorum ſen-
tentijs ſemotis relinquitur non mihi cũ Torquato,ſed uirtuti cum uoluptate
certatio.Quam quidem certationem homo & acutus & diligens Chryſip-
pus non cõtemnit,totumq; diſcrimen ſummi boni in eadem comparatiõe po
ſitum putat.Ego autē exiſtimo ſi honeſtum aliquid oſtēdero,quod ſit ipſum
ui ſua propter ſeq; expetendum,iacere ueſtra omnia.Itaq; eo,quale ſit breui-
ter,ut tempus poſtulat cõſtituto,accedam ad omnia tua Torquate,ubi ſi me-
moria forte defecerit,tuũ eſt,ut ſuggeras.Honeſtum igitur id intelligimus,
quod tale eſt ut detracta omni utilitate ſine ullis præmijs fructibus'ue per ſe-
ipſum poſſit iure laudari.quod quale ſit non tam definitione qua ſum uſus in
telligi poteſt(q̃q̃ aliquantum poteſt)q̃ cõmuni omnium iudicio, & optimi
cuiuſq; ſtudijs atq; factis,qui permulta ob eam unam cãm faciũt, quia decet,
quia rectum,quia honeſtũ eſt,& ſi nullũ conſecuturum emolumentũ uident.
Homines enim & ſi multis alijs,tamē hoc uno à beſtijs plurimum differunt,
quod rationē habeant à natura datam,mentemq; & acrem & uigentē,celerri
meq; multa ſimul agitantem,& ut ita dicam ſagacem,quæ & cauſas rerum et
cõſecutiones uideat,& ſimilitudines trãſferat,& diſiũcta cõiungat,& cũ prę
ſentibus futura copulet,omnemq; cõplectatur uitæ cõſequentis ſtatum. Ea-
demq; ratio facit hominē hominũ appetentē,cumq; his natura & ſermone et
uſu cõgruentem,ut profectus à charitate domeſticorũ ac ſuorũ currat lõgius,
& ſe implicet primũ ciuium,deinde omnium mortalium ſocietate:atq; ut ad
Archytam ſcripſit Plato,nõ ſibi ſe ſolum natũ meminerit,ſed patriæ, ſed ſu-
is,ut perexigua pars ipſi relinquatur.Et quoniam eadem natura cupiditatem
ingenuit homini,ueri inueniēdi,quod facillime apparet,quũ uacui curis etiã
quid in cœlo fiat ſcire auemus,his initijs inducti omnia uera diligimus,id eſt
fidelia,ſimplicia,conſtantia:tum uana,falſa,fallētia odimus,ut fraudem, per-
iuriũ,malitiam,iniuriã.Eadem ratio habet in ſe quiddam amplũ atq; magni-
ficum,ad imperandũ magis q̃ ad parendum accommodatũ : omnia humana
nõ tolerabilia ſolum,ſed etiã leuia ducens,altum quiddam & excelſum, nihil
timens,nemini cedens,ſemper inuictum.Atq; his tribus generibus honeſto-
rum notatis,quartum ſequitur,& in eadē pulchritudine,& aptum ex illis tri
bus,in quo ineſt & ordo & moderatio,cuius ſimilitudine pſpecta in formarũ
ſpecie à dignitate tranſitum eſt ad honeſtatem dictorũ atq; factorũ. Nam ex
ijs tribus laudibus quas ante dixi,& temeritatē reformidat, & nõ audet cuiq̃
aut dicto proteruo aut facto nocere,ueretur q; quidquã aut facere aut loqui,
quod parum uirile uideatur. Habes undique expletam & perfectam Tor-
quate formam honeſtatis, quæ tota his quatuor uirtutibus, quæ à te quo-
que commemoratæ ſunt, continetur.Hanc ſe tuus Epicurus omnino igno-

rare dicit quam aut qualem eſſe uelint, qui honeſtate ſummũ bonum metian-tur. Si enim ad honeſtatem omnia referãtur, neq; in ea uoluptatem dicãt ineſ ſe, ait eos inani uoce ſonare (his enim ipſis uerbis utitur) neq; intelligere neq; uidere ſub hac uoce honeſtatis, quæ ſit ſubijcienda ſentẽtia. Vt enim cõſuetu do loquitur, id ſolum dicitur honeſtum, quod eſt populari fama glorioſum. Quod, inquit, quanq̃ uoluptatibus quibuſdam eſt ſæpe iucũdius, tamẽ expe titur propter uoluptatem. Vides'ne quam ſit magna diſſenſio? Philoſophus nobilis, à quo nõ ſolum Græcia & Italia, ſed etiam omnis Barbaria cõmota eſt, honeſtum quid ſit, ſi id nõ eſt in uoluptate, negat ſe intelligere: niſi forte illud quod multitudinis rumore laudetur. Ego aũt hoc etiam turpe eſſe ſæpe iudico: & ſiquãdo turpe nõ ſit, tamen nõ eſſe nõ turpe, quum id à multitudi ne laudetur: quod ſi ſit ipſum perfectum atq; laudabile, nõ ob eam cauſam ta men illud dici honeſtum eſſe, quia laudetur à multis, ſed quia tale ſit ut uel ſi ignorarent id homines, uel ſi obmutuiſſent, ſua tamẽ pulchritudine eſſet ſpe cieq; laudabile. Itaq; idem natura uictus (cui obſiſti nõ poteſt), dicit alio lo co id quod à te etiã pauloante dictum eſt, nõ poſſe iucunde uiui, niſi honeſte. Quid nũc honeſte dicit? idem'ne qđ iucũde? Ergo ita nõ poſſe honeſte uiui, niſi honeſte uiuat, an niſi populari fama? Sine ea igit̃ iucũde negat poſſe uiue re. Quid turpius q̃ ſapientis uitã ex inſipientiũ ſermone pẽdere? Quid ergo hoc loco intelligit honeſtũ? Certe nihil niſi quod poſſit ipſum propter ſe iu re laudari. Nam ſi propter uoluptatem, quæ eſt iſta laus, quæ poſſit è macello peti? Non is uir eſt, ut quum honeſtatem eo loco habeat, ut ſine ea iucũde ne get poſſe uiui, illud honeſtũ quod populare ſit ſentiat, et ſine eo iucũde neget uiui poſſe: aut quidq̃ aliud honeſtũ intelligat, niſi quod ſit rectũ ipſum, qđ per ſe ſua ui, ſua natura, ſua ſit ſponte laudabile. Itaq; torquate, quum diceres clamare Epicurũ, non poſſe iucũde uiui, niſi honeſte & ſapienter & iuſte ui ueretur, tu ipſe mihi gloriari uidebare: tanta uis inerat in uerbis propter earꝫ rerum, quæ ſignificabãtur his uerbis dignitatem, ut altior fieres, ut interdum inſiſteres, ut nos intuens quaſi teſtificarere laudari, honeſtatem & iuſtitiã ali quãdo ab epicuro. Quàm te decebat his uerbis uti, q̃bus ſi philoſophi nõ ute rentur, philoſophia omnino nõ egeremus. Iſtorum enim uerborꝫ amore, quę perraro appellantur ab Epicuro, ſapiẽtiæ, fortitudinis, iuſtitiæ, temperantiæ, præſtantiſſimis ingenijs homines ſe ad philoſophiæ ſtudium contulerunt. Oculorꝫ, inquit Plato, eſt in nobis ſenſus acerrimus, quibus ſapiẽtiam nõ cer nimus. Quàm illa ardẽtis amores excitaret ſui, ſi uideretur? Cur tandem? An qđ ita callida eſt, ut optime poſſit architectari uoluptates? Cur iuſtitia lauda tur? Aut unde eſt hoc cõtritũ uetuſtate prouerbiũ, qui cum in tenebris? Hoc dictum in una re latiſſime patet, ut in omnibus factis re non teſte moueamur. Sunt enim leuia & perinfirma, quæ dicebãtur à te, cũ animi cõſcientia impro bos excruciari, tum etiam pœnę timore, qua aut afficiũtur, aut ſemper ſunt in metu ne afficiantur aliquãdo. Non oportet timidũ, aut imbecillo animo fin gi, nõ bonum illũ uirum, qui quidquid fecerit ipſe ſe cruciet, omniaq; formi det, ſed omnia callide referẽtem ad utilitatem, acutũ, uerſutum, ueteratorem, facile ut excogitet quomodo occulte ſine teſte, ſine ullo conſcio, fallat. An tu me de L. Tubulo putas dicere? qui quũ Prætor quęſtionẽ inter ſicarios exer cuiſſet, ita aperte cępit pecunias ob rẽ iudicandã, ut anno ꝓximo P. Scæuola

Trib. pleb.

Trib.pleb.ferret ad plebem, Vellent nec ne de ea re quæri? Quo plebiſcito decreta à Senatu eſt Conſuli quæſtio Cn.Scipioni. Profectus in exiliū Tubulus ſtatim, nec reſpōdere auſus: erat enim res aperta. Nō igitur de improbo, ſed callide improbo quærimus, qualis Q.Pompeius in fœdere Numantino inficiando fuit: nec uero omnia timentē, ſed primum qui animi conſciētiam non curet, quam ſcilicet cōprimere nihil eſt negocij. Is enim qui occultus & tectus dicitur, tantum abeſt, ut ſe indicet, perficiet etiam ut dolere alterius improbe facto uideatur. Quid enim eſt aliud eē uerſutum? Memini me adeſſe P.Sextilio Ruſo, quū is ad amicos rē ita deferret, ſe eē hæredē Q.Fadio Gallo, cuius in teſtamento ſcriptū eſſet, ſe eſſe ab eo rogatum, ut oīs hæreditas ad filiam perueniret. id Sextilius factum negabat. Poterat autem impune: quis enim redargueret? nemo noſtrū negabat: eratq́ ueriſimilius hūc mentiri cuius intereſſet, q̄ illum qui id ſe rogaſſe ſcripſiſſet, quod debuiſſet rogare. Addebat ſe etiam in legem Voconiam iuratum, cōtra eam facere nō audere, niſi aliter amicis uideretur. Aderamus nos quidem adoleſcentes, ſed etiam multi ampliſſimi uiri: quorum nemo cenſuit plus Fadiæ dandum q̄ poſſet ad eam lege Voconia peruenire. Tenuit permagnam Sextilius hæreditatem: unde ſi ſecutus eſſet eorum ſententiam, qui honeſta & recta emolumentis omnibus & cōmodis anteponerent, numum nullum attigiſſet. Nū igitur eum poſtea cenſes anxio animo aut ſolicito fuiſſe? Nihil minus: contraq́ illa hæreditate diues, ob eamq́ rem lætus. Magni enim æſtimabat pecuniam, non modo nō contra leges, ſed etiam legibus partam, quæ quidem uel cum periculo eſt quærenda uobis. Eſt enim effectrix multar & magnarum uoluptatum. Vt igitur illis qui recta & honeſta quæ ſunt, eaq́ ſtatuunt per ſe expetenda, adeūda ſunt quæuis pericula decoris honeſtatisq́ cauſa: ſic ueſtris qui omnia uoluptate metiuntur, pericula adeunda ſunt, ut adipiſcātur magnas uoluptates: ſi magna res, magna hæreditas agetur, quū pecunia uoluptates pariantur plurimæ. Idemq́ erit Epicuro ueſtro faciendum, ſi ſuum finem bonor ſequi uolet, quod Scipioni, magna gloria propoſita, ſi Annibalem in Aphricam retraxiſſet. Itaq́ quantum adijt periculi? ad honeſtatē enim ille omnem conatum ſuum referebat, non ad uoluptatem, Sic ueſter ſapiens magno aliquo emolumento cōmotus, animi cauſa ſi opus fuerit, dimicabit: occultum facinus eſſe potuerit, gaudebit: deprehēſus omnem pœnam contēnet. Erit.n.inſtructus ad mortem contemnēdam, ad exilium, ad ipſum etiam dolorem. Quem quidem uos quum improbis pœnam proponitis, impatibilem facitis: quum ſapientem ſemper boni plus habere uultis, tolerabilem. Sed finge non ſolum callidum eum, qui improbe aliquid faciat, uerumetiam præpotentem, ut M.Craſſus fuit, qui tamē ſolebat uti ſuo bono: ut hodie eſt noſter Pompeius, cui recte facienti gratia eſt habēda: eſſe enim quāuis uellet iuſtus, iniquus, poterat impune. Quàm multa uero iniuſte fieri poſſunt, quæ nemo poſſit reprehendere? Si te amicus tuus moriens rogauerit ut hæreditatem reddas ſuæ filiæ, nec uſquam id ſcripſerit (ut ſcripſit Fadius) nec cuiquam dixerit, quid facies? tu quidē reddes: ipſe Epicurus fortaſſe redderet, ut Sex.Peduceus, Sex.F.is qui hunc noſtrū reliquit effigiē & humanitatis & probitatis ſuæ filium, tum doctus, tum omniū uir optimus & iuſtiſſimus, quū ſciret nemo eū rogatum à C.Plotio Equite R. ſplendido Nurſino

ultro ad mulierem uenit, eiq; nihil opinanti uiri mandatum expoſuit, hære-ditatemq; reddidit. Sed ego ex te quæro, quoniā idē tu certe feciſſes. non'ne intelligas eo maiorem uim eſſe naturæ, quod ipſi uos qui omnia ad ueſtrum commodum, & ut ipſi dicitis ad uoluptatem referatis, tamen ea faciatis è qui bus appareat non uoluptatem uos, ſed officium ſequi, plusq; rectam naturā q̃ prauam rationē ualere? Si ſcieris, inquit Carneades, aſpidem occulte latere uſpiam, & uelle imprudentem ſuper eam aſſidere, cuius mors tibi emolumē-tum futura ſit, improbe feceris niſi monueris ne aſſideat, ſed impune tamē id te conſtat feciſſe: quis enim coarguere poſſit? Sed nimis multa. Perſpicuum eſt enim niſi æquitas, fides, iuſtitia, proficiſcantur à natura, & ſi omnia hæc ad utilitatem referantur, uirum bonum non poſſe reperiri. Sed de his rebus ſatis multa in noſtris de Repub. libris ſunt dicta à Lælio. Transfer idem ad modeſtiam, uel temperantiam, quæ moderatio eſt cupiditatum rationi obe-diens. Satis'ne ergo pudori conſulat, ſi quis ſine teſte libidini pareat? An eſt aliquid per ſeipſum flagitioſum etiam ſi nulla comitetur infamia? Quid for tes uiri? uoluptatum'ne calculis ſubductis prœliū ineunt, ſanguinē ꝓ patria ꝓ ſundunt, an quodā animi ardore atq; impetu concitati? utrū tandē cēſes Tor quate, imperioſum illum, ſi noſtra uerba audiret, tuam'ne de ſe orationem li bentius auditurum fuiſſe an meā? quum ego dicerem eum nihil feciſſe ſua cā, omniaq; reipub. tu cōtra nihil niſi ſua. Si uero id etiam explanare uelles aper tius, diceres, nihil eum feciſſe niſi uoluptatis cauſa, quo modo eum tandem la turum fuiſſe exiſtimas? Eſto, fecerit, ſi ita uis, Torquatus propter ſuas utilita tes, malo enim dicere q̃ uoluptates, in tanto præſertim uiro: num etiam eius Collega P. Decius princeps in ea familia Cōſulatus, quum ſe deuoueret, & equo admiſſo in mediam aciem Latinorū irruebat, aliquid de uoluptatibus ſuis cogitabat? Nam ubi eam caperet, aut qn̄, quum ſciret confeſtim eſſe mo-riendū, eamq; mortem ardentiore ſtudio peteret, q̃ Epicurus uoluptatē pe-tendā putat? Quod quidem eius factum, niſi eēt iure laudatum, non eēt imi-tatus quarto Cōſulatu ſuo filius, neq; porrò ex eo natus cum Pyrrho bellū gerens Cōſul, cecidiſſet in prœlio, ſeq; è cōtinenti genere tertiā uictimā reip. præbuiſſet. Contineo me ab exemplis Græcis, hoc modicum eſt. Leonidas, Epaminondas, tres aliqui aut quatuor: ego ſi noſtros colligere cœpero, per-ficiam illud quidē, ut ſe uirtuti tradat conſtringendam uoluptas, ſed dies me deficiet: & ut A. Varus, qui eſt habitus iudex durior, dicere conſeſſori ſole-bat, quum datis teſtibus, alij tn̄ citarentur, Aut hoc teſtiū ſatis eſt, aut neſcio quid ſatis ſit: ſic à me ſatis teſtium eſt dictū. Quid enim teipſum digniſſimū maioribus tuis, uoluptásne induxit ut adoleſcentulus eriperes P. Syllæ Con ſulatum? quē quum ad patrē tuum retuliſſes fortiſſimum uirū, qualis ille uel Conſul uel ciuis, quum ſemper, tū poſt Conſulatum fuit? quo quidem autho re nos ipſi ea geſſimus, ut omnibus potius, q̃ ipſis nobis cōſuluerimus. At q̃ pulchre dicere uidebare, quum ex altera parte ponebas, cumulatum aliquem plurimis & maximis uoluptatibus, nullo nec p̄ſenti nec futuro dolore, ex al-tera aūt cruciatibus maximis toto corpore nulla nec adiūcta, nec ſperata uo-luptate, & quærebas, qs aut hoc miſerior, aut ſuperiore illo beatior foret: de-inde concludebas, ſummū malum eſſe dolorem, ſummū bonū uoluptatē. L. Thorius Balbus fuit Lanuinus, quē meminiſſe tu non potes. Is ita uiuebat,

ut nulla

ut nulla tam exquiſita poſſet inueniri uoluptas, qua nõ abũdaret. Erat & cupidus uoluptatum, & cuiuſuis eius generis intelligens & copioſus: ita non ſuperſtitioſus, ut illa plurima in ſua patria ſacrificia & ſana cõtemneret: ita nõ timidus ad mortem, ut in acie ſit ob rempublicã interfectus. Cupiditates non Epicuri diuiſione finiebat, ſed ſua ſatietate: habebat tñ ratiõem ualetudinis. Vtebatur his exercitationibus, ut ad cenã & eſuriens & ſitiens ueniret: eo cibo, qui & ſuauiſſimus eſſet, & idem facillimus ad cõcoquendum: uino ad uoluptatem, & ne noceret: cetera illa adhibebat, quibus demptis negat ſe Epicurus intelligere, quid ſit bonum: aberat omnis dolor, qui ſi adeſſet, nec molliter ferret, & tamẽ medicis pluſquam philoſophis uteretur: color egregius, integra ualetudo, ſumma gratia, uita deniq; conferta uoluptatum omniũ uarietate. Hunc uero beatum oratio quidem ueſtra ſic cogitat, ego huic quẽ anteponam non audeo dicere: dicet pro me ipſa uirtus, nec dubitabit iſti ueſtro beato M. Regulum anteponere: quem quidẽ cum ſua uoluntate, nulla ui coactus, præter fidem quam dederat hoſti ex patria Carthaginem reuertiſſet, tũ ipſum quũ uigilijs & fame cruciaretur, clamat uirtus beatiorẽ fuiſſe q̃ potantem in roſa Thorium. Bella magna geſſerat is, bis Conſul fuerat, triumpharat, nec tñ ſua ſuperiora illa tam magna nec tam p̃clara ducebat, q̃ illum ultimum caſum, quẽ propter fidẽ conſtantiamq; ſuſceperat: qui nobis miſerabilis uideť audientibus, illi perpetienti erat uoluntarius. Non enim hilaritate nec laſciuia nec riſu, aut ioco comite leuitatis, ſed ſæpe etiã triſtes, firmitate & cõſtantia ſunt beati. Stuprata per uim Lucretia à Regis filio, teſtata ciues ſe ipſa interemit. Hic dolor pop. R. duce & authore Bruto, cã ciuitati libertatis fuit, ob eiusq; mulieris memoriã primo anno & uir & pater eius Cõſul eſt factus. Tenuis L. Virginius unusq; de multis, ſexageſimo anno poſt libertatẽ receptã, uirginẽ filiam ſua manu occidit potius q̃ ea P. Claudij libidini, q tũ erat ſũmo in imperio dedereť. Aut hæc tibi Torquate ſunt uituperanda, aut patrociniũ uoluptatis repudiandum. Quod autẽ patrociniũ, aut quæ iſta cã eſt uoluptatis, quæ nec teſtes ullos è claris uiris, nec laudatores poterit adhibere? Vt enim nos ex annaliũ monimẽtis teſtes excitamus eos, quorꝫ omnis uita conſumpta eſt in laboribus glorioſis, qui uoluptatis nomen audire non poſſent, ſic in ueſtris diſputationibus hiſtoria muta eſt. Nunq̃ audiui in Epicuri ſchola Lycurgũ, Solonẽ, Milciadem, Themiſtoclẽ, Epaminondã nominari, qui in ore ſunt ceterorꝫ omnium philoſophorꝫ. Nunc uero quoniã hęc nos etiã tractare cœpimus, ſuppeditabit nobis Atticus è theſauris ſuis, quos & quantos uiros habere teſtiũ ſat eſt. Nónne melius eſt de his aliquid, q̃ tantis uoluminibus de Themiſtocle loqui? Sint iſta Græcorꝫ, q̃q̃ ab his philoſophiam & omnes ingenuas diſciplinas habemus: ſed tamẽ eſt aliquid, qđ nobis non liceat, liceat illis. Pugnant Stoici cũ Peripateticis. Alteri negãt qdq̃ eſſe bonum, niſi quod honeſtum ſit: alteri plurimũ ſe, & longe, longeq; plurimum tribuere honeſtati, ſed tamen & in corpore, & extra eſſe quædam bona. & certamẽ honeſtũ, & diſputatio ſplẽdida: omnis eſt enim de uirtutis dignitate contentio. At cum tuis quũ diſſeras, multa ſunt audienda etiã de obſcœnis uoluptatibus, de quibus ab Epicuro ſępiſſime dicitur. Non potes ergo iſta tueri. Torquate, mihi crede, ſi te ipſe & tuas cogitationes & ſtudia p̃ſpexeris. Pudebit te inquã illius tabulæ, quã Cleanthes ſanè cõmode uerbis

pingere ſolebat. Iubebat eos qui audiebant, ſecum ipſos cogitare, pictam in tabula uoluptatem pulcherrimo ueſtitu & ornatu regali in ſolio ſedentē, pręſto eſſe uirtutes ut ancillulas, quæ nihil aliud agerent, nullum ſuū officiū ducerent: niſi ut uoluptati miniſtrarent, & eam tm̄ ad aurem admonerēt (ſi nō id pictura intelligi poſſet) ut caueret ne quid perficeret imprudens, quod offenderet animos hominū, aut quidq̄ ē quo oriretur aliquis dolor. Nos qdē uirtutes ſic natæ ſumus, ut tibi ſeruiremus, aliud negotij nihil habemus. At negat Epicurus (hoc enim ueſtrū lumē eſt) quēq̄ qui honeſte nō uiuat, iucūde poſſe uiuere. quaſi ego id curē, quid ille aiat aut neget. Illud quæro, quid ei qui in uoluptate ſummū bonum putat, conſentaneum ſit dicere. Quid affers cur Thorius, Poſthumius, cur Chius, cur omnium horū magiſter Orata, nō iucundiſſime uixerit? Ipſe negat, ut ante dixi, luxurioſorꝝ uitam reprehēdendam, niſi plane fatui ſint, id eſt, niſi aut plane cupiant aut metuant: quarū ambarum rerū quum medicinā pollicetur, luxuriæ licentiam pollicetur. His.n. rebus detractis negat ſe reperire in aſotorꝝ uita quod reprehendat. Nō igiť poteſtis uoluptate omnia dirigentes, aut tueri aut retinere uirtutem. Nā nec uir bonus ac iuſtus haberi debet, qui ne malum habeat, abſtinet ſe ab iniuria. Noſti credo illud,

Nemo pius eſt, qui pietatem cauet.

Caue quidq̄ putes eē uerius. nec enim dū metuit, iuſtus eſt: & certe ſi metuere deſtiterit, nō erit. Non metuet aūt ſiue celare poterit, ſiue opibus maius qdq̄ fecerit, certeq́ꝫ mallet obtinere exiſtimari bonus uir, ut nō ſit, q̄ eſſe, ut nō putetur. Ita quod certiſſimū eſt, pro uera certaq́ꝫ iuſtitia ſimulationem nobis iuſtitiæ traditis præcipitisq́ꝫ quodāmodo, ut noſtrā ſtabilem conſcientiā contemnamus, aliorꝝ errantē opinionē aucupemur. Quæ dici eadem de ceteris uirtutibus poſſunt, quarū oīum fundamenta uos in uoluptate, tanq̄ in aqua ponitis. Quid enim? fortémne poſſumus dicere eūdem illū Torquatū? Delector enim q̄q̄ te nō poſſim, ut ais, corrūpere, delector, inquā, & familia ueſtra & noīe, & hercule mō uir optimus noſtriq́ꝫ amātiſſimus A. Torquatus uerſatur ante oculos, cuius q̄tū ſtudiū & q̄ inſigne fuerit erga me tēporibus illis, quæ nota ſunt oībus, ſcire neceſſe eſt utrūq́ꝫ ueſtrū, quę mihi ipſi, qui uolo & eſſe & haberi gratus, grata nō eſſent, niſi eum perſpicerem mea cā mihi amicum fuiſſe, nō ſua: niſi hoc dicis ſua, quod intereſt oīum recte facere. Si id dicis, uicimus. Id enim uolumus, id cōtendimus, ut officij fructus ſit ipſum officium. Hoc ille tuus nō uult, oībusq́ꝫ ex rebus uoluptatē, quaſi mercedē exigit. Sed ad illū redeo. Si uoluptatis cauſa cum Gallo apud Aniene depugnauit prouocatus, & ex eius ſpolijs ſibi, & torquē & cognomē induit, nullā aliam ob cām, niſi ꝙ ei talia facta digna uiro uidebanť, forte nō puto. Iam ſi pudor, ſi modeſtia, ſi pudicitia, ſi uno uerbo temperātia, pœnę aut infamiæ metu coercebūtur, nō ſanctitate ſua ſe tuebunť, quod adulteriū, quod ſtuprū, q̄ libido ſe nō ꝓripiet ac proijciet, aut occultatione propoſita, aut impunitate aut licentia? Quid illud Torquate, quale tandē uidetur, te iſto noīe, ingenio, gloria, quæ facis, quæ cogitas, quæ cōtēdis, quò referas, cuius rei cā perficere quæ conaris uelis, quod optimū deniq́ꝫ in uita iudices, nō audere in conuētu dicere? Quid.n. mereri uelis iā quum tu magiſtratū inieris & in cōcionē aſcēderis? Eſt enim tibi edicendū, quę ſis obſeruaturus in iure dicēdo: & fortaſſe

etiã ſi tibi erit uiſum,aliquid de maioribus tuis, & de teipſo dices more maiorum. Quid merearis igitur,ut dicas te in eo magiſtratu omnia uoluptatis cauſa facturum eſſe? teq́ nihil feciſſe in uita niſi uoluptatis cauſa? An me,inquis,tam amẽtem putas,ut apud imperitos iſto modo loquar? At tu eadem iſta dic in iudicio,aut ſi coronã times,dic in Senatu,nunq̃ facies.cur, niſi qđ turpis eſt oratio? Méne ergo & Triarium dignos exiſtimas,apud quos turpiter loquare? Verum eſto,uerbum ipſum uoluptatis non habet dignitatẽ, nec uos fortaſſe intelligimus.Hoc enim idẽtidem dicitis, nõ intelligere nos uoluptatem quã dicatis.Rem uides difficilem & obſcurã.Indiuidua quũ dicitis,& intermũdia,quę nec ſunt ulla nec poſſunt eſſe,intelligimus: uoluptas quæ paſſeribus omnibus nota eſt,á nobis intelligi non poteſt. Quid ſi efficio,ut fateare me nõ modo quid ſit uoluptas ſcire(eſt enim iucundus motus in ſenſu)ſed etiam quid eam tu uelis eſſe? Tu enim eam ipſam uis,quã modo ego dixi,& nomẽ imponis in motu ut ſit,& faciat aliquam uarietatem: tum aliam quandam ſummam uoluptatem,cui addi nihil poſſit:eam tum adeſſe, quum dolor omnis abſit,eamq́ ſtabilẽ appellas.Sit ſané iſta uoluptas. Dic in quo uis cõuentu te omnia facere ne doleas? Si ne hæc quidem ſatis amplé, ſatis honeſte dici putas,dic te omnia,& in iſto magiſtratu,et in omni uita utilitatis tuæ cauſa facturũ,nihil niſi qđ expediat, nihil deniq́ niſi tua cauſa: quem clamorem cõcionis,aut quam ſpem Conſulatus eius,qui tibi paratiſſimus eſt,futuram putes? Eam'ne rõnem ſequare,qua tecum ipſe & cũ tuis utare, profiteri autẽ & in medium proferre non audeas? At uero illa quæ Peripatetici,quæ Stoici dicunt,ſemper tibi in ore ſunt,in iudicijs,in Senatu, officium,æquitatem,dignitatẽ,fidem,recta,honeſta,digna imperio,digna Populo R.omnia pericula ꝓ repub.mori pro patria.Hæc quum loqueris, nos barones ſtupemus,tu uidelicet tecum ipſe rides.Nam inter iſta tam magnifica uerba tamq́ præclara,nõ habet ullum uoluptas locum,nõ modo illa quã in motu eſſe dicitis,quam omnes urbani,ruſtici,omnes inquam qui latine loquuntur uoluptatem uocant,ſed ne hæc quidem ſtabilis,quã præter uos nemo appellat uoluptatem. Vide ne non debeas uerbis noſtris uti,ſententijs tuis. Quod ſi uultũ tibi,ſi inceſſum fingeres,quo grauior uiderere,nõ eſſes tui ſimilis: uerba tu fingas,& ea dicas,quæ nõ ſentias:aut etiam ut ueſtitum, ſic ſententiam habeas aliam domeſticam,aliam forenſem,ut in fronte oſtẽtatio ſit,intus ueritas occultetur,uide quæſo rectum'ne ſit. Mihi quidẽ hæ ueræ uidentur opiniones,quæ honeſtæ,quæ laudabiles, quæ glorioſæ,quę in Senatu,quæ apud populũ,quæ in omni cœtu concilióq́ proferendę ſint:ne id nõ pudeat ſentire,quod pudeat dicere. Amicitiæ uero locus ubi eſſe poteſt, aut quis amicus eẽ cuiquam, quem nõ ipſum amet propter ipſum? Quid autem eſt amare, é quo nomen amicitiæ ductum eſt,niſi uelle bonis aliquem affici q̃ maximis,etiã ſi ad ſe ex his nihil redeat? Quid? prodeſt inquis mihi in eo eſſe animo. Immo uideri fortaſſe:eſſe enim niſi eris,non potes. Qui aũt eſſe poteris,niſi te amor ipſe ceperit? Quod non ſub dubia utilitatis ratione effici ſolet,ſed ipſum ex ſe oritur,& ſua ſponte naſcitur. At enim ſequor utilitatem. Manebit ergo amicitia tandiu,quãdiu ſequetur utilitas: et ſi utilitas amicitiã cõſtituet,tollet eadem. Sed quid ages tandem,ſi utilitas ab amicitia(ut fit ſæpe)defecerit? relinques'ne? Quæ iſta amicitia eſt? Retinebis? Qui cõuenit?

Quid enim de amicitia ſtatueris utilitatis cauſa expetẽda uides. Ne in odiũ
ueniam, ſi amicum deſtitero tueri. Primum cur iſta res digna odio eſt? Nun
quid eſt turpe niſi quod eſt? Si nequo incõmodo afficiare nõ relinques ami-
cum, tamen ne ſine fructu alligatus ſis, ut moriatur optabis. Quod ſi nõ mo-
do utilitatem tibi nullã afferet, ſed iacturæ rei familiaris erunt faciẽdæ, labo
res ſuſcipiendi, adeundum uitæ periculum, ne tum quidem te reſpicies, & co
gitabis ſibi quẽq; natũ eẽ & ſuis uoluptatibus? Vadẽ te ad mortẽ tyrãno da
bis, p amico, ut Pythagoreus ille fecit Siculo tyrãno: aut Pylades quũ ſis, di
ces te eẽ Oreſtẽ, ut moriare pro amico? aut ſi eſſes Oreſtes Pyladẽ refelleres,
te indicares? & ſi id nõ probares, quo minus ambo una necaremini, non p̃ca
rere? Faceres tu quidem Torquate hæc omnia. Nihil enim arbitror magna
laude dignum, quod te prætermiſſurum credam, aut mortis aut doloris me-
tu. Non quæritur aũt quid naturæ tuæ cõſentaneum ſit, ſed quid diſciplinæ.
Ratio iſta quã defendis, præcepta quæ didiciſti, quæ probas, funditus euer-
tunt amicitiam, q̃uis eam Epicurus, ut facit, in cœlum efferat laudibus. At co
luit ipſe amicitias. quaſi qs illũ neget, & bonũ uirũ, et comẽ, & humanũ fuiſ-
ſe. De ingenio eius in his diſputationibus, non de moribus quæritur. Sit iſta,
in Græcorum leuitate peruerſitas, qui maledictis inſectãtur eos, a quibus de ue-
ritate diſſentiunt. Sed q̃uis comis in amicitijs tuendis fuerit, tamen ſi hæc ue-
ra ſunt (nihil enim affirmo) non ſatis acutus fuit. At multis ſe probauit, &
quidem in rem fortaſſe: ſed tamen non grauiſſimum eſt teſtimonium multi-
tudinis. In omni enim arte, uel ſtudio, uel quauis ſcientia, uel in ipſa uirtute,
optimum quidq; rariſſimum. Ac mihi quidem, quod & ipſe bonus uir fuit,
& multi Epicurei fuerunt & hodie ſunt, & in amicitijs fideles, & in omni ui-
ta conſtantes & graues, nec uoluptate, ſed officio conſilia moderantes, hæc
uidetur maior uis honeſtatis, & minor uoluptatis. Ita enim uiuũt quidam, ut
eorũ uita refellatur oratio: atque ut cæteri exiſtimantur dicere melius q̃ face
re, ſic hi mihi uidentur melius facere q̃ dicere. Sed hæc nihil ſane ad rem: illa
uideamus, quæ a te de amicitia dicta ſunt, e quibus unum mihi uidebar ab ip
ſo Epicuro dictum cognoſcere, amicitiam a uoluptate non poſſe diuelli, ob
eamq; rem colendam eſſe quod ſine ea tuto & ſine metu uiui non poſſet, nec
iucunde quidem poſſet. Satis eſt ad hoc reſponſum. Attuliſti aliud humani-
us horum recentiorum, nunquam dictũ ab ipſo illo, quod ſciam. Primo utilita
tis cauſa amicum expeti. Quum autem uſus acceſſiſſet, tum ipſum amari per
ſe etiam omiſſa ſpe uoluptatis. Hoc & ſi multis modis reprehendi poteſt, ta-
men accipio quod dat: mihi enim ſatis eſt, ipſis non ſatis. Nã aliquando poſ-
ſe recte fieri dicunt, nulla expectata nec quæſita uoluptate. Poſuiſti autem di
cere alios, Fœdus quoddam facere inter ſe ſapientes, ut quemadmodum ſint
in ſeipſos animati, eodem modo ſint erga amicos: id & fieri poſſe, & ſæpe eẽ
factum, & ad uoluptates percipiendas maxime pertinere. Hoc fœdus facere
ſi potuerunt, faciant etiam illud, ut æquitatem, modeſtiã, uirtutes omnes per
ſeipſas gratis diligãt. At uero ſi fructibus & emolumẽtis & utilitatibus ami
citias colemus, ſi nulla charitas erit, quæ faciat amicitiam ipſam ſua ſponte uel
ſua ex ſe, & propter ſe expetendam. dubium eſt qn fundos & inſulas amicis
anteponamus? Licet hic rurſus ea cõmemores, quæ optimis uerbis ab Epi-
curo de laude amicitiæ dicta ſunt. Non quæro quid dicat, ſed quid conueni-
enter

enter rationi poſſit & ſententię ſuæ dicere. Vtilitatis cauſa amicitia eſt quęſita, nũ igitur utiliorẽ tibi hunc Triariũ putas eſſe poſſe, q̃ ſi tua ſint Puteolis gramina? Collige omnia quæ ſoletis, præſidium amicorum, ſatis eſt tibi in te, ſatis in legibus, ſatis & in mediocribus amicitijs, præſidij, iam contemni non poteris, odium autem & inuidiam facile uitabis. Ad eas enim res ab Epicuro præcepta dantur, & tamen nõ tantis uectigalibus ad liberalitatem utens, eis ſine hac Pyladea amicitia multorũ te beneuolẽtia præclare & tuebere & munies. At quicum ioca & ſeria, ut dicitur, quicum arcana, quicũ occulta omnia? Tecum optime, deinde etiam cum mediocri amico. Sed fac iſta eſſe non importuna, quid ad utilitatem tantæ pecuniæ? Vides igitur ſi amicitiam ſua charitate metiare, nihil eſſe præſtantius: ſin emolumento, ſummas familiaritates prædiorum fructuoſorum mercede ſuperari. Me ipſum igitur ames, oportet, non mea, ſi ueri amici futuri ſumus. Sed in rebus apertiſſimis nimium longi ſumus. Perfecto enim & concluſo, nec uirtutibus nec amicitijs uſquam locum eſſe, ſi ad uoluptatem omnia referantur, nihil præterea magnopere dicendum. Attamen ne cui loco non uideatur eſſe reſponſum, pauca etiam nunc dicam ad reliquam orationem tuam. Quoniam igitur omnis ſumma philoſophiæ ad beate uiuendum refertur, idq́ unum expetentes homines, ſe ad hoc ſtudium contulerunt: beate autem uiuere alij in alio, uos in uoluptate ponitis, item contra omnem infelicitatem in dolore: id primũ uideamus, beate uiuere ueſtrum, quale ſit. Atque hoc dabitis, ut opinor, ſi modo ſit aliquid eſſe beatum, id oportere totum poni in poteſtate ſapientis. Nã ſi amitti uita beata poteſt, beata eẽ nõ põt. Quis enim confidit ſemper ſibi illud ſtabile & firmum permanſurum, quod fragile & caducum ſit? Qui autem diffidet perpetuitati bonorum ſuorum, timeat neceſſe eſt ne aliquando amiſſis illis ſit miſer. Beatus autem eſſe in maximarum rerum timore nemo poteſt. Nemo igitur eſſe beatus poteſt. neque enim in aliqua parte, ſed in ꝑpetuitate temporis uita beata duci ſolet. Nec appellatur omnino uita beata, niſi cõfecta atq́ abſoluta. Nec poteſt quiſquam aliàs beatus eſſe, aliàs miſer. Qui enim exiſtimabit poſſe ſe miſerum eſſe, beatus non erit. Nam quum ſemel eſt ſuſcepta beata uita, tam permanet quàm ipſa illa effectrix beatæ uitæ ſapientia: neque expectat ultimum tempus ætatis, quod Crœſo ſcribit Herodotus præceptum à Solone. Etenim quemadmodum tute dicebas, negat Epicurus diuturnitatem quidem temporis ad beate uiuẽdum aliquid afferre, nec minorem uoluptatem percipi in breuitate temporis, quàm ſi illa ſit ſempiterna. Hæc dicuntur inconſtantiſſime. Quum enim ſummum bonum in uoluptate ponat, negat infinito tempore ætatis uoluptatem fieri maiorem quàm finito atque modico. Qui bonum omne in uirtute ponit, is poteſt dicere, perfici beatam uitam perfectione uirtutis. Negat enim ſummo bono afferre incrementum diem. Qui autem uoluptate uitam effici beatã putabit, qui ſibi is conueniet, ſi negabit uoluptatem creſcere lõginquitate? Igi͞t ne dolorem quidem. An dolor longiſſimus quiſque miſerrimus? uoluptatem non optabiliorem diuturnitas facit? Quid eſt igitur cur ita ſemper deum appellet Epicurus beatum & æternum? Dempta enim æternitate nihilo beatior Iupiter quàm Epicurus. Vterque enim ſummo bono fruitur, id eſt uoluptate. At enim hic etiam dolore, at eũ nihili facit. Ait enim, ſi uratur, ſe,

quam hoc ſuaue, dicturum. Qua igitur re à deo uincitur, ſi æternitate nō uin-
citur? In qua quid eſt boni, præter ſummam uoluptatem, & eā ſempiternā?
Quid ergo attinet glorioſe loqui, niſi conſtanter loquare? In uoluptate cor-
poris, addam ſi uis animi, dum ea ipſa ut uultis ſit, quod & in corpore ſitum
eſt, uiuere beate. Quid? iſtam uoluptatem perpetuā, quis poteſt præſtare ſa-
pienti? Nam quibus rebus efficiuntur uoluptates, hæ nō ſunt in poteſtate ſa-
pientis. Non enim in ipſa ſapientia poſitum eſt beatum eſſe, ſed in his rebus,
quas ſapiētia comparat ad uoluptatem. Totū aūt id externum: et quod exter-
num, id in caſu eſt: ita fit beatæ uitæ domina fortuna, quam Epicurus ait exi-
guam interuenire ſapienti. Age, inquies, iſta parua ſunt. Sapientem locuple-
tat ipſa natura, cuius diuitias Epicurus parabiles eſſe docuit. Hæc bene dicū-
tur, nec ego repugno, ſed inter ſeſe ipſa pugnant. Negat enim tenuiſſimo ui-
ctu, id eſt contemptiſſimis eſcis & potionibus minorem uoluptatem perci-
pi, q̄ rebus exquiſitiſſimis ad epulādum. Huic ego, ſi negaret quidquam in-
tereſſe ad beate uiuendum quali uteretur uictu, cōcederem, laudarem etiam;
uerum enim diceret, idq; Socratem, qui uoluptatem nullo loco numerat, au-
dio dicentem, Cibi condimentum eſſe famem, potionis ſitim. Sed qui ad uo-
luptatem omnia referens, uiuit ut Gallonius, loquitur ut frugi ille Piſo, non
audio. Nec enim eum quod ſentiat dicere exiſtimo. Naturales diuitias dixit
parabiles eſſe, quod paruo eſſet natura contenta. Certe, niſi uoluptatem tāti
æſtimaretis. Non minor, inquit, uoluptas percipitur tam ex uiliſſimis rebus
q̄ ex precioſiſſimis. Hoc eſt non modo cor nō habere, ſed ne palatum quidē.
Qui enim uoluptatem ipſam contēnunt, his licet dicere ſe acipenſerē mænæ
non anteponere. Cui uero in uoluptate ſummum bonum eſt, huic oīa ſen-
ſu, non ratione ſunt iudicanda: eaq; dicenda optima, quæ ſint ſuauiſſima. Ve-
rum iſto modo conſequatur ſummas uoluptates, nō modo paruo, ſed fermè
nihilo, ſi poteſt. Sit uoluptas non minor in naſturcio illo, quo ueſci Perſas eē
ſolitos ſcribit Xenophon, q̄ in Syracuſanis menſis, quæ à Platone grauiter
uituperātur. Sit inquam tam facilis q̄ uultis comparatio uoluptatis: quid de
dolore dicemus, cuius tanta tormenta ſunt, ut in his beata uita, ſi modo do-
lor ſummum malū eſt, eſſe nō poſſit? Ipſe enim Metrodorus penè alter Epi-
curus beatum eſſe deſcribit his ferè uerbis, quum corpus bene conſtitutū ſit,
& ſit exploratū ita futurum. An id exploratum cuiq̄ poteſt eſſe, quo modo
ſeſe habiturum ſit corpus, nō dico ad ānū, ſed ad ueſperam? Dolor igitur, id
eſt ſummum malum, metuetur ſemper, etiam ſi nō aderit. iam enim adeſſe po-
terit. qui poteſt igitur habitare in beata uita ſummi mali metus? Traditur, in-
quit, ab Epicuro ratio negligendi doloris. Iam ipſum abſurdum maximum
malum negligi. Sed quæ tandē iſta ratio eſt? Maximus dolor, inquit, breuis
eſt. Primum, quid tu dicis breuem? deinde dolorem tam maximum? Quid
enim? ſummus dolor plures dies manere nō poteſt? uide ne etiam mēſes: niſi
forte eum dicis, qui ſimulatq; arripuit interficit. Quis iſtum dolorem timet?
Illum mallem leuares, quo optimū atque humaniſſimū uirum Cn. Octauiū
M.F. familiarem meum cōfici uidi: nec uero ſemel, nec ad breue tempus, ſed
& ſæpe planè & diu. Quos dij immortales ille quum omnes artus ardere ui-
derētur, cruciatus perferebat? Nec tn̄ miſer eſſe, quia ſummum id malum nō
erat, tātūmodo laborioſus uidebatur. At miſer, ſi in uitioſa & flagitioſa uita

afflueret

affluerent uoluptatibus. Quod autem magnum dolorem, breuem, lõginquũ, leuem eſſe dicitis, id non intelligo quale ſit. Video enim & magnos, & eoſdem bene lõginquos dolores. Quædam alia toleratio eſt uerior, qua uti uos non poteſtis, qui honeſtatem ipſam per ſe non amatis. Fortitudinis quędam præcepta ſunt, ac pené leges, quæ effœminari uirum uetant in dolore. Quãobrem turpe putandum eſt, nõ dico dolere (nam id quidem eſt interdũ neceſſe) ſed ſaxum illud Lemnium clamore Philocteteo funeſtare,

Quod eiulatu, queſtu, gemitu, fremitibus
Reſonando mutum flebiles uoces refert.
Huic Epicurus competenter, & ſi poteſt,
Cui uiperino morſu uenæ uiſcerum
Veneno imbutæ, tetros cruciatus cient.

Sit Epicurus Philocteta, ſi grauis dolor, breuis. At iam decimum annũ in ſpelunca iacet. Si longus, leuis, dat enim interualla & relaxat. Primum nõ ſæpe, deinde quæ eſt iſta relaxatio, quum & præteriti doloris memoria recens eſt, & futuri atque impendẽtis torquet timor? Moriatur, inquit. Fortaſſe id optimum. Sed ubi illud plus ſemper uoluptatis? ſi enim ita ẽ, uide ne facinus facias, quum mori ſuadeas. Potius ergo illa dicantur, turpe eſſe uiro debilita„ri, dolere, frangi, ſuccumbere. Nam iſta ueſtra, ſi grauis, breuis, ſi longus, leuis, dictata ſunt, uirtutis, magnitudinis animi, patientiæ, fortitudinis fomentis dolor mitigari ſolet. Audi ne longe abeam, moriens quid dicat Epicurus, & intellige facta eius cum dictis diſcrepare.

EPICVRVS HERMACHO S.

„ Quum ageremus, inquit, uitę beatum, & eundem ſupremum diem, ſcribeba„mus hæc. Tanti autem morbi aderant ueſicæ & torminum, ut nihil ad eorũ „magnitudinem poſſit accedere. Ecce miſerum hominem. Si dolor ſummum „malum eſt, dici aliter non poteſt. Sed audiamus ipſum, Compenſabatur, in„quit, tamen cum his omnibus animi lętitia, quam capiebam memoria ratio„num inuentorumq́ noſtrorum. Sed tu, ut dignũ eſt tua erga me & erga phi„loſophiam uolũtate ab adoleſcentulo ſuſcepta, fac ut Metrodori tueare liberos. Non ego iam Epaminõdæ, non Leonidę mortẽ huius morti antepono: quorum alter quũ uiciſſet Lacedæmonios apud Mantineam, ſimulatq́ ipſe graui uulnere exanimari uideret ſe, ut primũ diſpexit, quæſiuit ſaluus'ne eſſet clypeus? Quum ſaluum eſſe flentes ſui reſpõdiſſent, rogauit, eſſent'ne fuſi hoſtes? Quumq́ id quoq́ ut cupiebat audiuiſſet, euelli iuſſit eam qua erat tranſfixus haſtã. Ita multo ſanguine profuſo, in lętitia & in uictoria eſt mortuus. Leonidas aũt Rex Lacedæmoniorum ſe in Thermopylis, trecentosq́ eos, quos eduxerat Sparta, quũ eẽt propoſita aut fuga turpis, aut glorioſa mors, oppoſuit hoſtibus. Præclaræ mortes ſunt imperatoriæ: Philoſophi autẽ in ſuis lectulis plerũq́ moriuntur. Refert tamen quod ſibi uidetur eſſe morienti magna laus. Compenſabatur, inquit, cũ ſummis doloribus lætitia. Audio equidem philoſophi uocẽ Epicure, ſed quid tibi dicẽdũ ſit, oblitus es. Primũ enim ſi uera ſunt ea quorum recordatiõe te gaudere dicis, hoc eſt, ſi uera ſunt tua ſcripta & inuenta, gaudere nõ potes, Nihil enim iam habes, quod ad cor

pus referas. Eſt autem à te ſemper dictum, nec gaudere quenq̃ niſi ꝑpter corpus, nec dolere. Præteritis, inquit, gaudeo. Quibuſnam prçteritis? ſi ad corpus pertinentibus, rõnes tuas te uideo compenſare cum iſtis doloribus, non memoriam corpore perceptarꝝ uoluptatum: ſi autem ad animum, falſum eſt quod negas animi ullũ eſſe gaudium, quod nõ referatur ad corpus. Cur deinde Metrodori liberos cõmendas? Quid iſto tuo egregio officio, & tãta fide (Sic enim exiſtimo) ad corpus refers? Huc & illuc Torquate uos uerſetis licet, nihil in hac prçclara epiſtola ſcriptum ab Epicuro cõgruens & cõueniẽs decretis eius reperietis. Ita redarguetur ipſe à ſeſe ueneuntq́ ſcripta eius ꝓbitate ipſius ac moribus. Nam iſta commẽdatio puerorꝝ, memoria & charitas amicitiæ, ſummorꝝ officiorꝝ in extremo ſpiritu conſeruatio, indicat innatam eſſe homini probitatem gratuitam, nõ inuitatam uoluptatibus, nec p̃miorũ mercedibus euocatã. Quod enim teſtimoniũ maius q̃rimus, quæ honeſta & recta ſint, ipſa eſſe optabilia per ſeſe, quum uideamus tanta officia moriẽtis? Sed ut epiſtolam laudandã arbitror eam, quam modo totidẽ ferè uerbis interpretatus ſum, quãquam ea cum ſumma eius philoſophi nullo modo congruebat, ſic eiuſdem teſtamentum, nõ ſolum philoſophi grauitate, ſed etiam ab ipſius ſententia iudico diſcrepare. Scripſit enim & multis ſæpe uerbis & breuiter apteq́ in eo libro, quem modo nominaui, Mortem nihil ad nos ꝑtinere. Quod enim diſſolutum ſit, id eẽ ſine ſenſu: quod autem ſine ſenſu ſit: id nihil omnino ad nos pertinere. Hoc ipſum elegantius poni meliusq́ potuit. Nam quod ita poſitum eſt, quod diſſolutum ſit, id eẽ ſine ſenſu, id eiuſmodi eſt, ut non ſatis planè dicat, quid ſit diſſolutum, ſed tamẽ intelligo quid uelit. Quæro autem quid ſit, quod cum diſſolutione, id eſt morte, ſenſus omnis extinguatur, & quum reliqui nihil ſit omnino quod pertineat ad nos, tam accurate tamq́ diligenter caueat & ſanciat, ut Amynomachus & Timocrates hæredes ſui de Hermachi ſententia dent, quod ſatis ſit ad diem agendum natalem ſuum quotannis menſe Gamelione: itemq́ omnibus menſibus XX die lunæ dent ad eorum epulas, qui unà ſecum philoſophati ſint, ut & ſui & Metrodori memoria colatur. Hæc ego non poſſum dicere non eſſe hominis quamuis & belli & humani, ſapientis uero nullo modo, Phyſici preſertim, quem ſe ille uult putari, ullum eſſe cuiuſquam diem natalẽ. Quid? uerène poteſt eſſe dies ſæpius qui ſemel fuit? Certe non poteſt. An eiuſdem modi? Ne id quidem, niſi quum multa annorum interceſſerint milia, ut omnium ſyderꝝ eodem unde profecta ſint, fiat ad unum tempus reuerſio. Nullus eſt igiť cuiuſquam dies natalis. At habetur, & ego ſcilicet id neſciebam. Sed ut ſit, etiã ne poſt mortem coletur, idq́ teſtamẽto cauebit is, qui nobis quaſi oraculum ediderit, nihil ad nos poſt mortem pertinere? Hæc non erant eius, qui innumerabiles mundos, infinitasq́ regiones, quarum nulla eſſet ora, nulla extremitas. mente peragrauiſſet. Nunquid tale Democritus? ut alios omittã: hũc appello, quem ille unum ſecutus eſt. Quod ſi dies notandus fuit, eum ne potius quo natus, an eum quo ſapiens factus eſt? Nõ potuit inquies fieri ſapiẽs, niſi natus eſſet. Et iſto modo, ne ſi auia quidẽ eius nata nõ eſſet. Res tota Torquate non doctorꝝ hominũ, uelle poſt mortem epulis celebrari memoriã ſui
*nominis. Quos quidem dies quemadmodum agatis, & in q̃tam hominũ fa-

cetoſam

cetoſam urbanitatem incurratis,non dico:nihil opus eſt litibus,tm̃ dico, magis fuiſſe uerũ agere Epicuri diem natalẽ,q̃ illum teſtamento cauere,ut ageretur. Sed ut ad propoſitũ reuertamur.(De dolore enim quum diceremus, ad iſtam epiſtolam delati ſumus)nunc totum illud concludi ſic licet: qui in ſummo malo eſt,iſte quum in eo eſt,non eſt beatus: Sapiens autem ſemper beatus eſt,& eſt aliqñ in dolore.Non eſt igitur ſummũ malum dolor. Iam illud quale tandem eſt?bona præterita non effluere ſapienti,mala meminiſſe nõ oportere.Primũ in noſtra ne poteſtate eſt qd meminerimus? Themiſtocles quidem quũ ei Simonides,aut quis alius,artem memoriæ polliceret̃, obliuionis inquit mallẽ:nam memini ẽt quæ nolo,obliuiſci nõ poſſum quæ uolo.Magno hic ingenio,ſed res ſe tñ ſic habet,ut nimis imperioſi philoſophi ſit uetare meminiſſe. Vide ne iſta ſint Manliana ueſtra, aut maiora etiã, ſi imperes quod facere non poſſim.Quid ſi etiam iucũda memoria eſt preteritorum malorꝝ,ut prouerbia nonnulla ueriora ſint q̃ ueſtra dogmata? Vulgo enim dicitur,Iucundi acti labores. Nec male Euripides, (Concludam ſi potero latine,grecum enim hunc uerſum noſtis omnes) Suauis eſt laborum præteritorum memoria.

Sed ad bona præterita redeamus.Quæ ſi à uobis talia dicerent̃, qualibus C.Marius uti poterat,ut expulſus,egens,in palude demerſus,trophæorꝝ recordatione leuaret dolorem ſuum,audirem,& planè probarẽ.Nec enim abſolui beata uita ſapientis,neq; ad exitũ perduci poterit, ſi prima queq; bene ab eo cõſulta atq; facta ipſius obliuione obruerent̃.Sed uobis uoluptatum ꝑceptarꝝ recordatio beatã uitã facit,& quidẽ corpore ꝑceptarũ. Nã ſi q̃ ſunt aliæ,falſum eſt,oĩs animi uoluptates eſſe è corporis ſocietate.Corporis autẽ uoluptas ẽt ſi p̃terita delectat,nõ intelligo cur Ariſtoteles Sardanapali epigrãma tantopere derideat,in quo ille Rex Syrię gloriet̃ ſe oẽs ſecũ libidinum uoluptates abſtuliſſe.Quod.n.ne uiuus qdẽ inqt diutius ſentire poterat dũ uita fruebat̃,qũo id potuit mortuo ꝑmanere?Fluit igit̃ uoluptas corporis,et prona queq; auolat,ut aiebat,ſępiusq; relinquit cãs pœnitẽdi q̃ recordandi. Itaq; beatior Aphricanus,cum patria illo modo loquens.

Deſine Roma tuos hoſtes. reliquaq; præclare.

Nanq; tibi monumenta mei peperere labores.

Laboribus hic pręteritis gaudet,tu iubes uoluptatibus.Hic ſe ad ea reuocat,è qbus nihil unq̃ retulerit ad corpus,tu totus hęres in corpore.Illud aũt ipſum qui obtineri poteſt,quod dicitis?Omnes animi & uoluptates & dolores,ad corporis uoluptates ac dolores pertinere.Nihil ne te delectat inq̃? Video quicũ loquar.Te igitur Torquate ipſum per ſe nihil delectat? omitto dignitatem,honeſtatem,ſpeciem ipſam uirtutum, de quibus ante dictum eſt:hæc leuiora ponam,poema,orationem quum aut ſcribis aut legis,quum omnium factorum,quum regionum cõquiris hiſtoriam,ſignum,tabula,locus amœnus,ludi,uenatio,uilla Luculli(nam ſi tuam dicerem,latebram haberes)ad corpus diceres pertinere.Sed ea quæ dixi ad corpus ne refers? An eſt aliquid quod te ſua ſpõte delectet? Aut pertinaciſſimus fueris,ſi in eo perſtiteris ad corpus ea quę dixi referre,aut deſerueris totã Epicuri uoluptatẽ,ſi negaueris.Quod uero late diſputatũ eſt maiores eſſe uoluptates & dolores animi q̃ corporis,quia trium temporꝝ particeps animus ſit,corpore aũt p̃ſen

tia ſolum ſentiantur, qui probari poteſt? Vt is qui propter me aliquid gaudeat, plusq̃ ego ipſe gaudeat. Animi uoluptas, oritur propter uoluptatẽ corporis, & maior eſt animi uoluptas q̃ corporis, ita fit ut gratulator lætior ſit, q̃ is cui gratuletur. Sed dum efficere uultis beatum ſapientem, quũ maximas animo uoluptates percipiat, omnibusꝙ partibus maiores q̃ corpore, qd occurrat, non uidetis: animi enim quocꝙ dolores percipiet omnibus partibus maiores q̃ corporis. Ita miſer ſit aliquando neceſſe eſt is, quẽ uos beatũ ſemp uultis eẽ. Nec uero id, dum oĩa ad uoluptatem doloremꝙ referetis, efficietis unquam. Quare aliud aliquid Torquate hominis ſummum bonũ reperiendum eſt. Voluptatem beſtijs concedemus, quibus uos de ſummo bono teſtibus uti ſoletis. Quid ſi etiam beſtiæ multa faciunt duce ſua queꝙ natura, partim indulgenter uel cum labore, ut in gignendo, in educando, perfacile appareat aliud quiddam his propoſitum non uoluptatem? Turtures & curſu, & pegrinatione lætanť: cõgregatione aliæ cœtum quodãmodo ciuitatis imitãtur. Videmus in quodam uolucrũ genere nõnulla indicia pietatis, cognitionem, memoriã, in multis etiam deſideria uidemus. Ergo in beſtijs erũt ſecreta à uoluptate humanarũ quædam ſimulacra uirtutũ, in ipſis hominibus uirtus niſi uoluptatis cauſa nulla erit? & homini qui cæteris animantibus plurimum præſtat, præcipue à natura nihil datum eſſe dicemus? Nos uero ſi quidem in uoluptate ſint omnia, lõge multũꝙ ſuperamur à beſtijs, quibus ipſa terra fundit ex ſeſe paſtus uarios, uarieꝙ abundantes nihil laborãtibus: nobis aũt aut uix, aut ne uix quidem ſuppetunt multo labore quærentibus, nec tñ ullo mõ ſũmũ pecudũ bonum & hominis idem mihi uideri põt. Quid enim tanto opus eſt inſtrumento in optimis artibus cõparandis? Quid tãto concurſu honeſtiſſimorũ ſtudiorum, tanto uirtutum comitatu, ſi ea nullã ad aliam rem, niſi ad uoluptatem conquiruntur? Vt ſi Xerxes quum tãtis claſſibus, tantisꝙ equeſtribus & pedeſtribus copijs, Helleſpõto iuncto, Athõue perfoſſo, maria ambulauiſſet, terram nauigauiſſet: ſi cũ tanto impetu in Grçciam ueniſſet, cauſam eius quis ex eo quæreret tantarum copiarũ, tantiꝙ belli, mel ſe afferre ex Hymetto uoluiſſe diceret, certe ſine cauſa uideretur tanta conatus: ſic nos ſapientem plurimis & grauiſſimis artibus atꝙ uirtutibus inſtructum & ornatũ, non ut illum maria pedibus peragrantem, claſſibus mõtes, ſed omne cœlum totamꝙ cum uniuerſo mari terram mẽte complexum, uoluptatem petere ſi dicemus, mellis cauſa dicemus tanta molitum. Ad altiora quædam et magnificẽtiora mihi crede Torquate nati ſumus, nec id ex animi ſolum partibus, in quibus ineſt memoria rerum innumerabilium. Vitæ * quidem infinita ineſt coniectura conſequentium, non multum à diuinatiõe differens, ineſt moderator cupiditatis pudor, ineſt ad humanã ſocietatẽ iuſtitiæ fida cuſtodia, ineſt in ppetiẽdis laboribus adeũdisꝙ piculis firma & ſtabilis doloris mortisꝙ cõtẽptio. Ergo hæc in aĩs. Tu aũt & mẽbra ipſa ſenſusꝙ conſidera, qui tibi, ut reliquæ corporis partes, non comites ſolum uirtutum, ſed miniſtri etiam uidebantur. Quid ſi in ipſo corpore multa uoluptati præponenda ſunt, ut uires, ualetudo, uelocitas, pulchritudo, qui tandẽ in animis cenſes, in quibus doctiſſimi illi ueteres ineſſe quiddã cœleſte & diuinum putauerunt? Quod ſi eſſet in uoluptate ſummum bonum, ut dicitis, optabile eſſet maxima in uoluptate, nullo interuallo interiecto, dies noctesꝙ

uerſari,

uerſari, quum omnes ſenſus dulcedine omni quaſi perfuſi mouerētur. Quis eſt autem dignus nomine hominis, qui unum diem totum uelit eē in iſto genere uoluptatis? Cyrenaici quidem non recuſant, ueſtri hæc uerecundius, illi fortaſſe conſtantius. Sed luſtremus animo non has maximas artes, quibus q carebant inertes à maioribus nominabantur. Sed quæro num exiſtimes, nō dico Homerū, Archilocū, Pindar℞, ſed Phidiā, Polycletū, Zeuxin ad uoluptates ſuas artes direxiſſe. Ergo opifex plus ſibi proponet ad formarum, q̄ ciuis excellens ad factorum pulchritudinem? Quæ autem eſt alia cauſa erroris tanti, tam longe lateq́ꝫ diffuſi, niſi quod is qui uoluptatem ſummum bonum eſſe decernit, non cum ea parte animi, in qua ineſt ratio atq́ꝫ conſilium, ſed cum cupiditate, id eſt cum animi leuiſſima parte deliberat. Quæro enim de te ſi ſint dij, ut uos etiam putatis, qui poſſunt eſſe beati, quum uoluptates corpore percipere non poſſint? aut ſi ſine eo genere uoluptatis beati ſunt, cur ſimilem animi uſum in ſapiente eſſe nolitis? Lege laudationes Torquate, nō eorum qui ſunt ab Homero laudati, non Cyri, non Ageſilai, non Ariſtidis, aut Themiſtoclis, non Philippi, non Alexādri, lege noſtrorum hominum, lege ueſtræ familiæ, neminem uidebis ita laudatum, ut artifex callidus comparandarum uoluptatum diceretur. Non elogia monumentorum id ſignificant, uelut hoc ad portam, uno ore cui plurimæ cōſentiunt gentes, populi primarium fuiſſe uirum. Id ne conſenſiſſe de Calatino plurimas gentes arbitramur, primariū populi fuiſſe quod præſtantiſſimus fuiſſet in conficiendis uoluptatibus? Ergo in his adoleſcentibus bonam ſpem eſſe dicemus, & magnam indolem, quos ſuis commodis inſeruituros, & quicquid ipſis expediat facturos arbitramur? Nonne uidemus quanta perturbatio rerum omnium conſequatur? quanta confuſio? tollitur beneficium, tollitur gratia, quę ſunt uincula cōcordiæ. Nec enim ſi tuam ob cauſam cuiquam cōmodes, beneficium illud habendum eſt, ſed fœneratio: nec gratia deberi uidetur ei, qui ſuam ob cauſam cōmodauerit. Maximas uero uirtutes iacere omnes neceſſe eſt, uoluptate dominante. Sunt etiam turpitudines plurimæ, quæ niſi honeſtas, natura plurimum ualeat, cur non cadant in ſapientem non eſt facile defendere. Ac ne plura cōplectar (ſunt enim innumerabilia) bene laudata uirtus, uoluptatis aditus intercludat neceſſe eſt. Quod iam à me expectare noli, tute introſpice in mentem tuam ipſe, eamq́ꝫ omni cogitatione pertractans, percontare ipſe te, perpetuis ne malis uoluptatibus perfluens, in ea quam ſæpe uſurpabas tranquillitate degere omnem ætatem ſine dolore, aſſumpto ēt illo, quod uos quidem adiungere ſoletis, ſed fieri non poteſt, ſine doloris metu. An quum de omnibus gentibus optime mererere, quū opē indigentibus ſalutēq́ꝫ ferres, uel Herculis perpeti erumnas (ſic enim maiores noſtri labores non fugiendos, triſtiſſimo tamen uerbo erumnas etiam in deo nominauerunt) exigerē ex te, cogeremq́ꝫ ut reſpōderes, niſi uererer ne Herculē ipſum ea quæ pro ſalute gentium ſummo labore geſſiſſet, uoluptatis cā geſſiſſe diceres? Quæ quum dixiſſem, Habeo, inquit, Torquatus, ad quos iſta referā, & quanquā aliquid ipſe poteram, tñ inuenire malo paratiores familiares nr̄os. Credo Sironem dicis & Polydemū, tū optimos uiros, tum doctiſſimos homines. Recte, inquit, intelligis. Age ſanè, inquam, ſed erat æquius Triarium aliq̄d de noſtra diſſenſione iudicare. Imo, inquit arridens, iniquū, hac q̄dem

de re. Tu enim iſta lenius, hic Stoicorū more nos uexat. Tū Triarius, Poſthac quidem, inquit, audacius. Nam hæc ipſa mihi erunt in promptu quę mō audiui, nec ante aggrediar, q̄ te ab iſtis quos dicis inſtructum uidero. Quæ quum eſſent dicta, finem fecimus & ambulandi & diſputandi.

M. TVLLII CICERONIS DE FINIBVS BONORVM ET MALORVM AD BRVTVM. LIBER III.

Voluptatem quidem Brute ſi ipſa ꝓ ſe loquatur, nec tam pertinaces habeat patronos, conceſſuram arbitror conuictam ſuperiore libro dignitati. Etenim ſit impudens, ſi uirtuti diutius repugnet, aut ſi honeſtis iucūda anteponat, aut pluris eſſe contendat dulcedinem corporis, & titillantem ex ea'ue natam lætitiam, q̄ grauitatē animi atq; conſtantiam. Quare illam quidē dimittamus, & ſuis ſe finibus tenere iubeamus, ne blāditijs eius illecebriſq; impediatur diſputandi ſeueritas. Quærendum eſt enim ubi ſit illud ſummum bonum, quod reperire uolumus, quoniam & uoluptas ab eo remota eſt, & eadem ferè contra eos dici poſſunt, qui uacuitatem doloris, finē bonorum eſſe uoluerunt. Nec uero ita ullum probetur ſummum bonum ut uirtute careat, qua nihil poteſt eſſe præſtantius. Itaq; q̄q̄ in eo ſermone, qui cū Torquato eſt habitus, nō remiſſi fuimus, tamen hæc acrior eſt cum Stoicis parata contentio. Quæ enim de uoluptate dicuntur, ea nec acutiſſime, nec abſcondite diſſeruntur. Neque enim qui defendunt eam uerſuti in diſſerendo ſunt, nec qui cōtra dicunt cauſam difficilem repellunt. Ipſe etiam dicit Epicurus, nec argumentandum quidem eſſe de uoluptate, quòd ſit poſitum eius iudicium in ſenſibus, ut cōmoneri nos ſatis ſit, nihil attineat doceri. Quare illa nobis ſimplex fuit in utrāq; partem diſputatio. Nec enim in Torquati ſermone quidq̄ implicatum aut tortuoſum fuit, noſtraq; ut mihi uidetur dilucida oratio. Stoicorum autē nō ignoras quàm ſit ſubtile uel ſpinoſum potius diſſerendi genus. Idq; quum Græcis, tum magis nobis, quibus etiam uerba parienda ſunt, imponendaq; noua nouis rebus noīa. Quod q̄dē nemo mediocriter doctus mirabitur, cogitās in omni arte, cuius uſus uulgaris cōmuniſq; non ſit, multam nouitatem nominum eſſe, quum conſtituātur earum rerū uocabula, quæ in quaq; arte uerſentur. Itaq; & Dialectici & Phyſici uerbis utūtur his, quæ ipſi græciæ nota non ſunt. Geometræ uero, Muſici, Grammatici, etiam more quodam loquuntur ſuo. Item ipſæ Rhetorum artes, quæ ſunt totæ forenſes atq; populares, uerbis tamen in dicendo quaſi priuatis utūtur ac ſuis. Atque ut omittam has artes elegantes & ingenuas, ne opifices quidē tueri ſua artificia poſſent, niſi uocabulis uterentur nobis incognitis, uſitatis ſibi. Quinetiam agricultura, quæ abhorret ab omni politiore elegantia, tñ eas res, in quibus uerſatur, nominibus notauit nouis, quo magis hoc philoſopho faciendū eſt. Ars eſt enim philoſophia uitæ, de qua diſſerēs arripere uerba de foro nō pōt. Qꝫ q̄ ex omnibus philoſophis Stoici plurima nominauerunt,

runt.Zeno quoq; eorum princeps non tam rerũ inuentor fuit,q̃ nouorꝝ uer
borum.Quod ſi in ea lingua quã pleriq; uberiorem putant,cõceſſum à Grę
cia eſt,ut doctiſſimi homines de rebus nõ peruagatis,inuſitatis uerbis uterẽ-
tur,quanto id uel nobis magis eſt cõcedendũ,qui ea nunc primum audemus
attingere?Et ſi quod ſæpe diximus,& quidem cũ aliqua querela non Gręco
rum modo,ſed etiam eorũ,qui ſe Græcos magis q̃ noſtros haberi uolũt, nos
non modo non uinci à Græcis uerborꝝ copia,ſed eſſe in ea etiam ſuperiores,
elaborandũ eſt,ut hoc nõ in noſtris ſolum artibus, ſed etiam in illorꝝ ipſorũ
cõſequamur.Quãq̃ ea uerba quibus ex inſtituto ueterũ utimur ꝓ Latinis,
ut ipſa philoſophia,ut Rhetorica,Dialectica,Grãmatica,Geometria, Muſi-
ca,q̃q̃ latine ea dici poterant,tamen qm̃ uſu percepta ſunt, noſtra ducamus.
Atque hæc quidẽ de rerũ nominibus.De ipſis rebus autẽ ſæpenumero Bru-
te uereor ne reprehendar,quum hæc ad te ſcribã,qui tum in philoſophia , tũ
in optimo genere philoſophiæ tantũ proceſſeris.Quod ſi facerẽ quaſi te eru
diens,iure reprehenderer,ſed ab eo plurimum abſum.Neq; ut ea cognoſcas,
quę tibi notiſſima ſunt,ad te mitto,ſed quia facillime in nomine tuo acqeſco,
& quia te æquiſſimũ habeo eorꝝ ſtudiorꝝ,quæ mihi cõmunia tecum ſunt,eſti
matorẽ & iudicẽ.Attendes igitur ut ſoles diligenter,eamq; controuerſiã di-
iudicabis,quæ mihi fuit cũ auunculo tuo diuino ac ſingulari uiro.Nã in Tu-
ſculano quum eẽm.uellemq; è bibliotheca pueri Luculli quibuſdã libris uti,
ueni in eius uillã,ut eos ipſe,ut ſolebam,inde promerem.Quo quũ ueniſſem,
M.Catonẽ,quẽ ibi eſſe neſcierã,uidi in bibliotheca ſedentẽ,multis circumfu-
ſum Stoicorꝝ libris.Erat enim,ut ſcis,in eo inexhauſta auiditas legendi , nec
ſatiari poterat: quippe qui ne reprehenſionẽ quidem uulgi inanem reformi-
dans,in ipſa curia ſoleret legere ſæpe,dũ Senatus cogeret̃,nihil opæ reip. de-
trahens,quo magis tũ in ſũmo otio,maximaq; copia quaſi helluo librorũ , ſi
hoc uerbo tam in clara re utendũ eſt,uidebatur.Quod quum accidiſſet, ut al
ter alterũ nec opinato uideremus,ſurrexit ſtatim.Deinde prima illa , quæ in
congreſſu ſolemus,Quid tu,inquit,huc?à uilla enim credo,& ſi ibi te eẽ ipſe
ſciſſem,ad te ipſe ueniſſem.Heri,inquã,ludis cõmiſſis ex urbe profectus ue-
ni ad ueſperam,Cauſa enim fuit huc ueniendi,ut quoſdã hinc libros prome-
rem.Et q̃dem Cato hanc totam copiã iam Lucullo noſtro notã eſſe oporte-
bit.Nam his libris eũ malo q̃ reliquo ornatu uillæ delectari . Eſt enim mihi
magnæ curæ,q̃q̃ quidẽ hoc propriũ tuum munus eſt,ut ita erudiat̃,ut & pa-
tri,& Scipioni noſtro,& tibi tã propinquo reſpõdeat.Laboro autem nõ ſi-
ne cã:nam & aui eius memoria moueor.Nec enim ignoras quãti fecerim Sci
pionem,qui,ut opinio mea fert,in principibus iam eſſet,ſi uiueret:& Lucul-
lus iam mihi uerſatur ante oculos,uir cum omnibus excellens,tum mecum &
amicitia,& omni uolũtate,ſententiaq; coniũctus.Præclare,inquit,facis,quũ
& eorꝝ memoriam tenes,quorꝝ uterque tibi teſtamento liberos ſuos cõmen-
dauit,& puerũ diligis.Quod aũt meũ munus dicis,nõ equidem recuſo,ſed te
adiungo ſociũ:addo ẽt illud,multa iã mihi dare ſigna puerũ & pudoris & in
genij,ſed ætatẽ uides.Video equidẽ inquam,ſed tamẽ iam infici debet his ar
tibus,quas ſi dum eſt tener cõbiberit,ad maiora ueniet paratior . Sic equidẽ
diligentius ſæpiusq; iſta loquemur inter nos,agemusq; cõmuniter . Sed reſi
deamus, inquit,ſi placet.itaq; fecimus.Tũ ille,Tu aũt quũ ipſe tantũ librorũ

habeas,quos hic tandem requiris? Cōmentarios quoſdam,inquam, Ariſto
telicos,quos hic ſciebam eſſe,ueni ut auferrem,quos legerē dum eſſem otio-
ſus:quod quidē nobis,ſicut ſcis,non ſæpe cōtingit. Quam uellē,inquit, ut te
ad Stoicos inclinauiſſes. Erat enim,ſi cuiuſq;,certe tuū nihil præter uirtutē in
bonis ducere. Vide ne magis,inq̄,tuū fuerit,cū in re idem tibi quod mihi ui-
deretur,nō noua te rebus noīa imponere. Rō enim noſtra cōſentit,oratio pu
gnat. Minime uero,inquit ille,cōſentit. Quidquid enim præter id quod ho
neſtum ſit,expetendum eſſe dixeris,in boniſq; numeraueris,& honeſtū ip-
ſum quaſi uirtutis lumen extinxeris,& uirtutem penitus euerteris. Dicuntur
iſta Cato magnifice,inquam,ſed uides ne uerborū gloriā tibi cum Pyrrhone
& cū Ariſtone,qui oīa exæquent,eſſe cōmunē? de quibus cupio ſcire,qd ſen
tias. Ego ne,quæris,inquit,ſcire qd ſentiā? Quos bonos uiros,fortes, iuſtos,
moderatos,aut audiuimus in rep. fuiſſe,aut ipſi uidimus,qui ſine ulla doctri-
na naturā ipſam ſecuti multa laudabilia fecerunt,eos melius à natura inſtitu-
tos fuiſſe,q̄ inſtitui potuiſſent à philoſophia,ſi ullam aliā probauiſſent, p̄ter
eam q̄ nihil aliud in bonis habet,niſi honeſtū,nihil niſi turpe in malis? Cete-
rę philoſophorum diſciplinæ omnino alia magis,alia minus,ſed tamen om-
nes quę rem ullam uirtutis expertem,aut in bonis aut in malis numerant, eas
non modo nihil adiuuare arbitror,neque affirmare quo meliores ſimus, ſed
ipſam deprauare naturam. Nā ſi hoc non obtineatur,id ſolum bonum eē qđ
honeſtum ſit,nullo modo probari poſſit,beatā uitā uirtute effici. quod ſi ita
ſit,an opera philoſophiæ ſit danda,neſcio. Si enim ſapiens aliquis miſer eſſe
poſſit,næ ego iſtam glorioſam memorabilemq; uirtutem non magno æſti-
mandam putem. Quæ adhuc Cato à te dicta ſunt,eadē,inquā, dicere poſſes,
ſi ſequerere Pyrrhonem aut Ariſtonem. Nec enim ignoras, his iſtud hone-
ſtum nō ſummum modo,ſed etiam ut tu uis,ſolum bonū uideri. Quod ſi ita
eſt,ſequitur idipſum,quod te uelle uideo,Omnes ſemper beatos eſſe ſapien-
tes. Hos ne igitur laudas,& hanc eorum,inquam,ſententiam ſequi nos cēſes
oportere? Minime uero iſtorū quidem inquit. Quum enim uirtutis hoc pro
prium ſit,earum rerum quæ ſecūdum naturam ſint,habere delectum, q om-
nia ſic exæquauerunt,ut in utranq; partem ita paria redderent,uti nulla ſele-
ctione uterentur eius,uirtutem ipſam ſuſtulerunt. Iſtud quidem, inquam,op
time dicis,ſed quæro num ne tibi faciendum idem ſit,nihil dicenti bonū qđ
non rectum honeſtumq; ſit,reliquarum rerum diſcrimen omne tollenti. Si
quidem inquit tollerem,ſed relinquo. Quonam modo,inquam? Si una uir-
tus,unum iſtud quod honeſtum appellas,rectum,laudabile,decorum.(Erit
enim notius quale ſit,pluribus notatum uocabulis idem declarantibus)id er
go,inquam,ſi ſolum eſt bonum,quid habebis præterea quod ſequare? Aut
ſi nihil malum,niſi quod turpe inhoneſtum,īdecorum,prauum, flagitioſum,
fœdum,ut hoc quoque pluribus nominibus inſigne faciamus,quid preterea
dices eſſe fugiendum? Non ignoranti inquit tibi quid ſim dicturus, ſed ali-
quid ut ego ſuſpicor,ex mea breui reſponſione arripere cupienti, nō reſpōde
bo ad ſingula,explicabo potius(quoniam otioſi ſumus)niſi alienum putas,
totam Zenonis Stoicorumq; ſententiam. Minime id quidem inquam alie-
num,multumq; ad ea quæ quærimus,explicatio tua iſta profecerit. Experia-
mur igitur,inquit,& ſi habet hæc Stoicorum ratio difficilius quiddā & ob-
ſcurius.

ſcurius. Nam quum in Græco ſermone hæc ipſa quōdam rerum nomina no‑
uarum nouabantur, quæ nunc conſuetudo diuturna triuit, quid cenſes in La
tino fore? Facillimum id quidem eſt inquam. Si enim Zenoni licuit, quum
rem aliquam inueniſſet inuſitatam, inauditum quoq; ei rei nomē imponere,
cur nō liceat Catoni? Nec tamen exprimi uerbum è uerbo neceſſe erit, ut in‑
terpretes indiſerti ſolēt, quum ſit uerbum quod idem declarat, magis minuſ‑
ue uſitatum. Equidem ſoleo etiam quod uno Græci, ſi aliter non poſſum, idē
pluribus uerbis exponere: & tamen puto concedi nobis oportere, ut Græco
uerbo utamur, ſiquando minus occurret Latinum, ne hoc ephippijs & acra‑
tophoris potius q̄ proegmenis & apoproegmenis concedatur, q̄q̄ hæc q̄dē
propoſita recte & reiecta dicere licebit. Bene facis, inquit, quod me adiuuas,
& iſtis quidem quæ modo dixiſti, utar potius Latinis: in ceteris ſubuenies, ſi
me hærentem uidebis. Sedulo, inquam, faciam, ſed fortuna fortis: quare cona
re quæſo, quid enim poſſumus hoc agere diuinius? Placet his, inquit, quorū
ratio mihi probatur, ſimulatq; natum ſit animal (hinc enim eſt ordiendum)
ipſum ſibi conciliari, & cōmendari ad ſe conſeruandū, & ad ſuum ſtatum, &
ad ea quæ cōſeruantia ſunt eius ſtatus diligenda: alienari autem ab interitu,
hiſq; rebus, quæ interitum uideantur afferre. Id ita eſſe ſic probant, quod an
teq̄ uoluptas aut dolor attigerit, ſalutaria appetant parui, aſpernenturq; con
traria: quod non fieret, niſi ſtatum ipſum diligerent, interitum timerēt. Fieri
aūt non poſſet, ut appeterent aliquid, niſi ſenſum haberēt ſui, eoq; ſe & ſua di
ligerent: ex quo intelligi debet principium ductum eſſe à ſe diligēdi. In prin
cipijs autem naturalibus diligendi ſui pleriq; Stoici non putant uoluptatem
eſſe ponendam, quibus ego uehementer aſſentior, ne ſi uoluptatē natura po‑
ſuiſſe in his rebus uideatur, quæ primæ appetuntur, multa turpia ſequantur.
Satis eſſe autem argumenti uidetur, quãobrem illa quæ natura prima ſunt,
aſcita natura diligamus: quod eſt nemo q̄n, quū utrumuis liceat, aptas malit
& integras oēs partes corporis, q̄ eodē uſu īminutas & detortas habere. Co
gnitiones aūt, uel ſi hæc uerba aut minus placēt, aut minus intelligunt̄, καταλή
ψεις appellemus licet. Eas igitur ipſas propter ſe aſciſcēdas arbitramur, q̄d ha
beant quiddam in ſe quaſi complexum & continens ueritatem. Id autem in
paruis intelligi poteſt, quos delectari uideamus etiam ſi eorū nihil interſit, ſi
quid ratione per ſe ipſi inuenerunt. Artes etiam ipſas propter ſe aſſumendas
putamus, tum quia ſit in his aliquid dignum aſſumptione, tum quod cōſtent
ex cognitionibus, et contineant quiddam in ſe ratione conſtitutum & uia. A
falſa autem aſſenſione magis nos alienatos eſſe, q̄ à ceteris rebus quæ ſunt cō
tra naturam, arbitrantur. Iam membrorum, id eſt partium corporis, alia ui‑
dētur propter eorum uſum à natura eſſe donata, ut manus, crura, pedes, ut ea
quæ ſunt intus in corpore, quorum utilitas quanta ſit, à medicis etiam diſpu‑
tatur: Alia autem nullam ob utilitatem, quaſi ad quendam ornatum, ut cau‑
da pauoni, plumæ uerſicolores columbis, uiris mammæ atq; barba. Hæc di‑
cuntur fortaſſe ieiunius. Sūt enim quaſi prima elementa naturæ, quibus uber
tas orationis adhiberi uix poteſt, nec equidem eam cogito conſectari. Verū‑
tamen quum de rebus grandioribus dicas, ipſę res uerba rapiunt. Ita fit quū
grauior, tum etiam ſplendidior oratio. Eſt ut dicis, inquam. Sed tamē omne
quod de re bona dilucide dicitur, mihi præclare dici uidet̄. Iſtiuſmodi autem

res dicere ornate uelle, puerile eſt, planè autem & pſpicue expedire poſſe docti & intelligentis uiri. Progrediamur igitur, quoniam, inquit, ab his principijs naturæ diſceſſimus, quibus cõgruere debent quæ ſequuntur. Sequit̃ aũt prima diuiſio hęc: ęſtimabile eẽ dicitur, ſic enim ut opinor appellamus *. id, quod aut ipſum ſecundũ naturam ſit, aut tale quid efficiat, ut ſelectiõe dignũ propterea ſit, quod aliquod põdus habeat dignum ęſtimatione, quã ille ἀξίαν uocat: cõtraq́ inæſtimabile, quod ſit ſuperiori contrariũ. Initijs igitur ita cõſtitutis, ut ea quæ ſecundũ naturam ſunt, ipſa propter ſe ſumenda ſint, cõtrariaq́ item rejcienda, primũ eſt officium (id enim appello καθῆκον) ut ſe cõſeruet in naturæ ſtatu: deinceps ut ea teneat, quæ ſecundũ naturam ſint, pellatq́ cõtraria, quæ inuenta ſelectione, & item reiectione ſequuntur: deinceps cum officio ſelectio, deinde ea perpetua, tum ad extremum conſtans cõſentaneaq́ naturæ, in qua primũ ineſſe incipit, & intelligit quid ſit quod uere bonũ poſſit dici. Prima eſt enim cõciliatio hominis ad ea quæ ſunt ſecundũ naturam. Simul aũt cepit intelligentiam uel notionem potius, quã appellãt ἔννοιαν illi, uiditq́ rerum agendarum ordinem, & ut ita dicam, concordiam, multo eam pluris æſtimauit, q̃ omnia illa, quæ primum dilexerat: atq́ ita cognitione & ratiõe collegit, ut ſtatueret in eo collocatum ſummũ illud hominis per ſe laudandum & expetẽdũ bonũ: quod compoſitum ſit in eo, quod ὁμολογίαν Stoici, nos appellemus cõuenĩetiã, ſi placet. Quum igitur in eo ſit id bonum quo referẽda ſunt omnia honeſte facta, ipſumq́ honeſtũ quod in bonis ducitur, q̃q̃ poſt oritur, tñ id ſolum ui ſua & dignitate expetẽdum eſt. Eorum autem quæ ſunt prima naturæ, propter ſe nihil eſt expetẽdum. Quum uero illa quę officia eſſe dixi, proficiſcantur ab initijs naturæ, neceſſe eſt ea ad hæc referri, ut recte dici poſſit, omnia officia eo referri, ut adipiſcamur principia naturæ, nec tamen ut hoc ſit bonorꝝ ultimum, propterea quòd non ineſt in primis naturæ cõciliationibus honeſta actio. cõſequẽs enim eſt, & poſt oritur ut dixi. Eſt tñ ea ſecũdum naturam, multoq́ nos ad ſe expetendam magis hortatur, q̃ ſuperiora omnia. Sed ex hoc primum error tollẽdus eſt, ne quis ſit qui exiſtimet, ut duo ſint ultima bonorꝝ. Vt enim ſi cui propoſitum ſit collineare haſtam aliquo, aut ſagittam, ſicut nos ultimum in bonis diximus, ſic illi facere omnia quæ poſſit, ut collineet. Huic in eius ſimilitudine omnia ſint facienda
* ut collineet, & tamẽ ut omnia faciat, quo ꝓpoſitũ aſſequatur. Sed hoc quaſi ultimum, quale nos ſummum in uita bonum dicimus, illud aũt ut feriat quaſi ſeligendum, nõ expetendum. Quum aũt omnia officia à principijs naturę proficiſcantur, ab ijſdem neceſſe eſt proficiſci ipſam ſapientiam. Sed quẽadmodum ſæpe fit, ut is qui cõmendatus ſit alicui, pluris eum faciat cui cõmendatus ſit, q̃ illũ à quo ſit, minime mirum eſt primo nos ſapientiæ commendari ab initijs naturæ, poſt autem ipſam ſapientiam nobis chariorem fieri, q̃ illa ſint à quibus ad hanc uenerimus. Atq́ ut membra nobis ita data ſunt, ut ad quandam rationem uiuendi data eſſe appareant, ſic appetitio animi, quę ὁρμὴ græce uocatur, non ad quoduis genus uitæ, ſed ad quandam formam uiuẽdi uidetur data, itemq́ & ratio & perfecta ratio. Vt enim hiſtrioni actio, ſaltatori motus nõ quiuis, ſed certus quidã eſt datus: ſic uita agẽda eſt certo genere quodam, nõ quolibet, quod genus cõueniens cõſentaneũq́ dicimus. Nec enim gubernationi aut medicinę ſimilẽ ſapientiã eſſę arbitramur, ſed actioni

illi

illi potius quam modo dixi,& ſaltationi,ut in ipſa arte inſit nõ foris petatur extremum,id eſt artis effectio.& tamẽ eſt etiam alia cum his ipſis artibus ſapientiæ diſſimilitudo,propterea quod in illis quæ recte facta ſunt non continentur tamen omnes partes é quibus conſtant.Quę autem nos aut recta, aut recte facta dicamus ſi placet,illi autem appellant κατορθώματα, omnes numeros uirtutis continent.Sola enim ſapientia in ſe tota cõuerſa eſt.Quod idem in ceteris artibus non fit.Inſcite autem medicinæ & gubernationis ultimum cum ultimo ſapientiæ comparatur.Sapientia enim & animi magnitudinẽ cõplectitur,& iuſtitiam,& ut omnia quæ homini accidant,infra ſe eſſe iudicet, quod idem in ceteris artibus non contingit.Tenere autem uirtutes eas ipſas, quarum modo mentionem feci,nemo poterit,niſi ſtatuerit nihil eſſe quod interſit,aut differat aliud ab alio pter honeſta & turpia.Videamus nunc q̃ ſint præclare illa ijs quæ iam poſui conſequentia.Quum enim hoc ſit extremum (ſentis enim credo me iamdiu quod τέλος Græcus dicat,id dicere tum extremum,tum ultimum,tum ſummũ,licebit etiam finem pro extremo aut ultimo dicere)quum ergo hoc ſit extremum,congruenter naturæ cõuenienterq́ uiuere,neceſſario ſequitur omnes ſapientes ſemper feliciter abſolute fortunate uiuere,nulla re impediri,nulla prohiberi,nulla egere.Quod autem continet nõ magis eam diſciplinam,de qua loquor,q̃ uitam fortunasq́ noſtras, id eſt ut quod honeſtum ſit,id ſolum bonũ iudicemus,poteſt id quidem fuſe & copioſe,& omnibus electiſſimis uerbis,grauiſſimisq́ ſententijs rhetorice & augeri & ornari.Sed conſectaria me Stoicorum breuia & acuta delectant.Cõcluduntur igitur eorum argumẽta ſic:quod eſt bonum, omne laudabile eſt: quod autem laudabile eſt,omne eſt honeſtum:bonum igitur quod eſt,honeſtum eſt.Satis ne hoc concluſum uidetur?certe.Quod enim efficiebat̃ ex his duobus,quæ erant ſumpta in eo,uides eſſe concluſum.Duorum autem é quibus effecta concluſio eſt,contra ſuperius dici ſolet,non omne bonum eſſe laudabile.Nam quod honeſtum ſit,laudabile eſſe conceditur.Illud autem pabſurdum,bonum eſſe aliquid quod non expetendum ſit,aut expetẽdum quod non placens,aut ſi id non etiam diligendum,ergo & probandum.Ita etiã laudabile,id autem honeſtum.Ita fit ut quod bonum ſit,id etiam honeſtum ſit. Deinde q̃ro,quis aut de miſera uita poſſit gloriari,aut non de beata?De ſola igit̃ beata.Ex qua efficitur,gloriatione,ut ita dicã,dignam eſſe beatã uitã,qđ non poſſit quidẽ inhoneſtæ uitæ iure cõtingere:ita fit,ut honeſta uita beata uita ſit.Et qm̃ is,cui cõtingit ut iure laudetur,habet inſigne quiddã ad decus & ad gloriã,ut ad ea quæ tãta ſint,beatus dici iure poſſit,idem de uita talis uiri rectiſſime dicitur.Ita ſi beata uita honeſtate cernitur,quod honeſtũ eſt, id bonũ ſolũ habendũ eſt.Quod uero negari nullo mõ poſſit,quẽ inq̃ ſtabili et firmo et magno aĩo,quẽ fortẽ uirũ dicimus effici poſſe,niſi cõſtitutũ ſit,nõ eẽ malũ dolorem?Vt.n.qui mortem in malis ponit,nõ poteſt eam nõ timere, ſic nemo ulla in re põt id quod malũ eſſe decernit,nõ curare,idq́ cõtemnere. Quo poſito,& omniũ aſſenſu approbato,illud aſſumitur, eũ qui magno ſit aĩo atq́ forti,omnia quæ cadere in hominẽ poſſint deſpicere, & ꝓ nihilo putare.Quæ quũ ita ſint,effectũ eſt nihil eſſe malũ,quod turpe nõ ſit. Atq́ iſte uir altus & excellens magno aĩo uere fortis,infra ſe oĩa humana ducẽs:is inq̃ quem efficere uolumus,quẽ quęrimus,certe & confidere ſibi debet,& ſuæ ui-

tæ, & actæ, & conſequenti, & bene de ſeſe iudicare, ſtatuens nihil mali poſſe
incidere ſapienti. Ex quo intelligitur idem illud ſolum bonum eſſe, quod ho
neſtum ſit: idq́ eſſe beate uiuere, & honeſte, id eſt cum uirtute uiuere. Nec ue
ro ignoro uarias philoſophorꝝ fuiſſe ſententias: eorum dico, qui ſummũ bo-
nũ, qđ ultimũ appello, in aĩo ponerẽt, quas q̃q̃ uitioſe quidã ſecuti ſunt, tñ nõ
modo his tribus qui uirtutem à ſummo bono ſegregauerunt, quum aut uolu
ptatem, aut uacuitatem doloris, aut prima naturæ in ſummis bonis ponerẽt:
ſed etiam alteris tribus, qui mancam fore putauerũt ſine aliqua acceſſiõe uir-
tutem, ob eamq́ rem trium earum rerũ, quas ſupradixi, ſingulis ſingulas ad-
diderunt. His tamen omnibus eos antepono, cuiuſmodi ſunt, qui ſummũ bo
num in animo atq́ in uirtute poſuerunt. Sed ſunt tamen perabſurdi, et hi qui
cum ſcientia uiuere ultimum bonorum, & qui nullam rerum differentiã eſſe
dixerunt. Atque ita ſapientem beatum fore nihil aliud alĳ momento ullo an
teponentem, ut quidam Academici conſtituiſſe dicũtur, extremum bonorꝝ,
& ſummum munus eſſe ſapiẽtis, obſiſtere uiſis, aſſenſusq́ ſuos firme ſuſtine-
re. His ſingulis copioſe reſponderi ſolet, ſed quæ perſpicua ſunt, longa eẽ nõ
debent. Quid autem apertius, q̃ ſi ſelectio nulla ſit ab his rebus quæ contra
naturam ſint, earum rerum, quæ ſint ſecundum naturam, tollatur oĩs ea quæ
quæritur laudeturq́ prudentia? Circũſcriptis igitur his ſententĳs, quas po-
ſui, & his quæ ſimiles earum ſunt, relinquitur ut ſummum bonum ſit uiuere,
ſcientiam adhibentem earum rerum quæ natura eueniant, ſeligentem quę ſe
cundum naturam, & ſi quæ contra naturam ſunt, reĳcientem, id eſt conueni-
enter congruenterq́ naturæ uiuere. Sed in ceteris artibus, quum dicitur arti-
ficioſe, poſterum quodammodo & conſequens putandum eſt, quod illi ἐπιγε
ννηματικὸν appellant. Quod autem in quo ſapienter dicimus, id apprime rectiſ-
ſime dicitur. Quicqd enim à ſapiente ꝓficiſcitur, id cõtinuo debet expletum
eſſe omnibus ſuis partibus. In eo enim poſitum eſt, id quod dicimus eſſe ex-
petendum. Nam ut peccatum eſt patriam prodere: parentes uiolare, ſana de-
peculari, q̃ ſunt in effectu: ſic timere: ſic mœrere, ſic in libidine eſſe peccatũ ẽ,
ẽt ſine effectu. Verũ ut hæc non in poſteris & in conſequentibus, ſed in pri-
mis continuo peccata ſunt, ſic ea quæ proficiſcuntur à uirtute, ſuſceptione pri
ma nõ perfectione recta ſunt iudicanda. Bonum aũt quod in hoc ſermone to
ties uſurpatum eſt, id etiam definitione explicetur, ſed eorum definitiões pau
lum oppido inter ſe differunt, & tamen eodem ſpectant. Ego aſſentior Dio-
geni, qui bonum definierit, id quod eſſet natura abſolutum, id autẽ ſequens,
illud etiã quod prodeſſet, ὠφέλημα enim ſic appellemus, motũ aut ſtatũ eſſe di
xit, ẽ natura abſoluta. Quũq́ rerũ notiones in animis fiant, ſi aut uſu aliquid
cognitũ ſit, aut cõiũctione, aut ſimilitudine, aut collatione rõnis, hoc quarto
quod extremum poſui bonũ notitia facta eſt. Quum enim ab his rebus, quæ
ſunt ſecũdum naturam, aſcendit animus collatione rõnis, tum ad notionẽ bo
ni peruenit. Hoc autem ipſum bonũ non acceſſione neq́ creſcendo, aut cum
ceteris comparando, ſed propria ui ſua & ſentimus, & appellamus bonũ. Vt
enim mel & ſi dulciſſimum eſt, ſuo tamen proprio genere ſaporis, non cõpa-
ratione cum alĳs dulce eſſe ſentitur, ſic bonũ hoc de quo agimus eſt illud qui
dem plurimi ęſtimandũ, ſed ea ęſtimatio genere ualet non magnitudine. Nã
quum ęſtimatio quę ἀξία dicitur, neq́ in bonis numerata ſit, nec rurſus in ma

lis,

lis,quantūcunq; eo addideris,in ſuo genere manebit. Alia eſt igitur propria æſtimatio uirtutis,quæ genere non creſcendo ualet. Nec uero perturbatiões animorum quæ uitam inſipientium miſeram acerbamq; reddunt: quas Græci πάθη appellant: poteram ego uerbum ipſum interpretans, morbos appellare,ſed nō cōueniet ad omnia. Quis enim miſericordiā, aut ipſam iracundiā morbū ſolet dicere? At illi dicunt πάθος. Sit igitur perturbatio,quæ nomine ipſo uitioſa declarari uidet. Nec hę perturbationes ui aliqua naturali mouentur,omnesq; hę ſunt genere quatuor,partibus plures. Aegritudo, formido, libido,q̄q̄ Stoici cōmuni nomine corporis & animi ἡδονὴν appellant,ego malo lætitiam appellare,quaſi geſtientis animi elationē uoluptariam. Perturbationes aūt nulla naturæ ui cōmouētur,omniaq; ea ſunt opiniones, ac iudicia leuitatis. Itaq; his ſapiens ſemper uacabit. Omne autem quod honeſtum ſit, id eſſe propter ſe expetendū,cōmune nobis eſt cum multoꝝ aliorum philoſophorū ſententijs. Præter enim tres diſciplinas quæ uirtutem à ſūmo bono excludunt,ceteris omnibus philoſophis hæc eſt tuenda ſentētia, maxime tamen his Stoicis,qui nihil aliud in bonoꝝ numero,niſi honeſtum eſſe uoluerunt. Sed hæc quidem eſt perfacilis,& perexpedita defenſio. Quis eſt enim, aut quis unq̄ fuit,aut auaritia tam ardēti,aut tam effrenatis cupiditatibus, ut eandem illam rem quam adipiſci ſcelere quouis uelit,nō multis partibus malit ad ſeſe etiam omni impunitate propoſita,ſine facinore,q̄ illo mō puenire? Quam uero utilitatem,aut quem fructū petentes ſcire cupimus,illa q̄ occulta nobis ſunt,quo moueātur,quibusq; de cauſis ea uerſentur in cœlo? Quis aūt tam agreſtibus inſtitutis uiuit,aut quis cōtra ſtudia naturæ tam uehementer obdurauit,ut à rebus cognitione dignis abhorreat, easq; ſine uoluptate aut utilitate aliqua non requirat,et pro nihilo putet? Aut quis eſt qui maiorum, aut Aphricanorū,aut eius quem tu in ore ſemper habes proaui mei, ceterorumq; uirorum fortium,atque omni uirtute præſtantium,facta,dicta,cōſilia cognoſcens,nulla animo afficiatur uoluptate? Quis aūt honeſta in familia inſtitutus,& educatus ingenue,non ipſa turpitudine etiam ſi eum læſura nō ſit, offenditur? Quis animo æquo uidet eum,quem impure ac flagitioſe putet uiuere? Quis nō odit ſordidos,uarios,leues,futiles? Quid autem dici poterat, ſi turpitudinem non ipſam per ſe fugiendam eē ſtatueremus,quo minus homines tenebras & ſolitudinem nacti nullo dedecore ſe abſtineāt, niſi eos per ſe fœditate ſua turpitudo ipſa deterreat? Innumerabilia dici poſſunt in hanc ſententiam,ſed non neceſſe eſt. Nihil eſt enim,de quo minus dubitari poſſit, quàm & honeſta per ſe expetenda,& eodem modo turpia per ſe eſſe fugienda. Cōſtituto autem illo,de quo ante diximus,quod honeſtum ſit, eſſe ſolum bonum,intelligi neceſſe eſt,pluris id quod honeſtum ſit, æſtimandum eſſe, q̄ illa media,quæ ex eo comparentur. Stultitiam autem & temeritatē & iniuſtitiam & intemperantiam quum dicimus eſſe fugiendam propter eas res, quæ ex ipſis eueniant,non ita dicimus,ut cum illo quod poſitum eſt, ſolū id eſſe malum quod turpe ſit,hæc pugnare uideatur oratio,propterea quod ea non ad corporis incōmodum referuntur,ſed ad turpes actiones, quæ oriuntur è uitijs. Quas enim Græci κακίας appellant,uitia malo q̄ malitias nominare. Hæc tu,inquā,Cato uerbis illuſtribus,& id quod uis declarātibus. Itaq; mihi uideris latine docere philoſophiam,& ei quaſi ciuitatē dare,quæ q̄dem

adhuc peregrinari Romæ uidebatur, nec offerre ſeſe noſtris ſermonibus, & iſta maxime propter limatam quandam, & rerũ & uerborũ tenuitatem. Scio enim eſſe quoſdam, qui q̃uis lingua philoſophari poſſint, nullis tamẽ partitionibus, nullis definitionibus utuntur ipſi: qui dicunt ea ſe modo probare, quibus natura tacita aſſentiatur. Itaq; in rebus minime obſcuris non multus eſt apud eos diſſerendi labor. Quare attendo te ſtudioſe, & quæcũq; rebus his de quibus hic ſermo eſt, noīa imponis, memoriæ mando. Mihi enim erit ijſdem iſtis fortaſſe iam utendũ. Virtutibus igitur rectiſſime mihi uideris, et ad conſuetudinẽ noſtræ orationis, uitia poſuiſſe cõtraria. Quod.n. uituperabile eſt per ſeipſum, id eo ipſo uitiũ nominatũ puto, uel ẽt à uitio dictum uituperari. Sin κακίαν malitiã dixiſſes, ad aliud nos unũ certum uitium cõſuetudo latina traduceret. Hoc omni uirtuti uitium cõtrario nomine opponit. Tum ille. His igitur ita poſitis, inquit, ſequiť magna contentio, quæ ꝑtractata eſt à Peripateticis mollius. Eſt enim eorum conſuetudo dicendi nõ ſatis acuta, ꝓpter ignorationẽ dialecticæ. Carneades tuus egregia quadã exercitatione in dialecticis, ſummaq; eloquentia rem in ſummũ diſcrimẽ adduxit, propterea quòd pugnare non deſtitit in omni hac quæſtione quæ de bonis & malis appelletur, nõ eſſe rerum Stoicis cum Peripateticis cõtrouerſiam, ſed nominũ. Mihi aũt nihil tam perſpicuum uidetur, q̃ has ſentẽtias eorũ philoſophorum re inter ſe magis q̃ uerbis diſſidere, maiorem multo habere Stoicos & Peripateticos rerum omnino diſcrepantiam, q̃ uerborum. Quippe quum Peripatetici omnia quæ ipſi bona appellant, pertinere dicant ad beate uiuẽdum: noſtri uero quod æſtimatione omnino aliqua dignum ſit, complecti uitam beatam putent. An uero certius quidq̃ poteſt eſſe, q̃ illa ratio eorum, qui dolorem in malis ponunt, nõ poſſe ſapiẽtem beatum eſſe quum eculeo torqueatur? Eorum autem qui dolorem in malis non habent, ratio certe cogit, uti in omnibus tormentis conſeruetur beata uita ſapienti. Etenim ſi dolores eoſdẽ tolerabilius patiũtur qui excipiunt eos pro patria, q̃ qui leuiori de cã, opinio facit nõ natura uim doloris aut maiorem aut minorem. Ne illud quidem eſt cõſentaneum, ut ſi quum tria genera bonorum ſint, quæ ſententia eſt Peripateticorum, eo beatior quiſq; ſit, quo ſit corporis, aut externis bonis plenior: ut hoc idem approbandum ſit nobis, ut qui plura habeat ea quæ in corpore magni æſtimantur, ſit beatior. Illi enim corporis cõmodis compleri beatam uitam putant, noſtri nihil minus. Nam quum ita placeat, ne eorum quidẽ bonorum, quæ nos bona naturæ appellemus, frequentia, beatiorem uitam fieri, aut magis expetendam, aut pluris æſtimandam, certe minus ad beatam uitã pertinet multitudo corporis commodorum. Etenim ſi ualere & ſapere magis expetendum ſit, quam ſapere ſolum, neque tamen ſi utrunque ſit æſtimatione dignum, pluris ſit coniunctum q̃ ſapere ipſum ſeparatim. Nam qui ualetudinem æſtimatione aliqua dignam uideamus, neq; tamen eam in bonis ponimus, ijdem cenſemus nullam eſſe tantam ęſtimationem, ut ea uirtuti anteponatur. Quod idem Peripatetici non tenent, quibus dicendum eſt, quæ & honeſta actio ſit, & ſine dolore, eam magis eſſe expetendam, q̃ ſi eſſet eadem actio cum dolore. Nobis aliter uidetur, recte ſecus ne, poſtea. Sed poteſt ne rerum maior eſſe diſſenſio? Vt enim obſcuratur et offunditur luce ſolis lumẽ lucernæ, & ut ĩterit magnitudine maris Aegæi ſtilla muriæ, & ut in diui

tijs Crœſi teruncij acceſſio,& gradus unus in ea uia quæ eſt hinc in Indiã:ſic
quum ſit is bonoꝝ finis,quem Stoici dicũt,omnis iſta rerũ in corpore: harũ
æſtimatio ſplẽdore uirtutis & magnitudine obſcuret̃,& obruat̃,atq; ĩtereat
neceſſe ẽ.Et quemadmodum opportunitas (ſic enim appellemus εὐκαιρίαν)
non fit maior productione temporis,habent enim ſuum modum quæq; op-
portuna dicuntur,ſic recta effectio:κατόρθωσιν enim ita appello,qm̃ rectum ſa
ctum κατόρθωμα:recta igitur effectio,item cõuenientia, deniq; ipſum bonum
quod in eo poſitum eſt ut naturæ cõſentiat,creſcendi acceſſionem nullam ha
bet.Vt enim opportunitas illa,ſic hæc de quibus dixi non fiunt temporis ꝓ
ductione maiora,ob eamq; cãm Stoicis nõ uidetur optabilior, nec magis ex
petenda beata uita,ſi ſit longa,q̃ ſi breuis.utunturq; ſimili. Vt ſi cothurni la-
us illa eſſet,ad pedem apte conuenire,neq; multi cothurni paucis antepone-
rentur,nec maiores minoribus:ſic quorum omne bonum cõuenientia atque
opportunitate finitur,nec plura paucioribus,nec longinquiora breuioribus
anteponent̃,Nec uero ſatis acute dicũt,ſi bona ualetudo pluris æſtimanda ſit
lõga q̃ breuis,ſapiẽtiæ quoq; uſus lõgiſſimus qſq; ſit plurimi.Nõ intelligũt
ualetudinis æſtimationem ſpatio iudicari,uirtutis opportunitate,ut uideant̃
qui illud dicãt,idem hoc eſſe dicturi,bonam mortem,& bonũ partũ melio-
rem lõgum eſſe,q̃ breuem.Nõ uident alia breuitate pluris æſtimari, alia diu
turnitate.Itaq; cõſentaneum eſt ijs quæ dicta ſunt.rõne illorum qui illũ bo-
noꝝ finem,quod appellamus extremũ,quod ultimum, putẽt creſcere poſſe,
ijſdem placere eſſe alium alio etiã ſapiẽtiorem,itemq; aliũ magis alio uel pec-
care,uel recte facere,quod nobis nõ licet dicere,qui creſcere bonoꝝ finẽ non
putamus.Vt enim qui demerſi ſunt in aqua,nihilo magis reſpirare poſſunt,
ſi nõ longe abſunt à ſummo ut iã iamq; poſſint emergere,q̃ ſi etiam tũ eſſent
in profundo:nec catulus ille qui iam appropinquat ut uideat,plus cernit q̃ is
qui modo eſt natus:ita qui proceſſit aliquãtulum ad uirtutis aditũ,nihilo mi
nus in miſeria ẽ,q̃ ille qui nihil proceſſit.Hæc mirabilia uideri intelligo: ſed
quum certe ſuperiora firma ac uera ſint, his autem ea conſentanea & conſe-
quentia,ne de eorum quidem eſt ueritate dubitandum.Sed quãquam negẽt
nec uirtutes nec uitia creſcere,& tamen utrũq; eorum fundi quodãmodo, &
quaſi dilatari putant.Diuitias autem Diogenes cenſeat eam non modo uim
habere,ut quaſi duces ſint ad uoluptatem,& ad ualetudinem bonam,ſed etiã
ut in ea contineant,non idem facere eas in uirtute,neque in cęteris artibus,ad
quas eſſe dux pecunia poteſt,continere autem non poteſt. Itaq; ſi uoluptas,
aut ſi bona ualetudo ſit in bonis,diuitias quoq; in bonis eſſe ponẽdas: aut ſi
ſapientia bonum ſit,non ſequi ut etiam diuitias bonum eſſe dicamus. Neque
ab ulla re quæ non ſit in bonis,id quod ſit in bonis contineri poteſt, ob eãq;
cauſam quia cogitationes comprehenſionesq; rerum è quibus efficiuntur ar
tes,ad appetitiones mouent,quum diuitiæ non ſint in bonis,nulla ars diuiti-
is contineri poteſt.Quod ſi de artibus concedamus,uirtutis tamẽ non ſit ea-
dem ratio,propterea quod hæc plurimæ commendationis & exercitationis
indigeat:quòd idem in artibus non ſit,& quòd uirtus ſtabilitatem, firmita-
tem,conſtantiam totius uitæ complectatur,nec hæc eadem in artibus eſſe ui-
deamus.Deinceps explicatur differentia rerum,quam ſi non ullam eſſe dice-
remus,cõfunderetur omnis uita,ut ab Ariſtone.Neq; ullũ ſapiẽtiæ munus,

aut opus inueniretur, quum inter eas res quæ ad uitam degendam pertinerent, nihil omnino intereſſet, neq; ullum delectum adhiberi oporteret. Itaq; quum eſſet ſatis conſtitutum id ſolum eſſe bonum quod eſſet honeſtū, & id malum ſolum, quod turpe, tum inter hæc & illa quæ nihil ualerent ad beate miſere'ue uiuendum, aliquid tamen quo differrēt, eſſe uoluerūt, ut eſſent eorum alia æſtimabilia, alia contra, alia neutrum. Quæq; autem æſtimanda eſſent, eorum in alijs ſatis eſſe cauſæ, quamobrem quibuſdam anteponerentur, ut in ualetudine, ut in integritate ſenſuum, ut in doloris uacuitate, ut gloriæ, diuitiarum, ſimilium rerum: alia autem nō eſſe eiuſmodi. Itemq; eorum quæ nulla æſtimatione digna eſſent, partim ſatis habere cauſæ, quamobrem reijcerentur, ut dolorem, morbum, ſenſuum amiſſionem, paupertatem, ignominiam, & ſimilia horum, partim non. Itemq; hinc illud eſſe exortum, quod Zeno προηγμένον, contraq; quod ἀποπροηγμένον nominauit, quum uteretur ī lingua copioſa, factis tamen nominibus ac nouis, quod nobis in hac inopi lingua non conceditur, quanquā tu hāc copioſiorem etiam dicere ſoles. Sed nō alienum eſt, quo facilius uis uerbi intelligatur, huius uerbi rationem faciēdi Zenonis exponere. Vt enim, inquit, nemo dicit in regia regē ipſum quaſi productum eſſe ad dignitatem (idē enim eſt προηγμένον) ſed eos qui in aliquo honore ſunt, quorum ordo proxime accedit ut ſecundus ſit ad regium principatum: ſic in uita non ea quæ primario loco ſunt, ſed ea quæ ſecundum locū obtinent, προηγμένα, id eſt producta nominētur. Quæ uel ita appellemus, id erit uerbum è uerbo, uel promota & remota, uelut dudum diximus, præpoſita uel præcipua, & illa reiecta. Re enim intellecta in uerborum uſu faciles eē debemus. Quoniam autem omne quod eſt bonum, primum locū tenere dicimus, neceſſe eſt nec bonum eſſe nec malum, hoc quod præpoſitum uel præcipuum nominamus. Itaq; id definimus, Quod ſit indifferens cum æſtimatione mediocri. Quod enim illi ἀδιάφορον dicunt, id mihi ita occurrit, ut indifferens dicerem. Neque enim illud fieri poterat ullo modo, ut nihil relinqueretur in medijs, quod aut ſecundum naturam eſſet, aut contra. Nec quum id relinqueretur, nihil in his poni quod ſatis æſtimabile eſſet, nec hæc poſita non aliqua eſſent præpoſita. Recte igitur hæc facta diſtinctio eſt. Atque etiam ab his quo facilius res perſpici poſſit, hoc ſimile ponitur. Vt enim, inquiunt, ſi hoc fingamus eē quaſi finem & ultimum, ita iacere talum ut rectus aſſiſtat, qui ita talus erit iactus, ut cadat rectus, præpoſitum quiddam habebit ad finem, qui aliter, contra, neque tamen illa præpoſitio tali, ad eū quem dixi finem pertinebit: ſic ea quæ ſunt præpoſita, referuntur illa quidem ad finem, ſed ad eius uim naturamq; nihil pertinent. Sequitur illa diuiſio, ut bonorum alia ſint ad illud ultimum pertinentia: ſic enim appello quæ τελικὰ dicuntur. Iam hoc ipſum inſtituamus ut placuit, pluribus uerbis dicere quod uno non poterimus, ut res intelligatur. Alia autē efficientia, quæ Græci ποιητικὰ, alia utrunq;. De pertinentibus, nihil eſt bonum præter actiones honeſtas: de efficientibus, nihil præter amicum. Sed & pertinentem, & efficiētem ſapientiam uolunt eſſe. Nam quia ſapientia eſt conueniens actio, eſt illo pertinenti genere quod dixi. Quod autem honeſtas actiones affert, & efficit, id efficiens dici poteſt. Hæc quæ præpoſita dicimus, partim ſunt per ſe ipſa ꝑpoſita, partim quod aliquid efficiunt, partim utrūq;. Per ſe, ut quidam habitus

oris

oris & uultus,ut ſtatus ut motus,in quibus ſunt,& præponenda quædam & reijcienda. Alia ob eam rem præpoſita dicentur,quod ex ſe aliquid efficiant, ut pecunia. Alia autem ob utrãq; rem,ut integri ſenſus,ut bona ualetudo.De bona autem fama:quam enim appellant εὐδοξίαν, aptius eſt hoc loco bonam famam appellare,q̃ gloriam.Chryſippus quidem,& Diogenes detracta utilitate,ne digitum quidem in eam porrigendum eſſe dicebant,quibus ego uehementer aſſentior.Qui autem poſt eos fuerunt,quũ Carneadẽ ſuſtinere nõ poſſent,hanc quam dixi bonam famam ipſam propter ſe præpoſitam & ſumendam eſſe dixerunt:eſſeq; hominis ingenui & liberaliter educati,uelle bene audire à parentibus, à propinquis,à bonis etiam uiris, idq; propter rem ipſam non propter uſum:dicuntq; ut liberis conſultum uelimus,etiam ſi poſthumi futuri ſint,propter ipſos,ſic futuræ poſt mortem famæ,tamen eſſe ꝓpter rem etiam detracto uſu cõſulendum.Sed quum quod honeſtũ ſit, id ſolum bonũ eſſe dicamus,cõſentaneum tñ eſt fungi officio,quum id officiũ, nec in bonis ponamus,nec in malis.Eſt enim aliquid in his rebus probabile, & quidem ita ut eius ratio reddi poſſit:ergo ut ẽt ꝓbabiliter acti rõ reddi poſſit.Eſt autem officium,quod ita factum eſt,ut eius facti probabilis ratio reddi poſſit.Ex quo intelligitur officium medium quoddam eſſe, quod neq; in bonis ponatur,neq; in cõtrarijs.Quoniamq; in his rebus,quæ neq; in uirtutibus ſunt,neq; in uitijs,eſt tamen quiddã quod uſui poſſit eſſe, tollendum id nõ eſt.Eſt aũt eius generis actio quoq; quędam,& quidẽ talis,ut rõ poſtulet agere aliquid & facere eorꝫ.Quod autem rõne actum ſit,id officiũ appellamus.Eſt igitur officiũ eius generis,quod neq; in bonis ponatur,nec in cõtrarijs.Atque perſpicuũ ẽt illud eſt,in iſtis rebus medijs aliquid agere ſapientẽ. Iudicat igitur quũ agit,officiũ illud eſſe:quod qm̃ nunq̃ fallitur in iudicando,erit in medijs rebus officium.quod efficitur etiã hac concluſione rationis. Quoniã enim uidemus eẽ quiddam,quod recte factũ appellemus, id autem eſt perfectũ officium:erit aũt etiã inchoatũ,ut ſi iuſte depoſitũ reddere in recte factis ſit, in officijs ponatur depoſitũ reddere.Illo enim addito iuſte, facit recte factũ:per ſe aũt hoc ipſum reddere,in officio ponitur.Quoniãq; nõ dubiũ eſt,quin in his quæ media dicimus ſit aliud ſumendũ,aliud reijciẽdũ,qdquid ita fit aut dicitur,omni officio cõtinetur.Ex quo intelligitur,qm̃ ſeipſos oẽs natura diligant,tam inſipientẽ q̃ ſapientẽ ſumpturum quæ ſecundũ naturam ſint,reiecturumq; cõtraria.Ita eſt quoddam cõe officium ſapientis,& inſipientis,ex quo efficitur uerſari in his quæ media dicamus.Sed quum ab his omnia proficiſcantur officia,non ſine cauſa dicĩ ad ea referri omnes noſtras cogitationes,in his & exceſſum è uita,& in uita manſionẽ.In quo enim plura ſunt,quæ ſecundũ naturam ſunt,huius officium eſt in uita manere. In quo aũt aut ſunt plura cõtraria,aut fore uidentur,huius officiũ eſt è uita excedere. Ex quo apparet & officiũ ſapientis eẽ,aliqñ excedere è uita quum beatus ſit: & ſtulti manere in uita,quum ſit miſer.Nam bonum illud & malũ, quod ſæpe iam dictum eſt,poſtea conſequitur:prima autem illa naturæ, ſiue ſecũda, ſiue contraria ſub iudiciũ ſapientis & delectũ cadunt,eſtq; illa ſubiecta quaſi materia ſapientiæ.Itaque & manendi in uita,& migrandi ratio omnibus his rebus quas ſupra dixi,metienda.Nam neque his qui uirtute retinentur in uita,nec his qui ſine uirtute ſunt,mors eſt oppetenda: ut ſæpe officium eſt ſa-

pientis deſciſcere à uita, quũ ſit beatiſſimus, ſi id opportune facere poſſit, qđ eſt conuenienter naturæ uiuere. Sic enim cenſent, opportunitatis eſſe beate uiuere. Itaque à ſapientia præcipitur ſeipſam ſi iuſſerit, ſapiens ut relinquat. Quamobrem quum uitiorum iſta uis non ſit, ut cauſam afferant mortis uoluntariæ, perſpicuum eſt etiam ſtultorum, qui ijdem miſeri ſunt, officium eſſe manere in uita, ſi ſint in maiore parte earum rerum, quas ſecũdum naturã eſſe dicimus. Et qm̃ excedens è uita & manens, æque miſer eſt, nec diuturnitas magis ei uitam fugiendam facit, nõ ſine cauſa dicitur his qui pluribus naturalibus frui poſſint, eſſe in uita manendum. Pertinere aũt ad rem arbitrantur intelligi natura fieri, ut liberi à parentibus amentur, à quo initio profectam cõmunem humani generis ſocietatem proſequimur. Quod primũ intelligi debet figura, membriſq; corporum, quæ ipſa declarant procreandi à natura habitam eſſe rationem. Neque uero hæc inter ſe congruere poſſent, ut natura et procreari uellet, & diligi procreatos nõ curaret. Atq; etiam in beſtijs iis naturę inſpici põt, quarum in fœtu & in educatione laborem quũ cernimus, naturæ ipſius uocẽ uidemur audire. Quare perſpicuũ eſt natura nos à dolore abhorrere. Sic apparet à natura ipſa ut eos quos genuerimus amemus, impelli. Ex hoc naſcitur ut etiam cõmunis hominum inter homines naturalis ſit cõmendatio, ut oporteat hominẽ ab homine ob id ipſum quod homo ſit nõ alienũ uideri. Vt enim in membris alia ſunt tanq̃ ſibi nata, ut oculi, ut aures: aliqua etiam ceterorum membrorum uſum adiuuant, ut crura, ut manus: ſic ĩmanes q̃dã beſtiæ ſibi ſolum natæ ſunt. At illa quæ in concha patula Pinna dicitur, iſq; qui enat è cõcha, qui q; eam cuſtodit Pinnoteres uocatur, in eamq; quũ ſe recepit includitur, ut uideatur monuiſſe ut caueret. Itemq; formicæ, apes, ciconiæ. aliorum etiam cauſa quædam faciunt: multo magis hæc coniunctio eſt hominis. Itaq; natura ſumus apti ad cœtus, concilia, ciuitates. Mundum autem cenſent regi numine deorum, eumq; eſſe quaſi cõmunem urbem & ciuitatẽ hominum & deorum, & unumquẽq; noſtrum eius mundi eſſe partem, ex quo illud natura conſequi, ut cõmunem utilitatem noſtræ anteponamus. Vt enim leges omnium ſalutem ſingulorum ſaluti anteponunt, ſic uir bonus, & ſapiens, & legibus parens, & ciuilis officij nõ ignarus, utilitati hominum plus quàm unius alicuius aut ſuæ conſulit. Nec magis uituperandus eſt proditor patrię, q̃ cõmunis utilitatis, aut ſalutis deſertor propter ſuam utilitatem aut ſalutem. Ex quo fit, ut laudandus ſit is, qui mortem oppetat pro repub. quod doceat chariorem nobis eſſe patriam, q̃ noſmetipſos. Quoniamq; illa uox inhumana & ſcelerata ducitur eorum, qui negãt ſe recuſare quo minus ipſis mortuis terrarum omnium deflagratio conſequatur, quod uulgari quodam uerſu Græco pronunciari ſolet. Certe uerũ eſt etiam his qui aliquãdo futuri ſint eẽ propter ipſos cõſulendum: ex hac animorum affectione teſtamenta cõmendationeſq; morientium natæ ſunt. Quodq; nemo in ſumma ſolitudine uitã agere uelit, ne cum infinita quidem uoluptatum abundantia, facile intelligitur nos ad cõiunctionem cõgregationemq; hominum, & ad naturalem cõmunitatẽ eſſe natos. Impellimur autem natura, ut prodeſſe uelimus q̃ plurimis, in primiſq; docẽdo, rationibuſq; prudentiæ tradendis. Itaque non facile eſt inuenire, qui quod ſciat ipſe nõ tradat alteri. Ita non ſolum ad diſcendũ ꝓpenſi ſumus, uerũetiam ad docendũ. Atque ut tauris natura datum eſt, ut pro uitulis

contra leones ſumma ui impetuqꝫ contendant: ſic hi qui ualent opibus, atque id facere poſſunt ut de Hercule, & de Libero accepimus, ad ſeruandū genus hominum natura incitantur. Atqꝫ etiam Iouem quum optimū & maximum dicimus, quumqꝫ eundem ſalutarem, hoſpitalem, ſtatorem, hoc intelligi uolumus, ſalutem hominū in eius eſſe tutela. Minime aūt cōuenit, quum ipſi inter nos abiecti neglectiqꝫ ſimus, poſtulare ut dijs īmortalibus chari ſimus, & ab illis diligamur. Quemadmodum igitur mēbris utimur priuſq̄ didicimus cuius ea utilitatis cauſa habeamus, ſic inter nos natura ad ciuilem cōmunitatem coniuncti & conſociati ſumus. Quod ni ita ſe haberet, nec iuſtitiæ ullus eſſet nec bonitati locus. Et quo modo hominum inter homines iuris eſſe uincula putant, ſic homini nihil iuris eſſet cum beſtijs. Pręclare enim Chryſippus, cetera nata eſſe cauſa hominum & deoꝝ, eos autem communitatis & ſocietatis ſuæ, ut beſtijs homines uti ad utilitatem ſuā poſſint ſine iniuria: quoniamqꝫ ea natura eſſet hominis, ut cum genere humano quaſi ciuile ius intercederet: qui id conſeruaret eum iuſtū, qui migraret iniuſtum fore. Sed quemadmodū theatrum, quum cōmune ſit, recte tñ dici poteſt eius eſſe eū locū, quē quiſque occuparit: ſic in urbe, mundoue cōmuni, non aduerſatur ius, quo minus ſuū quidque cuiuſque ſit. Quum aūt ad tuendos, cōſeruandoſqꝫ homines hominem natū eſſe uideamus, conſentaneū eſt huic naturę, ut ſapiens uelit gerere & adminiſtrare remp. atque ut è natura uiuat, uxorem adiūgere, et uelle ex ea liberos procreare. Ne amores quidem ſanctos à ſapiente alienos eẽ arbitrantur. Cynicoꝝ autem rõnem atque uitam: alij cadere in ſapientē dicunt, ſi quis eiuſmodi forte caſus inciderit, ut id faciendū ſit: alij nullo modo. Vt uero conſeruetur omnis homini erga hominē ſocietas, coniunctio, charitas, & emolumenta, & detrimenta, quæ ὠφελήματα & βλάμματα appellant, cōmunia eẽ uoluerunt: quoꝝ altera proſunt, nocent altera: neque ſolum ea cōmunia, uerū etiam paria eſſe dixerūt. Incōmoda autem & cōmoda (ita enim εὐχρηστήματα, & δυσχρηστήματα appello) cōmunia eſſe uoluerunt, paria noluerunt. Illa enim quæ proſunt aut quæ nocent, aut bona ſunt aut mala, quæ ſint paria neceſſe ē. Cōmoda autem & incōmoda in eo genere ſunt, quæ præpoſita & reiecta dicimus: ea poſſunt paria non eſſe, ſed emolumenta cōmunia eſſe dicūtur, recte autem facta & peccata non habentur cōmunia. Amicitiam aūt adhibendam eſſe cenſent, quia ſit ex eo genere quæ proſunt. Qꝛq̄ autem in amicitia alij dicant æque charam eſſe ſapienti rõnem amici ac ſuā, alij aūt ſibi cuiqꝫ chariorē ſuam, tñ id quoque poſteriores fatentur alienum eſſe à iuſtitia, ad quam nati eſſe uideamur, detrahere quid de aliquo quod ſibi aſſumat. Minime uero ꝓbat̄ huic diſciplinæ de qua loquor, aut amicitiā aut iuſtitiā propter utilitates aſciſci aut probari. Eædem enim uoluptates poterunt eas labefactare atque ꝑuertere: etenim nec iuſtitiæ nec amicitiæ eſſe omnino poterunt, niſi ipſæ ꝑ ſe expetantur. Ius autem quod ita dici appellariqꝫ poſſit, id eẽ naturā, alienūqꝫ eſſe à ſapiente non modo iniuriam cui facere, uerum etiam nocere. Nec uero rectum eſt, cum amicis aut benemeritis conſociare aut coniungere iniuriam: grauiſſimeqꝫ & ueriſſime defenditur, nunq̄ æquitatem ab utilitate poſſe ſeiūgere, & quidquid æquum iuſtumqꝫ eēt, id etiam honeſtum, uiciſſimqꝫ qdqd eſſet honeſtum, id iuſtum etiam atque æquum fore. Ad eaſqꝫ uirtutes de quibus diſputatum eſt, Dialecticam etiā adiungunt & Phyſicam, eaſqꝫ ambas

uirtutum nomine appellant. Alteram quod habeat rationem ne cui falſo aſſentiamur, ne'ue unquam captioſa probabilitate fallamur, eaq́ꝫ q̃ de bonis & malis diceremus, ut tenere tueriq́ꝫ poſſimus. Nã ſine hac arte quęuis arbitramur à uero abduci falliq́ꝫ poſſe. Recte igitur ſi oĩbus in rebus temeritas ignoratioq́ꝫ uitioſa eſt, ab his ea quæ tollit, hæc uirtus noĩata eſt. Phyſicæ quoq́ꝫ non ſine cauſa tributus idem eſt honos, propterea quòd qui cõueniẽter naturæ uicturus ſit, ei & proficiſcendũ eſt ab omni mundo, & ab eius procuratione. Nec uero poteſt quiſq̃ de bonis & de malis uere iudicare, niſi omni cognita ratione naturæ & uitæ, etiam deorꝝ, & utrum conueniat nec ne natura hominis cum uniuerſa: quæq́ꝫ ſunt uetera præcepta ſapientium, qui iubent tẽpori parere, & ſequi Deum, & ſe noſcere, & nihil nimis. Hæc ſine Phyſicis quã uim habeant (& habent maximam) uidere nemo poteſt. Atq́ꝫ etiam ad iuſtitiam colendam, ad tuendas amicitias & reliquas charitates quid natura ualeat, hæc una cognitio poteſt tradere. Nec uero pietas aduerſus deos, nec quãta his gratia debeatur, ſine explicatione naturæ intelligi poteſt. Sed iam ſentio me eſſe longius prouectum q̃ propoſita ratio poſtularet, uerum admirabilis compoſitio diſciplinæ, incredibilisq́ꝫ rerũ traxit ordo. Quæ per deos ĩmortales nõne miraris? Quid enim aut in natura, qua nihil ẽ aptius, nihil deſcriptius, aut in operibus manufactis, tam compoſitũ, tamq́ꝫ compactũ & coagmentatum inueniri poteſt? Quid poſterius priori non conuenit? Quid ſequtur quod nõ reſpondeat ſuperiori? quid non ſic aliud ex alio nectitur, ut non ſi ullam literam moueris labent omnia? Nec tamen quidq̃ eſt quod moueri poſſit. Quã grauis uero, q̃ magnifica, q̃ conſtans conficitur perſona ſapientis? qui quum ratio docuerit, quod honeſtum eſſet, id eſſe ſolum bonum, ſemper ſit neceſſe eſt beatus, uereq́ꝫ omnia iſta nomina poſſideat, quæ irrideri ab imperitis ſolẽt. Rectius enim appellabitur Rex, q̃ Tarquinius, qui nec ſe nec ſuos regere potuit. Rectius magiſter populi (is enim ẽ Dictator) q̃ Sylla, qui trium peſtiferorꝝ uitiorũ, luxuriæ, auaritiæ, crudelitatis magiſter fuit. Rectius diues q̃ Craſſus, qui niſi eguiſſet nũquam Euphratem nulla belli cauſa trãſire uoluiſſet. Recte eius omnia dicentur qui ſcit uti ſolus omnibus: recte etiã pulcher appellabitur: animi enim lineamẽta ſunt pulchriora q̃ corporis. Recte ſolus liber, nec dominationi cuiuſquã parens, neq́ꝫ obediens cupiditati: recte inuictus cuius etiam ſi corpus conſtringatur, animo tamen uincula iniici nulla poſſint: nec expectet ullum tempus ætatis, ut tum deniq́ꝫ iudicetur beatus ne fuerit, quum extremũ uitæ diem morte confecerit, quod ille unus ex ſeptem ſapientibus nõ ſapienter Crœſum monuit. Nã ſi beatus unq̃ fuiſſet, beatam uitã uſq́ꝫ ad illum à Cyro extructũ rogum protuliſſet. Quod ſi ita eſt, ut neq́ꝫ quiſq̃ niſi bonus uir, et oẽs boni beati ſint, quid philoſophia magis colendum? aut quid eſt uirtute diuinius?

M. TVLLII CICERONIS DE FINIBVS BONORVM ET MALORVM AD BRVTVM. LIBER IIII.

QVÆ quum dixiſſet, finem ille. Ego autem, næ tu, inq̃, Cato iſta expoſuiſti tam multa memoriter, tã obſcura dilucide. Itaq; aut omittamus contra omnino uelle aliquid, aut ſpatium ſumamus ad cogitandum. Tã.n. diligenter & ſi minus uere (nam nondum id quidem audeo dicere) ſed tamen accurate, non modo fundatã, uerũetiam extructam diſciplinam, non eſt facile perdiſcere. Tum ille, ain tandem inquit? Quũ ego te hac noua lege uideam eodem die accuſatori reſpõdere, & tribus horis perorare, in hac mea cauſa tempus dilaturũ putas? quæ tamen à te agetur non melior, quàm illæ ſunt quas interdum obtines. Quare iſtã quoq; aggredere, tractatam preſertim & ab alijs, & à teipſo ſæpe, ut tibi deeſſe non poſſit oratio. Tũ ego, Non me hercule, ſolere temere contra Stoicos, non quo illis admodũ aſſentiar: ſed pudore impedior. Ita multa dicunt quæ uix intelligam. Obſcura, inquit, quædam eſſe confiteor, nec tamen ab illis ita dicũtur de induſtria, ſed ineſt in rebus ipſis obſcuritas. Cur igitur eaſdem res, inquã, Peripateticis dicentibus uerbum nullum eſt quod nõ intelligatur? Eaſdém ne res, inquit? an parum diſſerui, non uerbis Stoicos à Peripateticis, ſed uniuerſa re, & tota ſententia diſſidere? Atqui, inquã, Cato, ſi iſtud obtinueris, traducas me ad te totum licebit. Putabam equidem ſatis, inquit, me dixiſſe. Quare ad ea primum ſi uidetur: ſin aliud q̄d uoles, poſtea. Imo iſtud quidẽ inquã, quo loco, niſi iniquum poſtulo, reſpõde arbitratu meo. Vt placet, inquit. Etſi enim illud erat aptius, æquum cuiq; concedere. Exiſtimo, igitur, inquam, Cato, ueteres illos Platonis auditores Speuſippum, Ariſtotelem, Xenocratem, deinde eorum Polemonem, Theophraſtum, ſatis & copioſe & eleganter habuiſſe conſtitutam diſciplinam, ut non eſſet cauſa Zenoni, quum Polemonem audiſſet, cur & ab eoipſo, & à ſuperioribus diſſideret, quorum fuit hæc inſtitutio. In qua animaduertas uelim, quid mutandum putes. Nec expectes dum ad omnia dicam, quæ ante dicta ſunt. Vniuerſa enim illorum ratione cum tota ueſtra confligendum puto. Qui quum uiderent ita nos eſſe natos, ut & communiter ad eas uirtutes apti eſſemus, quæ notæ illuſtresq; ſunt, iuſtitiam dico, temperantiam, ceteraſq; generis eiuſdem, quæ omnes ſimiles artium reliquarum, materia tantum ad meliorem partem & tractatione differunt, eaſq; ipſas uirtutes uiderent nos magnificentius appetere & ardẽtius, habere etiam, inſitãq; quandam uel potius innatam cupiditatem ſcientiæ, natoſq; eſſe ad congregationem hominum, & ad ſocietatem cõmunitatemq; generis humani, eaq; in maximis ingenijs maxime elucere, totam philoſophiam tres in partes diuiſerunt, quam partitionem à Zenone retentam eſſe uidemus. Quarum quum una ſit, qua mores confirmari putantur, differo eam partem, quæ quaſi ſtirps eſt huius quæſtionis. Qui ſit enim finis bonorum, mox: hoc loco tantũ dico, à ueteribus Peripateticis Academicisq;, qui re conſentiẽtes uocabulis differebant, eum locum quem ciuilem recte appellaturi uidemur, Græci πολιτικὸν,

grauiter & copioſe eſſe tractatum. Quàm multa illi de repub. ſcripſerunt, q̃ multa de legibus, q̃ multa non ſolum præcepta in artibus, ſed etiam exempla in orationibus bene dicendi reliquerũt? Primũ enim ipſa illa quæ ſubtiliter diſſerenda erant, polite apteq; dixerunt, quum definientes, tum partiẽtes, ut ueſtri etiam, ſed uos ſqualidius, illorum uides q̃ niteat oratio. Deinde ea quę requirebant orationem ornatam & grauem, q̃ magnifice ſunt dicta ab illis? q̃ ſplendide? de iuſtitia, de fortitudine, de amicitia, de ętate degẽda, de philoſophia, de capeſſenda rep. de tẽperãtia, de fortitudine hoĩum * de ſpinis uellẽtiũ ut Stoici, nec oſſa nudãtiũ, ſed eorum qui grandia ornate uellent, enucleate minora dicere. Itaq; quæ ſunt eorum cõſolationes, quę cohortationes, quę etiam monita & conſilia ſcripta ad ſummos uiros? Erat enim apud eos, ut eſt rerum ipſarum natura, ſic dicendi exercitatio duplex. Nam quidquid quęritur, id habet aut generis ipſius ſine perſonis temporibusq;, aut ijs adiunctis, facti, aut iuris, aut nominis controuerſiam. Ergo in utroq; exercebãtur, eaq; diſciplina effecit tantam illorũ in utroq; in genere dicẽdi copiam. Totum genus hoc, & Zeno, & ab eo qui ſunt, aut nõ potuerunt, aut noluerunt, certe reliquerunt, quãquam ſcripſit artem rhetoricam Cleanthes, Chryſippus etiã, ſed ſic, ut ſi quis obmuteſcere concupierit, nihil aliud legere debeat. Itaq; uides quo modo loquantur, noua uerba fingunt, deſerunt uſitata. At quãta conantur? mundum hũc omnem oppidum eſſe noſtrum. Incẽdit igitur eos qui audiũt. Vides quantam rem agas, ut Circeis qui habitet, totum hũc mũdum ſuum municipium eſſe exiſtimet. Quid ille incẽdat? reſtinguet citius ſi ardentem acceperit. Iſta ipſa quæ tu breuiter, Regem, Dictatorem, diuitem, ſolum eſſe ſapientem, à te quidem apte ac rotũde, quippe habes enim à rhetoribus: illorum uero iſta ipſa q̃ exilia de uirtutis ui, quam tantam uolunt eſſe, ut beatum per ſe efficere poſſit. Pungunt quaſi aculeis, interrogatiũculis anguſtis, quibus etiam qui aſſentiuntur nihil cõmutantur animo, & ijdem abeunt qui uenerant. Res enim fortaſſe ueræ, certe graues, non ita tractantur ut debent, ſed aliquanto minutius. Sequitur diſſerendi ratio, cognitioq; naturæ: nã de ſummo bono mox, ut dixi, uidebimus, & ad id explicãdũ diſputationẽ oẽm conferemus. In ijs igit̃ partibus duabus nihil erat qđ Zeno cõmutare geſtiret, res .n. p̃clare ſe habent, & qdẽ in utraq; parte. Quid .n. ab antiqs ex eo genere quod ad diſſerendum ualet, prætermiſſum eſt? Qui & definierunt plurima, & definiendi artes reliquerunt. Quodq; eſt definitioni adiunctũ, ut res in partes diuidatur, id & fit ab illis, & quemadmodum fieri oporteat traditur. Item de contrarijs, à quibus ad genera formaſq; generum uenerũt. Iam argumenti ratione concluſi caput eſſe faciunt, eaq; perſpicua dicunt, deinde ordinem ſequuntur. Tum quid uerum ſit in ſingulis, extrema concluſio eſt. Quanta autem ab illis uarietas argumentorum ratione concludentium, eorumq; cum captioſis interrogationibus diſſimilitudo? Quid quod pluribus locis quaſi denunciant, ut neque ſenſuum fidem ſine ratione, nec rationes ſine ſenſibus exquiramus, atque ut eorum alterum ab altero ſeparemus? Quid ea quæ Dialectici nunc tradunt & docent, nónne ab illis inſtituta ſunt & inuẽta? De quibus & ſi à Chryſippo maxime eſt elaboratum, tamẽ à Zenone minus multo quàm ab antiquis: ab hoc autem quædam non melius quàm ueteres, quædam omnino relicta. Quumq; duæ ſint artes, quibus perfecte ratio

& oratio compleatur,una inueniendi,altera diſſerendi,hanc poſteriorem & Stoici & Peripatetici,priorem autem illi egregie tradiderunt, hi omnino ne attigerunt quidē.Nā è quibus locis quaſi theſauris argumenta depromerē-tur , ueſtri ne ſuſpicati quidem ſunt,ſuperiores autem artificio & uia tradide runt.Quæ quidem res effecit,ne neceſſe ſit ijſdem de rebus ſemper, quaſi di-ctata decantare,neque à commentariolis ſuis diſcedere . Nam qui ſciet ubi quidque poſitum ſit,quaq; eo ueniat, is etiam ſi quid obrutum erit, poterit eruere,ſemperq; eſſe in diſputando ſuus.Quod & ſi ingenijs magnis prædi-ti quidam,dicendi copiam ſine ratione conſequuntur,ars tamen eſt dux cer-tior quàm natura.Aliud eſt enim poetarū more uerba fundere, aliud ea quæ dicas ratione & arte diſtinguere. Similia dici poſſunt de explicatione natu-ræ,quà hi utuntur & ueſtri.Neque uero ob duas modo cauſas,quod Epicu-ro uidetur,ut pellatur mortis & religionis metus:ſed etiam modeſtiā quan-dam cognitio rerum cœleſtium affert,ijs q uideant quanta ſit etiam apud de-os moderatio,quantus ordo,& magnitudinem animi, deorum opera & fa-cta cernentibus:iuſtitiam etiam quum cognitum habeas quod ſit ſummi re-ctoris ac domini numen:quod conſilium,quæ uoluntas,cuius ad naturā apta ratio,uera illa & ſumma lex à philoſophis dicitur.Ineſt in eadem explicatio-ne naturæ, inſatiabilis quædam è cognoſcendis rebus uoluptas, in qua una confectis rebus neceſſarijs,uacui negocijs honeſte ac liberaliter poſſumus ui uere.Ergo in hac ratiōe tota de maximis ferè rebus Stoici illos ſequuti ſunt, ut & deos eſſe,& quatuor ex rebus omnia conſtare dicerent. Quum autem quæreretur res admodum difficilis, num quinta quędam natura uideretur eſſe,ex qua ratio & intelligentia oriretur,in quo etiam de animis cuius gene-ris eſſent quæreretur,Zeno id dixit eſſe ignem, nonnulla deinde aliter, ſed ea pauca.De maxima autem re eodem modo,diuina mente atque natura mū-dum uniuerſum,atque eius maximas partes adminiſtrari:materiam uero re-rum,& apud eos copiam exilem,apud illos uberrimam reperiemus. Quàm multa ab his conquiſita & collecta ſunt,de omnium animantium genere, or tu,membris,ætatibus?q̄ multa de rebus his quæ gignuntur è terra?q̄ multæ quamq; de rebus uarijs & cauſæ cur quidq; fiat, & demonſtrationes quem-admodum quæque fiant?qua ex omni copia,plurima & certiſſima argumē-ta ſimuntur ad cuiuſque rei naturam explicandam.Ergo adhuc,quantū equi dem intelligo,cauſa non uidetur fuiſſe mutandi nominis.Non enim ſi omnia non ſequebatur,idcirco non erat ortus illinc. Equidem etiam Epicurum in Phyſicis quidem,Democritium puto,pauca mutat uel plura ſanè . At quum è plurimis eadem dicit,tum certe de maximis. Quod item quum ueſtri faci-ant,non ſatis magnam tribuunt inuentoribus gratiam. Sed hæc hactenus. Nunc uideamus quæſo de ſummo bono,quod continet philoſophiam, quid tandem attulerit,quamobrem ab inuentoribus tanquam à parētibus diſſen tiret.Hoc igitur loco,quanquam à te Cato diligenter eſt explicatus finis hic bonorum qui continet philoſophiam,& quis à Stoicis,& quemadmodū di-ceretur,tamē ego quoque exponam,ut perſpiciamus, ſi potuerimus, quidnā à Zenone noui ſit allatum.Quum enim ſuperiores,è quibus planiſſime Po-lemo,ſecundum naturam,uiuere ſummum bonum eſſe dixiſſet,his uerbis tria ſignificari Stoici dicunt.Vnū eiuſmodi,uiuere adhibentem ſcientiā earū re-

rum, quæ natura euenirent. Hunc ipſum Zenonis aiunt finem eſſe declarantem illud quod à te dictum eſt, conuenienter naturæ uiuere. Alterum ſignificare idem, ut diceretur officia omnia media, aut pleraq; ſeruātem uiuere. Hoc ſic expoſitum diſſimile eſt ſuperiori. Illud enim rectum quod κατόρθωμα dicebas, cōtingit ſapienti ſoli: hoc autem inchoati cuiuſdam officij eſt, non perfecti, quod cadere in nonnullos inſipientes poteſt. Tertium aūt, oībus aut maximis rebus, ijs quæ ſecūdum naturā ſint fruentem uiuere. Hoc non eſt poſitū in noſtra actione, cōpletur enim & ex eo genere uitæ, quod uirtute fruit̄, & ex his rebus quæ ſecūdum naturam ſunt, neq; ſunt in noſtra poteſtate: ſed hoc ſummū bonum, quod certa ſignificatione intelligitur, eaq; uita quę ex ſummo bono degitur, quia cōiuncta ei uirtus eſt, in ſapientem ſolum cadit. Iſq; finis bonorꝝ, ut ab ipſis Stoicis ſcriptū uidemus, à Xenocrate atq; ab Ariſtotele conſtitutus eſt. Itaq; ab ijs cōſtitutio illa prima natura à qua tu quoq; ordiebare, his propè uerbis exponitur. Omnis natura uult eſſe cōſeruatrix ſui, ut & ſalua ſit, & in genere cōſeruetur ſuo. Ad hanc rem aiunt artes quoq; exquiſitas, quæ naturā adiuuarent, in quibus ea numeretur in primis, quæ eſt uiuendi ars, ut tueatur quod à natura datū ſit, quod deſit acquirat. Iidemq; diuiſerūt naturā hominis in animū & corpus. Quumq; eorꝝ unumquodq; per ſe expetendū eſſe dixiſſent, uirtutes quoq; utriuſq; eorꝝ per ſe expetendas eſſe dicebant, quum animū quadā infinita laude anteponerent corpori, uirtutes quoq; animi bonis corporis anteponebant. Sed quum ſapientiam totius hominis cuſtodem & procuratricem eſſe uellent, quæ eēt naturæ comes & adiutrix, hoc ſapientiæ munus eſſe dicebant, ut eum tueretur qui cōſtaret ex animo & corpore, in utroq; iuuaret eum atq; contineret. Atq; ita re primo ſimpliciter collocata, reliqua ſubtilius perſequentes, corporis bona facilem quādam rationem habere cenſebant, de animi bonis accuratius exquirebant: in primiſq; reperiebant ineſſe in his iuſtitiæ ſemina, primiq; ex omnibus philoſophis natura tributum eſſe docuerunt, ut hi qui procreati eſſent à procreatoribus amarētur, & id quod temporū ordine antiquius, ut coniugia uirorum & uxorum natura cōiuncta eſſe dicerent, qua ex ſtirpe orirentur amicitiæ cognationum. Atq; ab his initijs profecti omnium uirtutum & originem & ꝓgreſſiōem perſequuti ſunt, ex quo magnitudo quoq; animi exiſtebat, qua facile poſſet repugnari obſiſtiq; fortunæ, quod maximæ res eſſent in poteſtate ſapientis, uarietates aūt iniuriaſq; fortunæ facile ueterum philoſophorum præceptis inſtituta uita ſuperabat. Principijs autem à natura datis, amplitudines quædam bonorꝝ excitabantur, partim profectæ à contemplatione rerꝝ occultiorum, quod erat inſitus menti cognitiōis amor, ex quo etiam rationis explicandi diſſerēdiq; cupiditas cōſequebatur: quodq; hoc ſolū animal natū eſt pudoris ac uerecūdiæ particeps, appetēſq; cōiūctionū hominū ac ſocietatum, animaduertēſq; in oībus rebus quas ageret aut diceret, ne quid ab eo fieret niſi honeſte & decore. His initijs ut ante dixi, tanq̄ ſeminibus à natura datis, temperantia, modeſtia, iuſtitia & omnis honeſtas ꝑfecte abſoluta eſt. Habes, inquam, Cato formā eorum, de quibus loquor philoſophorꝝ: qua expoſita ſcire cupio, quæ cauſa ſit cur Zeno ab hac antiqua inſtitutione deſciuerit, quidnā horum ab eo nō ſit probatum, quod ne oēm naturam cōſeruatricem ſui dixerit, an quod omne animal ipſum ſibi cōmēdatum, ut ſe & ſaluū in ſuo

genere

genere incolumeq́ uellet: an quum omnium artium finis is eſſet, quid natura maxime quæreret, idem ſtatui debere de totius arte uitæ: an quod quũ animo conſtaremus & corpore, & hæc ipſa & eorũ uirtutes per ſe eſſe ſumẽdas: an uero diſplicuit ea quæ tributa eſt animi uirtutis tanta præſtantia: an quæ de prudentia, de cognitione rerum, de coniunctione generis humani, quæq́ ab eiſdem de temperãtia, de modeſtia, de magnitudine animi, de omni honeſtate dicuntur, fatebuntur Stoici hæc omnia dicta eſſe præclare? Neq; n. eam cauſam Zenoni deſciſcẽdi fuiſſe: alia quædam dicẽt, credo, magna antiquorũ eſſe peccata, quæ ille ueri inueſtigãdi cupidus nullo mõ ferre potuerit. Quid enim peruerſius? quid intolerabilius? quid ſtultius, q̃ bonam ualetudinem, q̃ dolorum omnium uacuitatem, q̃ integritatem oculorum reliquorumq́ ſenſuum, ponere in bonis potius, q̃ dicerent nihil omnino inter eas res, hisq́ cõtrarias intereſſe? Ea enim omnia quæ illi bona dicerent, p̃poſita eſſe non bona. Itemq́ illa quæ in corpore excellerẽt, ſtulte antiquos dixiſſe per ſe eẽ expetenda & ſumẽda potius q̃ expetenda. Eademq́ omni uita, quæ in una uirtute conſiſteret, illam uitam, quæ etiam ceteris rebus quæ eſſent ſecundũ naturam abũdaret, magis expetẽdam non eſſe, ſed magis ſumendam? quumq́ ipſa uirtus efficiat ita beatã uitam, ut beatior eſſe nõ poſſit, tamẽ quædam deeſſe ſapientibus, tum quum ſint beatiſſimi: itaq; eos id agere, ut à ſe dolores, morbos, debilitates repellant? O magnã uim ingenij, cauſamq́ iuſtã cur noua exiſteret diſciplina. Perge porrò, ſequentur enim quæ tu ſcientiſſime complexus es, omnem inſipiẽtiam iniuſtitiam, alia uitia ſimilia eſſe, omniaq́ peccata eſſe paria: eosq́ qui natura doctrinaq́ lõge ad uirtutẽ proceſſiſſent, niſi eam plene conſequuti eſſent, ſumme eſſe miſeros: neque inter eorum uitam et improbiſſimorum quidquam omnino intereſſe, ut Plato tantus ille uir, ſi ſapiens non fuerit, nihilo melius q̃ quiuis improbiſſimus, nec beatius uixerit. Hæc uidelicet eſt correctio philoſophiæ ueteris & emendatio, quæ omnino aditum habere nullum poteſt in urbem, in forum, in curiam. Quis enim ferre poſſet ita loquentem eum, qui ſe authorem uitæ grauiter & ſapienter agẽdæ, profiteretur nomina rerum commutantem? Quumq́ idẽ ſentiret quod omnes, quibus rebus eandem uim tribueret, alia nomina imponẽtem, uerba modo mutantem, de opinionibus nihil detrahentem? Patronus ne cauſæ in epilogo pro reo dicens, negaret eſſe malum exilium, publicationem bonorum: hæc reijcienda eſſe, nõ fugienda, nec miſericordem iudicem eſſe oportere? In concione autem ſi loqueretur, ſi Annibal ad portas ueniſſet, murumq́ iaculo traieciſſet, negaret eſſe in malis, capi, uenire, interfici, patriam amittere? An Senatus quum triumphum Aphricano decerneret, quid de eius uirtute aut felicitate poſſet dicere, ſi neque uirtus in nullo, niſi ſapiente, nec felicitas ueré dici poteſt? Quæ eſt igitur iſta philoſophia, quæ communi more in foro loquitur, in libello ſuo? preſertim quum quod illi uerbis ſuis ſignificẽt, in eo nihil mouetur, de ipſis rebus nihil mutetur, eædem res maneant, alio modo. Quid enim intereſt diuitias, opes, ualetudinem, bona dicas, an ne præpoſita, quum ille qui iſta bona dicit, nihil plus his tribuat, q̃ tu qui eadem illa prępoſita nominas? Itaque homo in primis ĩgenuus & grauis, dignus illa familiaritate Scipionis & Lęlij Panętius, quum ad Q. Tuberonẽ de dolore patiendo ſcriberet, quod eſſe caput debebat ſi probari poſſet, nũq̃ poſuit nõ eẽ ma-

lum dolorem, ſed quid eſſet & quale,q̃tumq́ in eo ineſſet alieni,deinde quæ
ratio eſſet perferendi. Cuius quidem,qm̃ Stoicus fuit,ſnĩa, cõdemnata mihi
uidetur eſſe ĩmanitas iſta uerborũ. Sed ut propius ad ea Cato accedã,quę à te
dicta ſunt,preſſius agamus,eaq́ quę mõ dixiſti cum his cõferamus, quæ tuis
antepono. Quę ſunt igitur cõmunia uobis cum antiquis,his ſic utamur quaſi
cõceſſis: quæ in cõtrouerſiam ueniũt,de his ſi placet diſſeramus. Mihi uero,
inquit,placet agi ſubtilius,& ut ipſe dixiſti,preſſius. Quæ enim adhuc ꝓtu
liſti popularia ſunt, ego aũt à te elegantiora deſidero. A me tu inquam? ſed
tñ enitar,etſi minus mihi multa occurrent,nõ fugiam iſta popularia. Sed pri
mũ poſitum ſit,noſmetipſos cõmendatos eſſe nobis,primãq́ ex natura hanc
habere appetitionem,ut cõſeruemus noſmetipſos. Hoc cõuenit. ſequiť illud,
ut animaduertamus q ſimus ipſi,ut nos quales eſſe oportet ſeruemus. Sumus
igitur homines,ex aĩo cõſtamus & corpore,quæ ſunt cuiuſdam modi, noſq́
oportet ut prima appetitio naturalis poſtulat,hæc diligere, cõſtituereq́ ex
his finẽ illum ſũmi boni atq; ultimi: quę ſi prima uera ſint: ita cõſtitui neceſ-
ſe eſt,earũ rerum quæ ſunt ſecũdum naturã,q̃ plurima & q̃ maxima adipiſci.
Hunc igitur finem illi tenuerunt,quodq́ ego pluribus uerbis,illi breuius, ſe
cundum naturã uiuere. Hoc ius bonoꝝ uideatur extremum. Age nũc iſti do-
ceant uel tu potius (qs enim iſta melius?) quonã modo ab eiſdẽ principijs ꝓ
fecti,efficiatis ut honeſte uiuere (id eſt.n.uel ex uirtute uel naturæ cõgruẽter
uiuere) ſummũ bonum ſit,& quonã modo,aut quo loco corpus ſubito deſer
ueritis,omniaq́ ea quæ quum ſecũdum naturã ſint,abſint à noſtra poteſtate,
ipſum denique officium. Quæro igitur quo modo hæ tantæ cõmendationes
à natura profectæ,ſubito à ſapientia relictæ ſunt? Quod ſi non hoĩs ſũmũ
bonum quæreremus,ſed cuiuſdam animantis: is aũt eẽt nihil niſi animus (li-
ceat enim fingere aliquid eiuſmodi,quo uerũ facilius reperiamus) tamen illi
animo non eſſet hic ueſter finis: deſideraret enim ualetudinem, uacuitatẽ do-
loris,appeteret etiam cõſeruationẽ ſui,earumq́ rerum cuſtodiã, finemq́ ſibi
cõſtitueret ſecũdum naturam uiuere. Quod eſt (ut dixi) habere ea quæ ſecũ-
dum naturam ſunt,uel omnia uel plurima & maxima. Cuiuſcunq; enim mo
di animal cõſtitueris,neceſſe eſt etiã ſi id ſine corpore ſit,ut fingimus, tamen
eſſe in animo quædam ſimilia eoꝝ,quę ſint in corpore,ut nullo modo,niſi ut
expoſui,conſtitui poſſit finis bonoꝝ. Chryſippus autem exponens differen
tias animantiũ,ait alias earũ corpore excellere,alias aũt animo, nõnullas ua-
lere utraq; re. Deinde diſputat quod cuiuſq; generis animantis ſtatui debeat
extremum. Quum aũt hominem in eo genere poſuiſſet,ut ei tribueret animi
excellentiam,ſũmum bonum id cõſtituit,non excellere aĩo,ſed uti nihil eẽ ꝑ-
ter animum uideretur. Vno aũt modo in uirtute ſola ſummum bonum recte
poneretur,ſi quod eſſet animal,quod totũ ex mente conſtaret: idipſum tamẽ
ſic,ut ea mens nihil haberet in ſe,quod eſſet ſecũdum naturam, ut ualetudo ẽ.
Sed id ne cogitari quidem poteſt quale ſit,ut nõ repugnet ipſum ſibi. Sin di
cit obſcurari quædam,nec apparere quia ualde parua ſint,nos quoq; cõcedi-
mus,quod dicit Epicurus de uoluptate,quæ minimæ ſint uoluptates,eas ob-
ſcurari ſæpe & obrui,ſed non ſunt in eo genere tantæ commoditates corpo-
ris,tamq́ productæ temporibus,tamq́ multæ. Itaque in quibus propter ea-
rum exiguitatem obſcuratio conſequiť,ſæpe accidit,ut nihil intereſſe noſtra
fateamur,

ſateamur,ſint illa nec ne ſint:ut in ſole quod à te dicebatur, lucernam adhibere nihil intereſt,aut teruncium adijcere Crœſi pecuniæ.Quibus autem in rebus obſcuratio tanta non ſit,fieri tamen poteſt ut idipſum quod intereſt nõ ſit magnum,ut ei qui iucunde uixerit annos decem,ſi æque uita iucũda menſtrua addatur,quia momentum aliquam habeat ad iucundum acceſſionem, bonum ſit. Si autem id non concedatur,nõ cõtinuo uita beata tollitur. Bona aũt corporis huic ſunt,quod poſterius poſui,ſimiliora:habent enim acceſſionem dignam in qua elaboretur,ut mihi in hoc Stoici iocari uideantur interdum quum ita dicant,ſi ad illam uitam quę cum uirtute degatur,ampulla aut ſtrigilis accedat,ſumpturꝫ ſapientem eam uitam potius quo hæc adiecta ſint, nec beatiorem tamen ob eam cauſam fore.Hoc ſimile tandem eſt non riſu potius quàm oratione eijciendũ? Ampullà enim ſit nec ne ſit,quis nõ iure optimo irrideatur,ſi laboret? At uero grauitate membrorum & cruciatu dolorum,ſi quis quem leuet,magnam ineat gratiam.Nec ſi ille ſapiens ad tortoris eculeum à tyranno ire cogatur,ſimilem habeat uultum,& ſi ampullã perdidiſſet:ſed ut magnum & difficile certamen iniens, quum ſibi cum capitali aduerſario dolore depugnandum uideret,excitaret omnes rationes fortitudinis ac patientiæ,quarum præſidio iniret illud difficile,ut dixi, magnumq́ꝫ prælium.Deinde non quæremus quid obſcuretur aut intereat,quia ſit admodum paruum,ſed quid tale ſit ut expleat ſummam. Vna uoluptas è multis obſcuratur in illa uita uoluptaria,ſed tamen ea quamuis parua ſit,pars eſt eius uitę quę poſita eſt in uoluptate.Nummus in Crœſi diuitijs obſcuratur,pars eſt tamen diuitiarum.Quare obſcurentur etiam hæc,quæ ſecundum naturã eſſe dicimus in uita beata,ſint modo partes uitæ beatæ. Atqui ſi ut conuenire debet inter nos,eſt quædam appetitio naturalis, ea quæ ſecundum naturã ſunt appetens,eorum omnium eſt aliqua ſumma facienda:quo conſtituto tum licebit otioſe iſta quærere,de magnitudine reꝝ,de excellentia,quanta ĩ quoq́ꝫ ſit ad beate uiuendum,de iſtis ipſis obſcurationibus, quæ propter exiguitatem uix,aut ne uix quidem appareant.Quid de quo multa diſſenſio eſt? nemo enim eſt qui aliter dixerit,quin omnium naturarum ſimile eſſet id,ad qđ omnia referuntur,quod eſt ultimum rerum appetendarum. Omnis enim eſt natura diligens ſui.Quæ eſt enim quæ ſe unquam deſerat,aut partem aliquã ſui,aut eius partis habitum,aut uim,aut ullius earum rerum,quæ ſecundũ naturam ſint,aut motum aut ſtatum? Quæ autem natura ſuæ primæ inſtitutionis oblita eſt? nulla profecto,quin ſuam uim retineat à primo ad extremum. Quo igitur euenit ut hominis natura ſola eſſet, quæ hominem relinqueret, quæ obliuiſceretur corporis,quæ ſummum bonum non in toto homine, ſed in parte hominis poneret? Quomodo autem,quod ipſi etiam fatentur,conſtatq́ꝫ inter omnes,conſeruabitur ut ſimile ſit omnium naturale illud ultimũ de quo quæritur? Tum enim eſſet ſimile,ſi in ceteris quoque naturis id cuiq́ꝫ eſſet ultimum quod in quaq́ꝫ excelleret. Tale enim uiſum eſſet ultimum Stoicorũ. Quid dubitas igitur mutare principia naturę? Quid enim dicis,omne animal ſimul atq́ꝫ ſit ortum,applicatũ eſſe ad ſe diligendũ,eſſeq́ꝫ in ſe conſeruando occupatũ? Quin potius ita dicis,omne animal applicatũ eſſe ad id,qđ in eo ſit optimum,& in eius unius occupatũ eſſe cuſtodia,reliquasq́ꝫ naturas nihil aliud agere,niſi ut id conſeruent,quod in quaq́ꝫ optimum ſit? Quomo-

do autem optimum,ſi bonum præterea nullũ eſt? Si autem reliqua appetenda ſunt,cur quod eſt ultimum rerum appetendarum,id non aut ex omnium earum,aut ex plurimarum & maximarum appetitione concluditur? Vt Phidias poteſt à primo inſtituere ſignum idq́ perficere.poteſt ab alio inchoatũ accipere & abſoluere:huic eſt ſapientia ſimilis.Non enim ipſa genuit hoĩem, ſed accepit à natura inchoatum.Hanc intuens debet inſtitutum illud quaſi ſignum abſoluere.Qualem igitur natura hominem inchoauit? & quod ẽ munus,quod opus ſapientiæ? Quid eſt quod ab ea & abſolui & perfici debeat, ſi nihil in eo quod perficiendum eſt,præter motum ingenij quendam, id eſt rationem? Neceſſe eſt hoc ultimũ eſſe,ex uirtute uitam fingere: ratiõis enim perfectio eſt uirtus.Si nihil niſi corpus,ſumma erunt illa, ualetudo, uacuitas doloris,pulchritudo,& cetera.Nũc de hominis ſummo bono quærit̃. Quid ergo dubitamus in tota eius natura quærere quid ſit effectum? Quum enim cõſtet inter omnes,omne officium munusq́ ſapiẽtiæ in hominis cultu eſſe occupatum,alij(ne me exiſtimes cõtra Stoicos ſolũ dicere)eas ſniãs afferũt, ut ſummum bonum in eo genere ponant, quod ſit extra noſtrã poteſtatem,tãq̃ de animali aliquo loquãtur:alij cõtra quaſi nullũ ſit corpus hominis, ita præter animum nihil curant.Quum preſertim ipſe quoq; animus,non inane neſcio quid ſit,neq; enim id poſſum ĩtelligere,ſed in quodam genere corporis; ut ne is quidem uirtute una contentus ſit,ſed appetat uacuitatẽ doloris.Quãobrem utriq; idem faciunt,ut ſi læuam partem negligerent,dexteram tuerentur:aut ipſius animi,ut fecit Erillus,cognitionem amplexarentur, actionem relinquerent.Eorum enim omnium multa prætermittentium dum eligant aliquid quod ſequantur,quaſi curta ſententia.At uero illa perfecta atq; plena eorum qui quum de hominis ſummo bono quærerent,nullam in eo neq; animi neq; corporis partem uacuam tutela reliquerunt. Vos autem Cato,qa uirtus,ut omnes fatemur,altiſſimum locum in homine,& maxime excellentem tenet:& quod eos qui ſapiẽtes ſunt,abſolutos & perfectos putamus,aciem animorum noſtrorum uirtutis ſplendore perſtringitis.In omni enim animante eſt ſummum aliquid atq; optimum,ut in equis, in canibus, quibus tamen & dolore uacare opus eſt,et ualere.Sic igitur in homine perfectio iſta in eo potiſſimum quod eſt optimum,id eſt in uirtute,laudatur.Itaq; mihi nõ ſatis uidemini cõſiderare,quid interſit naturæ quæq; ꝓgreſſio. Nõ enim hoc quod facit in frugibus,ut quum ad ſpicam perduxerit ab herba, relinquat,et pro nihilo habeat herbam,idem facit in homine,quũ eum ad rõnis habitũ ꝑduxerit.Semper enim ita aſſumit aliquid, ut ea quæ prima dederit ne deſerat:itaq; ſenſibus rationem adiunxit,& ratione effecta ſenſus nõ reliquit. Vt ſi cultura uitium,cuius hoc munus eſt ut efficiat ut uitis cum partibus ſuis omnibus,q̃ optime ſe habeat. Sed ſic intelligamus: licet enim ut uos quoq; ſoletis,fingere aliquid docendi cauſa.Si igitur illa cultura uitium in uite inſit, ipſa cetera credo uelit,quæ ad colendam uitem attinebant,ſicut antea,ſe aũt omnibus uitis partibus præferat,ſtatuatq́ nihil eſſe melius in uite q̃ ſe. Similiter ſenſus,quum acceſſit ad naturam tuetur illam quidem,ſed etiam tuet̃ ſe. Quũ autem aſſumpta ratio eſt,tanto in dominatu locatur,ut omnia illa prima naturæ,huius tutelæ ſubijciantur.Itaq; non diſcedit ab eorum curatione, qbus præpoſita uitam omnem debet gubernare. Vt mirari ſatis eorũ inconſtãtiam

non

non poſſimus. Naturalem enim appetitionem quam uocant ὁρμὴν, itemq́ officium, ipſam etiam uirtutem tuentem uolunt eſſe earum rerum, quæ ſecundũ naturam ſunt. Quum autem ad ſummum bonũ uolunt peruenire, tranſiliunt omnia, & duo nobis opera pro uno relinquunt, ut alia ſumamus, alia appetamus, potius q̃ uno fine omnia concludant. At enim, nam dicitis uirtutem nõ poſſe conſtitui, ſi ea quæ extra uirtutem ſint, ad beate uiuendum pertineant. Quod totum cõtra eſt: introduci enim uirtus nullo modo poteſt, niſi omnia quæ leget, quæq́ reijciet, unam referantur ad ſummam. Nam ſi omnino nos negligimus, in Ariſtonea uitia & peccata incidemus, obliuiſcemurq́ quę uirtuti ipſi principia dederimus: ſin ea non negligimus, neque tamen ad finem ſummi boni referemus, non multum ab Erilli leuitate aberrabimus. Duarum enim uitarum nobis erunt inſtituta capienda. Facit enim ille duo ſeiuncta ultima bonorum, quæ ut eſſent uera, coniungi debuerunt. Nunc iſta ſeparãtur ut diſiuncta ſint, quo nihil poteſt eſſe peruerſius. Itaque contrà eſt ac dicitis: nam cõſtitui uirtus nullo modo põt, niſi ea quæ ſint prima naturæ, ut ad ſummum pertinentia tenebit. Quæſita enim uirtus eſt, non quæ relinqueret naturam, ſed quæ tueretur. At illa, ut uobis placet, partem quandam tuetur, reliquam deſerit. Atque ipſa inſtitutio hominis, ſi loqueret̃, hæc diceret, primos ſuos quaſi cœptus appetendi fuiſſe ut ſe cõſeruaret in ea natura, in qua ortus eſſet. Nõdum aũt explanatum ſatis erat, quid maxima natura uellet. explanetur igitur. Quid ergo aliud intelligetur, niſi ut æque pars naturæ negligat̃, in qua ſi nihil eſt præter rõnem, ſit in una uirtute finis bonorũ: ſin eſt ẽt corpus, iſta explanatio naturæ nempe hoc effecerit, ut ea quæ ante explicationẽ tenebamus, relinquamus? Ergo id eſt cõuenienter naturę uiuere, à natura diſcedere. ut quidam philoſophi, quum à ſenſibus profecti maiora quædam & diuiniora uidiſſent, ſenſus reliquerunt: ſic iſti quũ ex appetitione rerum, uirtutis pulchritudinem aſpexiſſent, omnia quæ ꝓpter uirtutem ipſam uiderãt, abiecerunt, obliti naturã omnem appetendarum rerum ita late patere, ut à principijs permaneret ad fines, neque intelligunt ſe rerum illarum pulchrarũ atque admirabilium fundamenta ſubducere. Itaque mihi uidentur omnes quidem illi erraſſe, qui finem bonorũ eſſe dixerunt honeſte uiuere, ſed alius alio magis. Pyrrho ſcilicet maxime, qui uirtute conſtituta nihil omnino quod appetendum ſit, relinquat. Deinde Ariſto, qui nihil relinquere non eſt auſus. Introduxit autem, quibus cõmotus ſapiens appeteret aliquid, quod cuique in mentem incideret, & quodcunque tanquam occurreret. Is hoc melior quàm Pyrrho, quod uel aliquod genus appetendi dedit: deterior quàm ceteri, q̃d penitus à natura receſſit. Stoici autem quod finem bonorũ in una uirtute ponunt, ſimiles ſunt illorũ. Quod autem principiũ officij quærũt, melius q̃ Pyrrho, quòd ea nõ occurrentia fingunt uincũt Ariſtonem: quòd aũt ea quę ad naturam accõmodata, & per ſe aſſumenda eſſe dicunt, non adiungunt, ad finem bonorũ, deſciſcunt à natura, & quodãmodo ſunt non diſſimiles Ariſtonis. Ille enim occurrentia neſcio quæ cõminiſcebatur: Hi autem ponunt illi quidem prima naturę, ſed ea ſeiungunt à finibus & à ſumma bonorũ. Quæ quum proponunt, ut ſit aliqua rerũ ſelectio, naturam uidentur ſequi: quũ aũt negant ea quidquam ad beatam uitam pertinere, rurſus naturam relinquũt. Atque adhuc ea dixi, cur cauſa Zenoni non fuiſſet quamobrẽ à ſuperiorum

authoritate diſcederet, nūc reliqua uideamus: niſi aut ad hęc Cato aliquid di
cere uis, aut nos iam longiores ſumus. Neutrum uero, inquit ille. Nam & à te
perfici iſtam diſputationem uolo, nec tua mihi oratio longa uideri pōt. Opti
me, inquam. Quid enim mihi poteſt eſſe optatius, quàm cum Catone omni-
um uirtutum authore, de uirtutibus diſputare? Sed primum illud uide, gra-
uiſſimam illam ueſtram ſententiam, quæ familiam ducit, honeſtum quod ſit,
id eſſe ſolum bonum, honeſteq́ꝫ uiuere, bonorum finem, communem fore uo
bis cum omnibus, qui in una uirtute conſtituunt finem bonorum: quodq́ꝫ di
citis, informari non poſſe uirtutem, ſi quidquam niſi quod honeſtum ſit, nu-
meretur, idem dicetur ab illis, quos modo nominaui. Mihi autem æquius ui-
debatur, Zenonem cum Polemone diſceptantem, à quo quæ eſſent princi-
pia naturę acceperat, à cōmunibus uitijs progredientem uidere ubi primum
inſiſteret, & unde cauſa controuerſię naſceretur, non ſtantem cum his, qui ne
dicerent quidem ſua ſumma bona eſſe à natura profecta, ut ijſdem argumen-
tis, quibus illi uterentur, ijſdemq́ꝫ ſententijs. Minime uero illud probo, quod
quum docuiſtis, ut uobis uidemini, ſolum bonum eſſe quod honeſtum ſit, tū
rurſum dicitis, initia ꝓponi neceſſe eē apta & accōmodata naturæ, quorū ex
electione uirtus poſſit exiſtere. Non enim in ſelectione uirtus ponenda erat,
ut id ipſum, quod erat bonorum ultimum, aliud aliquid acquireret. Nam o-
mnia quæ ſumenda quæq́ꝫ legenda aut optanda ſunt, ineſſe debent in ſumma
bonorum, ut is qui eam adeptus ſit, nihil præterea deſideret. Vidéſne ut qui-
bus ſumma eſt in uoluptate, perſpicuum ſit quid his faciendum ſit aut nō fa-
ciendum, ut nemo dubitet eorum omnia officia quò ſpectare, quid ſequi, qđ
fugere debeant? Sit hoc ultimum bonorum, quod nunc à me defenditur. ap-
paret ſtatim quæ ſint officia, quæ actiones. Vobis autem quibus nihil eſt ali
ud propoſitnm niſi rectum atq́ꝫ honeſtum, unde officij, unde agendi princi-
pium naſcatur, nō reperietis. Hoc igitur quæritis omnes, & hi qui quodcūq́ꝫ
in mentem ueniat, aut quodcunq́ꝫ occurrat, ſe ſequi dicent, & uos ad naturā
reuertimini, quibus natura iure reſponderit, non eſſe uerum aliunde finē bea
te uiuendi, à ſe principia rei gerendæ peti. Eſſe enim unam rationem, qua &
principia rerum agendarum, & ultima bonorum continerētur: atq́ꝫ ut Ari-
ſtonis eſſet exploſa ſententia dicentis, nihil differre aliud ab alio, nec eſſe res
ullas præter uirtutes & uitia, intér quas quidquam omnino intereſſet: ſic er-
rare Zenonem, qui nulla in re niſi in uirtute aut uitio propēſionem, ne mini
mi quidem momenti ad ſummum bonum adipiſcendum eſſe diceret. Et quū
ad beatam uitam nullum momentum res haberet, ad appetitionem autem re
rum, eſſe in his momenta diceret: quaſi uero hæc appetitio non ad ſummi bo
ni adeptionem pertineret. Quid autem minus cōſentaneum eſt, quàm quod
aiunt, cognito ſummo bono reuerti ſe ad naturam, ut ab ea petāt agendi prin
cipium, id eſt officij? Non enim actionis aut officij ratio impellit ad ea quę ſe
cundum naturam ſunt appetenda, ſed ab his & appetitio & actio commoue-
tur. Nunc uenio ad illa tua breuia quæ conſectaria eſſe dicebas, & primum il-
lud, quo nihil poteſt eſſe breuius. Bonum omne laudabile. Laudabile autem
omne honeſtū. Igitur omne bonum honeſtū. O plumbeum pugionē. Quis
enim tibi primum illud conceſſerit, quo quidem conceſſo nihil eſt opus ſecū
do? Si enim omne bonum laudabile eſt, omne honeſtum eſt. Quis tibi ergo
iſtud

iſtud dabit,preter Pyrrhonem,Ariſtonem eorum'ue ſimiles,quos tu nõ ꝓbas? Ariſtoteles,Xenocrates,tota illa familia non dabit.Quippe qui ualetudinem,uires,diuitias,gloriam,multa alia bona eſſe dicunt,laudabilia non dicant.Et hi quidem ita non ſola uirtute finem bonorũ contineri putant, ut rebus tamen omnibus uirtutem anteponant.Quid cenſes eos eſſe facturos,qui omnino uirtutem à bonorũ fine ſegregauerunt,Epicurum,Hieronymũ,illos etiam ſi qui Carneadeum finem tueri uolunt? Iã aut Callipho aut Diodorus, quo poterunt tibi iſtud cõcedere,qui ad honeſtatem aliud adiungant, quod ex eodem genere non ſit? Placet igitur tibi Cato,quũ res ſumpſeris nõ cõceſſas,ex illis efficere quod uelis? Iam ille Sorites,quo nihil putatis eẽ uitioſius, quod bonũ ſit id eſſe optabile,quod optabile id eſſe expetendũ, quod expetẽdum laudabile,deinde reliqui gradus: ſed ego in hoc reſiſto.Eodẽ enim modo tibi nemo dabit,quod expetendũ ſit,id eſſe laudabile.Illud uero minime conſectariũ,ſed in primis hebes,illorũ ſcilicet nominum gloriatione dignam eſſe beatam uitã,quæ non poſſit ſine honeſtate contingere,ut iure quiſq; glorietur.Dabit hoc Zenoni Polemon etiam magiſter eius,& tota illa gens,& reliqui qui uirtutem omnibus rebus multo anteponentes,adiungunt ei tamẽ aliquid,ſummo in bono finiendo.Si enim uirtus digna eſt gloriatiõe,ut eſt, tantũq; præſtat ceteris rebus,ut dici uix poſſit,& beatus eſſe poterit uirtute una preditus,carens ceteris,nec tamen illud tibi concedet,preter uirtutem nihil in bonis eſſe ducendum.Illi aũt quibus ſummum bonum ſine uirtute eſt, non dabunt fortaſſe uitã beatã habere in quo iure poſſit gloriari,& ſi illi quidem etiam uoluptates faciunt interdũ glorioſas.Vides igitur te,aut ea ſumere quæ nõ concedantur,aut ea quæ etiã conceſſa te nihil iuuent? Equidem in omnibus iſtis cõcluſionibus hoc putarem philoſophia nobiſq; dignũ,& maxime quum ſummum bonũ quæreremus,uitam noſtram,conſilia,uolũtates, non uerba corrigi.Quis enim poteſt iſtis quæ te,ut ais,delectant, breuibus, & acutis auditis de ſententia decedere? Nam quum ea ſpectant & auent audire,cur dolor malũ non ſit,dicunt illi aſperũ eſſe dolorẽ,moleſtum, odioſum, cõtra naturã,difficilem toleratu: ſed quia nulla ſit in dolore nec fraus,nec improbitas,nec malitia,nec culpa,nec turpitudo,non eſſe illud malum.Hec qui audierit,ut ridere non curet,diſcedet tamen nihilo firmior ad dolorem ferendum ꝗ uenerat.Tu autem negas fortem eẽ quẽquam poſſe,qui dolorem malum putet.Cur fortior ſit,ſi illud quod tute concedis,aſperum & uix ferendũ putabit? Ex rebus enim timiditas,non ex uocabulis naſcitur: & ais,ſi una litera cõmota ſit,fore tota ut labet diſciplina.Vtrum igitur tibi literam uideor, an totas paginas cõmouere? Vt enim ſit apud illos id quod eſt à te laudatum ordo rerum conſeruatus,& omnia inter ſe apta & connexa (ſic enim aiebas) tamen perſequi non debemus,ſi à falſis principijs profecta cõgruent ipſa ſibi,& à propoſito non aberrant.In prima igitur conſtitutione Zeno tuus à natura receſſit: quumq; ſummũ bonum poſuiſſet in ingenij præſtãtia, quam uirtutem uocamus,nec quidquam aliud bonum eſſe dixiſſet,niſi quod eẽt honeſtũ,nec uirtutem poſſe cõſtare,ſi in ceteris rebus eſſet quidq̃,qđ aliud alio melius eſſet aut peius.His propoſitis tenuit prorſus cõſequẽtiã. Recte dicis. Negare enim non poſſum.Sed ita falſa ſunt ea quæ cõſequuntur,ut illa qbus hęc nata ſunt uera eſſe nõ poſſint.Docent enim nos ut ſcis dialectici,ſi ea quę

rem aliquam ſequantur falſa ſint, falſam illam ipſam eſſe, quam ſequatur. Ita fit illa concluſio nō ſolum uera, ſed ita perſpicua, ut dialectici ne rationē quidem reddi putent oportere. Si illud, hoc, non autem hoc, igitur ne illud quidem. Sic conſequentibus ueſtris ſublatis, prima tolluntur, quæ ſequuntur igitur. Omnes qui non ſunt ſapientes, æque miſeros, ſapientes omnes ſume beatos eſſe, recte facta omnia æqualia, omnia peccata paria: quæ quum magnifice primo dici uiderentur, conſiderata minus probantur. Senſus enim cuiuſq; & natura rerum, atq; ipſa ueritas clamabat quodāmodo, non poſſe adduci ut inter eas res quas Zeno exęquaret, nihil intereſſet. Poſtea tuus ille Penulus, ſcis enim citius cliētes tuos à poetica profectos. Homo igitur acutus, cām non obtinens repugnante natura, uerba uerſare cœpit. Et primū rebus his, quas nos bonas dicimus, conceſſit ut haberentur aptæ, habiles & ad naturā accōmodatæ; faterię́; cœpit ſapienti, hoc eſt ſumme beato, cōmodius tn̄ eſſe, ſi ea quoq; habeat, quæ bona non audet appellare, natura ipſa accommodata eſſe concedit, negatq́; Platonem ſi ſapiens non ſit, eadem eſſe in cauſa, qua tyrannum Dionyſium. Huic mori optimum eſſe ꝑpter deſperationem ſapientiæ, illi propter ſpem uiuere. Peccata autem partim eē tolerabilia, partim nullo modo: propterea quod alia peccata plures, alia pauciores quaſi numeros officij præterirent. Iam inſipientes alios ita eſſe, ut nullo modo ad ſapiētiam poſſent peruenire: alios qui poſſent, ſi id geſſiſſent, ſapientiam conſequi. Hic loquebatur aliter atq; omnes, ſentiebat idem quod ceteri. Nec uero minoris æſtimanda ducebat ea quæ ipſe bona negaret eſſe, q̄ illi qui ea bona eſſe dicebant. Quid igitur uoluit ſibi, qui illa mutauerit? Saltem aliquid de pondere detraxiſſet, & paulò minoris æſtimauiſſet ea q̄ Peripatetici, ut ſentire quoq; aliud, non ſolum dicere uideretur. Quid? de ipſa beata uita, ad quam oīa referuntur, quæ dicitis? Negatis eam eē quæ expleta ſit omnibus his rebus, quas natura deſideret, totamq́; eam in una uirtute ponitis. Quumq́; omnis cōtrouerſia aut de re ſoleat, aut de nomine eſſe, utraq; earum naſcitur, ſi aut res ignoratur, aut erratur in nomine: quorum ſi neutrum eſt, opera danda eſt ut uerbis utamur quàm uſitatiſſimis & quàm maxime aptis, id eſt, rem declarantibus. Num igitur dubium eſt, quin ſi in re ipſa nihil peccatur à ſuperioribus, uerbis illi commodius utuntur? Videamus igitur ſententias eorum, tum ad uerba redeamus. Dicunt appetitionem animi moueri, quum aliquid ei ſecundum naturam eē uideatur, omniaq́; quæ ſecūdum naturam ſint, æſtimatione aliqua digna, eaq́; pro eo, quantum in quaque ſit ponderis, eſſe æſtimanda. Quæq́; ſecūdum naturā ſint, partim nihil habere in ſeſe eius appetitionis, de qua ſæpe iam diximus, quæ nec honeſta nec laudabilia dicantur, partim quę uoluptatem habeant in omni animāte, ſed in homine rationem etiam. Ex eis quæ ſint apta, ea honeſta, ea pulchra, ea laudabilia: illa autem ſuperiora naturalia nominantur, quæ coniuncta cum honeſtis uitam beatam perficiunt & abſoluunt. Omnium autem eorum cōmodorum, quibus non illi plus tribuūt qui illa bona eſſe dicunt, quàm Zeno qui negat, longe præſtantiſſimū eſſe, quod honeſtum eſſet atque laudabile. Sed ſi duo honeſta propoſita ſint, alterum cum ualetudine, alterum cum morbo, non eſſe dubium ad utrum eorum natura nos ipſa deductura ſit: ſed tamen tantam uim eſſe honeſtatis, tantūq; eam rebus omnibus præſtare & excellere, ut nullis nec ſupplicijs, nec p̄mijs

demoueri

demoueri poſſit ex eo quod rectum eſſe decreuerit: omniaq; quæ dura, difficilia, aduerſa uideantur, ea uirtutibus his quibus à natura eſſemus ornati, obteri poſſe, non faciles illas quidem nec contẽnendas. Quid enim eſſet in uirtute tantum? ſed ut hoc iudicaremus, non eſſe in his partem maximam poſitã beate aut ſecus uiuendi. Ad ſummam, ea quæ Zeno æſtimanda & ſumenda, & apta naturæ eſſe dixit, eadem illi bona appellant. Vitam autem beatam illi eam, quæ conſtaret ex his rebus quas dixi, aut plurimis aut grauiſſimis: Zeno autem quod ſuam, qđ propriam ſpeciem habeat cur appetendum ſit, id ſolum bonum appellat: beatam autem uitam eam ſolam, quæ cum uirtute degatur. Si de re diſceptari oportet, nulla mihi tecũ Cato poteſt eſſe diſſenſio. Nihil eſt enim de quo aliter tu ſentias atq; ego, modo commutatis uerbis, ipſas res conferamus: nec hoc ille non uidit, ſed uerborum magnificẽtia eſt & gloria delectatus: qui ſi ea quæ dicit, ita ſentiret ut uerba ſignificant, quid inter eum & uel Pyrrhonem uel Ariſtonem intereſſet? Sin autem eos non probabat, quid attinuit cum his quibuſcum re cõueniebat, uerbis diſcrepare? Quid ſi reuiuiſcant Platonici illi, & deinceps, qui eorum auditores fuerunt, & tecũ ita loquantur? Nos quum te M. Cato ſtudioſiſſimũ philoſophiæ, iuſtiſſimũ uirum, optimum iudicem, religioſiſſimum teſtẽ audiremus, admirati ſumus quid eſſet, cur nobis Stoicos anteferres, qui de rebus bonis & malis ſentirent ea, quæ ab hoc Polemone Zeno cognouerat: nominibus uterentur his quæ prima ſpecie admirationem, re explicata riſum mouerent. Tu autem ſi tibi illa probabanť, cur non proprijs uerbis illa tenebas? Sin te authoritas commouebat, nobis'ne omnibus, et Platoni ipſi neſcio quem illum anteponebas, preſertim quum in Repub. princeps eſſe uelles, ad eamq; tuendam cum ſumma tua dignitate, maxime à nobis ornari atq; inſtrui poſſes? Nobis enim iſta q̃ſita, à nobis deſcripta, notata, præcepta ſunt: omniumq; rerũpublicarum rectiones, genera, ſtatus, mutationes, leges etiam & inſtituta ac mores ciuitatũ, præſcripſimus. Eloquentiæ uero quæ & principibus maxime ornamẽto eſt, & qua te audimus ualere plurimum, quantum tibi ex monimẽtis noſtris addidiſſes? Ea quum dixiſſent, quid talibus uiris tandem reſpondiſſes? Rogarem te, inquit, ut diceres pro me tu idem qui illis orationem dictauiſſes, uel potius paulum loci mihi, ut his reſponderem, dares: niſi & te audire nũc mallem, & iſtis tamen alio tempore reſponſurus eſſem, tum ſcilicet quum tibi.

Atqui ſi uerum reſpondere uelles Cato, hæc erant dicenda, non eos tibi non probatos tantis ingenijs homines, tantaq; authoritate, ſed te animaduertiſſe, quas res illi propter antiquitatem parum uidiſſent, eas à Stoicis eſſe perſpectas, eiſdemq; de rebus hos tum acutius diſſeruiſſe, tum ſenſiſſe grauius et fortius. Quippe qui primum ualetudinem bonam expetendam negent eſſe, eligendam dicant: non quia bonum ſit ualere, ſed quia ſit nõnihilo ęſtimandũ. Necq; tamen pluris q̃ illis uideatur, qui illud non dubitant bonũ dicere. Hoc uero te ferre non potuiſſe, quod antiqui illi quaſi barbati, ut nos de noſtris ſolemus dicere, crediderunt, eius qui honeſte uiueret, ſi idem & bene ualeret, bene audiret, copioſus eſſet, optabiliorem fore uitam, melioremq; & magis expetendam, q̃ illius qui ęque uir bonus multis modis eſſet, ut Ennij Alcmæo, Circunuentus morbo, exilio atq; inopia.

Illi igitur antiqui, non tam acute optabiliorem illam uitam putant, pręſtan

tiorem,beatiorem: Stoici autem tantummodo præponendam in ſeligendo, non quo beatior hæc uita ſit,ſed quòd ad naturam accommodatior: & qui ſa pientes non ſint,omnes ęque miſeros eſſe.Stoici hoc uidelicet uiderunt,illos autem id fugerat ſuperiores,qui arbitrabantur homines ſceleribus & parrici dijs inquinatos nihilo miſeriores eſſe,q̃ eos qui quũ caſte & integre uiuerẽt, nondum perfectam illam ſapientiam eſſent conſequuti. Atq; hoc loco ſimili tudines eas,quibus illi uti ſolent,diſſimillimas proferebas.Quis enim igno rat ſi plures ex alto emergere uelint,propius fore eos quidem ad reſpirandũ, qui ad ſummam aquam iam appropinquent? Sed nihilo magis reſpirare poſ ſe q̃ eos qui ſunt in profundo.Nihil enim adiuuat procedere & progredi in uirtute,quo minus miſerrimus ſit antequam ad eam peruenerit, quoniam in aqua nihil adiuuat: & quoniam catuli qui iam deſpecturi ſunt, cæci æque & hi qui modo nati.Platonem quoque neceſſe eſt,quoniam nondum uidebat, æque cæcum animo ac Phalarim fuiſſe. Iſta ſimilia non ſunt Cato, in quibus quamuis multum proceſſeris,tamen illud in eadem cauſa eſt,à quo abeſſe ue lis,donec euaſeris. Nec enim ille reſpirat anteq̃ emerſit,& catuli ęque cęci pri us q̃ deſpexerunt,ac ſi ita futuri ſemper eſſent. Illa ſunt ſimilia: hebes acies eſt cuipiam oculorum,corpore alius langueſcit.hi curatione adhibita leuãtur in dies, alter ualet plus quotidie,alter uidet,hi ſimiles ſunt omnibus qui uirtuti ſtudent,leuantur uitijs,leuantur erroribus: niſi forte cenſeres T.Gracchũ pa trem non beatiorem fuiſſe q̃ filium,quum alter ſtabilire Remp. ſtuduerit, al ter euertere: nec tamen ille erat ſapiens. Quis enim hoc,aut quando, aut ubi, aut unde? Sed quia ſtudebat laudi & dignitati,multum in uirtute ꝓceſſerat. Conferam autem auum tuum Druſum,cũ C.Graccho eius ferè æquali. Quę hic Reip. uulnera imponebat,eadem ille ſanabat.Sed nihil eſt quod tam mi ſeros faciat,quàm impietas & ſcelus,ut iam oẽs inſipientes ſint miſeri, quòd profecto ſunt: non eſt tamen æque miſer qui patriæ conſulit,& is qui illã ex tinctam cupit. Leuatio igitur uitiorum magna fit his qui habent ad uirtutem progreſſionis aliquantum. Veſtri autem progreſſionem ad uirtutem fieri aiunt,leuationem uitiorum fieri negant. At quo utuntur homines acuti argu mento ad probandum,operęprecium eſt conſiderare. Quarum,inquiunt,ar tium ſumma creſcere poteſt, earum etiam contrariarum ſumma poterit auge ri: ad uirtutis autem ſummã accedere nihil poteſt,ne uitia quidem igitur cre ſcere poterunt,quæ ſunt uirtutum contraria. Vtrum igitur tandem perſpicu is ne dubia aperiuntur,an dubijs perſpicua tollũtur? Atqui hoc perſpicuum eſt,uitia alia in alijs eſſe maiora. Illud dubium,ad id quod ſummum bonum dicitis,ecquęnam fieri poſſit acceſſio. Vos autem quum perſpicuis dubia de beatis illuſtrare,dubijs perſpicua conamini tollere. Itaque uſi eadem ratione qua ſum paulò ante uſus,hærebitis. Si enim propterea uitia alia alijs maiora non ſunt,quia ne ad finem quidem bonorum eum, quem uos facitis,quidquã poteſt accedere,quoniam perſpicuum eſt uitia non eſſe omnium paria, finis bonorum uobis mutandus eſt. Teneamus enim illud neceſſe eſt,quum conſe quens aliquod falſum ſit,illud cuius id cõſequens ſit,non poſſe eſſe uerũ. Quę eſt igitur cauſa iſtarum anguſtiarum? glorioſa oſtentatio in conſtituẽdo ſum mo bono. Quum enim quod honeſtum ſit, id ſolum bonum eſſe confirma tur,tollitur cura ualetudinis,diligentia rei familiaris,adminiſtratio Reipub.

ordo gerẽdorũ negociorũ, officia uitæ, ipſum deniq; illud honeſtũ, in quo uul tis eſſe omnia, deſerendum eſt. Quę diligentiſſime contra Ariſtonem dicunt a Chryſippo. Ex ea difficultate illæ fallaci loquentiæ, ut ait Accius, malitiæ natæ ſunt. Quid enim? ſapientia pedem ubi poneret non habebat, ſublatis of ficijs omnibus: officia autem tollebantur delectu omni & diſcrimine remoto. Quæ eſſe poterunt, rebus omnibus ſic exæquatis, ut inter eas nihil intereſſet? Ex iſtis anguſtijs iſta euaſerunt deteriora quàm Ariſtonis, illa tamen ſimplicia, ueſtra uerſuta. Roges enim Ariſtonem, bona ne ei uideantur hæc, uacuitas doloris, diuitiæ, ualetudo? neget. Quid? quæ contraria ſunt his, mala ne? nihilo magis. Zenonem roges, reſpondeat totidem uerbis. Admirantes quæramus ab utroque, quonam modo uitam agere poſſimus, ſi nihil intereſſe noſtra putemus, ualeamus ægri'ne ſimus: uacemus, an cruciemur dolore, frigus famẽ propulſare poſſimus. Viues, inquit Ariſto, magnifice atq; præclare, quod erit cunq; uiſum ages, nunquam angere, nunquam cupies, nunquam timebis. Quid Zeno? portenta hæc eſſe dicit, nec ea ratione ullo modo poſſe uiui, ſed differre inter honeſtum & turpe, nimium, quantum, neſcio quid, immenſum, inter ceteras res nihil omnino intereſſe. Idem adhuc audi reliqua & riſum contine, ſi potes. Media illa, inquit, inter quæ nihil intereſt, tamen eiuſmodi ſunt, ut eorum alia eligenda ſint, alia reijcienda, alia omnino negligenda: hoc eſt, ut eorum alia uelis, alia nolis, alia non cures. Ac modo dixeras nihil in his rebus eſſe quod intereſſet. Et nunc idem dico, inquies, ſed ad uirtutes & ad uitia nihil intereſſe. Quis iſtud quaſi neſciebat? Verum audiamus. Iſta, inquit, quæ dixiſti, ualere, locupletem eſſe, non dolere, bona non dico, ſed dicam græce προηγμένα, latine autem producta, ſed præpoſita aut præcipua malo, ſic tolerabilius & mollius. Illa autem morbum, egeſtatẽ, dolorem, non appello mala, ſed ſi libet, reiectanea. Itaq; illa non dico me expetere, ſed legere: nec optare, ſed ſumere: contraria autem nõ fugere, ſed quaſi ſecernere. Quid ait Ariſtoteles, reliquiq; Platonis alumni? ſe omnia quę ſecundum naturam ſint, bona appellare: quæ autem contra, mala. Vides'ne igitur Zenonem tuum cum Ariſtone uerbis conſiſtere, re diſſidere? cũ Ariſtotele & illis re conſentire, uerbis diſcrepare? Cur igitur quum de re conueniat, non malumus uſitate loqui? Aut doceat paratiorem me ad cõtemnendam pecuniam fore, ſi illam in rebus præpoſitis, quàm ſi in bonis duxero: fortioremq; in patiendo dolore, ſi eum aſperum & difficilem perpeſſu, & contra naturam, quàm ſi malum eſſe dixero. Facete M. Piſo familiaris noſter & alia multa, & hoc loco Stoicos irridebat. Quid enim aiebat, bonum negas eſſe diuitias, præpoſitum eſſe dicis? Quid adiuuas? auaritiámue minuis? Quod ſi uerbum ſequimur, primum longius uerbũ præpoſitum quàm bonum. Nihil ad rem. Ne ſit ſanè, at certe grauius. Nam bonum ex quo appellatum ſit neſcio, præpoſitum ex eo credo, quod præponatur alijs. Id mihi magnum uidetur. Itaque dicebat plus tribui diuitijs à Zenone, qui eas in præpoſitis poneret, quàm ab Ariſtotele, qui bonum eſſe diuitias fateretur: ſed neq; magnum bonum, & præ rectis honeſtiſq; contemnendum & deſpiciendum, nec magnopere expetendum: omninoq; de iſtis omnibus uerbis à Zenone mutatis ita diſputabat, & quę bona negarentur eẽ ab eo, & quę mala, illa lętioribus noĩbus ab eo appellari q̃ à nobis,

hæc triſtioribus, Piſo igitur hoc mõ uir optimus, tuiq́ ut ſcis amantiſſimus. Nos paucis ad hæc additis finem faciamus aliquando. Longum eſt enim ad omnia reſpondere, quæ à te dicta ſunt: nã ex ijſdem uerbo℞ præſtigijs & regna nata uobis ſunt, & imperia, & diuitiæ, & tantæ quidẽ, ut omnia q̃ ubiq́ ſint ſapientis eſſe dicatis. Solum præterea formoſum, ſolum liberum, ſolum ciuem * omnia contraria, quos etiam inſanos eſſe uultis. Hæc παράδοξα illi, nos admirabilia dicamus. Quid aũt habent admirationis quum prope acceſſeris? conferam tecũ, quam cuiq́ uerbo rem ſubijcias, nulla erit controuerſia. Omnia peccata paria dicitis. Nõ ergo tecum iam ita loquar, ut ijſdem his de rebus, quum L. Murenam te accuſante defenderem, apud imperitos, tum illa dicta ſunt, aliquid etiam coronę datum. Nunc agendum eſt ſubtilius, peccata paria quonam modo? Quia nec honeſto quidq̃ honeſtius, nec turpi turpius. Perge porrò: nam de iſto magna diſſenſio eſt. Illa argumenta propria uideamus, cur omnia peccata ſint paria. Vt, inquit, in fidibus pluribus, ſi nulla ea℞ ita cõtenta numeris ſit, ut concentum ſeruare poſſit, omnes æque incontẽtæ ſint: ſic peccata quia diſcrepant, æque diſcrepant, paria ſunt igitur, hoc ambiguo ludis me. Aeque enim cõtingit omnibus fidibus ut incontentę ſint, illud non continuò, ut æque incõtentæ. Collatio igitur iſta te nihil iuuat: nec enim omnes auaritias, ſi æque auaritias eſſe dixerimus, ſequetur etiam ut æquas eẽ dicamus. Ecce aliud ſimile diſſimile. Vt enim, inquit gubernator, æque peccat, ſi palearum nauem euertit, & ſi auri: item æque peccat, qui parentem, & qui ſeruum iniuria uerberat. Hæc non uidere cuius generis onus nauis uehat, & ad gubernatoris artem nihil pertinere. Itaq́ aurũ paleámne portet, ad bene aut ad male gubernandũ nihil intereſſe: at quid inter parentem & ſeruulũ interſit, intelligi & poteſt & debet. Ergo in gubernando nihil, in officio plurimum intereſt quo in genere peccetur: & ſi in ipſa gubernatione negligẽtia eſt nauis euerſa, maius eſt peccatum in auro q̃ in palea. Omnibus enim artibus uolumus attributam eſſe eam, quæ cõmunis appellatur prudentia, quam omnes qui cuiq́ artificio præſunt, debent habere. Ita ne hoc modo paria quidem peccata ſunt. Vrgent tamen & nihil remittũt. Quoniã, inquiunt, omne peccatum imbecillitatis & incõſtantiæ eſt, hæc autem uitia in omnibus ſtultis æque magna ſunt, neceſſe eſt eſſe paria peccata. Quaſi uero aut cõcedatur in omnibus ſtultis æque magna eſſe uitia: & eadem imbecillitate & incõſtantia L. Tubulum fuiſſe, qua illum cuius is condemnatus eſt rogatione, P. Scæuolam, & quaſi nihil inter res quoq́ ipſas in quibus peccatur, interſit: ut quo hæ maiores minores'ue ſint, eo quæ peccata in his rebus aut maiora ſunt, aut minora, Itaq́ (iã enim concludat̃ oratio) hoc uno uitio maxime mihi premi uidẽtur tui Stoici, q́ ſe poſſe putãt duas cõtrarias ſententias obtinere. Quid eſt enim tam repugnans q̃ eundem dicere, quod honeſtum ſit, ſolum id bonũ eſſe, qui dicat appetitionem rerũ ad uiuendum accõmodatarum à natura profectam? Ita quum ea uolunt retinere, quæ ſuperiori ſententiæ conueniunt, in Ariſtonem incidunt: quum id fugiunt, re eadem defendunt quæ Peripatetici, uerba tenent mordicus. Quæ rurſus dum ſibi euelli ex ordine nolunt, horridiores euadunt, aſperiores, duriores, & oratione & moribus. Quam illorũ triſtitiam atq́ aſperitatem fugiens Panætius, nec acerbitatem ſententiarum nec differẽdi ſpinas ꝓbauit, fuitq́ in altero genere mitior, in altero illuſtrior:

ſemperq́

ſemperq; habuit in ore Platonem, Ariſtotelem, Xenocratē, Theophraſtū, Dicæarchum, ut ipſius ſcripta declarant: quos quidē tibi ſtudioſe & diligenter tractandos magnopere cēſeo. Sed quoniam adueſperaſcit, & mihi ad uillam reuertendum eſt, nunc quidem hactenus. Verū hoc idem ſæpe faciamus. Nos uero, inquit ille, nam quid poſſumus facere melius? & hanc quidem primam exigam à te operam, ut audias me quæ à te dicta ſunt refellentem. Sed memento te, quæ nos ſentiamus omnia ꝓbare, ni quod uerbis aliter utamur, mihi autem ueſtrorum nihil probari. Scrupulum, inquam, abeunti, ſed uidebimus. Quæ quum eſſent dicta, diſceſſimus.

M. TVLLII CICERONIS DE FINIBVS BONORVM ET MALORVM AD BRVTVM. LIB. QVINTVS.

CVM audiſſem Antiochum Brute, ut ſolebat, cū M. Piſone ī eo gymnaſio, quod Ptolemęiū uocatur, unaq; nobiſcum Q. Frater, & T. Pomponius. & L. Cicero, frater noſter cognatione patruelis, amore germanus, conſtituimus inter nos, ut ambulationem poſtmeridianam conficeremus in Academia, maxime ꝙ is locus ab omni turba id temporis uacuus eſſet. Itaq; ad tēpus ad Piſonem omnes, inde uario ſermone ſex illa à Dipylo ſtadia confecimus. Quum autem ueniſſemus in Academiæ non ſine cā nobilitata ſpatia, ſolitudo erat ea quam uolueramus. Tum Piſo, Naturáne nobis hoc, inquit, datum dicam, an errore quodam, ut quum ea loca uideamus, in quibus memoria dignos uiros acceperimus multum eſſe uerſatos, magis moueamur, quàm ſi aut eorum ipſorum, aut facta audiamus, aut ſcriptum aliquod legamus, uelut ego nūc moueor? Venit enim mihi Platonis in mentē, quem accepimus primum hic diſputare ſolitum, cuius etiam illi hortuli ꝓpinqui non memoriam ſolum mihi afferunt, ſed ipſum uidētur in cōſpectu meo ponere. Hic Speuſippus, hic Xenocrates, hic eius auditor Polemo, cuius ipſa illa ſeſſio fuit, quam uidemus. Equidem etiam curiam noſtram, Hoſtiliam dico, non hanc nouā, quæ mihi minor eſſe uidetur, poſteaq̄ eſt maior, ſolebam intuens, Scipionem, Catonem, Lælium, noſtrum uero in primis auum cogitare. Tanta uis admonitionis ineſt in locis, ut non ſine cauſa ex his memoriæ ducta ſit diſciplina. Tum Quintus: eſt planè Piſo ut dicis, inquit. Nā me ipſum huc modo uenientem conuertebat ad ſeſe Coloneus ille locus, cuius incola Sophocles ob oculos uerſabatur. Quē ſcis q̄ admirer, quamq; eo delecter. Me quidē ad altiorem memoriam Oedipodis huc uenientis, & illo molliſſimo carmine, quænā eſſent ipſa hęc loca reqrentis, ſpecies q̄dam cōmouit, inanis ſcilicet, ſed cōmouit tñ. Tū Pōponius, at ego quē uos ut deditū Epicuro inſectari ſoletis. ſum multū eqdē cum Phędro, quē unice diligo (ut ſcitis) in Epicuri hortis, quos mō pręteribamus: ſed ueteris ꝓuerbij admonitu uiuoꝝ memini: nec tñ Epicuri licet obliuiſci, ſi cupiā, cuius imaginē non mō in tabulis noſtri familiares, ſed ēt in poculis et in anulis hñt. Hic ego, Pōponius qui

dem,inquam,noſter iocari uidetur,& fortaſſe ſuo iure. Ita enim ſe Athenis collocauit,ut ſit penè unus ex Atticis,ut id etiam cognomine uideatur habi turus.Ego autem tibi Piſo aſſentior,uſu hoc euenire,ut acrius aliquāto & at tentius de claris uiris locorum admonitu cogitemus.Scis enim me quodam tempore Metapontum ueniſſe tecum,nec ad hoſpitem ante diuertiſſe,q̄ Py thagorę ipſum illum locum ubi uitam ediderat,ſedemq́ uiderim. Hoc autē tēpore,& ſi multa in omni parte Athenarū ſunt in ipſis locis indicia ſūmorū uirorum,tamē ego illa moueor exhedra.Modo enim fuit Carneades, quem uidere uideor:eſt.n.nota imago,à ſedeq́ ipſa tāta ingenij magnitudine orba ta,deſiderari illam uocem puto.Tum Piſo,Quoniam igitur aliquid omnes, quid L.noſter inquit?an eum locum libēter inuiſit,ubi Demoſthenes et Ae ſchines inter ſe decertare ſoliti ſunt?Suo enim quiſq́ ſtudio maxime ducit. Et ille quū erubuiſſet,Noli,inquit,ex me quęrere,qui in Phalericum etiā de ſcenderim,quo in loco ad fluctum aiunt declamare ſolitum Demoſthenem, ut fremitū aſſueſceret uoce uincere:modo etiam paulū ad dextrā de uia decli naui,ut ad Periclis ſepulcrū accederem.q̄q̄ id quidem infinitum eſt in hac ur be:quacunq́ enim ingredimur,in aliquam hiſtoriā ueſtigiū ponimus. Tum Piſo, Atqui Cicero,inquit,iſta ſtudia,ſi ad imitandos ſummos uiros ſpectāt, ingenioſorū ſunt:ſin tantūmodo ad indicia ueteris memorię cognoſcēda, cu rioſorū.Te aūt hortamur oēs,currētē quidē ut ſpero,ut eos quos nouiſſe uis, ēt imitari uelis.Hic ego,& ſi facit hic quidem,inq̄,Piſo,ut uides,ea quę preci pis,tñ mihi grata eſt hortatio tua.Tū ille amiciſſime ut ſolebat,nos uero,in quit,oēs omnia ad huius adoleſcentiam cōferamus,in primiſq́ ut aliqd ſuo rum ſtudiorū,philoſophiæ quoq́ impertiat,uel ut te imitetur quem amat,uel ut illud ipſum quod ſtudet,facere poſſit ornatius.Sed utrū hortandus es no bis Luci,inquit,an etiam tua ſponte propenſus es? mihi quidem Antiochū quem audis,ſatis belle uideris attendere.Tum ille timide,uel potius uerecū de,Facio, īquit,equidē.Sed audiſti ne modo de Carneade? rapior illuc,reuo cat aūt Antiochus,nec eſt pręterea quem audiamus.Tum Piſo,& ſi hoc, in quit,fortaſſe nō poterit ſic abire,quum hic adſit(me aūt dicebat)tamē aude bo te ab hac Academia noua ad ueterem illā uocare, in qua ut dicere Antio chum audiebas,non hi ſoli numerātur qui Academici uocātur, Speuſippus, Xenocrates,Polemo,Crātor,ceteriq́,ſed etiam Peripatetici ueteres, quorū princeps Ariſtoteles,quē, excepto Platone,haud ſcio an recte dixerim prin cipem philoſophorum.Ad eos igitur conuerte te quęſo:ex eorum enim ſcri ptis & inſtitutis quum omnis doctrina liberalis, omnis hiſtoria, omnis ſer mo elegans ſumi poteſt,tum uarietas eſt tanta artium,ut nemo ſine eo inſtru mento ad ullam rem illuſtriorem ſatis ornatus poſſit accedere.Ab his orato res,ab his Imperatores,ac rerum publicarum principes extiterūt:ut ad mi nora ueniam,mathematici,poetæ,muſici,medici deniq́ ex hac, tanq̄ ex om niū artium officina profecti ſunt, Ad quæ ego.Scis me,inquam, iſtud idē ſen tire Piſo,ſed à te opportune facta mentio eſt.Studet enim meus audire Cice ro,quænam ſit iſtius ueteris,quam cōmemoras, Academiæ,de finibus bono rum,Peripateticorumq́ ſententia.Cenſemus autem te facillime id explana re poſſe,quod & Staſeam Neapolitanum multos annos habueris apud te,et complures iam menſes Athenis hæc ipſa te ex Antiocho uideamus exquire re.Et

re.Et ille ridẽs,Age age,inquit,ſatis enim ſcite me noſtri ſermonis principi-
um eſſe uoluiſti,exponamus adoleſcenti,ſi qua forte poſſumus. Dat enim id
nobis ſolitudo,quod ſi quis deus diceret,nunq̃ putarẽ me in Academia tãq̃
philoſophum diſputaturum.Sed ne dum huic obſequor,uobis moleſtus ſim.
Mihi,inquam,qui te idipſum rogaui?Tum Quintus & Pomponius quum
idem ſe uelle dixiſſent,Piſo exorſus eſt.Cuius oratio,attende quæſo Brute,ſa
tis'ne uideatur Antiochi complexa eſſe ſententiam,quam tibi,qui fratrẽ eius
Ariſtum frequenter audieris,maxime probatam exiſtimo.Sic eſt igitur lo-
quutus.Quantus ornatus in Peripateticorum diſciplina ſit,ſatis eſt à me, ut
breuiſſime potui,pauloante dictum:ſed eſt forma eius diſciplinæ,ſicut ferè ce
terarum,triplex. Vna pars eſt natura diſſerendi, altera uiuendi, tertia natu-
ra ſic ab his inueſtigata eſt,ut nulla pars cœlo,mari,terra, ut poetice loquar,
prætermiſſa ſit.Quinetiam quum de rerum initijs omniq; mundo loquuti
eſſent,ut multa non modo probabili argumentatione,ſed etiã neceſſaria ma
thematicorum ratione concluderent,maximam materiam ex rebus per ſe in
ueſtigatis,ad rerum occultarum cognitionem attulerũt.Perſequutus eſt Ari
ſtoteles animantium omnium ortus,uictus,figuras. Theophraſtus autẽ ſtir
pium naturas,omniumq; ferè rerum,quæ è terra gignerentur,cauſas atq; ra-
tiones.Qua ex cognitione facilior facta eſt inueſtigatio rerum occultiſſima-
rum.Diſſerendiq; ab ijſdem non dialectice ſolum,ſed etiam oratorie præce-
pta ſunt tradita,ab Ariſtoteleq; principe de ſingulis rebus in utrãq; partem
dicendi exercitatio eſt inſtituta,ut non contra omnia ſemper ſicut Archeſi-
las diceret,& tamen ut in omnibus rebus,quidquid ex utraq; parte dici poſ-
ſet,exprimeret.Quum autem tertia pars bene uiuendi præcepta quęreret,ea
quoq; eſt ab ijſdem,non ſolum ad priuatæ uitę rationem,ſed etiam ad rerum
publicarum rectionem relata.Omnium ferè ciuitatum, non Græciæ ſolum,
ſed etiam Barbariæ,ab Ariſtotele mores,inſtituta,diſciplinas,à Theophra-
ſto leges etiam cognouimus.Quumq; uterq; eorum docuiſſet qualem in Re
publica principem conueniret, pluribus præterea quum ſcripſiſſet qui eſſet
optimus reipublicæ ſtatus:hoc amplius Theophraſtus,quę eſſent in republi
ca inclinationes rerum & momenta temporum, quibus eſſet moderandum
utcunque res poſtularet. Vitæ autem degendæ ratio, maxime quidẽ illis pla
cuit quieta,in contemplatione & cognitione poſita rerum,quę quia deorum
erat uitę ſimillima,ſapiente uiſa eſt digniſſima. Atque his de rebus & ſplẽdi-
da ẽ eorꝫ et illuſtris oratio.De ſũmo aũt bono,quia duo genera librorꝫ ſunt,
unum populariter ſcriptum,quod ἐξωτερικὸν appellabant,alterum limatius,
quod in cõmentarijs reliquerunt,nõ ſemper idem dicere uidẽtur: nec in ſum
ma tamẽ ipſa aut uarietas eſt ulla apud hos quidem quos nominaui, aut inter
ipſos diſſenſio.Sed quum uita beata quæratur,idq; ſit unum, quod philoſo-
phia ſpectare & ſequi debeat, ſit ne ea tota ſita in poteſtate ſapiẽtis,an poſſit
aut labefactari aut eripi rebus aduerſis,in eo nonnunquam uariari inter eos
& dubitari uidetur,quod maxime efficit Theophraſti de beata uita liber, in
quo multum admodũ fortunæ datur:quod ſi ita ſe habeat,nõ poſſit beatam
ꝑſtare uitam ſapiẽtia.Hęc mihi uidetur delicatior,ut ita dicam, molliorq; rõ
quàm uirtutis uis grauitasq; poſtulat. Quare teneamus Ariſtotelem,& eius
filium Nicomachum,cuius accurate ſcripti de moribus libri,dicũtur illi qui-

dem

dem eſſe Ariſtotelis,ſed non uideo cur non potuerit patri ſimilis eſſe filius. Theophraſtum tamẽ adhibeamus ad pleraq;,dũmodo plus in uirtute teneamus q̃ ille tenuit firmitatis & roboris. Simus igitur contenti his. Nãq; horũ poſteri meliores illi quidem mea ſententia quàm reliquarum philoſophi diſciplinarũ:ſed ita degenerant,ut ipſi ex ſe nati eſſe uideantur. Primum Theophraſti Strato phyſicum ſe uoluit,in quo & ſi eſt magnus, tamen noua pleraq; & perpauca de moribus. Huius Lyſias & oratione locuples, rebus ipſis ieiunior. Concinnus deinde & elegans huius Ariſto. Sed ea quę deſideratur à magno philoſopho,grauitas in eo non fuit. Scripta ſanè & multa & polita, ſed neſcio quo pacto,authoritatem oratio non habet. Prętereo multos, in his doctum hominem & ſuauem Hieronymum,quem iam cur Peripateticũ appellem neſcio. ſummum enim bonum expoſuit uacuitatem doloris. Qui autẽ de ſummo bono diſſentit,de tota philoſophiæ ratiõe diſſentit. Critolaus imitari antiquos uoluit,& quidem eſt grauitate proximus,& redundat oratio, attamẽ is quidem in patrijs inſtitutis manet. Diodorus eius auditor adiũgit ad honeſtatem uacuitatẽ doloris. Hic quoq; ſuus eſt, de ſummoq; bono diſſentiens,dici uere Peripateticus nõ poteſt. Antiquorꝫ autem ſententiam Antiochus noſter mihi uidetur perſequi diligentiſſime,quam eandem Ariſtotelis fuiſſe & Polemonis docet. Facit igitur Lucius noſter prudenter,qui audire de ſummo bono potiſſimum uelit. Hoc enim conſtituto in philoſophia,cõſtituta ſunt omnia. Nam ceteris in rebus ſiue prætermiſſum ſiue ignoratum eſt quippiam,non plus incõmodi eſt q̃ quãti quæq; earum rerum eſt, in quibus neglectum eſt aliquid. Sũmum autem bonum ſi ignoretur,uiuendi rõnẽ ignorari neceſſe eſt:ex quo tantus error cõſequitur,ut quem in portum ſe recipiant ſcire nõ poſſint. Cognitis autem rerum finibus,quum intelligitᷣ quid ſit & bonorꝫ extremum & malorꝫ,inuenta uitę uia eſt,confirmatioq; omniũ officiorꝫ. Eſt igitur quòquidq; referatur, ex quo id q̃d oẽs expetunt,beate uiuendi ratio inueniri & comparari poteſt: quod quoniam in quo ſit, magna diſſenſio eſt,Carneadea nobis adhibenda diuiſio eſt, qua noſter Antiochus libenter uti ſolet. Ille igitur uidit,non modo quot fuiſſent adhuc philoſophorum de ſummo bono,ſed quot omnino eſſe poſſent ſentẽtiæ. Negabat igitur ullam eſſe artem,quæ ipſa à ſe proficiſceretur. Etenim ſemper illud extra eſt, quod arte comprehenditur. Nihil opus eſt exemplis hoc facere longius. Eſt enim perſpicuum nullam artem in ſe uerſari,ſed eſſe aliud artem ipſam, aliud quod propoſitum ſit arti. Quoniam ut medicina ualetudinis,nauigatiõis gubernatio,ſic uiuendi ars eſt prudentia,neceſſe eſt eam quoq; ab alia re eẽ conſtitutam & profectã. Conſtitit aũt ferè inter omnes,id in quo prudentia uerſaretur,& quod aſſequi uellet,aptum & accõmodatum naturę eſſe oportere, & tale ut ipſum per ſe inuitaret & alliceret appetitum animi,quem ὁρμὴν Gręci uocant. Quid autem ſit quod ita moueat,itaq; à natura in primo ortu appetatur,non cõſtat:deq; eo eſt inter philoſophos quum ſummum bonũ exquiritur,omnis diſſenſio. Totius enim quæſtionis eius,quæ habetur de finibus bonorꝫ & malorum,quum quęritur in his quid ſit extremum & ultimũ, fons reperiendus eſt in quo ſint prima inuitamenta naturæ. Quo inuẽto oĩs ab eo quaſi capite de ſũmo bono & malo diſputatio ducitur. Voluptatis alij primum appetitũ putant,& primã depulſionẽ doloris. Alij cenſent primum

aſcitum

aſcitum *, & primum declinatum dolorem. Ab his alij quæ prima ſecundum naturam nominant,proficiſcuntur,in quibus numerant incolumitatem conſeruationemq́ omniũ partium,ualetudinem,ſenſus integros, doloris uacuitatem,uires,pulchritudinem,ceteraq́ generis eiuſdem,quorũ ſimilia ſunt prima in animis,quaſi uirtutum igniculi & ſemina.Ex his tribus quum unũ aliquod ſit,quo primum natura moueatur,uel ad appetẽdum uel ad repellendum,nec quidquam omnino pręter hęc tria poſſit eſſe, neceſſe eſt omnino officium, aut fugiendi,aut ſequendi ad eorum aliquid referri, ut illa prudentia quam artem uitæ eẽ diximus,in earum trium rerum aliqua uerſetur, á qua totius uitæ ducat exordium.Ex eo autem quod ſtatuerit eſſe quo primum natura moueatur,exiſtet etiam recti ratio,atque honeſti, quæ cum uno aliquo ex tribus illis congruere poſſit: ut aut id honeſtum ſit,facere omnia aut uoluptatis cauſa, ẽt ſi eã nõ conſequare: aut non dolendi,etiam ſi id aſſequi nequeas: aut eorum quæ ſecundum naturam adipiſcendi. Ita fit ut quanta differentia eſt in principijs naturalibus, tanta ſit in finibus bonorum malorumq́ diſſimilitudo. Alij rurſus ijſdem á principijs omne officium referunt aut ad uoluptatem, aut ad non dolendum, aut ad prima illa ſecũdum naturam obtinenda.Expoſitis iam igitur ſex de ſummo bono ſententijs, trium proximarũ hĩ principes. Voluptatis Ariſtippus,non dolendi Hieronymus,fruendi rebus his,quas primas ſecundum naturam eſſe diximus,Carneades: non ille ꝗdem author,ſed defenſor diſſerendi cauſa fuit. Superiores tres erant, quæ eſſe poſſent,quarum eſt una ſola defenſa eaq́ uehementer. Nam uoluptatis cauſa facere omnia,quum etiam ſi nihil conſequamur, tamen ipſum illud conſilium ita faciendi per ſe expetendum,& honeſtum & ſolum bonum ſit,nemo dicit, ne uitationem quidem doloris ipſam per ſe quiſquam in rebus expetendis putauit,ne ſi etiam euitare poſſet. At uero facere omnia, ut adipiſcamur quæ ſecundum naturam ſint,& ſi ea non aſſequamur,id eſſe & honeſtum,& ſolum per ſe expetendum,& ſolum bonum,Stoici dicunt. Sex igitur hæ ſunt ſimplices de ſummo bonorum malorũq́ ſententiæ. Duę ſine patrono, quatuor defenſæ. Iũctæ autẽ & duplices expoſitiones ſummi boni tres omnino fuerũt, nec uero plures,ſi penitus rerum naturam uideas,eſſe potuerunt. Nã aut uoluptas adiungi poteſt ad honeſtatem,ut Calliphoni Dinomachoq́ placuit: aut doloris uacuitas,ut Diodoro: aut prima naturæ,ut antiquis, quos eoſdẽ Academicos & Peripateticos nominamus. Sed quoniam non poſſunt omnia ſimul dici, hæc in præſentia nota eſſe debebunt,uoluptatem ſemouẽdam eſſe,quando ad maiora quædã,ut iam apparebit,nati ſumus. De uacuitate doloris eadẽ ferè dici ſolent,quę de uoluptate. Quãdo igit̃ & de uoluptate cum Torquato,& de honeſtate,in qua una omne bonum poneret̃, cũ Catone eſt diſputatum,primũ quę contra uoluptatem dicta ſunt,eadem ferè cadunt contra uacuitatem doloris. Nec uero alia ſunt quærenda contra carneadeã illam ſententiam. Quocũque enim modo ſummum bonum ſic exponitur ut id uacet honeſtate, nec officia nec uirtutes in ea ratione,nec amicitiæ conſtare poſſunt. Coniunctio autem cum honeſtate, uel uoluptatis, uel non dolendi, id ipſum honeſtum quod amplecti uult, efficit turpe. Ad eas enim res referre quæ agas,quarum una ſi quis malo careat,in ſummo eũ bono dicat eſſe, alte-

ra uerſetur in leuiſſima parte naturæ, obſcurãtis eſt omnem ſplendorem honeſtatis ne dicam inquinãtis. Reſtant Stoici, qui quum à Peripateticis & Academicis omnia trãſtuliſſent, nominibus alijs eaſdem res ſequuti ſunt. Hos contra ſingulos dici eſt melius. Sed nunc quod agimus, de illis quum uolemus. Democriti autem ſecuritas, quæ eſt animi tanquam trãquillitas, quam appellant εὐθυμίαν, eo ſeparanda fuit ab hac diſputatione, quia iſta animi tranquillitas ea ipſa eſt beata uita. Quærimus autem non quæ ſit, ſed unde ſit. Iã exploſæ eiectæq́ſententiæ Pyrrhonis, Ariſtonis, Erilli, quòd in hũc orbem quem circũſcripſimus incidere nõ poſſunt, adhibendæ omnino nõ fuerunt. Nam quum oĩs hæc quæſtio de finibus, & quaſi de extremis bonorũ & malorum ab eo proficiſcatur, quod dicimus naturæ eſſe aptum & accõmodatũ, quodq́ ipſum per ſe primũ appetatur, hoc totum & hi tollunt, qui in rebus ijs, in quibus nihil quod nõ aut honeſtum aut turpe ſit, negant eſſe ullã cãm cur aliud àlij anteponatur, nec inter eas res quidquam omnino putant intereſſe: & Erillus ſi ita ſenſit, nihil eſſe bonum præter ſcientiam, omnem cõſilij capiendi cauſam inuentionemq́ officij ſuſtulit. Sic excluſis ſentẽtijs reliquorum, quum præterea nulla eſſe poſſit, hæc antiquorũ ualeat neceſſe eſt. Ergo inſtituto ueterum, quo etiam Stoici utuntur hinc capiamus exordium. Omne animal ſeipſum diligit, ac ſimul & ortum eſt, id agit, ut ſe conſeruet, quod hic ei primus ad omnem uitam tuendam appetitus à natura datur, ſe ut cõſeruet atque ita ſit affectum, ut optime ſecundum naturam affectum eſſe poſſit. Hanc initio conſtitutionem confuſam habet & incertam, ut tantummodo ſe tueatur, qualecunq; ſit, ſed nec quid ſit, nec quid poſſit, nec quid ipſius natura ſit, intelligit. Quum autem proceſſit paulum, & quatenus quidquid ſe attingat ad ſeq́ pertineat perſpicere cœpit, tũ ſenſim incipit progredi, ſeſeq́ agnoſcere & intelligere: quam ob cauſam habet eum, quem diximus, animi appetitum, cœptatq́ & ea, quæ naturæ ſentit apta, appetere, & propulſare contraria. Ergo omni animali illud quod appetit, poſitum eſt in eo quod naturæ eſt accommodatum. Ita finis bonorum exiſtit ſecundum naturam uiuere, ſic affectum, ut optime affici poſſit, ad naturamq́ accommodatiſſime. Quoniã autem ſua cuiuſq; animantis natura eſt, neceſſe eſt quoq; finem omnium hũc eſſe, ut natura expleatur. Nihil enim prohibet quædam eẽ & inter ſe animalibus reliquis, & cum beſtijs homini communia, quoniam omnium eſt natura communis. Sed extrema illa & ſumma, quæ quærimus inter animaliũ genera, diſtincta & diſpertita ſunt, & ſua cuiq; propria & ad id apta, quod cuiuſq; natura deſiderat. Quare quũ dicimus omnibus animalibus extremum eſſe ſecundum naturã uiuere, non ita accipiendũ eſt, quaſi dicamus unum eſſe omniũ extremum: ſed ut oĩum artium recte dici poteſt cõmune eſſe, ut in aliqua ſcientia uerſetur, ſcientiam autem ſuam cuiuſq; artis eſſe, ſic cõmune aĩalium omnium ſecũdum naturam uiuere: ſed naturas eẽ diuerſas, ut aliud equo ſit natura, aliud boui, aliud homini, & tamen in omnibus ſumma communis. Et quidem non ſolum in animalibus, ſed etiam in rebus omnibus his, quas natura alit, auget & tuetur: in quibus uidemus ea quæ gignuntur è terra, multa quodammodo efficere ipſa ſibi per ſe, quæ ad uiuendum creſcendumq́ ualeant, & ſuo genere perueniant ad extremũ, ut iam liceat unà comprehenſione oĩa complecti: non dubitãtemq́ dicere, omnem naturam eẽ ſeruatricem

ſui,

ſui,idq; habere propoſitum quaſi finem & extremum,ſe ut cuſtodiat q̃ in optimo ſui generis ſtatu,ut neceſſe ſit omnium rerum,quæ natura uigeant, ſimilem eſſe finem,non eundem.Ex quo intelligi debet homini id eẽ in bonis ultimum,ſecũdum naturam uiuere:quod ita interpretemur,uiuere ex hominis natura undiq; perfecta,& nihil requirente.Hæc igitur nobis explicãda ſunt, ſed ſi enodatius,uos ignoſcetis:huius enim ætati,& huic nunc hoc primũ fortaſſe audienti,ſeruire debemus.Ita prorſus,inquam,& ſi ea quidem quæ adhuc dixiſti,quãuis ad ætatem recte iſto modo dicerentur. Expoſita igitur,inquit,terminatione rerꝝ expetẽdarũ,cur iſta ſe res ita habeat,ut dixi, deinceps demonſtrandum eſt.Quamobrẽ ordiamur ab eo quod primũ poſui, quod idem reapſe primum ẽ,ut intelligamus,omne animal ſeipſum diligere, quod quanq̃ dubitationem non habet(eſt enim infixum in ipſa natura, comprehẽditur ſuis cuiuſq; ſenſibus,ſic ut contra ſi quis dicere uelit,non audiatur)tamẽ ne quid prætermittamus,rationes quoq; cur hoc ita ſit,afferendas puto. Et ſi qui poteſt intelligi aut cogitari eſſe aliquod animal,quod ſe oderit:res enim concurrent contrariæ.Nam quum appetitus ille animi aliquid ad ſe trahere cœperit conſulto,quod ſibi obſit,quia ſit ſibi inimicus, quum id ſua cauſa faciet,& oderit ſe & ſimul diliget,quod fieri non poteſt.Neceſſe eſt quidem ſi quis ſibipſi inimicus eſt,eum quæ bona ſunt,mala putare, bona contra, q̃ mala,& quæ appetenda fugere,& quæ fugienda appetere,quæ ſine dubio uitæ ſunt euerſio.Neque enim ſi nõnulli reperiuntur,qui aut laqueos,aut alia exi-
» tia quærant,aut ut ille apud Terentium,qui decreuit tantiſper ſe minus iniuriæ ſuo nato facere,ut ait ipſe,dum miſer fiat,

inimicus ipſe ſibi putandus eſt. Sed alĳ dolore mouentur,alĳ cupiditate, iracundia etiam multi efferuntur,& quum in mala ſcientes irruunt,tamen ſe optime ſibi conſulere arbitrantur. Itaque dicunt,nec dubitant,

Mihi ſic uſus eſt,tibi ut opus eſt facto face.

Velut qui ipſi ſibi bellũ indixiſſent,cruciari dies,noctes torqueri uellẽt,nec uero ſeſe ipſi accuſarent ob eam cãm,quod ſe male ſuis rebus conſuluiſſe dicerent.Eorꝝ enim eſt hęc querela,qui ſibi chari ſunt,ſeſeq; diligũt.Quare quotieſcũque dicetur male de ſe quis mereri,ſibiq; eſſe inimicus atque hoſtis, uitã denique fugere,intelligatur aliq̃ ſubeſſe eiuſmodi cãm, ut ex eo ipſo intelligi poſſit ſibi quẽque eſſe charum.Nec uero ſatis eſt id,neminem eſſe qui ipſe ſe oderit:ſed illud quoque intelligẽdũ eſt,neminẽ eſſe qui quo modo ſe habeat, nihil ſua cenſeat intereſſe.Tolletur.n.appetitus animi,ſi ut in his rebus inter quas nihil intereſt,neutrã in partem propenſiores ſimus,itẽ in nobiſmetipſis quẽadmodũ affecti ſimus, nihil noſtra arbitramur intereſſe. Atq; ẽt illud ſi quis dicere uelit perabſurdum ſit,ita diligi à ſeſe quẽq; ut ea uis diligendi ad aliã rem quãpiã referatur,nõ ad eum ipſum qui ſeſe diligat.Hoc quũ in amicitĳs,quum in officĳs,quũ in uirtutibus dicitur,quomodocũque dicitur,intelligi tamen quid dicatur põt:in nobiſmetipſis autem intelligi quidem propter aliam quãpiam rem:uerbi gratia propter uoluptatem nos amemus, propter nos enim illã,non propter eam noſmetipſos diligimus. Quãq̃ quid ẽ, quod magis perſpicuum ſit,nõ modo charum ſibi quẽque, uerũetiam uehementer charum eſſe: Quis eſt enim aut quotus quiſq;,cui mors quũ appropinquet,

Non refugiat timido ſanguen atq; exalbeſcat metu:

Et ſi hoc quidem eſt in uitio, diſſolutionem naturæ tam ualde perhorreſce-re, quod itē eſt reprehendendū in dolore: ſed quia ferè ſic afficiuntur oēs, ſa-tis argumēti eſt, ab interitu naturam abhorrere. Idq; quo magis quidam ita faciunt, ut iure etiam reprehendantur, hoc magis intelligendum eſt, hæc ipſa nimia in quibuſdam futura non fuiſſe, niſi quædā eſſent modica natura. Nec uero dico eorum metum mortis, qui quia priuari ſe uitæ bonis arbitrent̄, aut quia quaſdam poſt mortem formidines extimeſcāt, aut ſi metuant, ne cū do-lore moriant̄, idcirco mortem fugiāt. In paruis enim ſæpe, qui nihil eorum co gitant, ſiquando his ludentes minamur præcipitaturos alicūde, extimeſcunt. Quinetiam feræ, inquit Pacuuius,

Quibus abeſt ad præcauendum intelligendi aſtutia,

ſibi iniecto terrore mortis, horreſcunt. Quis autem de ipſo ſapiēte aliter exi ſtimat? quin etiam quum decreuerit eſſe moriendū, tamen diſceſſu à ſuis, atq; ipſa relinquēda luce moueatur. Maxime autem in hoc quidem genere uis eſt perſpicua naturæ, quum & mendicitatem multi perpetiantur ut uiuant, et an gantur, appropinquatione mortis confecti homines ſenectute, & ea perferāt, quæ Philoctetam uidemus in fabulis: qui quum cruciaretur non ferendis do loribus, propagabat tamen uitam aucupio ſagittarum.

Configebat tardus celeres, ſtans uolantes,

ut apud Accium eſt,

Pennarumq; contextu corpori tegumenta faciebat.

De hominum genere aut omnino de animalium loquor, quum arborum & ſtirpium eadem penè natura ſit: ſiue ut doctiſſimis uiris uiſum eſt, maior ali-qua cauſa atq; diuinior hanc uim ingenuit, ſiue hoc ita ſit fortuito. Videamus ea quæ terra gignit corticibus & radicibus ualida ſeruari, quod cōtingit ani malibus ſenſuum diſtributione, & quadam compactione membrorū. Qua quidem de re q̄q̄ aſſentior ijs, qui hæc omnia regi natura putant, quæ ſi natu ra negligat, ipſa eſſe non poſſint, tamen concedo, ut qui de hoc diſſentiūt, exi ſtiment quod uelint: ac uel hoc intelligant, ſiquando naturam hominis dicā, hominem dicere me. Nihil enim hoc differt. Nam prius à ſe poterit quiſque diſcedere, q̄ appetitum earum rerum quæ ſibi conducant, amittere. Iure igi-tur grauiſſimi philoſophi initium ſummi boni à natura petiuerunt, & illum appetitum rerum accommodatarum, ingeneratum putauerunt omnibus, qui continentur ea commendatione naturæ, qua ſe ipſi diligunt. Deinceps uiden dum eſt, quoniam ſatis apertum eſt ſibi quenq; natura eē charum, quæ ſit ho minis natura, id eſt enim de quo quærimus. Atqui perſpicuum eſt hominem è corpore animoq; conſtare, quum primæ ſint animi partes, ſecundæ corpo-ris. Deinde id quoque uidemus, & ita figuratum corpus, ut excellat alijs: ani-mumq; ita conſtitutum, ut & ſenſibus inſtructus ſit, & habeat præſtantiā mē tis, cui tota hominis natura pareat, in qua ſit mirabilis quædam uis rationis & cognitionis & ſcientiæ uirtutumq; omnium. Nam quæ corporis ſunt, ea nec authoritatem cum animi partibus comparandā, & cognitionem habēt fa ciliorem. Itaq; ab his ordiamur. Corporis igitur noſtri partes totaq; figura & forma & ſtatura q̄ apta ad naturam ſit apparet: neque eſt dubium, quin frons, oculi, aures, & reliquæ partes quales ꝓpriæ ſunt hominis, intelligatur. Sed certe opus ē ea ualere & uigere, & naturales motus uſusq; habere, ut nec

abſit quid eorum,nec ægrum debilitatū'ue ſit:id enim natura deſiderat. Eſt enim actio quædam corporis,quæ motus & ſtatus naturæ congruenteis tenet. In quibus ſi peccetur diſtortione & deprauatione quadam aut motu ſtatu'ue deformi,ut ſi aut manibus ingrediatur quis,aut non ante ſed retro, fugere plane ſe ipſe,& hominem ex homine exuens,naturam odiſſe uideatˀ. Quãobrem etiam ſeſſiones quædam,& flexi fractiq́ motus,quales proteruorum hominum aut mollium eſſe ſolent,contra naturam ſunt:ut etiam ſi animi uitio id eueniat,tamen in corpore immutari hominis natura uideatur. Itaq́ e contrario moderati,æquabilesq́ habitus,affectiones uſusq́ corporis apta eẽ ad naturam uidentur. Iam uero animus non eſſe ſolum,ſed etiam cuiuſdã modi debet eſſe,ut & omnes partes habeat incolumes,& de uirtutibus nulla deſit. Atqui in ſenſibus eſt ſua cuiuſque uirtus, ut ne quid impediat quo minus ſuo ſenſus quiſque munere fungatur:in his rebus celeriter expediteq́ percipiendis,quę ſubiectæ ſunt ſenſibus. Animi autem & eius animi partis quę princeps eſt,quæq́ mens nominatur,plures ſunt uirtutes, ſed duo prima genera: unum earum quæ ingenerantur ſuapte natura,appellanturq́ non uolũtarię: alterum earum,quæ in uoluntate poſitæ magis proprio nomine appellari ſolent,quarum eſt excellens in animorum laude pręſtantia. Prioris generis eſt docilitas,memoria,quæ fere omnia appellantˀ uno ingenij nomine, easq́ uirtutes qui habent,ingenioſi uocantur. Alterum autem genus eſt magnarum uerarumq́ uirtutum,quas appellamus uoluntarias,ut prudentiam,tẽperantiam,fortitudinem,iuſtitiam,& reliquas eiuſdem generis. Et ſummatim quidem hæc erant de corpore animoq́ dicẽda,qbus quaſi informatum eſt quod hominis natura poſtulet. Ex quo perſpicuum eſt, quoniã ipſi a nobis diligamur,omniaq́ & in animo & in corpore perfecta uelimus eſſe, ea nobis ipſa chara eſſe propter ſe,& in his eſſe ad bene uiuendum momenta maxima. Nã cui propoſita ſit conſeruatio ſui,neceſſe eſt huic partes quoque ſui charas eſſe, charioresq́ quo perfectiores ſint & magis in ſuo genere laudabiles. Ea enim uita expetitur,quæ ſit animi corporisq́ expleta uirtutibus, in eoq́ ſummum bonum poni neceſſe eſt,quandoquidem id tale eſſe debet,ut rerum expetendarum ſit extremũ. Quo cognito,dubitari nõ poteſt,quin quũ ipſi homines ſibi ſint per ſe & ſua ſponte chari,partes quoque & corporis & animi,& earꝛ rerum quæ ſunt in utriuſque motu & ſtatu,ſua charitate colantur, & per ſe ipſæ appetantur. Quibus expoſitis,facilis eſt coniectura ea maxime eſſe expetenda ex noſtris,quæ plurimum habent dignitatis,ut optimæ cuiuſque partis,quę per ſe expetatur,uirtus ſit expetenda maxime. Ita fiet, ut animi uirtus corporis uirtuti anteponatur,animiq́ uirtutes non uolũtarias uincant uirtutes uoluntariæ. Quæ quidem propriæ uirtutes appellantur, multumq́ excellunt,propterea quod ex ratione gignuntur, qua nihil eſt in homine diuinius. Etenim omnium rerũ, quas & creat natura & tuetur,quæ aut ſine animo ſint,aut multo ſecus, eorũ ſummm bonum in corpore eſt,ut non inſcite illud dictum uideatur in ſue, Animum illi pecudi datũ pro ſale ne putreſceret. Sũt autem beſtię quædam in quibus ineſt aliquid ſimile uirtutis,ut in leonibus, ut in canibus,in equis:in quibus non corporꝛ ſolum,ut in ſuibus,ſed ẽt aĩorꝛ aliqua ex parte motus quoſdam uidemus. In homine autẽ ſumma omnis animi eſt,& in animo rationis,ex qua uirtus ẽ,quæ rationis abſolutio definitur,

quã etiam atque etiam explicandam putant. Earum etiam rerum, quas terra gignit, educatio quędam & perfectio eſt non diſſimilis animantium. Itaque & uiuere uitem & mori dicimus, arborem'q; & nouellam & uetulam & uigere & ſeneſcere. Ex quo non eſt alienum, ut animantibus, ſic illis & apta quædam ad naturam aptare, & aliena, earum'q; augendarum & alendarum quandam cultricem eſſe: quæ ſit ſcientia atque ars agricolarum, quæ circuncidat, amputet, erigat, extollat, adminiculetur, ut quo natura ferat, eo poſſit ire: ut ipſę uites, ſi loqui poſſent, ita ſe tractandas tuendas'q; eſſe fateantur. Et nunc quidem quod eam tuetur, ut de uite potiſſimum loquar, eſt id extrinſecus. In ipſa enim parum magna uis eſt, ut q̃ optime ſe habere poſſit, ſi nulla cultura adhibeatur. At uero ſi ad uitem ſenſus acceſſerit, ut appetitum quendam habeat, & per ſe ipſa moueatur, quid facturam putas? An ea quæ per ui nitorem antea conſequebatur, & per ſe ipſam curabit? Sed uides ne acceſſurã ei curam, ut ſenſus quoq; ſuos eorum'q; omnium appetitũ, & ſi qua ſint ei mẽbra adiuncta tueatur? Sic ad illa quę ſemper habuit, iungit ea quæ poſtea acceſſerint, nec eundem finem habebit, quem cultor eius habebat, ſed uolet ſecũdum eam naturam, quę poſtea ei adiũcta ſit, uiuere: ita ſimilis erit & finis boni, atq; antea fuerat, neq; idem tamen. Non enim iam ſtirpis bonum quæret, ſed animalis. Quod ſi non ſenſus modo ei ſit datus, uerũetiam animus & animus hominis, non neceſſe eſt & illa priſtina manere, ut tuenda, & inter hæc multo eſſe chariora, quæ acceſſerint, animi'q; optimam quãq; partem chariſſimam, in ea'q; expletione naturæ ſummi boni finem conſiſtere, quum longe multum'q; præſtet mens atq; ratio? Sic & extremum omnium appetendorũ, atque ductũ á prima cõmunitate naturæ, multis gradibus aſcendit, ut ad ſummum perueniret, quod cumulatur ex integritate corporis, et ex mentis ratione perfecta. Quum igitur ea ſit quam expoſui, forma naturæ, ſi ut initio dixi, ſimulatq; ortus eſſet, ſe quiſq; cognoſceret, iudicare'q; poſſet, quæ uis & totius eſſet naturæ, & partium ſingularum, continuo uideret quid eẽt hoc, quod quęrimus, omnium rerum, quas expetimus, ſummum & ultimum, nec ulla in re peccare poſſet. Nunc uero á primo quidem mirabiliter occulta natura eſt, nec perſpici, nec cognoſci poteſt: progredientibus autem ætatibus ſenſim tardéue potius quaſi noſmetipſos cognoſcimus. Itaq; illa prima commendatio, quæ á natura noſtri facta ẽ, nobis incerta & obſcura eſt: primus'q; appetitus ille animi tantum agit, ut ſalui atque integri eſſe poſſimus. Quum autem diſpicere cœperimus, & ſentire quid ſimus, & quid animantibus ceteris differamus, tum ea ſequi incipimus, ad quæ nati ſumus. Quam ſimilitudinẽ uidemus in beſtijs, quæ primo in quo loco natæ ſunt, ex eo ſe non cõmouent: deinde e ſuo quæq; appetitu mouetur, ſerpere anguiculos, nare anaticulas, euolare merulas, cornibus uti uidemus boues, nepas aculeis, ſuam deniq; cuiq; naturam eſſe ad uiuendum ducem. Quæ ſimilitudo in genere etiam humano apparet. Parui enim primo ortu ſic iacent: tanq̃ omnino ſine animo ſint. Quum autem paulum firmitatis acceſſerit, & animo utuntur, & ſenſibus, connitun tur'q; ut ſeſe erigant, & manibus utantur, & eos agnoſcunt á quibus educantur: deinde æqualibus delectantur, libenter'q; ſe cum his congregant, dant'q; ſe ad ludendum, fabellarum'q; auditione ducuntur: de'q; eo quod ipſis ſuperat alijs gratificari uolunt, animaduertunt'q; ea quæ domi fiunt curioſius, in-

cipiunt'q;

cipiuntq; commentari aliquid & diſcere: & eorum quos uident, uolunt non ignorare nomina: quibusq; rebus cum æqualibus decertant, ſi uincunt, efferunt ſe lætitia, uicti debilitantur, animosq; demittunt. Quorum ſine cauſa fieri nihil putandum eſt. Eſt enim natura ſic generata uis hominis, ut ad omnē uirtutem percipiendam facta uideatur: ob eamq; cauſam parui uirtutū ſimulacris, quarum in ſe habent ſemina, ſine doctrina mouētur. Sunt enim prima elementa naturæ, quibus auctis, uirtutis quaſi carmen efficitur. Nam quum ita nati factiq; ſimus, ut & agendi aliquid, & diligendi aliquos, & liberalitatis, & referendæ gratiæ principia in nobis contineremus, atq; ad ſcientiam, prudentiam, fortitudinemq; aptos animos haberemus, à contrarijsq; rebus alienos, non ſine cauſa eas quas dixi in pueris uirtutum quaſi ſcintillulas uidemus, è quibus accendi philoſophi ratio debet, ut eam quaſi deum ducem ſubſequens, ad naturæ perueniat extremum. Nam ut ſæpe iam dixi, in infirma ætate, imbecillaq; mente uis naturæ per caliginem cernitur. Quum autē progrediens confirmatur animus, agnoſcit quidem ille naturæ uim, ſed ita, ut ꝓgredi poſſit longius, per ſe ſit tamen inchoata. Intrandum eſt igitur in rerum naturam, & penitus quid ea poſtulet, peruidēdum. Aliter enim noſmetipſos noſſe non poſſumus: quod præceptum quia maius erat, q̄ ut ab homine uideretur, idcirco aſſignatum eſt deo. Iubet igitur nos Pythius Apollo, Noſcere noſmetipſos. Cognitio autem hæc eſt una, ut uim noſtri corporis animiq; norimus, ſequamurq; eam uitam, quæ rebus ipſis perfruatur. Quoniam autem is animi appetitus à principio fuit, ut ea quæ dixi, q̄ perfectiſſima à natura haberemus, confitendum eſt, quum id adepti ſimus quod appetitū ſit, in eo quaſi ultimo conſiſtere naturam, atque id eſſe ſummum bonū, quod certe uniuerſum ſua ſponte ipſum expeti, & propter ſe neceſſe eſt, quoniam ante demonſtratum eſt, etiam ſingulas eius partes eſſe per ſe expetēdas. In enumerandis autem corporis commodis ſi quis prætermiſſam à nobis uoluptatem putabit, in aliud tēpus quæſtio differatur. Vtrum enim ſit uoluptas in his rebus, quas primas ſecundum naturam eſſe diximus, nec ne ſit, ad id quod agimus, nihil intereſt. Si enim (ut mihi quidem uidetur) non explet bona naturæ uoluptas, iure prætermiſſa eſt. Sin eſt in ea, quod quidam uolunt, nihil impedit noſtram hanc comprehenſionem ſummi boni. Quæ enim conſtituta ſunt prima naturæ, ad ea ſi uoluptas acceſſerit, unum aliquod acceſſerit commodum corporis, neque eam conſtitutionem ſummi boni, quæ eſt prępoſita, mutauerit. Et adhuc quidem ita nobis ꝓgreſſa ratio eſt, ut ea duceretur omnis à prima commendatione naturæ. Nunc autem aliud iam argumentādi ſequamur genus, ut non ſolum quia nos diligamus, ſed quia cuiuſq; partis naturæ, & in corpore, & in animo ſua quæque uis ſit, idcirco in his rebus ſūma, noſtra ſpōte moueamur. Atque ut à corpore ordiar, Vides'ne, ut ſi qua in membris praua, aut debilitata, aut imminuta ſint, occultent homines? Vt etiam contendāt & elaborent ſi efficere poſſint, ut aut non appareat corporis uitium, aut q̄ minimum appareat, multosq; etiam dolores curationis cauſa perferant, ut ſi ipſe uſus membrorum non modo non maior, uerūetiam minor futurus ſit, eoꝝ tamen ſpecies ad naturam reuertatur. Etenim quū omnes natura totos ſe expetendos putēt, nec id ob aliam rem, ſed propter ipſos, neceſſe eſt eius etiam partes propter ſe expeti, quod uniuerſum ꝓpter ſe expetatur, quod in motu

& in ſtatu corporis nihil non eſt, quod animaduertendum eſſe ipſa natura iudicet. Quēadmodū quis ambulet, ſedeat, qui ductus oris, qui uultus in quoq; ſit, nihil ne eſt in his rebus quod dignum libero aut indignum eſſe ducamus? Non ne odio dignos multos putamus, qui quodam motu aut ſtatu uidentur naturæ legem & modum contempſiſſe? Et quoniam hæc ducuntur de corpore, quid eſt cur non recte pulchritudo etiam ipſa propter ſe expetenda ducatur? Nam ſi prauitatem imminutionemq; corporis propter ſe fugiēdam putamus, cur non etiam ac fortaſſe magis propter ſe formæ dignitatem ſequamur? Et ſi turpitudinem fugiamus in ſtatu et motu corporis, quid eſt cur pulchritudinem non ſequamur? Atq; etiam ualetudinem, uires, uacuitatem doloris, non propter utilitatem ſolum, ſed etiā ipſas propter ſe expetemus. Quoniam enim natura ſuis omnibus expleri partibus uult, hunc ſtatum corporis per ſeipſum expetit, qui eſt maxime ē natura, quæ tota perturbat̄, ſi aut ægrū corpus ē, aut dolet, aut caret uiribus. Videamus animi partes, quarū eſt aſpectus illuſtrior: quæ quo ſunt excelſiores, eo dant clariora indicia naturę. Tantus eſt igitur innatus in nobis cognitionis amor & ſcientiæ, ut nemo dubitare poſſit, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento inuitata rapiatur. Videmus ne, ut pueri, ne uerberibus quidem à contemplandis rebus perquirendiſq; deterreantur? aut pulſi requirant, & aliquid ſcire ſe gaudeant? ut alijs narrare geſtiant? ut pompa, ludis, atq; eiuſmodi ſpectaculis teneant̄, ob eamq; rem uel famem & ſitim perferāt? Quid uero qui ingenuis ſtudijs atq; artibus delectantur, nōne uidemus eos nec ualetudinis, nec rei familiaris habere rationem, omniaq; perpeti ipſa cognitione & ſcientia captos, & cū maximis curis & laboribus compenſare eam, quam ex diſcendo capiāt uoluptatem? Mihi quidem Homerus huiuſmodi quiddam uidiſſe uidetur in ijs, quę de Sirenum cantibus finxerit. Neq; enim uocum ſuauitate uidentur, aut nouitate quadam & uarietate cantandi reuocare eos ſolitæ, qui pręteruehebātur, ſed quia multa ſe ſcire profitebantur, ut homines ad earum ſaxa diſcendi cupiditate adhæreſcerent. Ita enim inuitant Vlyſſem: nam uerti ut quædam Homeri, ſic iſtum ipſum locum,

O decus Argolicum quin puppim flectis Vlyſſes,
Auribus ut noſtros poſſis agnoſcere cantus?
Nam nemo hæc unq̄ eſt tranſuectus cærula curſu,
Quin prius aſtiterit uocum dulcedine captus,
Poſt uarijs auido ſatiatus pectore muſis
Doctior ad patrias lapſus peruenerit oras.
Nos graue certamen belli, cladémq; tenemus
Græcia quam Troiæ diuino numine uexit,
Omniaq; è latis rerum ueſtigia terris.

Vidit Homerus probari fabulam non poſſe ſi cantiunculis tantus uir irretitus teneretur: ſcientiam pollicentur, quam non erat mirum ſapiētiæ cupido patria chariorem. Atq; omnia quidem ſcire cuiuſcunq; modi ſint cupere, curioſorum: duci uero maiorum rerum contemplatione ad cupiditatem ſcientiæ, ſummorum uirorum eſt putandum. Quem enim ardorem ſtudij cenſetis fuiſſe in Archimede, qui dum in puluere quædam deſcribit attentius, ne patriam quidem captam eſſe ſenſerit? Quantum Ariſtoxeni ingenium conſumptum

uidemus

uidemus in muſicis? Quo ſtudio Ariſtophanem putamus ætatem in literis duxiſſe? Quid de Pythagora, quid de Platone, aut Democrito loquar? à quibus propter diſcendi cupiditatẽ uidemus ultimas terras eſſe peragratas. Quę qui non uident, nihil unquam magna cognitione dignum amauerunt. Atq; hoc loco qui propter animi uoluptates coli dicunt ea ſtudia quæ dixi, nõ intelligunt idcirco eſſe ea propter ſe expetenda, quod nulla utilitate obiecta delectentur animi, atque ipſa ſcientia etiam ſi incõmoda datura ſit, gaudeant. Sed quid attinet de rebus tam apertis plura requirere? Ipſi enim quæramus à nobis ſtellarum motus, contemplationesq; rerum cœleſtium, eorumq; omnium quæ naturæ obſcuritate occultantur cognitiones, quemadmodum nos moueant, & quid hiſtoria delectet, quam ſolemus perſequi uſq; ad extremũ, prætermiſſa repetimus, inchoata perſequimur. Nec uero ſum inſcius eſſe utilitatem in hiſtoria, non modo uoluptatem. Quid? quum fictas fabulas è quibus utilitas nulla duci poteſt, cũ uoluptate legimus? Quid? quum uolumus nomina eorũ qui qd geſſerint, nota nobis eſſe, parentes, patriam, multa prętere a minime neceſſaria? Quid? q; homines infima fortuna, nulla ſpe rerum gerendarum, opifices deniq; delectentur hiſtoria? maximeq; eos uidere poſſumus, res geſtas audire & legere uelle, qui à ſpe gerendi abſunt, cõfecti ſenectute. Quocirca intelligi neceſſe eſt, in ipſis rebus quę diſcuntur, et cognoſcũtur, inuitamenta ineſſe quibus ad diſcendum cognoſcendumq; moueamur. Ac ueteres quidem philoſophi in beatorum inſulis fingunt: qualis natura ſit uita ſapiẽtum, quos cura liberatos, nullum neceſſarium uitæ cultum, aut paratum requirentes, nihil aliud eſſe acturos putant, niſi ut omne tempus in quærẽdo ac diſcendo, in naturæ cognitione conſumant. Nos autem non ſolum beatæ uitæ iſtam oblectationem uidemus, ſed etiam leuamentum miſeriarum. Itaq; multi quum in poteſtate eſſent hoſtium aut tyrannorum, multi in cuſtodia, multi in exilio, dolorem ſuum doctrinę ſtudijs leuauerunt. Princeps huius ciuitatis Phalereus Demetrius, quum patria pulſus eſſet iniuria, ad Ptolemæum ſe Regem Alexandriam contulit. Qui quum in hac ipſa philoſophia ad quam te hortamur, excelleret, Theophraſtiq; eſſet auditor, multa præclara in illo calamitoſo otio ſcribit, non ad uſum aliquem ſuum, quo erat orbatus, ſed animi cultus ille erat ei quaſi quidam humanitatis cibus. Equidem è Cn. Aufidio, prætorio, erudito homine, oculis capto, ſæpe audiebam, quum ſe lucis magis q̃ utilitatis deſiderio moueri diceret. Somnum deniq; nobis, niſi requietem corporibus & medicinam quandam laboris afferret, contra naturã putaremus datum, aufert enim ſenſus, actionẽq; tollit omnem. Itaq; ſi aut requietem natura non quæreret, aut eam poſſet alia quadam ratione conſequi, facile pateremur, qui etiam nunc agendi aliquid diſcendiq; cauſa propè contra naturam uigilias ſuſcipere ſoleamus. Sunt autem clariora uel planè perſpicua, nec dubitanda indicia naturæ, maxime ſcilicet in homine, ſed in omni animali, ut appetat animus aliquid agere ſemper, neq; ulla conditione quietem ſempiternam poſſit pati. Facile eſt hoc cernere in primis puerorum ætatulis. Quãq̃ enim uereor, ne nimius in hoc genere uidear, tamen omnes ueteres philoſophi maxime noſtri, ad incunabula accedunt, quod in pueritia facillime ſe arbitrantur naturæ uoluptatem poſſe cognoſcere. Videmus igitur ut conquieſcere ne infantes quidem poſſint: quum uero paulum proceſſerint,

luſionibus uel laborioſis delectantur, ut ne uerberibus quidem deterreri poſſint, eaq́ꝫ cupiditas agendi aliquid adoleſcit una cum ætatibus. Itaqꝫ ne ſi iucundiſſimis quidem nos ſomnijs uſuros putemus, Endymionis ſomnum nobis uelimus dari: idq́ꝫ ſi accidat, mortis inſtar putemus. Quinetiam inertiſſimos hoĩes neſcio qua ſingulari neqtia preditos, uidemus tamẽ & corpore & animo moueri ſemper, & quum re nulla impediantur neceſſaria, aut alueolũ poſcere, aut quærere quẽpiam ludum, aut ſermonem aliquem reqrere: quũqꝫ non habeãt ingenuas ex doctrina oblectationes, circulos aliquos, & ſemicirculos conſectari. Ne beſtię quidẽ quas delectationis cauſa concludimus, quũ copioſius alantur, q̃ ſi eſſent liberæ, facile patiuntur ſeſe cõtineri, motusq́ꝫ ſolutos & uagos à natura ſibi tributos requirunt. Itaqꝫ ut quiſqꝫ optime natus inſtitutusq́ꝫ eſt, eſſe omnino nolit in uita, ſi gerendis negocijs orbatus, poſſit paratiſſimis ueſci uoluptatibus. Nam aut priuatim aliquid gerere malũt, aut qui altiore animo ſunt, capeſſunt rempub. honoribus imperijsq́ꝫ adipiſcendis, aut totos ſe ad ſtudia doctrinæ conferunt: qua in uita tantum abeſt, ut uoluptates conſectentur, etiam curas, ſolicitudines, uigilias perferunt, optimaq́ꝫ parte hominis, quæ in nobis diuina ducenda eſt, ingenij & mentis acie fruũtur, nec uoluptatem requirentes, nec fugientes laborem. Nec uero intermittunt aut admirationem earum rerum, quæ ſunt ab antiquis repertæ, aut inueſtigationem nouarum: quo ſtudio quum ſatiari nõ poſſunt, omnium ceterarum rerum obliti, nihil abiectum, nihil humile cogitant: tantaq́ꝫ eſt uis talibus in ſtudijs, ut eos etiam qui ſibi alios propoſuerũt fines bonorum, quos utilitate aut uoluptate dirigunt, tamen in rebus quærendis explicandisq́ꝫ naturis, ætates conterere uideamus. Ergo hoc quidem apparet, nos ad agendũ eſſe natos. Actionum autem genera plura, ut obſcurentur etiam minora maioribus. Maximæ autem ſunt primum, ut mihi quidem uidetur, & his quorꝫ nunc in ratione uerſamur, conſideratio, cognitio'ue rerum cœleſtium, et earꝫ, quas à natura occultatas & latẽtes indagare ratio poteſt: deinde rerũpub. adminiſtratio, aut adminiſtrandi ſciendiq́ꝫ prudens, temperata, fortis, & iuſta ratio, reliquæq́ꝫ uirtutes, & actiones uirtutibus congruentes, quæ uno uerbo complexi omnia, honeſta dicimus. Ad quorum etiam cognitionem & uſum corroborati, natura ipſa præeunte, deducimur. Omnium enim rerum principia parua ſunt, ſed ſuis progreſſionibus uſa augentur, nec ſine cauſa. In primo enim ortu ineſt teneritas & mollities quædam, ut nec res uidere optimas, nec agere poſſint. Virtutis enim beatæq́ꝫ uitæ, quæ duo maxime expetẽda ſunt, ſerius lumen apparet, multo etiam ſerius, ut planè qualia ſint, intelligant. Prȩclare enim Plato beatum, cui etiã in ſenectute contigerit, ut ſapientiã, uerasq́ꝫ opiniones aſſequi poſſit. Quare quoniam de primis naturæ commodis ſatis dictum eſt, nunc de maioribus conſequentibusq́ꝫ uideamus. Natura igit̃ corpus quidem hominis ſic & genuit & formauit, ut alia in primo ortu perficeret, alia progrediente ætate fingeret, neqꝫ ſanè multum adiumẽtis externis & aduentitijs uteretur. Animum autẽ reliquis rebus ita perfecit ut corpus. Senſibus enim ornauit ad res percipiendas idoneis, ut nihil aut non multum adiumento ullo ad ſuam confirmationem indigeret. Quod autẽ in homine præſtantiſſimum atqꝫ optimum eſt, id deſeruit: & ſi dedit talẽ mentem, quę oẽm uirtutem iam accipere poſſet, ingenuitq́ꝫ ſine doctrina notitias paruas rerum

maximarꝫ,

maximarum,& quaſi inſtituit docere,& induxit in ea quæ inerant tanquam elemēta uirtutis,ſed uirtutem ipſam inchoauit.Nihil itaq; amplius noſtrum eſt(quod noſtrum dico,artis eſt)ad ea principia,quæ accepimus,conſequētia exqrere,quoad ſit id qđ uolumus effectū,quod quidē pluris ſit haud paulo,magiſq; ipſum propter ſe expetendum,q̄ aut ſenſus, aut corporis ea quæ diximus:quibus tantum præſtat mentis excellens perfectio, ut uix cogitari poſſit,quid interſit.Itaq; omnis honos,omnis admiratio, omne ſtudium ad uirtutem,& ad eas actiones,quæ uirtuti ſunt conſentaneę, refertur: eaq; oĩa, quæ aut ita in animis ſunt,aut ita geruntur,uno nomine honeſta dicuntur.

Quorum omnium quęq; ſint notitiæ,quæq; ſignificentur rerum uocabulis, quæq; cuiuſq; uis & natura ſit,mox uidebimus.Hoc autem loco tātum explicemus,hæc honeſta quę dico,præterq̄ quod noſmetipſos diligamus: pręterea ſuapte natura per ſe eſſe expetenda indicant pueri, in quibus ut in ſpeculis natura cernitur.Quanta ſtudia decertantium ſunt? quāta ipſa certamina? ut illi efferuntur lætitia quum uicerint?ut pudet uictos?ut ſe accuſari nolunt? q̄ cupiunt laudari?quos illi labores nō ferunt ut æqualiū principes ſint? quę memoria eſt in his bene merentium?quæ referendæ gratiæ cupiditas? Atq; ea in optima quaq; indole maxime apparent,in qua hæc honeſta quæ intelligimus,à natura adumbrātur.Sed hęc in pueris expreſſa, in ijs uero ætatibus quæ iam confirmatæ ſunt,quis eſt tam diſſimilis homini, qui non moueatur & offenſione turpitudinis,& comprobatione honeſtatis? Quis eſt qui non oderit libidinoſam,proteruam adoleſcentiam?Quis contra in illa ętate pudorem,conſtantiam,etiam ſi ſua nihil interſit,non tamen diligat?Quis Pullum Numitorē,Fregellanum proditorem,quāquam reipub. noſtræ profuit non odit?Quis urbis conſeruatorem Codrum?Quis Erichthei filias nō maxime laudat?Cui Tubuli nomē odio nō eſt? Quis Ariſtidem mortuū nō diligit? An obliuiſcimur quantopē in audiendo in legendoq; moueamur, quū pie,quum amice,quum magno animo aliquid factum cognoſcimus? Quid loquar de nobis,qui ad laudem & ad decus nati,ſuſcepti,īſtituti ſumus? Qui clamores uulgi,atq; imperitorum excitantur in theatris,quum illa dicuntur,

Ego ſum Oreſtes. Contraq; ab altero.

Immo enim uero ego ſum,inquam,Oreſtes,

Quum autem etiam exitus ab utroq; datur conturbato errātiq; Regi, ambos ergo unà uiuere precamur.Quoties hoc agitur, & quandoue niſi admirationibus maximis?Nemo eſt igitur qui non hanc affectionem animi ꝓbet atq; laudet,qua non modo utilitas nulla quæritur,ſed contra utilitatē etiam conſeruatur fides.Talibus exemplis non fictæ ſolum fabulę,uerumetiam hiſtoriæ refertæ ſunt,& quidem maximæ noſtræ.Nos enim ad ſacra Idæa accipienda,optimum uirum delegimus:nos tutores miſimus Regibus, noſtri Imperatores pro ſalute patriæ ſua capita uouerunt: noſtri Conſules Regem inimiciſſimum mœnibus iam appropinquantem monuerunt,à ueneno ut caueret:noſtra in rep.& quæ per uim oblatum ſtuprum uoluntaria morte lueret,inuenta eſt:& qui interficeret filiam,ne ſtupraretur.Quę quidem omnia & innumerabilia præterea,quis eſt qui non intelligat & eos qui fecerint dignitatis ſplendore ductos immemores fuiſſe utilitatum ſuarum,noſq; quum ea laudemus nulla alia re niſi honeſtate duci?Quibus rebus breuiter expoſi-

tis: nec enim ſum copiam quam potui, quia dubitatio nulla in re erat, perſecutus: ſed his rebus concluditur profecto & uirtutes omnes, & honeſtum illud quod ex his uirtutibus exoritur, & in his hæret, per ſe eſſe expetendũ. In omni autem honeſto de quo loquimur, nihil eſt tam illuſtre, nec quod latius pateat, quàm coniunctio inter homines hominum, & quaſi quædam ſocietas et cõmunicatio utilitatum, & ipſa charitas generis humani, quæ nata à primo ſatu, quo à procreatoribus nati diliguntur, & tota domus coniugio & ſtirpe coniungitur: ſerpit ſenſim foras cognationibus primum, tũ affinitatibus, deinde amicitijs, poſt uicinitatibus cum ciuibus, & ijs qui publice ſocij atq; amici ſunt, deinde totius complexu gẽtis humanæ. Quæ animi affectio ſuũ cuiq; tribuens, atq; hanc quam dico ſocietatem cõiunctionis humanæ, munifice & æque tuens, iuſtitia dicitur: cui ſunt adiunctæ, pietas, bonitas, liberalitas, benignitas, comitas, quæq; ſunt generis eiuſdem. Atq; hæc ita iuſtitiæ propria ſunt, ut ſint uirtutum reliquarum communia. Nam quum ſic hominis natura generata ſit, ut habeat quiddam innatum, quaſi ciuile atq; populare, qđ Græci πολιτικὸν uocant, quidquid aget quæq; uirtus, id à cõmunitate, & ea quam expoſui charitate atq; ſocietate humana nõ abhorrebit: uiciſſimq; iuſtitia, ut ipſa ſe fundet uſu in ceteras uirtutes, ſic illas expetet. Seruari enim iuſtitia, niſi à forti uiro, niſi à ſapiente non poteſt. Qualis eſt igitur omnis quam dico cõſpiratio, conſenſusq; uirtutum, tale eſt illud ipſum honeſtum. Quandoquidem honeſtum aut ipſa uirtus eſt, aut res geſta uirtute. Quibus in rebus uita conſentiens, uirtutibusq; reſpondens, recta & honeſta, & conſtans, & naturæ congruens exiſtimari poteſt. Atq; hæc coniunctio confuſioq; uirtutum, tamen à philoſophis ratione quadam diſtinguitur. Nam quum ita copulatæ connexæq; ſint, ut omnes omnium participes ſint, nec alia ab alia poſſit ſeparari, tamen proprium ſuum cuiuſq; munus eſt, ut fortitudo in laboribus periculisq; cernatur, temperantia in prætermittendis uoluptatibus, prudentia in delectu bonorum & malorum, iuſtitia in ſuo cuique tribuendo. Quàndo igitur ineſt in omni uirtute cura quædam quaſi foras ſpectans, aliosq; appetens atque complectens, exiſtit illud ut amici, ut fratres, ut propinqui, ut affines, ut ciues, ut omnes denique quando unam ſocietatem hominum eſſe uolumus, ꝓpter ſe expetẽdi ſint: atque eorum nihil eſt eius generis, ut ſit in fine atque extremo bonorum. Ita fit ut duo genera propter ſe expetendorum reperiãtur: unum quod eſt in ijs, in quibus completur illud extremum, quæ ſunt aut animi aut corporis. Hæc autem quę ſunt extrinſecus, id eſt quæ neque in animo inſunt, neque in corpore, ut amici, ut parẽtes, ut liberi, ut propinqui, ut ipſa patria, ſunt illa quidem ſua ſponte chara, ſed eodem in genere quo illa, non ſunt. Nec uero quiſquam ſummum bonum aſſequi unquam poſſet, ſi omnia illa quæ ſunt extra, q̃q̃ expetenda, ſummo bono continerentur. Quomodo igitur inquies uerum eẽ poterit, omnia referri ad ſummum bonum, ſi amicitiæ, ſi propinquitates, ſi reliqua externa ſummo bono nõ cõtinerẽtur? hac uidelicet ratione, quod ea quæ externa ſunt, his tuemur officijs, quæ oriuntur à ſuo cuiuſque genere uirtutis. Nam & amici cultus, & parentis, & qui officio fungitur, in eo ipſo prodeſt, quod ita fungi officio in recte factis eſt, quæ ſunt orta uirtutibus. Quæ quidem ſapientes, utentes ſequuntur, tanquam duce natura. Non perfecti autem homines & tamen ingenijs excellentibus præditi,

excitantur

excitantur ſpe gloriæ,quæ habet formam honeſtatis & ſimilitudinē. Quod ſi ipſam honeſtatem undiq; perſectam atq; abſolutam,rem unam præclariſſimam omnium,maximeq; laudandam penitus uiderent,quonam gaudio cōplerentur,quum tantopere eius adumbrata opinione lętentur? Quem enim deditum uoluptatibus,cupiditatum incendijs inflammatum, in his potiēdis quæ acerrime corripuiſſet,tanta lætitia perfundi arbitramur, quanta aut ſuperiorem Aphricanum , Annibale uicto,aut poſteriorem Carthagine euer * ſa,quem Tyberina diſſenſio ſeſto illo die tanto gaudio affecit, q̄to L. Paulum quum Regem Perſen captum adduceret,eodē flumine inuectum? Age nunc Luci noſter,extrue animo altitudinē excellentiamq; uirtutū.Iam non dubitabis,quin earū compotes homines magno animo erectoq; uiuētes,ſemper ſint beati,qui omnes motus fortunæ,mutationesq; rerū & temporum,leues & imbecilles fore intelligant,ſi in uirtutis certamen uenerint. Illa.n. quæ ſunt à nobis bona corporis numerata complēt ea quidem beatiſſimam uitā, ſed ita ut ſine illis poſſit beata uita exiſtere.Ita enim paruę & exiguę ſunt iſtę acceſſiones bonorū,ut quemadmodum ſtellæ in radio ſolis,ſic iſtę in uirtutū ſplendore,ne cernantur quidem. Atq; hæc,ut uere dicitur parua eſſe ad beate uiuēdum momenta iſta corporis cōmodorū,ſic nimis uiolentū eſt, nulla eſſe dicere.Qui enim ſic diſputant,obliti mihi uidentur quæ ipſi egerint principia naturæ.Tribuendum igitur eſt his aliquid,dūmodo q̄tum tribuendum ſit,intelligas.Eſt tamen philoſophi non tam glorioſa q̄ uera quærētis, nec ꝓ nihilo putare ea quæ ſecundū naturam illi ipſi glorioſi eſſe fatebantur,& uidere tantam uim uirtutis,tantamq;,ut ita dicam,authoritatem honeſtatis,ut reliqua non illa quidem nulla,ſed ita parua ſint,ut nulla eſſe uideātur,hoc eſt non omnia ſpernentis præter uirtutē,& uirtutem ipſam ſuis laudibus amplificantis.Oratio deniq; hęc eſt undiq; completa & perfecta explicatio ſummi boni.Hinc ceteri particulas arripere conati,ſuam quiſq; uideri uoluit afferre ſentētiā.Sępe ab Ariſtotele, à Theophraſto mirabiliter eſt laudata per ſe ipſa rerum ſcientia.Hoc uno captus Erillus,ſcientiam ſummum bonum eſſe defendit,nec rem ullam aliam per ſe expetendam.Multa ſunt dicta ab antiquis de contemnendis ac deſpiciendis rebus humanis. Hoc unum Ariſto tenuit: præter uitia atq; uirtutes negauit rem eſſe ullam aut fugiendam aut expetendam.Poſitum eſt à noſtris in his rebus quæ ſecundum naturā eſſent, non dolere.Hoc Hieronymus ſummū bonum eſſe dixit. At uero Callipho , & poſt eum Diodorus,quū alter uoluptatem adamauiſſet,alter uacuitatem doloris, neuter honeſtate carere potuit,quæ eſt à noſtris laudata maxime . Quinetiā ipſi uoluptarij diuerticula quærant,& uirtutes habeāt in ore totos dies,uoluptatemq; primo dūtaxat expeti dicant,deinde conſuetudine, quaſi alterā naturam effici,qua impulſi multa faciunt,nullam quærentes uoluptatem.Stoici reſtant.hi quidem nō unam aliquam,aut alteram à nobis,ſed totam ad ſe noſtram philoſophiam tranſtulerūt:atq; ut reliqui fures earum rerum quas ceperunt,ſigna cōmutant,ſic illi ut noſtris ſententijs pro ſuis uterētur , nomina tanq̄ rerum notas mutauerunt.Ita relinquitur ſola hæc diſciplina digna ſtudioſis ingenuarū artiū,digna eruditis,digna claris uiris,digna principibus, digna regibus.Quæ quum dixiſſet,paulūq; inſtitiſſet.Quid eſt,inquit,ſatis ne uobis uideor pro męo iure in ueſtris auribus cōmentatus? Et ego,tu uero,

inquam, Piſo, ut ſæpe aliàs, ſic hodie ita iſta noſſe uiſus es, ut ſi tui copia nobis
ſemper fieret, non multum Græcis ſupplicandum putarem. Quod quidē eo
probaui magis, quia memini Staſeam Neapolitanum, doctorem illum tuum
nobilem ſanè Peripateticum, aliquanto iſta ſecus dicere ſolitum, aſſentientē
his qui multum in fortuna ſecunda aut aduerſa, multū in bonis aut malis cor
poris ponerent. Eſt ut dicis, inquit, ſed hæc ab Antiocho noſtro familiari di
cuntur multo melius & fortius, quàm à Staſea dicebantur, quāquam ego nō
quæro quid tibi à me probatum ſit, ſed huic Ciceroni noſtro, quem diſcipu-
lum cupio à te abducere. Tum Lucius, Mihi uero iſta ualde ꝓbata ſunt, qđ
item fratri puto. Tum mihi Piſo, Quid ergo, inquit, das ne adoleſcenti ueni-
am? an eum diſcere ea mauis, quæ quum præclare didicerit nihil ſciat? Ego
uero, inquam, iſti permitto: ſed nōne meminiſti mihi licere probare iſta, quę
ſunt à te dicta? Quis. n. pōt ea quę probabilia uideātur ei, nō ꝓbare? An ue-
ro, inquit, quiſquam poteſt probare quod perceptum, quod comprehēſum,
quod cognitum non habet? Nō eſt iſta, inquit, Piſo magna diſſenſio. Nihil
enim eſt aliud quamobrem mihi percipi nihil poſſe uideatur, niſi quòd perci
piendi uis ita definitur à Stoicis, ut negent quidquam poſſe percipi, niſi tale
uerum quale falſum eſſe non poſſit. Itaq; hæc cum illis eſt diſſenſio, cum Peri
pateticis nulla ſanè. Sed hæc omittamus: habent enim & bene lōgam, & ſatis
litigioſam diſputationem. Illud mihi à te nimium feſtinanter dictum uide-
tur, ſapientes omnes ſemper eſſe beatos, neſcio quo præteruolauit oratio.
Quod niſi ita efficitur, quæ Theophraſtus de fortuna. de dolore, de crucia
tu corporis dixit, cum quibus coniungi beatam uitam nullo modo poſſe pu-
tauit, uereor ne uera ſint. Nam illud uehementer repugnat, eundem beatum
eſſe, & multis malis oppreſſum. Hæc quomodo conueniant, non ſanè intelli-
go. Vtrum igitur tibi non placet, inquit, uirtutis tantam uim eſſe, ut ad bea-
te uiuendum ſe ipſa contenta ſit? An ſi id probas, ita fieri poſſe negas, ut hi
qui uirtutis compotes ſint etiam malis quibuſdam affecti, beati ſint? Ego ue-
ro uolo in uirtute uim eſſe quāmaximam, ſed quanta ſit aliàs, nunc tantum,
poſſit ne eſſe tanta, ſi quidquam extra uirtutem habeatur in bonis. Atqui, in
quit, ſi Stoicis concedis, ut uirtus ſola ſi adſit, uitam efficiat beatam, & conce
dis etiam Peripateticis. Quæ enim mala illi non audent appellare, aſpera au
tem & incommoda, & reijcienda, & aliena naturæ eſſe concedunt, ea nos
mala dicimus, ſed exigua, & porrò minima. Quare ſi poteſt eſſe beatus is,
qui eſt in aſperis reijciendiſq; rebus, poteſt is quoque eſſe, qui eſt in paruis
malis. Et ego Piſo, inquam, ſi eſt quiſquam qui acute in cauſis uidere ſoleat
quæ res agatur, is es profecto tu. Quare attende quæſo, nam adhuc meo for
taſſe uitio quid ego quæram, non perſpicis. Iſtic ſum, inquit, expectoq;
quid ad id quod quæram reſpondeas. Reſpondebo me non quærere, in-
quam, hoc tempore quid uirtus efficere poſſit. ſed quid conſtanter dicatur,
quid ipſum à ſe diſſentiat. Quo igitur, inquit, modo? Quia quum à Zeno-
ne inquam, hoc magnifice tanquam ex oraculo editur, uirtus ad beate uiuen-
dum ſeipſa contenta eſt. Quare, inquit? reſpondet, quia niſi quod honeſtum
eſt, nullum eſt aliud bonum. Non quæro iam, uerum ne ſit illud, dico ea quæ
dicat, præclare inter ſe cohęrere. Dixerit hoc quidem Epicurus, ſemper beatū
eſſe ſapientē, quod quidem ſolet ebullire nōnunq̄. Quem quidē quū ſummis

doloribus

doloribus conficiatur, ait dicturũ quàm ſuaue eſt, quàm nihil curo. Non pugnem cum homine cur tantum habeat in natura boni, illud urgeam, nõ intelligere eum, quid ſibi dicendum ſit, quum dolorem ſummum malum eſſe dixerit. Eadem nunc mea aduerſum te oratio eſt. Dicis eadem omnia & bona & mala, quæ quidem dicunt, qui nũquam philoſophum pictum, ut dicitur, uiderũt. Valetudinem, uires, ſtaturam, formam, integritatem unguiculorum omnium, deformitatem, morbum, debilitatem, mala iam illa externa. Parce tu quidem, ſed hæc quum corporis bona ſint, eorum conficientia certe in bonis numerabis, amicos, liberos, propinquos, diuitias, honores, opes. Contra hęc attende me nihil dicere: ſi iſta mala ſunt, in quę poteſt incidere ſapiens, ſapiẽtem eſſe, non eſſe ad beatè uiuendum ſatis. Imo uero, inquit, ad beatiſſime uiuendum parum eſt, ad beate uero ſatis. Animaduerti, inquam, te iſto mõ paulo ante ponere, & ſcio ab Antiocho noſtro dici ſic ſolere. Sed quid minus ꝓbandum q̃ eſſe aliquem beatum, nec ſatis beatum? Quod autem ſatis eſt, eo quidquid acceſſerit nimium eſt, & nemo nimium beatus eſt, & nemo beato beatior. Ergo, inquit, tibi Q. Metellus, qui tres filios Conſules uidit, è qbus unum etiam & Cenſorem & triumphantem, quartum autem Prætorẽ, eosq́ʒ ſaluos reliquit, & tres filias nuptas, quum ipſe Conſul, Cẽſor eſſet, Augur fuiſſet, triumphaſſet, ut ſapiens fuerit, nónne beatior, q̃ ut item ſapiẽs fuerit, qui in poteſtate hoſtium uigilijs et inedia necatus eſt regulus? Quid me iſtud rogas, inquam? Stoicos roga. Quid igitur, inquit, eos reſponſuros putas? Nihilo beatiorem eſſe Metellum q̃ Regulum. Inde igitur, inquit, audiẽdum ẽ. Tamen à propoſito, inquam, aberrauimus. Non enim, inquam, quæro quid uerum, ſed quod cuiq́ʒ dicendum ſit. Vtinam quidem dicerẽt alium alio beatiorem, iam ruinas uideres. In uirtute enim ſola, & in ipſo honeſto quum ſit bonum poſitum: quumq́ʒ nec uirtus, ut placet illis, nec honeſtum creſcat, idq́ʒ ſolum bonum ſit, quo qui potiatur neceſſe eſt beatus ſit, quum id augeri nõ poſſit, in quo uno poſitum eſt beatum eſſe, qui poteſt eẽ quiſquam alius alio beatior? Vides ne ut hæc concinant? Et hercule (fatendũ eſt enim quod ſentio) mirabilis eſt apud illos contextus rerum. Reſpõdent extrema primis, media utriſq́ʒ, omnia omnibus. Quid ſequatur, quid repugnet, uidẽt. In Geometria prima ſi dederis, danda ſunt omnia. Concede nihil eſſe bonum, niſi quod honeſtum ſit: concedẽdum eſt in uirtute poſitam beatam uitam. Vide rurſus retro. Date hoc, dandum erit illud. Quod ueſtri non item, tria genera bonorũ, procliuius currit oratio, uenit ad extremum, hæret in ſalebra. Cupit enim dicere, nihil poſſe ad beatam uitam deeſſe ſapienti. Honeſta oratio Socratica, Platonis etiam. Audeo dicere, inquit, non poteſt niſi retexueris illa: Paupertas ſi malum eſt, mendicus beatus eſſe non poteſt, q̃uis ſit ſapiens. At Zeno eum non beatum modo, ſed etiam diuitem dicere auſus eſt. Dolere malum, in crucem qui agitur beatus eſſe non poteſt. Bonum liberi, miſera orbitas. Bonum patria, miſerum exilium. Bonum ualetudo, miſerum morbus. Bonum integritas corporis, miſera debilitas. Bonum incolumis acies, miſera cæcitas. Quæ ſi poteſt ſingula conſolando leuare, uniuerſa quomodo ſuſtinebit? Sit enim idem cæcus, debilis, morbo grauiſſimo affectus, exul, orbus, egens, torqueatur eculeo, quem hunc appellas Zeno? Beatum, inquit, etiam beatiſſimum: quippe, inquiet, quum tam docuerim gradus iſtam rem

non habere, quàm uirtutem, in qua ſit etiam ipſum beatum. Tibi hoc incredibile, quia beatiſſimum. Quid tuũ credibile? Si enim ad populũ me uocas, cũ qui ita ſit affectus beatũ nunquam probabis. Si ad prudẽtes, alterum fortaſſe dubitabunt, ſit ne tantum in uirtute, ut ea præditi, uel in Phalaridis tauro beati ſint: alterum non dubitabunt, quin & Stoici conuenientia ſibi dicãt, & uos repugnantia. Theophraſti igitur, inquit, tibi liber ille placet de beata uita? Tamen aberramus à propoſito, & ne lõgius, prorſus, inquam, Piſo ſi iſta mala ſunt, placet. Nonne igitur tibi uidentur, inquit, mala? Id quæres, inquã, in quo utrum reſpondebo, uerſes te huc atque illuc neceſſe eſt. Quo tandem modo, inquit? Quia ſi mala ſunt, is qui erit in ijs, beatus non erit: ſi mala non ſunt, iacet omnis ratio Peripateticorum. Et ille ridens, uideo, inquit, quid agas, ne diſcipulum abducam, times. Tu uero, inquã, ducas licet ſi ſequat̃: erit enim mecum, ſi tecum erit. Audi igitur, inquit, Luci, tecum enim, ut ait Theophraſtus, mihi inſtituenda oratio eſt. Omnis authoritas philoſophiæ cõſiſtit in beata uita comparanda. Beate enim uiuendi cupiditate incenſi ſumus omnes: hoc mihi cum tuo fratre conuenit. Quare hoc uidẽdum eſt, poſſit ne nobis hoc ratio philoſophorum dare, pollicetur certe. Niſi enim id faceret, cur Plato Ægyptum peragrauit, ut à ſacerdotibus barbaris numeros et cœleſtia acciperet? cur poſt Tarentum ad Archytam? cur ad reliquos Pythagoreos, Ethecratem, Timæum, Acrionem, Locros, ut quum Socratem expreſſiſſet, adiungeret Pythagoreorum diſciplinam, eaq́ quę Socrates repudiabat, addiſceret? Cur ipſe Pythagoras & Aegyptum luſtrauit, & Perſarum magos adijt? cur tantas regiones barbarorum, pedibus obijt, tot maria tranſmiſit? Cur hæc eadem Democritus, qui (uere falſò ne quæreremus) dicitur oculis ſe priuaſſe? certe ut quamminime animus à cogitationibus abduceretur: patrimonium neglexit, agros deſeruit incultos, quid quærens aliud niſi beatam uitam? Quam ſi etiam in rerum cognitione ponebat, tamen ex illa inueſtigatione naturæ conſequi uolebat, ut eẽt bono animo. Id enim ille ſummum bonum, εὐθυμίαν & ſæpe ἀκαταπληξίαν appellat, id eſt animum terrore liberũ. Sed hæc etſi præclare nondum, tamen & perpolita. Pauca enim neq́ ea ipſa enucleate ab hoc de uirtute quidem dicta. Poſt enim hæc in hac urbe primum à Socrate quæri cœpta, deinde in hunc locum delata ſunt: nec dubitant, quin in uirtute omnis ut bene, ſic etiam beate uiuendi ſpes poneretur. Quæ quum Zeno didiciſſet à noſtris, ut in actionibus præſcribi ſolet, de re eadem fecit alio modo. Hoc tu nunc in illo probas, ſcilicet uocabulis rerum mutatis. Inconſtantiæ crimen ille effugit, nos effugere non poſſumus. Ille Metelli uitam negat beatiorem quàm Reguli, præponendam tamen, nec magis expetendam, ſed magis ſumendam, & ſi optio eſſet, eligendam Metelli, Reguli reijciendam. Ego quam ille pręponendam & magis eligendã, beatiorem hanc appello, nec ullo minimo momento plus ei uitæ tribuo q̃ Stoici. Quid ĩtereſt, niſi qđ ego res notas notis uerbis appello? Illi noĩa noua quęrunt, quibus idem dicant, ita quemadmodũ in Senatu ſemper eſt aliquis qui interpretem poſtulet, ſic iſti nobis cum interprete audiendi ſunt. Bonum appello, quidquid ſecundum naturam eſt: quod contra, malum. Nec ego ſolus, ſed tu etiam Chryſippe in foro, domi, in ſchola definis. Quid ergo, aliter hoĩes, aliter philoſophos loqui putes oportere, quãti quidquid ſit? aliter do-

ctos & indoctos? Sed quum conſtiterit inter doctos quanti res quæq; ſit, ſi homines eſſent, uſitate loquerentur. Dum res maneant, uerba fingāt arbitratu ſuo. Sed uenio ad inconſtantiæ crimen, ne ſępius dicas me aberrare. Quā tu ponis in uerbis, ego poſitam in re putabam. Si ſatis erit hoc perceptum, in quo adiutores Stoicos optimos habemus, tantam uim eſſe uirtutis, ut omnia ſi ex altera parte ponantur, ne appareant quidem, quum omnia quæ illi commoda certe dicunt eſſe & ſumenda & eligenda, & præpoſita, quæ ita definiunt, ut ſatis magno æſtimanda ſint. Hæc igitur quum ego tot nominibus à Stoicis appellata, partim nouis & commētitijs, ut iſta, producta & reducta, partim idem ſignificātibus. Quid enim intereſt expetas, an eligas? mihi quidem etiam lautius uidetur quod eligitur, & ad quod delectus adhibetur. Sed quum ego iſta omnia bona dixero, tātum refert, quàm magna dicam, quàm expetenda, quàm ualde. Sin autem nec expetenda ego magis quàm tu eligenda, nec illa ego pluris æſtimanda, qui bona, quàm tu qui producta appellas, omnia iſta neceſſe eſt obſcurari, nec apparere, & in uirtutes tanquam in ſolis radios incurrere. At enim qua in uita eſt aliquid mali, ea beata eē nō poteſt. Ne ſeges quidem igitur ſpicis uberibus & crebris, ſi auenam uſpiam uideris: nec mercatura quæſtuoſa, ſi in maximis lucris parum aliquid damni contraxerit. An hoc uſquequaq; aliter in uita, & non ex maxima parte de tota iudicabis? an dubium eſt quin uirtus ita maximam partem obtineat in rebus humanis, ut reliquas obruat? Audebo igitur cetera quæ ſecundum naturā ſint, bona appellare, nec fraudare ſuo ueteri nomine, q̄ aliquid potius nouum exquirere. Virtutis autem amplitudinē, quaſi in altera libræ lance ponere. Terram mihi crede ea lanx & maria deprimet. Semp̄ enim ex eo quod maximas partes cōtinet, latiſſimeq; funditur, tota res appellatur. Dicimus aliquem hilare uiuere. Igitur ſi ſemel triſtis effectus eſt, hilara uita amiſſa eſt? At hoc in eo M. Craſſo, quem ſemel ait in uita riſiſſe Lucilius, non contigit, ut ea re minus ἀγέλαστος, ut ait idem, uocaretur. Polycratem Samium felicem appellāt, nihil acciderat ei quod nollet, niſi quod anulum quo delectabatur, in mare abiecit. Ergo infelix una moleſtia, felix rurſus quū is ipſe anulus in pręcordijs piſcis inuentus eſt. Ille uero ſi inſipiens, quod certe, quoniam tyrannus, nūquā beatus: ſi ſapiens, ne tum quidem miſer quum ab Oronte Prætore Darei in crucē actus eſt. At multis malis affectus, quis negat? ſed ea mala uirtutis magnitudine obruebantur. An ne hoc quidem Peripateticis concedis, ut dicant omnium uirorꝝ bonorum, id eſt ſapientum, omnibusq; uirtutibus ornatorū uitam, oībus partibus plus habere ſemper boni q̄ mali? Quis hoc dicit? Stoicis licet? minime. Sed iſti ipſi qui uoluptate & dolore oīa metiuntur, nōne clamant, ſapienti plus ſemper adeſſe quod uelit, q̄ quod nolit? Quum tātum in uirtute ponant hi, qui ſe fatentur uirtutis cā, niſi ea uoluptatem acciret, ne manum quidem uerſuros fuiſſe, quid facere nos oportet, qui q̄uis minimā animi præſtantiam omnibus bonis corporis anteire dicamus, ut ea ne in conſpectu quidem relinquatur? Quis enim eſt, qui hæc cadere in ſapiētem dicere audeat, ut ſi fieri poſſit uirtutem in perpetuum abijciat, ut dolore omni liberetur? Quis noſtrum dixerit, quos non pudet ea quę Stoici aſpera dicunt, mala dicere, melius eē turpiter aliquid facere cum uoluptate, q̄ honeſte cum dolore? Nobis Heracleotes ille Dionyſius flagitioſe deſciuiſſe uidetur à Stoicis, ꝓ

pter oculorum dolorem. Quis uero hoc didiciſſet à Zenone, nõ dolere quũ doleret? Illud audierat, nec tamen didicerat, malum illud nõ eſſe, quia turpe non eſſet, & eſſet ferendum uiro. Hic ſi Peripateticus fuiſſet, permãſiſſet credo in ſententia, quoniam dolorem dicunt malum eſſe: de aſperitate autẽ eius fortiter ferenda præcipiunt eadem, quæ Stoici. Et quidem Archeſilas tuus, & ſi fuit in diſſerendo pertinacior, tamen noſter fuit: erat enim Polemonis. Is quum arderet podagræ doloribus, uiſitaſſetq; hominem Carneades Epicuri perfamiliaris, & triſtis exiret, mane quæſo, inquit, Carneade noſter, nihil illinc huc peruenit, oſtendit pedes & pectus, attamen hic mallet non dolere. Hæc igitur eſt noſtra ratio, quæ tibi uidetur inconſtans, quũ propter uirtutis cœleſtem quandam & diuinam tantamq; præſtantiam, ut ubi uirtus ſit, resq; magnæ ſumendæ laudabilesq; uirtute geſtæ, ibi eſſe miſeria & erumna non poſſit, tamen labor poſſit & moleſtia, non dubitem dicere omnes ſapiẽtes ſemper beatos eſſe, ſed tamen fieri poſſe, ut ſit alius alio beatior. Atqui iſte locus eſt Piſo tibi etiam atque etiam confirmandus, inquam: quem ſi tenueris, non modo meum Ciceronem, ſed etiam meipſum abducas, licebit. Tum Quintus. Mihi quidem, inquit, ſatis hoc confirmatum uidetur. Lætor qdem philoſophiam (cuius antea ſupellectilem pluris æſtimabam q̃ poſſeſſiones reliquorum, ita mihi diues uidebatur, ut ab ea petere poſſem quidquid in ſtudijs noſtris concupiſſem) hãc igitur lætor etiam acutiorem repertam quàm ceteras, quod quidam ei deeſſe dicebant. Nunquam noſtram quidem, inquit Pomponius iocans. Sed me hercule pergrata mihi oratio tua. Quæ enim dici latine poſſe nõ arbitrabar, ea dicta ſunt à te: nec minus planè, quàm dicuntur à Græcis uerbis aptis. Sed tempus eſt, ſi uidetur, & recta quidem ad me. Quod quum ille dixiſſet, & ſatis diſputatum uideretur, in oppidum ad Pomponium perreximus omnes.

M.T.C. De finibus bonorum & malorum Libri quinti & ultimi. Finis.

M. TVLLII CICERONIS TVSCVLANARVM QVAESTIONVM AD M. BRVTVM LIBER PRIMVS.

DE CONTEMNENDA MORTE.

CVVM Defenſionum laboribus,ſenatorijsq; muneribus,aut omnino,aut magna exparte eſſem aliquando liberatus,retuli me Brute,te hortãte maxime, ad ea ſtudia,quæ retenta animo,remiſſa temporibus, lõgo interuallo intermiſſa reuocaui.Et quum omnium artiũ, quæ ad rectam uiuendi uiam pertinerent,ratio & diſciplina ſtudio ſapientiæ,quæ philoſophia dicitur, contineretur,hoc mihi Latinis literis illuſtrandum putaui. Non quia philoſophia Gręcis & literis & doctoribus percipi nõ poſſet: ſed meum ſemper iudicium fuit,omnia noſtros,aut inueniſſe per ſe ſapientius q̃ Græcos:aut accepta ab illis feciſſe meliora,quæ quidem digna ſtatuiſſent, in quibus elaborarẽt.Nam mores & inſtituta uitę,resq; domeſticas ac familiares,nos profecto & melius tuemur & lautius.Rem uero publicam noſtri maiores certe melioribus temperauerunt & inſtitutis & legibus. Quid loquar de re militari? in qua quum uirtute noſtri multum ualuerunt,tum plus etiam diſciplina? Iam illa quæ natura non literis aſſequuti ſunt, neq; cum Græcia, neq; ulla cum gente ſunt conferenda.Quæ enim tanta grauitas,quę tanta cõſtantia,magnitudo animi,probitas,fides,quæ tam excellens in omni genere uirtus in ullis fuit,ut ſit cum maioribus noſtris comparanda? Doctrina Græcia nos & omni literarum genere ſuperabat,in quo erat facile uincere non repugnantes.Nã quũ apud Gręcos antiquiſſimum è doctis genus ſit poetarũ, ſiquidem Homerus fuit & Heſiodus ante Romam conditam, Archilochus regnante Romulo,ſerius poeticã nos accepimus: Annis .n.fere CCCC.X. poſt Romam conditam Liuius fabulam dedit,C.Claudio Cæci F.M. Tuditano COSS.anno ante natum Enniũ,qui fuit maior natu q̃ Plautus & Næuius.Sero igitur à noſtris poetę uel cogniti uel recepti.Quãq̃ eſt in Originibus,ſolitos eſſe in epulis canere conuiuas ad tibicinem de clarorum hominũ uirtutibus.Honorem tamen huic generi non fuiſſe declarat oratio Catonis, in qua obiecit ut probrum M.Nobiliori,quòd is in prouinciam poetas duxiſſet.Duxerat autem Conſul ille in Aetoliam,ut ſcimus,Ennium. Quo minus igitur honoris erat poetis,eo minora ſtudia fuerunt. Nec tamen ſi q magnis ingenijs in eo genere extiterunt,non ſatis Græcorum gloriæ reſponderunt. An cenſemus ſi Fabio nobiliſſimo homini laudi datum eſſet quòd pingeret,non multos etiam apud nos futuros Polycletos & Parrhaſios fuiſſe? Honos alit artes,omnesq; incenduntur ad ſtudia gloria, iacentq; ea ſemper, quæ apud quoſq; improbantur.Summam eruditionem Græci ſitam cenſebant in neruorum uocumq; cantibus.Igitur & Epaminõdas, princeps meo iudicio Grecię,fidibus pręclare ceciniſſe dicitur.Themiſtoclesq; aliquot ante annos quum in epulis recuſaret lyrã,eſt habitus indoctior.Ergo in Grecia

Muſici floruerunt: diſcebantq́; id omnes, nec qui neſciebat, ſatis excultus doctrina putabatur. In ſummo honore apud illos Geometria fuit. Itaque nihil Mathematicis illuſtrius. At nos metiendi ratiocinandiq́; utilitate, huius artis terminauimus modum. At cõtra oratorem celeriter complexi ſumus, nec eum primo eruditum, aptum tamen ad dicendum, poſt autem eruditũ. Nam Galbam, Aphricanum, Lælium doctos fuiſſe traditum eſt, ſtudioſum autem eum qui ijs ætate anteibat Catonem. Poſt uero Lepidum, Carbonem, Gracchos: deinde ita magnos noſtram ad ætatem, ut nõ multum aut nihil omnino Græcis cederetur. Philoſophia iacuit ad hanc ætatem, nec ullum habuit lumen literarum latinarum: quæ illuſtranda & excitanda nobis eſt, ut ſi occupati proſuimus aliquid ciuibus noſtris, proſimus etiam ſi poſſumus ocioſi. In quo eo magis eſt nobis elaborandum, quod multi iam eſſe libri latini dicuntur ſcripti incõſiderate ab optimis illis quidem uiris, ſed nõ ſatis eruditis. Fieri autem poteſt ut recte quis ſentiat, & id quod ſentit, polite eloqui nõ poſſit: ſed mandare quenquam literis cogitationes ſuas, qui eas nec diſponere, nec illuſtrare poſſit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis eſt intemperanter abutentis & ocio & literis. Itaq́; ſuos libros ipſi legunt cum ſuis, nec quiſquã attingit præter eos qui eandem licẽtiam ſcribendi ſibi permitti uolũt. Quare ſi aliquid oratoriæ laudi noſtra attulimus induſtria, multo ſtudioſius philoſophiæ fonteis aperiemus, é quibus etiam illa manabãt. Sed ut Ariſtoteles uir ſummo ingenio, ſcientiæ copia, quum motus eſſet Iſocratis Rhetoris gloria, dicere etiam cœpit, adoleſcentes docere, & prudentiam cũ eloquentia iungere: ſic nobis placet nec priſtinum dicendi ſtudium deponere, & in hac maiore & uberiore arte uerſari. Hanc enim perfectam philoſophiam ſemper iudicaui, quæ de maximis quæſtionibus copioſe poſſet ornateq́; dicere: in quã exercitationem ita nos ſtudioſe operam dedimus, ut iam etiam ſcholas Græcorum more habere auderemus. Vt nuper tuum poſt diſceſſum in Tuſculano quum eſſent complures mecum familiares, tentaui quid in eo genere poſſem. Vt enim antea declamitabam cauſas, quod nemo me diutius fecit, ſic hęc mihi nũc ſenilis eſt declamatio. Ponere iubebam de quo quis audire uellet, & id aut ſedens, aut ambulans diſputabam. Itaque dierum quinq́; ſcholas, ut Græci appellant, in totidem libros contuli. Fiebat autem ita, ut quum is qui audire uellet, dixiſſet quid ſibi uideretur, tum ego contradicerem. Hæc eſt.n. ut ſcis, uetus & Socratica ratio contra alterius opinionem diſſerendi. Nã ita facillime quid ueriſimillimum eẽt inueniri poſſe Socrates arbitrabatur. Sed quo cõmodius diſputationes noſtræ explicentur, ſic eas exponam quaſi agatur res, non quaſi narretur. Ergo ita naſcetur exordiũ. AVDITOR. Malum mihi uidetur eſſe mors. MARCVS. His ne qui mortui ſunt? an ijs quibus moriendum eſt? A. Vtriſq́;. M. Eſt miſerum igitur, quoniã malum. A. Certe. M. Ergo & hi quibus euenit iam ut morerentur, & hi quibus euenturum eſt, miſeri. A. Mihi ita uidetur. M. Nemo ergo nõ miſer. A. Prorſus nemo. M. Et quidem ſi tibi conſtare uis, omnes quicunq́; nati ſunt, eruntue, nõ ſolum miſeri, ſed etiam ſemper miſeri. Nam ſi ſolos eos diceres miſeros, quibus moriẽdum eſſet, neminem tu quidem eorum qui uiuerent exciperes. Moriendũ eſt enim omnibus, eſſet tamen miſerię finis in morte; quoniam autem etiam mortui miſeri ſunt, in miſeriam naſcimur ſempiternam,

ternam,

ternam. Neceſſe eſt enim miſeros eſſe eos, qui centum millibus annorũ ante occiderunt, uel potius omnes quicunq; nati ſunt. A. Ita prorſus exiſtimo. M. Dic quæſo num te illa terrent, triceps apud inferos Cerberus? Cocyti fremitus? tranſuectio Acherontis? mento ſummam aquam attingẽs ſiti enectus Tantalus? Num illud quod Siſyphus uerſat

Saxum ſudans nitendo, neq; proficit hilum?

fortaſſe etiam inexorabiles iudices Minos & Rhadamanthus, apud quos nec te L. Craſſus defendet, nec M. Antonius: nec, quoniam apud Græcos iudices res agetur, poteris adhibere Demoſthenem. Tibi ipſi pro te erit maxima corona cã dicẽda. Hæc fortaſſe metuis, & idcirco mortẽ cenſes eſſe ſempiternum malum. A. Adeo ne me delirare cenſes, ut iſta eſſe credam? M. An tu hæc non credis? A. Minime uero. M. Male hercule narras. A. Cur quæſo? M. Quia diſertus eſſe poſſem ſi contra iſta dicerem. A. Quis enim non in eiuſmodi cauſa, aut quid negotij eſt, hæc poetarum & pictorum portenta conuincere? M. Atqui pleni libri ſunt contra iſta ipſa diſſerentiũ philoſophorum. A. Inepte ſane: quis eſt enim tam excors, quem iſta moueant? M. Si ergo apud inferos miſeri non ſunt, ne ſunt quidem apud inferos ulli. A. Ita prorſus exiſtimo. M. Vbi ſunt ergo hi, quos miſeros dicis, aut quẽ locum incolunt? Si enim ſunt, nuſquam eſſe non poſſunt. A. Ego uero nuſquam eſſe illos puto. M. Igitur ne eſſe quidem. A. Prorſus iſto modo, & tamen miſeros ob idipſum quidem quia nulli ſunt. M. Iam mallem Cerberum metueres, q̃ iſta tam inconſiderate diceres. A. Quid tandem? M. Quẽ eſſe negas, eundem eſſe dicis: ubi eſt acumen tuum? quum enim miſerum eſſe dicis, tum eum qui non ſit, dicis eſſe. A. Non ſum ita hebes, ut iſta dicam. M. Quid dicis igitur? A. Miſerum eſſe uerbi cauſa M. Craſſum. qui illas fortunas morte dimiſerit: miſerum Cn. Pompeium, qui tanta gloria, dignitate tanta ſit orbatus: omnes deniq; miſeros, qui hac luce careant. M. Reuolueris eodẽ. Sint enim oportet, ſi miſeri ſunt: tu autem modo negabas eos eſſe, qui mortui eſſent. Si igitur non ſunt, nihil poſſunt eſſe, ita ne miſeri quidem ſunt. A. Non dico fortaſſe etiam quod ſentio: nam iſtud ipſum, non eẽ quũ fueris, miſerrimum puto. M. Quid miſerius, q̃ omnino nũquam fuiſſe? Ita qui nondum nati ſunt, miſeri iam ſunt, quia non ſunt: & nos ipſi, ſi poſt mortem miſeri futuri ſumus, miſeri fuimus anteq̃ nati. Ego autem non commemini antequam ſum natus me miſerum: tu ſi meliore memoria es, uelim ſcire, ecquid de te recordere. A. Ita iocaris, quaſi ego dicam eos miſeros qui nati nõ ſunt, & non eos miſeros qui mortui ſunt. M. Ergo eſſe dicis eos. A. Imo quia non ſunt, quum fuerint, eos miſeros eſſe. M. Pugnantia te loqui nõ uides? Quid enim tam pugnat, q̃ non modo miſerum, ſed omnino quidq̃ eſſe, qui nõ ſit? An tu egreſſus porta Capena, quum Calatini, Scipionum, Seruiliorum, Metellorum ſepulcra uides, miſeros putas illos? A. Quoniam me uerbo premis, poſthac non ita dicam miſeros eſſe, ſed tantum miſeros ob idipſum, quia non ſunt. M. Non dicis igitur miſer eſt M. Craſſus, ſed tantum miſer. M. Craſſus. A. Ita plane. M. Quaſi non neceſſe ſit quidquid iſto modo pronũcies, id aut eſſe, aut non eſſe. An tu dialecticis ne imbutus quidẽ es? In primis enim hoc traditur: Omne pronunciatum, ſic enim mihi in præſentia occurrit ut appellarẽ ἀξίωμα, utar poſt alio ſi inuenero melius. Id ergo

eſt pronunciatum, quod eſt uerum aut falſum. Quum igitur dicis miſer M. Craſſus, aut hoc dicis, miſer eſt M. Craſſus, ut poſſit iudicari uerũ id falſum ne ſit, aut nihil dicis omnino. A. Age iam concedo non eſſe miſeros q mortui ſunt, quoniam extorſiſti ut faterer, qui omnino non eſſent, eos ne miſeros quidem eſſe poſſe. Quid? qui uiuimus quum moriendum ſit, nonne miſeri ſumus? Quæ enim poteſt in uita eſſe iucunditas, quum dies & noctes cogitandum ſit, iamiamq́ eſſe moriendum? M. Ecquid ergo intelligis quantum mali de humana conditione deieceris? A. Quonam modo? M. Quia ſi mori etiam mortuis miſerum eſſet, infinitum quoddam & ſempiternũ malum haberemus in uita: nũc uideo calcem, ad quem quum ſit decurſum, nihil ſit præterea extimeſcendum. Sed tu mihi uideris Epicharmi acuti, nec inſulſi hominis, ut Siculi, ſententiam ſequi. A. Quam? non enim noui. M. Dicam ſi potero latine, ſcis enim me græce loqui in Latino ſermone non plus ſolere, q̃ in Græco latine. A. Et recte quidem, ſed quæ tãdem eſt Epicharmi iſta ſententia? M.

Emori nolo, ſed me eſſe mortuum nihil exiſtimo.

A. Iam agnoſco Græcum: & quoniam coegiſti ut cõcederem qui mortui eſſent eos miſeros non eſſe, perfice ſi potes, ut ne moriendum quidem eſſe miſerum putem. M. Iam iſtud quidem nihil negotij eſt, ſed etiam maiora molior. A. Quomodo hoc nihil negotij eſt? aut quæ ſunt tãdem iſta maiora? M. Quoniam ſi poſt mortem nihil eſt mali, ne mors quidem eſt malum: cui proximum tempus eſt poſt mortem, in quo nihil eſſe mali cõcedis, ita ne moriendũ quidẽ eſſe, malum eſt. Id ẽ enim, perueniẽdum eſſe ad id, quod nõ eſſe malum confitemur. A. Vberius iſta quæſo, hæc enim ſpinoſiora prius ut confitear me cogũt, q̃ ut aſſentiar. Sed quæ ſunt ea, quæ dicis te maiora moliri? M, Vt doceam ſi poſſim nõ modo malum non eſſe mortem, ſed bonũ etiam eſſe. A. Non poſtulo id quidem, aueo tamen audire. Vt enim nõ efficias quod uis, tamen mors ut malum nõ ſit efficies: ſed nihil te interpellabo, continentem orationem audire malo. M. Quid? ſi te rogauero aliquid? nõne reſpondebis? A. Superbum id quidem eſt. Sed niſi quid neceſſe erit, malo ne roges. M. Geram tibi morem, & ea quę uis, ut potero explicabo: nec tamen quaſi Pythius Apollo certa ut ſint & fixa quæ dixero, ſed ut homunculus unus è multis probabilia coniectura ſequens. Vltra enim quo progrediar, q̃ ut ueriſimilia uideam, non habeo. Certa dicẽt hi, qui & percipi ea poſſe dicunt, & ſe ſapienteis eſſe profitentur. A. Tu ut uidetur, nos ad audiendum parati ſumus. M. Mors igitur ipſa quæ uidetur notiſſima res eẽ, quid ſit, primum eſt uidendum. Sunt enim qui diſceſſum animi à corpore putent eſſe mortem: ſunt qui nullum cenſeant fieri diſceſſum, ſed unà animum & corpus occidere, animumq́ in corpore extingui. Qui diſcedere animum cenſent, alij ſtatim diſſipari, alij diu permanere, alij ſemper. Quid ſit porrò ipſe animus, aut ubi, aut unde, magna diſſenſio eſt. Alijs cor ipſum animus uidetur, ex quo excordes, uecordes, concordesq́ dicuntur, & Naſica ille prudens bis Conſul, Corculum: &

Egregie cordatus homo Catus Aeliu' Sextus.

Empedocles autem animũ eſſe cenſet cordi ſuffuſum ſanguinem. Alijs pars quædam cerebri uiſa eſt animi principatũ tenere. Alijs nec cor ipſum placet,

nec cerebri quandam partem eſſe animum,ſed alÿ in corde,alÿ in cerebro di
xerunt animi eſſe ſedem et locum. Animum autem alÿ animam ut ferè noſtri
declarant nominari.Nam & agere animam,& efflare dicimus,& animoſos,
& bene animatos,& ex animi ſententia.Ipſe autem animus ab anima dictus
eſt.Zenoni Stoico animus ignis uidetur.Sed hæc quidem quæ dixi cor,cere
brum,animam,ignem,uulgo,reliqua ferè ſinguli,ut multi ante ueteres. Pro-
xime autem Ariſtoxenus muſicus,idemq́ philoſophus, ipſius corporis intẽ
tionem quandam uelut in cãtu & fidibus,quæ harmonia dicitur,ſic ex corpo
ris totius natura,& figura uarios motus cieri tãquam in cantu ſonos. Hic ab
artificio ſuo non receſſit,& tamen dixit aliquid,quod ipſum quale eſſet, erat
multo ante dictum & explanatum à Platone.Xenocrates animi figuram,&
quaſi corpus negauit eſſe,uerum numerum dixit eſſe:cuius uis,(ut iam ante
Pythagoræ uiſum erat)in natura maxima eẽt.Eius doctor Plato triplicem
finxit animam,cuius principatum,id eſt rationem,in capite ſicut in arce poſu
it,& duas partes ſeparare uoluit,iram & cupiditatem,quas locis diſcluſit: irã
in pectore,cupiditatem ſubter præcordia locauit.Dicæarchus autẽ in eo ſer-
mone,quem Corinthi habitum tribus libris exponit doctorum hominũ di-
ſputantium,primo libro multos loquentes facit,duobus Pherecratem quen
dam Phthiotam ſenem,quem ait à Deucalione ortum, diſſerentem inducit,
nihil eſſe omnino animum,& hoc eſſe nomen totum inane,fruſtraq́ & ani-
malia & animãtes appellari,neq́ in homine ineſſe animum uel animam, nec
in beſtia. Vimq́ omnẽ eam,qua uel agamus quid,uel ſentiamus, in omnibus
corporibus uiuis æquabiliter eſſe fuſam,nec ſeparabilem à corpore eſſe, quip
pe quæ nulla ſit:nec ſit quidquam,niſi corpus unum & ſimplex, ita figuratũ
ut temperatione naturæ uigeat & ſentiat. Ariſtoteles longe omnibus (Pla-
tonem ſemper excipio)præſtans & ingenio & diligentia,quum quatuor no
ta illa genera principiorum eſſet complexus,è quibus omnia orirentur, quin
tam quandam naturam cenſet eſſe,è qua ſit mens.Cogitare enim,& prouide
re,& diſcere,& docere,& inuenire aliquid,& tam multa alia meminiſſe,ama
re,odiſſe,cupere,timere,angi,lætari,hæc & ſimilia eorum in horum quatu-
or generum nullo ineſſe putat.Quintum genus adhibet uacans nomine, &
ſic ipſum animum ἐντελεχίαν appellat nouo nomine,quaſi quandam continua
tam motionem & perennem. Niſi quæ me forte fugiunt,hæ ſunt ferè omniũ
de animo ſententiæ.Democritum enim magnum illum quidem uirum, ſed
leuibus & rotundis corpuſculis efficientem animum concurſu quodam for-
tuito,omittamus.Nihil eſt enim apud iſtos,quod non atomorum turba cõ
ficiat.Harum ſententiarum quæ uera ſit,deus aliquis uiderit:quę ueriſimilli-
ma,magna quæſtio eſt. Vtrum igitur inter has ſententias diiudicare malu-
mus,an ad propoſitum redire? A. Cuperem equidem utrunq́ ſi poſſet, ſed
eſt difficile confundere.Quare ſi ut iſta non differantur,liberari mortis me-
tu poſſumus,id agamus:ſin id nõ poteſt,niſi hac quęſtione animorum expli
cata,nunc ſi uidetur hoc,illud aliàs. M. Quod malle te intelligo, id puto
eſſe commodius.Efficiet enim ratio,ut quæcunq́ uera ſit earum ſentẽtiarum
quas expoſui,mors aut malum non ſit,aut ſit bonum potius. Nam ſi cor, aut
ſanguis,aut cerebrum eſt animus,certe quoniam eſt corpus,interibit cum re-
liquo corpore:ſi anima eſt,fortaſſe diſſipabitur; ſi ignis, extinguetur; ſi eſt

Ariſtoxeni hormonía,diſſoluetur. Quid de Dicæarcho dicam,qui nihil oĩno animum dicat eſſe? His ſententiis omnibus nihil poſt mortem pertinere ad quenq́ poteſt. Pariter enim cum uita ſenſus amittitur. Non ſentientis autẽ nihil eſt ullam in partem,quod interſit. Reliquorum ſententiæ ſpem afferũt, ſi te forte hoc delectat,poſſe animos,quum é corporibus exceſſerint,in cœlũ, quaſi in domicilium ſuum peruenire. A. Me uero delectat, idq́ primũ ita eſſe uelim,deinde etiam ſi non ſit, mihi tamen perſuaderi uelim. M. Quid tibi ergo opera noſtra opus eſt? num eloquentia Platonem ſuperare poſſumus? Euolue diligenter eius eum librum,qui eſt de animo,amplius quod deſideres,nihil erit. A. Feci mehercule,& quidem ſæpius,ſed neſcio quomodo dum lego aſſentior: quũ poſui librũ, & mecum ipſe de ĩmortalitate aĩorũ cœpi cogitare,aſſenſio illa omnis elabitur. M. Quid hoc? das ne aut manere animos poſt mortem,aut morte ipſa interire? A. Do uero. M. Quid ſi maneant? A. Beatos eſſe cõcedo. M. Si intereant? A. Non eſſe miſeros,quoniam ne ſint quidem. Iam iſtuc coacti á te paulo ante conceſſimus. M. Quomodo igitur,aut cur mortem malum tibi uideri dicis, quæ aut beatos nos efficiet animis manẽtibus, aut non miſeros ſenſu carentes? A. Expone igitur niſi moleſtum eſt,primum ſi potes, animos remanere poſt mortem: tum ſi minus id obtinebis (eſt enim arduum) docebis carere omni malo mortem. Ego enim iſtuc ipſum uereor,ne malum ſit,non dico carere ſenſu, ſed carendum eſſe. M. Authoribus quidem ad iſtam ſententiam, quã uis obtinere,uti optimis poſſumus,quod in omnibus cauſis & debet & ſolet ualere plurimum,& primũ quidem omni antiquitate,quæ quo propius aberat ab ortu,& diuina progenie, hoc melius ea fortaſſe quæ erant uera, cernebat. Itaq́ unum illud erat inſitum priſcis illis, quos Caſcos appellat Ennius, eſſe in morte ſenſum,neq́ exceſſu uitæ ſic deleri hominem, ut funditus interiret: idq́ quum multis aliis rebus,tum é pontificio iure, & cerimoniis ſepulchrorũ intelligi licet, quas maximis ingeniis præditi, nec tãta cura coluiſſent,nec uiolatas tam inexpiabili religione ſanxiſſent, niſi hæſiſſet in eorũ mentibus, mortem non interitum eſſe omnia tollentẽ atq́ delentem, ſed quãdam quaſi migrationem commutationemq́ uitæ: quæ in claris uiris & fœminis dux in cœlum ſoleret eſſe,in ceteris humi retineretur, & permaneret tamen. Ex hoc & noſtrorum opinione

Romulus in cœlo cum diis agit æuum,

ut famæ aſſentiens dixit Ennius: & apud Græcos, indeq́ plapſus ad nos, & uſq́ ad Oceanum Hercules tantus & tam præſens habetur deus. Hinc Liber deus Semele natus: eademq́ famæ celebritate Tyndaridæ fratres,q non modo adiutores in prælíis uictoriæ populi R. ſed etiam nuntii fuiſſe perhibẽtur. Quid Ino Cadmi filia,nõne Leucothea nominata á Græcis, Matuta habetur á noſtris? Quid totum propé cœlum ne plures perſequar,nõne humano genere completum eſt? Si uero ſcrutari uetera,& ex his ea quæ ſcriptores Græcię prodiderunt,eruere coner,ipſi illi maiorum gentium dĳ qui habentur,hinc á nobis profecti in cœlum reperientur. Quare,quorum demõſtrantur ſepulchra in Græcia: reminiſcere,quoniam es initiatus,quæ tradantũ myſterĳs,tum deniq́ q̃ hoc late pateat intelliges. Sed qui nondum ea quæ multis poſt annis tractari cœpiſſent,Phyſica didiciſſent, tãtum ſibi perſuaſerãt,

quantum

quantum natura admonente cognouerant, rationes & cauſas rerum non tenebant. Viſis quibuſdam ſæpe mouebantur, hisq́ maxime nocturnis, ut uiderentur hi, qui uita exceſſerant, uiuere. Vt porro firmiſſimum hoc afferri uidetur, cur deos eſſe credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam ſit immanis, cuius mentem non imbuerit deorum opinio. Multi de dijs praua ſentiunt: id enim uitioſo more effici ſolet: omnes tamen eſſe uim, & naturam diuinam arbitrantur. Nec uero id collocutio hominum aut conſenſus efficit: non inſtitutis opinio eſt confirmata, non legibus. Omni autem in re conſenſio omnium gentium lex naturæ putanda eſt. Quis eſt igitur qui ſuorum mortem primum non eo lugeat, quod eos orbatos uitæ commodis arbitretur? Tolle hanc opinionem, luctũ ſuſtuleris. Nemo enim mœret ſuo incommodo, dolent fortaſſe & anguntur. Sed illa lugubris lamẽtatio, fletusq́ mœrens ex eo eſt, quod eum quem diliximus, uitæ commodis priuatum arbitramur, idq́ ſentire. Atque hæc ita ſentimus natura duce, nulla ratione, nullaq́ doctrina. Maximum uero argumẽtum eſt naturam ipſam de immortalitate animorum tacitã iudicare, quod omnibus curæ ſunt, & maxime quidem quæ poſt mortem futura ſunt. Serit arbores quę alteri ſeculo proſint, ut ait Statius in Synephebis, quid ſpectans, niſi etiam poſtera ſecula ad ſe pertinere? Ergo arbores ſeret diligens agricola, quarum aſpiciet baccam ipſe nunquam. Vir magnus leges, inſtituta, remp. conſeret. Quid procreatio liberorum? Quid propagatio nominis? Quid adoptiones filiorum? Quid teſtamentorum diligentia? Quid ipſa ſepulchrorum monumenta? Quid elogia ſignificãt, niſi nos futura etiam cogitare? Quid illud? num dubitas quin ſpecimen naturæ capi deceat ex optima quaq́ natura? Quæ eſt igitur melior in hominum genere natura, quam eorum qui ſe natos ad homines iuuãdos, tutandos, conſeruandos arbitrantur? Abijt ad deos Hercules, nũquam abijſſet, niſi quum inter homines eſſet, eam ſibi uiam muniuiſſet. Vetera iam iſta & religione omnium conſecrata. Quid in hac rep. tot tantosq́ uiros ob rempub. interfectos cogitaſſe arbitramur? ijſdem ne ut finibus nomen ſuum, quibus uita terminaretur? Nemo unquam ſine magna ſpe immortalitatis ſe pro patria offerret ad mortem. Licuit eſſe otioſo Themiſtocli, licuit Epaminondæ, licuit, ne & uetera & externa quæram, mihi. Sed neſcio quo modo inhæret in mentibus quaſi ſeculorum quoddam augurium futurorũ, idq́ in maximis ingenijs, altiſſimisq́ animis & exiſtit maxime, & apparet facillime. Quo quidem dempto, quis tam eſſet amens, qui ſemper in laboribus & periculis uiueret? Loquor de principibus. Quid poetæ, nonne poſt mortem nobilitari uolunt? unde ergo illud?

Aſpicite o ciues ſenis Ennij imaginis formam.
  Hic ueſtrum panxit maxima facta patrum.

Mercedem glorię flagitat ab ijs, quorũ patres affecerat gloria. Idemq́,

Nemo me lacrimis decoret, nec funera fletu
  Faxit. cur? uolito uiuus per ora uirum.

Sed quid poetas? opifices poſt mortem nobilitari uolunt. Quid enim Phidias ſui ſimilem ſpeciem incluſit in clypeo Mineruæ, quum inſcribere non liceret? Quid noſtri philoſophi? nonne in his ipſis libris quos ſcribũt de cõtemnenda gloria, ſua nomina inſcribunt? Quod ſi omnium cõſenſus naturæ

uox eſt, omnesq́ qui ubiq; ſunt conſentiunt eſſe aliquid, quod ad eos pertineat qui e uita ceſſerint: nobis quoq; idem exiſtimandum eſt. Et ſi quorum aut ingenio aut uirtute animus excellit, eos arbitramur, quia natura optima ſunt, cernere naturæ uim, maxime uериſimile eſt, quũ optimus quiſq; maxime poſteritati ſeruiat, eſſe aliquid cuius is poſt mortem ſenſum ſit habiturus. Sed ut deos eſſe natura opinamur, qualesq́ ſint ratione cognoſcimus: ſic permanere animos arbitramur, conſenſu nationum omnium. Qua in ſede maneant, qualesq́ ſint, ratione diſcendum eſt. Cuius ignoratio finxit inferos, easq́ formidines, quas tu contemnere non ſine cauſa uidebare. In terram enim cadentibus corporibus, hisq́ humo tectis, ex quo dictum eſt humari, ſub terra cenſebant reliquam uitam agi mortuorum, quam eorum opinionem magni errores conſecuti ſunt, quos auxerunt poetæ. Frequens enim conſeſſus theatri, in quo ſunt mulierculæ & pueri, mouetur audiens tam grande carmen,

Adſum atq; aduenio Acheronte uix uia alta atq; ardua,
Per ſpeluncas ſaxis ſtructas aſperis, pendentibus
Maximis, ubi rigida conſtat & craſſa caligo inferum.

Tantumq́ ualuit error, qui mihi quidem iam ſublatus uidetur, ut corpora cremata quum ſcirent, tamen ea fieri apud inferos fingerent, quæ ſine corporibus nec fieri poſſent, nec intelligi. Animos enim per ſeipſos uiuentes nõ poterant mente complecti, formam aliquam figuramq́ quærebãt: inde Homeri tota νεκυ'α: inde ea quam meus amicus Appius νεκρομαντεία faciebat: inde in uicinia noſtra Auerni lacus,

Vnde animæ excitantur obſcura umbra, aperto oſtio
Alti Acherontis, falſo ſanguine imagines mortuorum.

Has tamen imagines loqui uolunt, quod fieri, nec ſine lingua, nec ſine palato, nec ſine faucium laterum'ue, & pulmonum ui & figura poteſt. Nihil enim animo uidere poterant, ad oculos omnia referebant. Magni autem eſt ingenij reuocare mentem a ſenſibus, & cogitationẽ a cõſuetudine abducere. Itaq; credo equidem etiã alios tot ſeculis diſputaſſe de animis, ſed quod literis extet, Pherecides Syrus primum dixit animos hominum eſſe ſempiternos, antiquus ſane. Fuit enim meo regnante gentili. Hanc opinionem diſcipulus eius Pythagoras maxime confirmauit, qui quum Superbo regnante, in Italiã ueniſſet, tenuit magnam illam Græciam cum honore & diſciplina, tum etiã authoritate: multaq́ ſecula poſtea ſic uiguit Pythagoreorũ nomen, ut nulli alij docti uiderentur. Sed redeo ad antiquos. Rationem illi ſententiæ ſuæ non fere reddebant, niſi quid erat numeris aut deſcriptionibus explicandum. Platonem ferunt, ut Pythagoreos cognoſceret, in Italiam ueniſſe, & in ea cũ alios multos, tum Archytam, Timæumq́ cognouiſſe, & didiciſſe Pythagorea omnia, primumq́ de animorum æternitate non ſolum ſenſiſſe idẽ, quod Pythagoras, ſed rationem etiam attuliſſe, quam niſi quid dicis prętermittamus, & hanc totam ſpem immortalitatis relinquamus. A. An tu quum me in ſummam expectationem adduxeris, deſeris? Errare mehercule malo cũ Platone, quem tu quanti facias, ſcio: et quem ex tuo ore admiror, q̃ cum iſtis uera ſentire. M. Macte uirtute: ego enim ipſe cum eodem ipſo non inuitus errauerim. Num igitur dubitamus, an ſicut pleraq;, ſic & hoc? q̃q̃ hoc quidẽ minime. Perſuadent enim Mathematici terram in medio mũdi ſitam ad uniuer

ſi cœli

ſi cœli complexum,quaſi puncti inſtar obtinere,quod κέντρον illi uocant. Eã porrò naturam eſſe quatuor omnia gignentium corporum, ut quaſi partita habeant inter ſe & diuiſa momenta,ut terrena,& humida ſuapte nutu, et ſuo pondere ad pares angulos in terram,& in mare ferantur:reliquę duę partes, una ignea,altera animalis,ut illæ ſuperiores in medium locum mundi grauitate ferantur & pondere:ſic hæ ſurſum rectis lineis in cœleſtem locum ſubuolent, ſiue ipſa natura ſuperiora appetente, ſiue quod à grauioribus leuiora natura repellantur. Quæ quum conſtent,perſpicuum debet eſſe animos quum è corpore exceſſerint,ſiue illi ſint animales,id ẽ ſpirabiles,ſiue ignei, ſublime ferri. Si uero aut numerus quidam ſit animus, quod ſubtiliter magis q̃ diluci de dicitur, aut quinta illa non nominata magis quàm non intellecta natura, multo etiam integriora ac puriora ſunt,ut à terra longiſſime ſe efferant. Horum igitur aliquid animus eſt,nec tam uegeta mens,aut in corde cerebróue, aut in Empedocleo ſanguine demerſa iaceat,Dicæarchum uero cum Ariſtoxeno æquali & condiſcipulo ſuo doctos ſanè homines omittamus, quorum alter ne condoluiſſe quidem unquam uidetur,qui animum ſe habere non ſentiat:alter ita delectatur ſuis cantibus,ut eos etiam ad hæc transferre conetur. Harmoniam autem ex ſonorum interuallis noſſe poſſumus,quorũ uaria cõpoſitio harmonias etiam efficit plures. Membrorum uero ſitus & figura corporis uacans animo,quam poſſit harmoniam efficere non uideo. Sed hic quidem quãuis eruditus ſit,ſicut eſt,hæc magiſtro concedat Ariſtoteli,canere ipſe doceat. Bene enim illo Gręcorum prouerbio præcipitur,

Quam quiſq; norit artem in hac ſe exerceat.

Illam uero funditus eijciamus indiuiduorũ corporum leuium & rotundorũ concurſionem fortuitã,quam tñ Democritus concalefactã,& ſpirabilẽ,id eſt animalem eẽ uoluit. Is autem animus,qui ſi eſt horum quatuor generum, ex quibus omnia cõſtare dicuntur,ex inflãmata anima cõſtat, ut potiſſimum uideatur Panætio,ſuperiora capeſſat neceſſe eſt. Nihil enim habent hæc duo genera proni,& ſupera ſemper petunt. Ita,ſiue diſſipantur procul à terris id euenit,ſiue permanent,& cõſeruant habitum ſuum,per hæc etiam magis neceſſe eſt ferantur ad cœlum,& ab his perrumpatur & diuidatr craſſus hic & cõcretus aer,qui eſt terræ proximus. Calidior eſt enim uel potius ardentior aĩus, q̃ eſt hic aer,quem modo dixi craſſum atque concretum:quod ex eo ſciri poteſt,quia corpora noſtra terreno principiorum genere confecta, ardore animi concaleſcunt. Accedit ut eo facilius animus euadat ex hoc aere, quem ſæpe iam craſſum appello,cumq; perrumpat,quòd nihil eſt animo uelocius, nulla eſt celeritas quæ poſſit cum animi celeritate contendere. Qui ſi permanet incorruptus,ſuiq; ſimilis,neceſſe eſt ita feratur,ut penetret & diuidat omne cœlum hoc, in quo nubes,imbres,uentiq; coguntur: quod & humidum & caliginoſum eſt propter exhalationes terræ. Quam regionem quum ſuperauit animus,naturamq; ſui ſimilem contigit & agnouit, iunctus ex anima tenui,& ex ardore ſolis temperato,ignibus inſiſtit, & finem altius ſe efferendi facit. Quum enim ſui ſimilem & leuitatem & calorem adeptus tanquam paribus examinatus ponderibus,nullam in partẽ mouetur. Eaq; ei demũ naturalis eſt ſedes,quũ ad ſui ſimilẽ penetrauit,in quo nulla re egens aletur, & ſuſtentabitur ijſdẽ rebus,quibus aſtra ſuſtentãtur & aluntur. Quumq; corpo-

ſa eſſe cognouerit? Ex quo intelligi poteſt quàm acuti natura ſint, qui hæc ſine doctrina credituri fuerint. Præclarum autẽ neſcio quid adepti ſunt, qui didicerunt ſe quum tẽpus mortis ueniſſet, totos eſſe perituros. Quod ut ita ſit (nihil enim pugno) quid habet iſta res aut lætabile aut glorioſum? nec tñ mihi ſanè quidq̃ occurrit, cur nõ Pythagoræ ſit, & Platonis uera ſnĩa. Vt.n. rõnem nullam Plato afferret (uide quid homini tribuã) ipſa authoritate me frangeret: tot aũt rationes attulit, ut uelle ceteris, ſibi certe perſuaſiſſe uideat̃. Sed plurimi cõtra nitũtur, animosq́ꝫ quaſi capite damnatos morte mulctãt: neqꝫ aliud eſt quidq̃, cur incredibilis his animorꝫ uideatur æternitas, niſi qđ nequeũt qualis animus ſit uacans corpore intelligere, & cogitatione cõprehẽdere. Quaſi uero intelligant qualis ſit in ipſo corpore, quæ cõformatio, quæ magnitudo, qui locus: ut ſi iam poſſent in homine uno cerni omnia, quæ nũc tecta ſunt, caſurus'ne in cõſpectum uideatur animus, an tãta ſit eius tenuitas, ut fugiat aciem. Hæc reputent iſti, qui negant animum ſine corpore ſe intelligere poſſe, uidebunt quem in ipſo corpore intelligant. Mihi quidem naturam animi intuenti multo difficilior occurrit cogitatio, multoq́ꝫ obſcurior, qualis animus in corpore ſit, tanq̃ alienæ domui, q̃ qualis quũ exierit, & in liberum cœlũ quaſi in domũ ſuam uenerit. Si enim quod nũq̃ uidimus, id quale ſit, intelligere nõ poſſumus, certe & deũ ipſum & diuinũ animũ corpore liberatũ, cogitatione cõplecti nõ poſſumus. Dicæarchus quidem & Ariſtoxenus, quia difficilis erat animi quid aut qualis eſſet intelligẽtia, nullũ omnino animũ eſſe dixerũt. Eſt illud quidẽ uel maximũ, animo ipſo animũ uidere: & nimirũ hanc habet uim præceptũ Apollinis, quo monet, ut ſe quiſqꝫ noſcat. Nõ enim credo id præcipit, ut mẽbra noſtra aut ſtaturam, figurámue noſcamus: neqꝫ nos corpora ſumus, neqꝫ ego hæc dicens corpori tuo dico. Quum igitur noſce te dicit, hoc dicit, noſce animum tuum. Nã corpus quidem quaſi uas eſt, aut aliquod animi receptaculũ. Ab animo tuo quidquid agitur, id agitur à te. Hunc igitur noſſe, niſi diuinum eſſet, nõ eſſet hoc acrioris cuiuſdam animi præceptum, ſic ut tributũ deo ſit, hoc eſt ſeipſum poſſe cognoſcere. Sed ſi qualis ſit animus ipſe animus neſciat, dic quæſo, ne eſſe quidẽ ſe ſciet ne moueri quidẽ ſe? Ex quo illa rõ nata eſt Platonis, quæ à Socrate eſt in Phædro explicata, à me autem poſita eſt in ſexto libro de Rep. Quod ſemper mouet,
» id æternum eſt: quod aũt motum affert alicui, quodq́ꝫ ipſum agitatur aliũde,
» quando finem habet motus, uiuendi quoqꝫ finem habeat neceſſe eſt: ſolũ igi-
» tur quod ſeipſum mouet, quia nunq̃ deſeritur à ſe, nunq̃ ne moueri quidẽ deſi-
» nit. Quin etiam ceteris quæ mouentur, hic fons, hoc principium eſt mouen-
» di. Principij autem nulla eſt origo, nã ex principio oriuntur omnia. Ipſum
» autem nulla ex re alia naſci poteſt. Nec enim eſſet id principium, quod gigne-
» retur aliunde. Quod ſi nunq̃ oritur, ne occidit quidem unq̃. Nam principiũ
» extinctum, nec ipſum ab alio renaſcetur, nec à ſe aliud creabit. Siquidẽ neceſſe
» eſt à principio oriri omnia. Ita fit ut motus principiũ ex eo ſit, quod ipſum à
» ſe mouetur. Id aũt nec naſci poteſt, nec mori: uel cõcidat omne cœlũ, omnisq́ꝫ
» natura cõſiſtat, neceſſe eſt, nec uim ullam nanciſcatur, qua primo impulſu mo-
» ueatur. Quum pateat igitur æternum id eſſe, quod ſeipſum moueat, quis
» eſt qui hanc naturã animis eſſe tributã neget? Inanimũ eſt enim oẽ qđ pulſu
» agitatur externo. Quod autem animal eſt, id motu cietur interiore & ſuo: nã

hæc eſt propria natura animi atq; uis. Quæ ſi eſt una ex omnibus quæ ſeipſam ſemper moueat, neq; nata certe eſt, & æterna eſt. Licet cõcurrant plebeij omnes philoſophi (ſic enim ij, qui à Platone & Socrate & ab ea familia diſſident, appellandi uidentur) non modo nihil unquam tam eleganter explicabunt, ſed ne hoc quidem ipſum q̃ ſubtiliter concluſum ſit intelligẽt. Sentit igitur animus ſe moueri: quod quũ ſentit, illud unà ſentit, ſe ui ſua non aliena moueri, nec accidere poſſe ut ipſe unquam à ſe deſeratur. Ex quo efficitur æternitas, niſi quid habes ad hæc. A. Ego uero facile ſum paſſus, ne in mentẽ quidem mihi aliquid contra uenire, ita iſti faueo ſententiæ. M. Quid illa tandem, num leuiora cenſes, quæ declarant ineſſe in animis hominũ diuina quędam? quæ ſi cernerem quemadmodum naſci poſſent, etiam quemadmodum interirent uiderem. Nam ſanguinem, bilem, pituitam, oſſa, neruos, uenas, omnem deniq; membrorum & totius corporis figurã uideor poſſe dicere, unde concreta, & quo modo facta ſint. Per animum ipſum, ſi nihil eẽt in eo niſi id, ut per eum uiueremus, tam natura putarem hominis uitam ſuſtẽtari, q̃ uitis, q̃ arboris. Hæc enim etiam dicimus uiuere. Itẽ ſi nihil haberet animus hominis, niſi ut appeteret aut fugeret, id quoq; eſſet ei cõmune cum beſtijs. Habet primum memoriam, & eam infinitam rerum innumerabilium. Quam quidem Plato recordationem eſſe uult uitæ ſuperioris. Nam in illo libro qui inſcribitur Memnõ, puſionem quendam Socrates interrogat quædam geometrica de dimenſione quadrati. Ad ea ſic ille reſpondet ut puer: & tamen ita faciles interrogationes ſunt, ut gradatim reſpõdens eò perueniat, quaſi geometrica didiciſſet. Ex quo effici uult Socrates, ut diſcere nihil aliud ſit, q̃ recordari. Quem locum multo etiam accuratius explicat in eo ſermone, quem habuit eo ipſo die, quo exceſſit è uita. Docet enim quemuis, qui omnium rerũ rudis eſſe uideatur, bene interroganti reſpondentem, declarare ſe nõ tum illa diſcere, ſed reminiſcendo recognoſcere: nec uero fieri ullo modo poſſe, ut à pueris tot rerum atq; tantarum inſitas, & quaſi cõſignatas in animis notiones, quas *ἐννοίας* uocant, haberemus, niſi animus anteq̃ in corpus intrauiſſet, in rerũ cognitione uiguiſſet. Quumq; nihil eẽt, ut omnibus locis à Platone diſſeritur: nihil enim ille putat eſſe, quod oriatur, & intereat, idq; ſolum eſſe, quod ſemper tale ſit, qualem ideam appellat ille, nos ſpeciem: nõ potuit animus hoc in corpore incluſus agnoſcere, cognita attulit. Ex quo tam multarum rerum cognitionis admiratio tollitur. Neq; ea planè uidet animus, quum repente in tã inſolitum tamq; perturbatum domicilium immigrauit, ſed quum ſe collegit atq; recreauit, tum agnoſcit illa reminiſcendo. Ita nihil aliud eſt diſcere niſi recordari. Ego autem maiore etiam quodam modo memoriã admiror. Quid eſt enim illud quo meminimus, aut quam habet uim aut unde naturam? Nõ quæro quanta memoria Simonides fuiſſe dicatur, quanta Theodectes, quanta is qui à Pyrrho legatus ad Senatum eſt miſſus Cyneas, quanta nuper Carneades, quanta qui modo fuit Sceptius Metrodorus, quanta noſter Hortenſius: de communi omnium memoria loquor, & eorum maxime qui in aliquo maiore ſtudio & arte uerſantur, quorũ quanta mens ſit, difficile eſt exiſtimare, ita multa meminerunt. Quorſum igitur hæc ſpectat oratio? quę ſit illa uis, & unde ſit, intelligendum puto. Non eſt certe nec cordis, nec ſanguinis, nec cerebri, nec atomorũ. Anima ſit animus, ignis'ue neſcio, nec me pudet ut iſtos

fateri neſcire quod neſciã. Illud ſi ulla alia de re obſcura affirmare poſſem, ſiue anima, ſiue ignis ſit animus, eum iurarem eẽ diuinum. Quid enim obſecro te, terrá'ne tibi, aut hoc nebuloſo & caliginoſo cœlo, aut ſata aut cõcreta uidetur tãta uis memoriæ? Si quid ſit hoc nõ uides, at quale ſit uides: ſi ne id quidẽ, at quãtum ſit, profecto uides. Quid igitur? utrum capacitatem aliquã in animo putamus eſſe quo tanquam in aliquod uas ea quæ meminimus, infundantur? Abſurdum id quidem: qui enim fundus, aut quæ talis animi figura intelligi poteſt? aut quæ tanta omnino capacitas? An imprimi quaſi ceram animum putamus, & memoriam eſſe ſignatarum rerum in mente ueſtigia? Quæ poſſunt uerborum, quæ rerum ipſarum eſſe ueſtigia? Quæ porró tam immenſa magnitudo, quæ illa tam multa poſſit effingere? Quid illa uis? quæ tandem eſt, quæ inueſtigat occulta, quæ inuentio atq; excogitatio dicitur? Ex hac'ne tibi terrena mortaliq́; natura & caduca concreta ea uidetur? aut qui primus, quod ſummæ ſapientiæ Pythagoræ uiſum eſt, omnibus rebus impoſuit nomina: aut qui diſſipatos homines congregauit, & ad ſocietatem uitæ conuocauit? Aut qui ſonos uocis, qui infiniti uidebantur, paucis literarum notis terminauit? Aut qui errantium ſtellarum motus, progreſſiones inſtitutionesq́; notauit? Omnes magni, etiam ſuperiores, qui fruges, qui ueſtitum, qui tecta, qui cultum uitæ, qui præſidia contra feras inuenerunt, á quibus manſuefacti & exculti, á neceſſarijs artificijs ad elegantiora defluximus. Nam & auribus oblectatio magna ex parte eſt inuenta, & temperata uarietate & natura ſonorum, & aſtra ſuſpeximus, tum ea quæ ſunt infixa certis locis, tum illa nõ re, ſed uocabulo errantia: quorum cõuerſiones, omnisq́; motus qui animus uidit, is docuit ſimilem animum ſuum eſſe eius, qui ei fabricatus in cœlo eſſet. Nam quum Archimedes lunæ, ſolis, quinq; errantium motus in ſpheram illigauit, effecit idem quod ille qui in Timæo mũdum ædificauit Platonis deus, ut tarditate & celeritate diſſimillimos motus una regeret cõuerſio. Quod ſi in hoc mundo fieri ſine deo non poteſt, ne in ſphæra quidẽ eoſdem motus Archimedes ſine diuino ingenio potuiſſet imitari. Mihi uero ne hæc notiora quidem & illuſtriora carere ui diuina uidẽtur, ut egó aut poetam graue plenumq́; carmen ſine cœleſti aliquo mentis inſtinctu putem fundere: aut eloquentiã ſine maiore quadam ui fluere abundantem ſonantibus uerbis, uberibusq́; ſententijs. Philoſophia uero omnium mater artium, quid eſt aliud, niſi, ut Plato ait, donum, ut ego, inuentum deorum? Hæc nos primum ad illorum cultum, deinde ad ius hominum, quod ſitum eſt in generis humani ſocietate, tum ad modeſtiam magnitudinemq́; animi erudiuit: eademq́; ab animo tanq̃ ab oculis caliginem diſpulit, ut omnia ſupera, infera, prima, ultima, media uideremus. Prorſus hæc diuina mihi uidetur uis, quæ tot res efficiat & tantas. Quid eſt enim memoria rerum & uerborum? quid porró inuentio? profecto id quo nec in deo quidquam maius intelligi poteſt. Nõ enim ambroſia deos, aut nectare, aut Iuuentate pocula miniſtrante lætari arbitror: nec Homerũ audio, qui Ganimedem á dijs raptum ait propter formam, ut Ioui pocula miniſtraret: non iuſta cauſa, cur Laomedonti tanta fieret iniuria. Fingebat hæc Homerus, & humana ad deos transferebat: diuina mallem ad nos. Quæ autem diuina? uigere, ſapere, inuenire, meminiſſe. Ergo animus, qui ut ego dico, diuinus eſt, ut Euripides audet dicere, deus. Et quidem ſi deus aut aĩa, aut ignis

eſt,idem eſt animus hominis.Nam ut illa natura cœleſtis et terra uacat & hu
more,ſic utriuſq; harum rerum humanus animus eſt expers.Sin aūt eſt quin
ta quædam natura ab Ariſtotele inducta,primum hæc & deorum eſt & ani
morum.Hanc nos ſententiā ſecuti,his ipſis uerbis in conſolatione hæc expreſ
» ſimus.Animorum nulla in terris origo inueniri poteſt.Nihil enim eſt in ani
» mis mixtum atq; concretum,aut quod ex terra natum atq; fictum eſſe uidea-
» tur,nihil ne aut humidum quidem,aut flabile,aut igneum.His enim in natu-
» ris nihil ineſt,quod uim memoriæ,mentis,cogitationis habeat,quod & prę-
» terita teneat,& futura prouideat,& complecti poſſit præſentia,quæ ſola diui
» na ſunt:nec inuenietur unq̄ unde ad hominem uenire poſſint niſi à deo.Sin-
» gularis eſt igitur quædam natura atq; uis animi ſeiūcta ab his uſitatis notiſq;
naturis.Ita quidquid eſt illud quod ſentit,quod ſapit,quod uult,quod uiget,
cœleſte & diuinum eſt:ob eamq; rem æternum ſit neceſſe eſt.Nec uero deus
ipſe qui intelligitur à nobis,alio modo intelligi poteſt,niſi mens ſoluta quæ-
dam & libera ſegregata ab omni concretione mortali,omnia ſentiens & mo
uens,ipſaq; prædita motu ſempiterno.Hoc ē genere,atq; eadem ē natura eſt
humana mens.Vbi igitur aut qualis ē iſta mens? ubi tua; aut qualis, potésne
dicere? An ſi omnia ad intelligendum nō habeo quæ habere uellē, ne his qui
dem quæ habeo mihi per te uti licebit? Non ualet tantum animus, ut ſeipſum
ipſe uideat:at ut oculus,ſic animus ſeſe nō uidens alia cernit.Nō uidet autem,
quod minimum eſt,formam ſuā fortaſſe,q̄q̄ id quoq;,ſed relinquamus, uim
certe,ſagacitatem,memoriam,motum,celeritatem uidet.Hæc magna,hęc di-
uina,hæc ſempiterna ſunt. Qua facie quidem ſit,aut ubi habitet,ne quæren-
dum quidem eſt:ut quum uidemus ſpeciem primum candoremq; cœli,dein-
de cōuerſionis celeritatem tātam,quantam cogitare nō poſſumus,tum uiciſ-
ſitudines dierum atq; noctium,cōmutationesq; temporū quadripartitas ad
maturitatem frugum,& ad tēperationem corporum aptas, eorumq; omniū
moderatorem & ducem ſolem,lunamq; accretione & diminutione luminis
quaſi faſtorum notantem & ſignificantem dies.Tum in eodem orbe in XII
partes diſtributo quinq; ſtellas ferri, eoſdem curſus conſtantiſſime ſeruātes
diſparibus inter ſe motibus,nocturnamq; cœli formam undiq; ſyderibus or
natam.Tum globum terræ eminētem ē mari,fixum in medio mundi uniuer-
ſi loco,duabus oris diſtantibus habitabilem & cultum,Quarum altera , quā
nos incolimus,ſub axe poſita ad ſtellas ſeptem,unde

Horrifer aquilonis ſtridor gelidas molitur niues :

Altera auſtralis ignota nobis,quam uocant Græci ἀντάξονα. Ceteras partes
incultas,q; aut frigore rigeant,aut urantur calore . Hic autem ubi habitamus
non intermittit ſuo tempore

Cœlum niteſcere,arbores frondeſcere
Vites lætificæ pampinis pubeſcere,
Ramos baccarum ubertate incurueſcere,
Segetes largiri fruges,florere omnia ,
Fontes ſcatere,herbis prata conueſtirier .

Tum multitudinem pecudum partim ad ueſcendum,partim ad cultus agro
rum,partim ad uehendum,partim ad corpora ueſtienda:hominemq; ipſum
quaſi contemplatorem cœli ac deorum,ipſorumq; cultorem,atque hominis
utilitati

utilitati agros omnes & maria parentia. Hęc igitur & alia īnumerabilia quū cernimus, poſſumus'ne dubitare quin his præſit aliquis cōditor uel effector, ſi hæc nata ſunt, ut Platoni uidetur: uel ſi ſemper fuerint, ut Ariſtoteli placet, moderator tanti operis & muneris? Sic mentem hominis quamuis eam non uideas, ut deum non uides, tamen ut deū agnoſcis ex operibus eius: ſic ex memoria rerum & inuentione & celeritate motus omniq; pulchritudine uirtutis, uim diuinam mentis agnoſcito. In quo igitur loco eſt? Credo equidem in capite: & cur credam afferre poſſum, ſed aliàs: nunc ubiubi ſit animus, certe quidem in te eſt. Quæ eſt ei natura? propria, puto & ſua. Sed fac igneam, fac ſpirabilem, nihil ad id de quo agimus: illud modo uideto, ut deum noris, & ſi eius ignores & locum & faciem, ſic animum tibi tuum notum eſſe oportere, etiam ſi ignores & locum & formam. In animi autem cognitione dubitare non poſſumus, niſi planè in phyſicis plumbei ſumus, quin nihil ſit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex: quod quū ita ſit, certe nec ſecerni, nec diuidi, nec diſcerpi, nec diſtrahi poteſt, nec interire igit̄. Eſt enim interitus quaſi diſceſſus & ſecretio ac direptus earum partium, quæ ante interitum iunctione aliqua tenebantur. His & talibus rationibus adductus Socrates, nec patronum quæſiuit ad iudicium capitis, nec iudicibus ſupplex fuit: adhibuitq; liberam contumaciam à magnitudine animi inductam, non à ſuperbia. Et ſupremo uitæ die de hoc ipſo multa diſſeruit, & paucis ante diebus quum facile poſſet educi è cuſtodia, noluit. Et quum penè in manu iam mortiferum illud teneret poculum, loquutus ita eſt, ut non ad mortem trudi, uerum in cœlum uideretur aſcendere. Ita enim cenſebat, itaq; diſſeruit, duas eſſe uias, duplicesq; curſus animorum è corpore excedentium. Nam qui ſe humanis uitijs contaminaſſent, & ſe totos libidinibus dedidiſſent, qbus cæcati uelut domeſticis uitijs atq; flagitijs ſe inquinauiſſent, uel in Rep. uiolāda fraudes inexpiabiles cōcepiſſent, ijs deuiū quoddam iter eſſe ſecluſum à concilio deorum. Qui autem ſe integros caſtosq; ſeruauiſſent, quibusq; fuiſſet minima cum corporibus contagio, ſeſeq; ab his ſemper ſeuocaſſent, eſſentq; in corporibus humanis uitam imitati deorū, his ad illos à quibus eſſent profecti, reditum facilem patere. Itaq; commemorat, ut cygni, qui non ſine cauſa Apollini dicati ſunt, ſed quod ab eo diuinationē habere uideantur, qua prouidentes quid in morte boni ſit, cum cantu & uoluptate moriantur, ſic omnibus & bonis & doctis eſſe faciendum. Nec uero de hoc quiſquam dubitare poſſet, niſi idem nobis accideret diligenter de animo cogitantibus, quod ijs ſæpe uſu uenit, qui quum acriter oculis deficiētem ſolem intuerentur, ut aſpectum omnino amitterent, ſic mētis acies ſeipſam intuens, nonnunquam hebeſcit. Ob eamq; cauſam contemplandi diligentiam » amittimus. Itaq; dubitans, circumſpectans, hæſitans, multa aduerſa reuertēs, tanquam ratis in mari immenſo noſtra uehitur oratio. Sed hæc & uetera, & à Græcis. Cato autem ſic abijt è uita, ut cauſam moriendi nactum ſe eſſe gauderet. Vetat enim dominans ille in nobis deus iniuſſu hinc nos ſuo demigrare. Quum uero cauſam iuſtam deus ipſe dederit, ut tunc Socrati, nunc Catoni, ſæpe multis, næ ille mediuſfidius uir ſapiens lætus ex his tenebris in lucem illam exceſſerit. nec tñ illa uincula carceris ruperit, leges enim uetant, ſed tāq̄ » à magiſtratu, aut ab aliqua poteſtate legitima, ſic à deo euocatus atq; emiſſus

enim ignorantis,quum de æternitate animorum dicatur,de mente dici, quæ omni turbido motu ſemper uacet,non de partibus his,in q̄bus ægritudines, iræ libidinesq́ uerſentur: quas is contra quem hęc dicantur,ſemotas à mente, & diſcluſas putat. Nam ſimilitudo magis apparet in beſtijs, quarum animi ſunt rationis expertes,hominum autem ſimilitudo in corporũ figura magis extat: & ipſi animi,magni refert quali ĩ corpore locati ſint. Multa enim è corpore exiſtunt,quæ acuant mentem,multa quæ obtundant. Ariſtoteles quidem ait,omnes ingenioſos melancholicos eſſe,ut ego me tardiorem eſſe non moleſte feram: enumerat multos,idq́ quaſi conſtet,rationem cur ita fiat, affert. Quòd ſi tanta uis eſt ad habitum mentis in his quæ gignuntur in corpore,ea ſunt autem quæcunq́ ſunt quæ ſimilitudinem faciant, nihil neceſſitatis affert cur naſcatur animi ſimilitudo. Omitto ſimilitudines: uellem adeſſe poſſet Panætius,uixit cum Aphricano: quærerem ex eo,cuius ſuorum ſimilis fuiſſet Aphricani fratris nepos,facie patris,uita,omnium perditorum ita ſimilis,ut eſſet facile teterrimus. Cuius etiam ſimilis P. Craſſi ſapientis & eloquẽtis,& primi hominis nepos,multorumq́ aliorum clarorum uirorum, quos nihil attinet nominare,nepotes et filij. Sed quid agimus? obliti'ne ſumus hoc nunc nobis eſſe propoſitum, quum ſatis de æternitate dixerimus,ne,ſi interirent quidem animi,quidq̃ mali eſſe in morte? A. Ego uero meminerã: ſed te de æternitate dicentem aberrare propoſito facile patiebar. M. Video te alta ſpectare,& uelle in cœlum migrare. A. Spero fore ut contingat id nobis: ſed fac,ut iſti uolunt,animos nõ remanere poſt mortem: uideo nos ſi ita ſit,priuari ſpe beatioris uitæ. M. Mali uero quid affert iſta ſententia? Fac enim animum ſic interire ut corpus: nũ igitur aliquis dolor aut omnino poſt mortem ſenſus in corpore eſt? Nemo id quidem dicit,& ſi Democritum inſimulat Epicurus,Democritici negant: ne in animo quidem igitur ſenſus remanet,ipſe enim nuſquam eſt. Vbi igitur malum eſt? quoniam nihil tertiũ. An quoniam ipſe animi diſceſſus à corpore non fit ſine dolore? Vt credã ita eſſe, q̃ eſt id exiguum: & falſum eſſe arbitror,& fit plerunq́ ſine ſenſu, nonnunq̃ etiam cum uoluptate. Totumq́ hoc leue eſt qualecunq́ eſt. Fit enim ad punctũ temporis. Illud angit,uel potius excruciat,diſceſſus ab omnibus his quæ ſunt bona in uita. Vide ne à malis dici uerius poſſit. Quid ego nunc lugeã uitam hominum? uere & iure poſſum. Sed quid neceſſe eſt quum id agam ne poſt mortem miſeros nos putemus fore,uitam etiam efficere deplorando miſeriorem? Fecimus hoc in eo libro,in quo noſmetipſos quantum potuimus, conſolati ſumus. À malis igitur mors abducit,non à bonis. Verum ſi quærimus,hoc quidem à Cyrenaico Hegeſia ſic copioſe diſputat̃,ut is à Rege Ptolemæo prohibitus eẽ dicatur illa in ſcholis dicere,quo multi his auditis mortem ſibiipſi conſciſcerent. Callimachi quidem epigramma in Ambraciotam Cleombrotum eſt,quem ait,quum nihil ei accidiſſet aduerſi,è muro ſe in mare abieciſſe lecto Platonis libro. Eius autem quem dixi Hegeſiæ liber eſt ἀποκαρτερῶν,quod à uita quidã per inediam diſcedẽs,reuocatur ab amicis,quibus reſpondens uitæ humanæ enumerat incõmoda. Poſſem id facere,& ſi minus q̃ ille,qui omnino uiuere expedire nemini putat. Mitto alios,etiam ne nobis expedit,qui & domeſticis & forenſibus ſolatijs ornamentisq́ priuati, certe ſi ante occidiſſemus,mors nos à malis non à bonis abſtraxiſſet. Sit igitur ali-

quis,qui nihil mali habeat,nullũ à fortuna uulnus acceperit. Metellus ille honoratus quatuor filijs,at quinquaginta Priamus,quibus decem & ſeptem iuſta uxore natis: in utroq; eandem habuit fortuna poteſtatem, ſed uſa in altero eſt. Metellum enim multi filij,filiæ,nepotes,neptes in rogũ impoſuerunt. Priamum tanta progenie orbatum quum in arã confugiſſet,hoſtilis manus interemit. Hic ſi uiuis filijs,incolumi regno occidiſſet,

» Aſtante ope barbarica,
» Tectis cælatis,laqueatis,

utrum tandem à bonis an à malis diſceſſiſſet? Tum profecto uideretur à bonis. At certe ei melius eueniſſet,nec tam flebiliter illa canerentur.

» Hæc omnia uidi inflammari,
» Priamo in uitam euitari,
» Iouis aram ſanguine turpari.

Quaſi uero iſta uel quidquam tum potuerit ei melius accidere: quod ſi ante occidiſſet,tamen euentum omnino amiſiſſet,hoc autem tempore ſenſum malorum amiſit. Pompeio noſtro familiari quum grauiter ægrotaret Neapoli, melius eſt factum. Coronati Neapolitani fuerũt,nimirum etiam Puteolani, uulgo ex oppidis publice gratulabantur: ineptum ſanè negocium & græculum,ſed tamen fortunatum. Vtrum igitur ſi tum eẽt extinctus,à bonis rebus, an à malis diſceſſiſſet? Certe à miſeris. Nõ enim cum ſocero bellum geſſiſſet, non imparatus arma ſumpſiſſet,non domum reliquiſſet,non ex Italia fugiſſet,non exercitu amiſſo nudus in ſeruorum ferrum & manus incidiſſet: non liberi defleti,nõ fortunæ oẽs à uictoribus poſſiderentur. Qui ſi mortẽ tũ obiſſet,in ampliſſimis fortunis occidiſſet. is propagatione uitę quot,quãtas,q̃ incredibiles hauſit calamitates? Hæc morte effugiuntur,etiam ſi nõ euenerint, tamen quia poſſunt euenire. Sed homines ea ſibi accidere poſſe non cogitãt. Metelli ſperat ſibi quiſq; fortunam,proinde quaſi aut plures fortunati ſint,q̃ infelices,aut certi quidq̃ ſit in rebus humanis,aut ſperare ſit prudẽtius q̃ timere. Sed hoc ipſum concedatur,bonis rebus homines morte priuari: ergo etiã carere mortuos uitæ commodis,idq; eſſe miſerum,certe ita dicãt neceſſe eſt. An poteſt is,qui non eſt,re ulla carere? Triſte enim eſt nomen ipſum carẽdi: quia ſubijcitur hæc uis,habuit,nõ habet,deſiderat,requirit,indiget. Opinor hæc incõmoda ſunt carentis: caret oculis,odioſa cæcitas,liberis,orbitas, ualet hoc in uiuis. Mortuorum autem non uitæ modo commodis ſed ne uita quidẽ ipſa quiſquam caret: de mortuis loquor qui nulli ſunt. Nos qui ſumus, nũ aut ſi cornibus caremus,aut pennis,ſit qui id dixerit? Certe nemo. Quid ita? quia quum id non habes,quod tibi nec uſu nec natura aptum ſit,non careas, etiam ſi ſentias te non habere. Hoc premendum,etiam atq; etiam eſt arguendũ,confirmato illo de quo ſi mortales animi ſunt,dubitare non poſſumus quin tantus interitus in morte ſit,ut ne minima id quidem ſuſpicio ſenſus relinquatur. Hoc igitur probe ſtabilito & fixo illud excutiendum eſt, ut ſciatur q̃d ſit carere,ne relinquatur aliquid erroris in uerbo. Carere igitur hoc ſignificat, egere eo quod habere uelis. Ineſt enim uelle in carendo, niſi quum ſic tãquam in febri,dicitur alia quadam notione uerbi. Dicitur enim alio modo etiam carere,quum aliquid non habeas,& non habere te ſentias,etiam ſi id facile patiare. Carere enim in morte non dicitur,nõ enim eſſet dolendum. Dicitur illud

bono

bono carere,quod eſt malū:ſed ne uiuus quidē bono caret,ſi eo non indiget, ſed in uiuo intelligi tamen non poteſt regno carere.Dici autem hoc in te ſatis ſubtiliter non poteſt,poſſet in Tarquinio quū regno eēt expulſus:at in mortuo ne intelligi quidē poteſt.Carere enim ſentientis eſt,nec ſenſus in mortuo eſt,ne carere quidem igitur in mortuo eſt.Quanquã quid opus eſt in hoc philoſophari,quum rem non magnopere egere philoſophia uideamus? Quoties non modo ductores noſtri,ſed uniuerſi etiam exercitus ad non dubiã mortem concurrerunt? Quæ quidem ſi timeretur,non L.Brutus arcens eū reditu tyrannum,quem ipſe expulerat,in prælio concidiſſet.Non cū Latinis decertans pater Decius,cum Hetruſcis filius,etiam cum Pyrrho nepos ſe hoſtium telis obieciſſent.Non uno bello pro patria cadentes Scipiones Hiſpania uidiſſet,Paulum & Geminum Cannę,Venuſia Marcellum,Latini Albinū, Lucani Gracchum.Num quis horum miſer hodie? ne tum quidem poſt ſpiritum extremum.Nec enim poteſt eſſe miſer quiſquam ſenſu perēpto. A.At id ipſum odioſum eſt,ſine ſenſu eē. M. Odioſum ſi id eſſet carere,Quū uero perſpicuū ſit,nihil poſſe in eo eſſe,qui ipſe non ſit,quid poteſt eſſe in eo odioſum, qui nec careat nec ſentiat? Quanq̃ hoc quidem nimis ſæpe,ſed eo quod in hoc ineſt omnis animi contractio ex metu mortis . Qui enim ſatis uiderit, id qđ eſt luce clarius,animo & corpore conſumpto,totoq; animante deleto, & facto interitu uniuerſo,illud animal quod fuerit factum eſſe nihil,is planè perſpiciet inter Hippocentaurum,qui nunquam fuerit, & Regem Agamemnonem,nihil intereſſe:nec pluris nunc facere.M.Camillum hoc ciuile bellum,q̃ illo uiuo ego fecerim Romam captam.Cur igitur et Camillus doleret, ſi hæc poſt trecentos & quinquaginta ferè annos euētura putaret? & ego doleam ſi ad decem millia annorum gentem aliquam urbem noſtram potiturã putem? Quia tanta charitas patriæ eſt,ut eam nō ſenſu noſtro,ſed ſalute ipſius metiamur.Itaq; nō deterret ſapientem mors,quæ propter incertos caſus cotidie imminet,& propter breuitatem uitæ nunq̃ longe poteſt abeſſe, quo minus in omne tempus reip.ſuisq; cōſulat,& poſteritatē ipſam,cuius ſenſum habiturus nō ſit,ad ſe putet pertinere.Quare licet etiã mortalem eē animum iudicantem,æterna moliri nō gloriæ cupiditate,quam ſenſurus nō ſit, ſed uirtutis,quam neceſſario gloria,etiam ſi tu id nō agas,cōſequatur. Natura uero ſe ſic habet,ut quomodo initium nobis rerum omnium ortus noſter afferat, ſic exitum mors:& ut nihil pertinuit ad nos ante ortum,ſic nihil poſt mortē pertinebit.In quo quid poteſt eſſe mali,quum mors nec ad uiuos pertineat nec ad mortuos? alteri nulli ſunt,alteros non attingit.Quam qui leuiorem faciunt,ſomni ſimillimam uolunt eſſe,quaſi uero quiſquam ita nonaginta ãnos uelit uiuere,ut quum ſexaginta confecerit,reliquos dormiat.Ne ſues quidem id uelint,non modo ipſe.Endymion uero, ſi fabulas audire uolumus, neſcio quando in Latmo obdormiuit,qui eſt mons Cariæ,nondum opinor eſt experrectus.Num igitur eum curare cenſes,quum luna laboret,à qua conſopitus putatur,ut eum dormientem oſcularetur? Quid curet autem qui ne ſentit quidem? Habes ſomnum imaginem mortis,eamq; cotidie induis,& dubitas quin ſenſus in morte nullus ſit,quum in eius ſimulacro uideas eſſe nullū ſenſum? Pellantur ergo iſtæ ineptiæ penè aniles,ante tempus mori miſerum eē. Quod tandem tempus? naturæ ne? at ea quidem dedit uſuram uitæ tãquam

pecuniæ,nulla præſtituta die. Quid eſt igitur quod querare ſi repetit quum uult? ea enim cōditione acceperas. Iidem ſi puer paruus occidit,æquo animo ferendum putant:ſi uero in cunis,ne querendum quidem: atqui ab hoc acerbius exegit natura quod dederat. Nondum guſtauerat,inquiunt,uitæ ſuauitatem. Hic autem iam ſperabat magna,quibus frui cœperat. At id quidē ipſum in ceteris rebus melius putatur,aliquam partem q̄ nullam attingere: cur » in uita ſecus? Quanquam non male ait Callimachus,multo ſæpius lacrimaſſe » Priamum q̄ Troilum. Eorum autem,qui exacta ætate moriuntur, fortuna laudatur. Cur? Nam (reor) nullis,ſi uita longior daretur, poſſet eſſe iucūdior,nihil eſt enim profecto homini prudētia dulcius,quam, ut cetera auferat, affert certe ſenectus. Quæ uero ętas longa eſt? aut quid omnino homini longum? nónne modo pueros,modo adoleſcentes in curſu à tergo inſequēs, nec opinantis aſſequuta eſt ſenectus? Sed quia ultra nihil habemus, hoc lōgum ducimus. Omnia iſta perinde ut cuiq; data ſunt pro rata parte à uita, lōga aut breuia dicuntur. Apud Hypanin fluuium,qui ab Europæ parte in Pontum influit,Ariſtoteles ait beſtiolas quaſdam naſci,quæ unum diē uiuant. Ex his igitur hora. VIII. quæ mortua eſt,prouecta ætate mortua eſt: quæ uero occidente ſole,decrepita,eo magis ſi etiam ſolſtitiali die. Confer noſtram longiſſimam ætatem cum æternitate,in eadem propemodum breuitate,qua illæ beſtiolæ reperiemur. Contemnamus igitur omnes ineptias, quod enim leuius huic leuitati nomen imponam? totamq; uim bene uiuēdi in animi robore ac magnitudine,ut in omnium rerum humanarum contemptione ac deſpicientia,& in omni uirtute ponamus. Nam nunc quidem cogitationibus moleſtiſſimis effœminamur,ut ſi ante mors aduenter,q̄ Chaldæorum promiſſa conſequuti ſumus,ſpoliati magnis quibuſdam bonis,illuſi deſtitutiq; uideamur. Quod ſi expectando & deſiderando pēdemus animis,cruciamur, angimur. Prò dij immortales q̄ illud iter iucundum eſſe debet,quo confecto,nulla reliqua cura,nulla ſolicitudo futura ſit? q̄ me delectat Theramenes,quamq; elato animo eſt? Et ſi enim flemus quum legimus,tamen nō miſerabiliter uir clarus emoritur,qui quum coniectus in carcerem,triginta iuſſu tyrannorum uenenum ut ſitiens obduxiſſet,reliquū ſic è poculo eiecit,ut id reſonaret. Quo ſonitu reddito arridens,Propino,inquit,hoc pulchro Critiæ, qui in eum fuerat teterrimus,Græci enim in conuiuijs ſolent nominare,cui poculum tradituri ſunt. Luſit uir egregius extremo ſpiritu,quum iam præcordijs conceptā mortem contineret. Vereq; ei qui uenenum præbuerat, mortem eſt eam auguratus,quæ breui conſequuta eſt. Quis hanc animi maximi æquitatē in ipſa morte laudaret,ſi mortem malum iudicaret? Vadit in eundem carcerē,atq; in eundem paucis poſt annis ſcyphum Socrates eodem ſcelere iudicum, quo » tyrannorum Theramenes. Quæ eſt igitur eius oratio, qua facit eum Plato » uſum apud iudices iam morte multatum? Magna me,inquit,ſpes tenet iudi- » ces,bene mihi euenire,quod mittar ad mortem. Neceſſe eſt enim ſit alterum » de duobus,ut aut ſenſus omnino mors omnes auferat,aut in alium quendam » locum ex his locis morte migretur. Quamobrē ſiue ſenſus extinguitur, morsq; » ei ſomno ſimilis eſt,qui nōnunq̄ etiā ſine uiſis ſomniorū placatiſſimam quietē » affert,dij boni quid lucri eſt emori? aut q̄ multi dies reperiri poſſint, qui tali » nocti anteponantur? Cui ſimilis futura eſt perpetuitas oīs conſequentis tpis,

quis

» quis me beatior? Sin uera ſunt quę dicuntur,migrationem eſſe mortem in eas
» oras,quas qui è uita exceſſerint,incolūt,id multo iam beatius eſt,te quum ab
» ijs qui ſe iudicum numero haberi uolunt,euaſeris,ad eos uenire,qui uere iudi-
» ces appellentur,Minoem,Rhadamanthum,Aeacum,Triptolemum: conue
» nireq; eos qui iuſte & cum fide uixerint.Hæc peregrinatio mediocris uobis
» uideri poteſt? ut uero colloqui cum Orpheo,Muſæo,Homero,Heſiodo lice
» at,quanti tandem æſtimatis? Equidem ſępe emori,ſi fieri poſſet,uellem,ut ea
» quæ dico mihi liceret inuenire. Quanta delectatione autem afficerer, quum
» Palamedem,quum Aiacem,quum alios iudicio iniquorum circumuētos cō-
» uenirem. Tentarem etiam ſummi Regis,qui maximas copias duxit ad Tro-
» iam,& Vlyſſis Siſyphiq; prudentiam.Nec ob eam rem,quum hæc exquire
» rem,ſicut hic faciebam,capite damnarer.Ne uos quidem iudices ij qui me ab
» ſoluiſtis mortem timueritis.Nec enim cuiq̄ bono mali quidq̄ euenire poteſt,
» nec uiuo,nec mortuo,nec unquam eius res à dijs immortalibus negligentur,
» nec mihi ipſi hoc accidit fortuito.Nec uero ego ijs à quibus accuſatus ſum,aut
» à quibus condemnatus,habeo quod ſuccenſeam,niſi quod mihi nocere ſe cre
» diderunt.Et hoc quidem hoc modo,nihil autem melius æſtimo.Sed tempus
» eſt,inquit,iam hinc abire me ut moriar, uos ut uitam agatis. Vtrum autem
» ſit melius,dij immortales ſciunt,hominem quidem ſcire arbitror neminem.
» Nę ego haud paulò hūc animum malim,q̄ eorum omnium fortunas, qui de hoc iudicauere.Et ſi quod præter deos negat ſcire quenquam,id ſcit ipſe utrū melius ſit,nam dixit ante,ſed ſuum illud,nihil ut affirmet,tenet ad extremū. Nos autem teneamus,ut nihil cēſeamus eſſe malum,quod ſit à natura datum omnibus,intelligamusq; ſi mors malum ſit, eſſe ſempiternum malum. Nam uitæ miſeræ mors finis eſſe uidetur,mors ſi eſt miſera,finis eſſe nullus poteſt. Sed quid ego Socratem aut Theramenem,præſtātis uiros uirtutis & ſapientiæ gloria commemoro? quum Lacedæmonius quidam,cuius ne nomen quidem proditum eſt,mortem tantopere contempſerit,ut quum ad eam duceretur damnatus ab Ephoris,& eſſet uultu hilari atq; læto,dixiſſetq; ei quidam inimicus,Contemnis'ne leges Lycurgi? reſpōderit,Ego uero illi maximam gratiam habeo,quod me ea pœna mulctauerit,quam ſine mutuatione & ſine uerſura poſſem diſſoluere.O uirum Sparta dignum,ut mihi quidem qui tam magno animo fuerit,innocens damnatus eſſe uideatur. Taleis innumerabileis nōſtra ciuitas tulit.Sed quid duces & principes nominem? quum legiones ſcribat Cato ſæpe alacreis in eū locū profectas,unde redituras ſe nō arbitrarētur.Pari aīo Lacedęmonij i Termopylis occiderūt. In quo Simonides
Dic hoſpes Spartæ,nos te hic uidiſſe iacentes,
Dum ſanctis patriæ legibus obſequimur.

Quid ille dux Leonidas dicit? Pergite animo forti Lacedæmonii, hodie apud inferos fortaſſe cœnabimus. Fuit hæc gens fortis,dum Lycurgi leges uigebant.E quibus unus,quum Perſes hoſtis in colloquio dixiſſet glorians, Solem præ iaculorum multitudine & ſagittarum nō uidebitis: In umbra igitur,inquit,pugnabimus.Viros commemoro.Qualis tandem Lacæna,quæ quum filium in pręliū miſiſſet,& interfectum audiſſet,Idcirco inquit,genueram,ut eſſet qui pro patria mortem non dubitaret occumbere.Eſto fortes & duri Spartiatę,magnā habet uim Reipub.diſciplina.Quid Cyrenæū Theo

dorum philoſophum nõ ignobilẽ,nónne miramur? cui quum Lyſimachus Rex crucem minaretur, Iſtis quæſo,inquit,iſta horribilia minitare purpuratis tuis: Theodori quidem nihil intereſt humine,an ſublime putreſcat. Cuius hoc dicto admoneor,ut aliquid etiam de humatione & ſepultura dicendum exiſtimem,rem non difficilem his preſertim cognitis,quæ de nihil ſentiendo paulo ante dicta ſunt: de qua Socrates quidem quid ſenſerit,apparet in eo libro,in quo moritur,de quo iam tam multa diximus. Quum enim de immortalitate animorum diſputauiſſet,& iam moriendi tempus urgeret, rogatus à Critone quemadmodum ſepeliri uellet: » Multam uero,inquit,operam amici » fruſtra cõſumpſi. Critoni enim noſtro nõ perſuaſi me hinc auolaturum,neq; » quidq̃ me relicturum, Verũtamen Crito,ſi me aſſequi potueris,aut ſicubi na» ctus eris,ut tibi uidebitur,ſepelito. Sed mihi crede nemo me ueſtrũ quũ hinc exceſſero,cõſequetur. Præclare id quidem,qui & amico permiſerit,& ſe oſtẽderit de hoc toto genere nihil laborare. Durior Diogenes,& id quidem ſentiens,ſed ut Cynicus aſperius,proiici ſe iuſſit inhumatum. Tum amici, Volucribú'sne & feris? Minime uero,inquit,ſed bacillum prope me quo abigã,ponitote. Qui poteris? illi,nõ enim ſenties. Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit nihil ſentiẽti? Præclare Anaxagoras,qui quum Lampſaci moreretur, quærentibus amicis,uellétne Clazomenas in patriam,ſi quid ei accidiſſet,afferri: Nihil neceſſe eſt,inquit,undiq; enim ad inferos tantũdem uiæ eſt. Totaq; de ratione humationis unum tenendum eſt,ad corpus illam pertinere,ſiue occiderit animus,ſiue uigeat. In corpore autẽ perſpicuũ eſt,uel extĩcto animo uel elapſo nullum reſidere ſenſum. Sed plena errorũ ſunt omnia. Trahit Hectorẽ ad currũ religatũ Achilles,lacerari eum & ſentire credo putat: ergo hic ulciſcitur,ut quidẽ ſibi uidetur. At illa ſicut acerbiſſimam rem mœret,

Vidi,uidere quod me paſſa ęgerrime,
Hectorem curru quadriiugo raptarier.

Quem Hectorem? aut quãdiu ille erit Hector? Melius Accius,& aliquãdo ſapiẽs Achilles. Imò enim uero corpus Priamo reddidi,Hectorẽ abſtuli.

Non igitur Hectora traxiſti,ſed corpus quod fuerat Hectoris. Ecce alius exoritur è terra,qui matrem dormire non ſinat,

Mater te appello,tu quæ curam ſomno ſuſpenſo leuas,
Neq; te mei miſeret,ſurge & ſepeli natum.

Hæc cum preſſis & flebilibus modis,qui totis theatris mœſtitiam inferant, concinuntur,difficile eſt non eos,qui inhumati ſunt,miſeros iudicare.

Priusq̃ feræ, Volucresq;.

Metuit ne laceratis mẽbris minus bene utatur,ne cõbuſtis nõ extimeſcit.

Heu reliquias ſemiaſſi Regis denudatis oſſibus,
Per terram ſanie delibutas fœde diuexarier.

Non intelligo quid metuat,quum tam bonos ſeptenarios fundat ad tibiã. Tenendum eſt igitur,nihil curandum eſſe poſt mortem,quum multi inimicos etiam mortuos puniuntur. Execratur luculentis ſanè uerſibus apud Ennium Thyeſtes: primum ut naufragio pereat. Atreus. Durũ hoc ſanè,talis enĩ interitus non eſt ſine graui ſenſu. Illa inania,

Ipſe ſummis ſaxis fixus aſperis
Euiſceratus latere pendens,ſaxa ſpargens tabo,

Sanie,& ſanguine atro.

Non ipſa ſaxa magis ſenſu omni uacabant, quàm ille latere pendens cui ſe hic cruciatum cenſet optare. q̃ eſſent dura ſi ſentiret? Nulla ſine ſenſu ſunt.

Illud uero per quam inane,

Neq; ſepulcrum quo recipiat,habeat portum corporis,
Vbi remiſſa humana uita corpus requieſcat à malis.

Vides quanto hæc in errore uerſentur. Portum eſſe corporis,& requieſcere in ſepulcro putat mortuum. Magna culpa Pelopis,qui non erudierit filiũ, nec docuerit,quatenus eſſet quidq; curandum. Sed quid ſingulorum opiniones animaduertam,nationum uarios errores perſpicere quum liceat? Condiunt Aegyptii mortuos,& eos domi ſeruant. Perſæ etiam cera circunlitos cõdiunt,ut q̃ maxime permaneant diuturna corpora, Magorum mos eſt nõ humare corpora ſuorum,niſi à feris ſint antea laniata. In Hyrcania plebs publicos alit canes,optimates domeſticos. Nobile autẽ genus canum illud ſcimus eſſe,ſed pro ſua quiſq; facultate parat, à quibus lanietur,eamq; optimam illi eſſe cenſent ſepulturam. Permulta alia colligit Chryſippus,ut eſt in omni hiſtoria curioſus: ſed ita tetra ſunt quædã,ut ea fugiat & reformidet oratio. Totus igitur hic locus eſt contemnendus in nobis,non negligendus in noſtris, ita tamen ut mortuorum corpora nihil ſentire ſentiamus. Quantũ autem cõſuetudini famæq; dãdum ſit,id curent uiui: ſed ita ut intelligant nihil ad mortuos pertinere, Sed profecto mors tum æquiſſimo animo oppetitur, quum ſuis ſe laudibus uita occidẽs conſolari poteſt. Nemo parum diu uixit, qui uirtutis perfectæ perfecto functus eſt munere. Multa mihi ipſi ad mortem tempeſtiua fuerunt,quæ utinam potuiſſem obire. Nihil enim iam acquirebatur: cumulata erant officia uitæ cum fortuna bella reſtabãt. Quare ſi ipſa ratio minus perficiet,ut mortem negligere poſſimus, at uita acta perficiat, ut ſatis ſuperq; uixiſſe uideamur. Quanq̃ enim ſenſus abierit,tamen ſummis & propriis bonis laudis & gloriæ,quamuis non ſentiant mortui, non carent. Et ſi enim nihil in ſe habeat gloria cur expetatur, tamen uirtutem tanq̃ umbra ſequitur. Verum multitudinis iudicium de bonis (ſi quando eſt) magis laudãdum eſt,quàm illi ob eam rem beati. Non poſſum autem dicere quoquomodo hoc accipietur, Lycurgum, Solonẽ,legũ & publicæ diſciplinæ carere gloria, Temiſtoclem, Epaminondam,bellicæ uirtutis. Ante enim Salaminam ipſam Neptunus obruet,quàm Salaminii trophei memoriam: priusq; Bœotia Leuctra tollẽtur, q̃ pugnæ Leuctricæ gloria. Multo autem tardius fama deſeret Curium, Fabricium, Calatinum, duos Scipiones, duos Aphricanos, Maximum, Marcellum, Paulum, Catonem, Lælium innumerabiles alios. Quorum ſimilitudinem aliquam qui arripuerit,non eam fama populari,ſed uera bonorum laude metiens,fidenti animo (ſi ita res fert) gradietur ad mortem,in qua aut ſummum bonum,aut nullum malum eſſe cognouimus. Secundis uero ſuis rebus uolet etiam mori. Non enim tam cumulus bonorum iucũdus eſſe poteſt,q̃ moleſta deceſſio. Hanc ſentẽtiam ſignificare uidetur Laconis illa uox,qui quum Rhodius Diagoras olympionices nobilis uno die duos ſuos filios uictores Olympiæ uidiſſet,acceſſit ad ſenem,& gratulatus, Morere Diagora,inquit: non enim in cœlum aſcenſurus es. Magna hæc & nimium fortaſſe Græci putant,uel tum potius putabant. Isq; qui hæc Diagoræ

dixit permagnum exiſtimans treis Olympionicas una è domo prodire, cunctari illum diutius in uita fortunæ obiectum inutile putabat ipſi. Ego autem tibi quidem quod ſatis eſſet paucis uerbis, ut mihi uidebar, reſponderam. Conceſſeras enim nullo in malo mortuos eſſe, ſed ob eam cauſam contendi, ut plura dicerem, quod in deſiderio & luctu hæc eſt conſolatio maxima. Noſtrum enim, & noſtra cauſa ſuſceptum dolorem modice ferre debemus, ne & noſmetipſos amare uideamur. Illa ſuſpitio intolerabili dolore cruciat, ſi opinamur eos quibus orbati ſumus, eſſe cum aliquo ſenſu in his malis, quibus uulgo opinantur. Hanc excutere opinionem mihimet uolui radicitus, eoq́ fui fortaſſe longior. A. Tu longior? non mihi quidē, prior enim pars orationis tuæ faciebat ut mori cuperem, poſterior ut modo non nollem, modo nō laborarem. Omni autem ratione illud certe perfectum eſt, ut mortem non ducerem in malis. M. Num igitur etiam rhetorum epilogum deſideramus? an iam hanc artem planè relinquimus? A. Tu uero iſtam ne reliqueris, quam ſemper ornaſti, & quidem iure. Illa enim te, uerum ſi loqui uolumus, ornauerat. ſed quinam eſt iſte epilogus? aueo enim audire quidqd eſt.

M. Deorum immortalium iudicia ſolent in ſcholis proferre de morte, nec uero ea fingere ipſi, ſed Herodoto authore, aliisq́ pluribus. Primum Argiæ ſacerdotis Cleobis & Biton filii prædicantur. Nota fabula eſt. Quum enim illam ad ſolenne & ſtatutum ſacrificium curru uehi ius eſſet, ſatis longe ab oppido ad fanum, morarenturq́ iumenta, tunc iuuenes ii, quos modo nominaui, ueſte poſita corpora oleo perunxerunt, ad iugum acceſſerunt. Ita ſacerdos aduecta in fanum, quum currus eſſet ductus à filiis, precata à dea dicitur, ut illis præmiū daret pro pietate, quod maximum homini dari poſſit à deo, Poſt epulatos cum matre adoleſcentes ſomno ſe dediſſe, mane inuentos eſſe mortuos. Simili precatione Trophonius & Agamedes uſi dicuntur, qui quum Apollini Delphis templum exædificauiſſent, uenerātes deum petierūt mercedē non paruam quidē operis & laboris ſui, nihil certi, ſed quod eſſet optimum homini. Quibus Apollo ſe id daturum oſtēdit poſt eius diei diem tertium: qui ut illuxit, mortui ſunt reperti. Iudicauiſſe deum dicunt, & eum quidē deum, cui reliqui dii conceſſiſſent, ut præter ceteros diuinaret, mortē eſſe optimum homini. Adfertur etiam de Sileno ſabella quædā, qui quum à Mida captus eſſet, hoc ei muneris pro ſua miſſione dediſſe ſcribitur: Docuiſſe Regem non naſci homini longe optimum eſſe, proximum autē, q̄ primum mori. Qua eſt ſententia in Creſphonte uſus Euripides,

Nam nos decebat cœtus celebrantis domum
Lugere ubi eſſet aliquis in lucem editus,
Humanæ uitæ uaria reputantis mala,
At qui labores morte finiſſet grauis,
Hunc omnes amicos laude & lætitia exequi.

Simile quiddam eſt in conſolatione Crantoris. Ait enim Terinęum quēdam Eliſium, quum grauiter filii mortem mœreret, ueniſſe in Pſycomantium quærentem quæ fuiſſet tantæ calamitatis cauſa: huic in tabellis tris huiuſmodi uerſiculos datos,

Ignaris homines in uita mentibus errant.
Euthynous potitur fatorum numine læto,

Sic

Sic fuit utilius finiri ipſiq; tibiq;.

His & talibus authoribus uſi,confirmant cauſam,rebus à diis immortalibus iudicatam. Alcidamus quidã rhetor antiquus in primis nobilis, ſcripſit etiam laudationem mortis,quæ conſtat ex enumeratione malorum humanorum,cui rationes hæ,quæ exquiſitius à philoſophis colligunt,defuerũt, ubertas orationis nõ defuit. Claræ uero mortes pro patria oppetitæ,non ſolũ glorioſæ rhetoribus,ſed etiam beatæ uideri ſolent. Repetunt ab Erichtheo,cuius etiam filiæ cupide mortẽ expetiuerũt pro uita ciuium: Codrum,qui ſe in medios immiſit hoſtes famulari ueſte,ne poſſet agnoſci ſi eſſet ornatu regio,quod oraculum erat datum,ſi Rex interfectus eſſet,uictrices Athenas fore. Menecheus uero non prætermittitur,qui oraculo edito largitus eſt patriæ ſuũ ſanguinem. Iphigenia Aulide duci ſe immolandam iubet.ut hoſtium ſanguis eliciatur ſuo, Veniunt inde ad propiora. Harmodius in ore & Ariſtogiton, Lacedæmonius Leonidas, Thebanus Epaminondas uigent. Noſtros non norunt,quos enumerare magnum eſt,ita ſunt multi,quibus uidemus optabiles mortes fuiſſe cum gloria. Quæ quum ita ſint,magna tamẽ eloquentia eſt utẽdum,atq; ita uelut ſuperiore è loco concionandum, ut homines mortem uel optare incipiant,uel certe timere deſiſtant. Nam ſi ſupremus ille dies non extinctionem,ſed commutationem affert loci,quid optabilius? ſin autem perimit ac delet omnino,quid melius,q̃ in mediis uitæ laboribus obdormiſcere, & ita conniuentem ſomno conſopiri ſempiterno? Quod ſi fiat, melior Ennii,q̃ Solonis oratio. Hic enim noſter.

Nemo me lacrymis decoret,inquit,nec funera fletu. Faxit. At uero ſapiens ille.

Mors mea ne careat lacrymis,linquamus amicis
Mœrorem,ut celebrent funera cum gemitu.

Nos uero ſi quid tale acciderit,ut à deo denunciatum uideatur ut exeamus è uita, læti, & agentes gratias pareamus,emittiq; nos è cuſtodia, & leuari uinculis arbitremur,ut aut in æternam,& planè in noſtram domum remigremus,aut omni ſenſu moleſtiaq; careamus, Sin autem nihil denunciabitur, eo tamen ſimus animo,ut horribilem illum diem aliis, nobis fauſtum putemus: nihilq; in malis ducamus,quod ſit uel à diis immortalibus,uel à natura parẽte omnium conſtitutum. Non enim temere nec fortuito ſati & creati ſumus, ſed profecto fuit quædam uis,quæ generi conſuleret humano,nec id gigneret aut aleret,quod quum exantlauiſſet omnes labores,tum incideret in mortis malum ſempiternũ. Portum potius paratum nobis & profugium putemus, quò utinam uelis paſſis peruehi liceat. Si enim reflantibus uentis reiiciemur, tamen eodem paulò tardius referamur neceſſe eſt, Quod autem omnibus neceſſe eſt,id ne miſernm eſſe uni poteſt? habes epilogum, ne quid prætermiſſum aut relictum putes. A. Ego uero, & quidem fecit etiam iſte me epilogus firmiorem. M. Optime inquam. Sed nunc quidem ualetudini tribuamus aliquid, Cras autem,& quot dies erimus in Tuſculano,agamus hæc: & ea potiſſimum,quæ leuationem habeant ægritudinum,formidinũ,cupiditatum, qui omni è philoſophia eſt fructus uberrimus.

M. TVLLII CICERONIS TVSCVLANARVM QVAESTIONVM AD M. BRVTVM LIBER SECVNDVS.

DE TOLERANDO DOLORE.

NEOPTOLEMVS quidē apud Ennium philoſophari ſibi ait neceſſe eſſe, ſed paucis. Nā oīno haud placere. Ego autem Brute neceſſe mihi quidem eſſe arbitror philoſophari. Nā quid poſſum preſertim nihil agens, agere melius? Sed nō paucis ut ille. Difficile eſt enim in philoſophia pauca eſſe ei nota, cui non ſint aut pleraq; aut omnia. Nam nec pauca niſi è multis eligi poſſunt, nec qui pauca perceperit, nō idem reliqua eodem ſtudio perſequetur. Sed tamē in uita occupata, atq; ut Neoptolemi tum erat, militari, pauca ipſa multū ſæpe proſunt, & ferunt fructus, ſed nō tantos, quanti ex uniuerſa philoſophia percipi poſſunt, tamen eos, quibus aliqua ex parte interdum aut cupiditate, aut ægritudine, aut metu liberentur: uelut ex ea diſputatione, quæ mihi nuper habita eſt in Tuſculano, magna uidebatur mortis effecta contemptio, quæ non minimum ualet ad animum metu liberandum. Nam qui id quod uitari non poteſt, metuit, is uiuere animo quietō nullo modo poteſt. Sed qui non modo quia neceſſe eſt mori, uerumetiam quia nihil habet mors quod ſit horrendum, mortem non timet, magnum is ſibi præſidium ad beatam uitam comparat. Quāquam nō ſumus ignari multos ſtudioſe contra eſſe dicturos quod uitare nullo modo potuimus, niſi nihil omnino ſcriberemus. Etenim ſi orationes quas nos multitudinis iudicio probari uolebamus: popularis eſt enim illa facultas, & effectus eloquentiæ eſt audientium approbatio. Sed ſi reperiebantur nonnulli, qui nihil laudarent niſi quod ſe imitari poſſe confiderent, quemq́ ſperandi ſibi, eundem & benedicendi finem proponerent, & quum obruerentur copia ſententiarum atq; uerborum, ieiunitatem & famem ſe malle quàm ubertatē & copiam dicerēt; unde erat exortum genus atticorum, his ipſis qui id ſequi ſe profitebantur; ignotum qui iam conticuere, penè ab ipſo foro irriſi, quid futurum putamus, quum adiutore populo, quo utebamur antea, nunc minime nos uti poſſe uideamus? Eſt enim philoſophia paucis contenta iudicibus, multitudinem conſulto ipſa fugiens, eiq́ ipſi & ſuſpecta & inuiſa: ut uel ſi quis uniuerſam uelit uituperare, ſecundo id populo facere poſſit, uel ſi in eam, quam nos maxime ſequimur, conetur inuadere, magna habere poſſit auxilia reliquorum philoſophorum diſciplinis. Nos autem uniuerſæ philoſophiæ uituperatoribus reſpondimus in Hortenſio. Pro academia autem quæ dicenda erant, ſatis accurate in Academicis quatuor libris explicata arbitramur, Sed tamen tantum abeſt, ut ſcribi contra nos nolimus, ut id etiam maxime optemus, In ipſa enim Græcia philoſophia tāto in honore nunquam fuiſſet,

niſi

niſi doctiſſimorũ contẽtionibus diſſenſionibusq́ꝫ uiguiſſet. Quãobrem hortor omnes qui facere id poſſunt,ut huius quoqꝫ generis laudem iam languẽti Græciæ eripiãt,& perferant in hãc urbem,ſicut reliquas omnes,quæ quidẽ erãt expetendæ,ſtudio atqꝫ induſtria ſua maiores noſtri tranſtulerunt. Atqꝫ oratorũ quidẽ laus ita ducta ab humili uenit ad ſummũ,ut iam,quod natura fert in omnibus fere rebus,ſeneſcat,breuiq́ꝫ tẽpore ad nihilum uentura uideatur.Philoſophia naſcatur latinis quidẽ literis ex his tẽporibus,eamq́ꝫ nos adiuuemus,nosq́ꝫ ipſos redargui refelliq́ꝫ patiamur, quod hi ferunt animo iniquo,qui certis quibuſdã deſtinatisq́ꝫ ſentẽtiis quaſi addicti & conſecrati ſũt,eaq́ꝫ neceſſitate conſtricti,ut etiã quæ non probare ſoleant,ea cogantur conſtãtiæ cauſa defendere.Nos qui ſequimur probabilia,nec ultra,q̃ id quod ueriſimile occurrerit,progredi poſſumus,& refellere ſine pertinacia,& refelli ſine iracũdia parati ſumus.Quod ſi hęc ſtudia traducta erunt ad noſtros,ne bibliothecis quidem Græcis egebimus,in quibus multitudo infinita librorum eſt,propter eorũ multitudinem qui ſcripſerunt. Eadẽ enim dicuntur à multis ex quo libris omnia referſerunt.Quod accidet etiam noſtris,ſi ad hæc ſtudia plures cõfluxerint.Sed eos ſi poſſumus excitemus,qui liberaliter eruditi, adhibita etiam diſſerẽdi elegantia,ratione & uia philoſophantur. Eſt enim quoddam genus eorum,qui ſe philoſophos appellari uolunt, quorũ dicũtur eſſe latini ſané multi libri,quos nõ contẽno quidem,quippe quos nunq̃ legerim:ſed quia profitẽtur ipſi illi qui eos ſcribũt,ſe neqꝫ diſtincte,neqꝫ diſtribute,neqꝫ eleganter,neqꝫ ornate ſcribere,lectionem ſine ulla delectatione negligo.Quid enim dicant,& quid ſentiant hi qui ſunt ab ea diſciplina,nemo mediocriter quidẽ doctus ignorat.Quamobrẽ quoniam quẽadmodum dicant ipſi non laborant,cur legendi ſint,niſi ipſi inter ſe,qui idem ſentiunt,non intelligo.Nam ut Platonem reliquosq́ꝫ Socraticos,& deinceps eos qui ab his profecti ſunt legũt,omnes etiam qui illa aut non approbant aut non ſtudioſiſſime conſectantur,Epicurum autem & Metrodorum non ferè præter ſuos quiſq̃ in manu ſumit,ſic hos Latinos hi ſoli legũt,qui illa recte dici putãt. Nobis autem uidetur quidquid literis mãdetur,id cõmendari omniũ eruditorum lectione decere.Nec ſi id ipſi minus cõſequi poſſumus,idcirco minus id ita faciendũ eſſe ſentimus.Itaqꝫ mihi ſemper Peripateticorũ Academiæq́ꝫ cõſuetudo de omnibus rebus in cõtrarias partes diſſerẽdi nõ ob eam cauſam ſolum placuit,quod aliter nõ poſſet quid in quaqꝫ re ueriſimile eſſet inueniri,ſed etiã quod eſſet ea maxima dicẽdi exercitatio,qua princeps uſus eſt Ariſtoteles,deinde eum qui ſequuti ſunt:noſtra autẽ memoria Philo,quem nos frequẽter audiuimus.Inſtituit alio tempore rhetorum præcepta tradere,alio philoſophorum.Ad quam nos conſuetudinem à familiaribus noſtris adducti,in Tuſculano,quod datum eſt temporis nobis,in eo cõſumpſimus. Itaqꝫ quum ante meridiem dictioni operã dediſſemus,ſicut pridie feceramus,poſt meridiem in Academiam deſcẽdimus.In qua diſputationem habitã nõ quaſi narrantes exponimus,ſed eiſdẽ ferè uerbis,ut actum diſputatumq́ꝫ eſt.Eſt igitur ambulantibus ad hunc modum ſermo ille nobis inſtitutus,& à tali quodam inductus exordio. A. Dici nõ poteſt,q̃ ſim heſterna diſputatione tua delectatus,uel potius adiutus.& ſi enim mihi cõſcius ſum,nunq̃ me nimis cupidum fuiſſe uitæ,tamẽ obiiciebatur interdum animo metus quidã,& dolor

cogitanti, fore aliquando finem huius lucis, & amiſſionem omnium uitæ cõmodorum. Hoc genere moleſtiæ ſic (mihi crede) ſum liberatus, ut nihil minus curandum putem. M. Minime mirum id quidem. Nam efficit hoc philoſophia, medetur animis, inanes ſolicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores. Sed hæc eius uis non idem poteſt apud oẽs, tum ualet multũ, quum eſt idoneam cõplexa naturã. Fortes enim non modo fortuna adiuuat, ut eſt in uetere prouerbio, ſed multo magis ratio, quæ quibuſdã quaſi p̃ceptis confirmat uim fortitudinis. Te natura excelſum quẽdam uidelicet, & altũ, & humana deſpicientẽ genuit. Itaq; facile in animo forti contra mortem habita inſedit oratio. Sed hæc eadẽ num cenſes apud eos ipſos ualere, niſi admodũ paucos, à quibus inuẽta, diſputata, cõſcripta ſunt? Quotus enim quiſq; philoſophorum inuenitur, qui ſit ita moratus, ita animo ac uita conſtitutus, ut ratio poſtulat, qui diſciplinã ſuam non oſtẽtationem ſcientiæ, ſed legem uitę putet, quiq; obtẽperet ipſe ſibi, & decretis ſuis pareat? Videre licet alios tanta leuitate & iactatione, his ut fuerit nõ didiciſſe melius: alios pecuniæ cupidos, gloriæ nõnullos, multos libidinum ſeruos, ut cũ eorum uita mirabiliter pugnet oratio. Quod quidẽ mihi uidetur eſſe turpiſſimum. Vt enĩ ſi grãmaticum ſe profeſſus quiſpiam barbare loquatur: aut ſi abſurde canat is, qui ſe haberi uelit muſicũ, hoc turpior ſit, quod in eo ipſo peccet, cuius profitetur ſciẽtiam: ſic philoſophus in ratiõe uitæ peccans, hoc turpior eſt, quod in officio, cuius magiſter eſſe uult, labitur, artemq; uitæ profeſſus delinquit in uita. A. Nóne uerendũ igitur, ſi eſt ita ut dicis, ne philoſophiam falſa gloria exornes? Quod eſt enĩ maius argumẽtũ nihil eã prodeſſe, q̃ quoſdã perfectos philoſophos turpiter uiuere? M. Nullũ uero id quidẽ argumẽtũ eſt. Nam ut agri non oẽs frugiferi ſunt qui coluntur, falſumq; illud ac improbe,

Et ſi in ſegetem ſunt deteriorem datæ
Fruges, tamen ipſæ ſuapte natura enitent.

Sic animi non omnes culti fructũ ferunt. Atq; ut in eodem ſimili uerſer, ut ager q̃uis fertilis ſine cultura fructuoſus eſſe nõ poteſt, ſic ſine doctrina animus. Ita eſt utraq; res ſine altera debilis. Cultura autẽ animi philoſophia eſt, quæ extrahit uitia radicitus, & p̃parat animos ad ſatus accipiendos: eaq; mãdat his, & (ut ita dicã) ſerit, quæ adulta fructus uberrimos ferant. Agamus igitur ut cœpimus. Dic ſi uis, de quo diſputari uelis. A. Dolorem exiſtimo maximum malorum omnium. M. Etiámne maius quàm dedecus? A. Non audeo id dicere quidem & me pudet tam cito de ſententia eſſe deiectum. M. Magis eſſet pudendum ſi in ſententia permaneres. Quid enim minus eſt dignũ, quàm tibi peius quidquam uideri dedecore, flagitio, turpitudine: quæ ut effugias, quis eſt non modo non recuſandus, ſed ultro appetẽdus, ſubeundus, excipiendus dolor? A. Ita prorſus exiſtimo. Quare ne ſit ſané ſummum malum dolor, malum certe eſt. M. Vidéſne igitur quantũ breuiter admonitus de doloris terrore deieceris? A. Video plané ſed plus deſidero. M. Experiar equidẽ, ſed magna res eſt, animoq; mihi opus eſt non repugnante. A. Habebis id quidem. ut enim heri feci, ſic nunc rationem, quo ea me cunq; ducet, ſequar. M. Primum igitur de imbecillitate multorum, & de uarijs diſciplinis philoſophorum loquar: quorũ princeps & authoritate & antiquitate Socraticus Ariſtippus non dubitauit dolorem

ſummum malum dicere.Dehinc ad hanc eneruatam muliebremq́ ſentētiam ſatis docilem ſe Epicurus præbuit.Hunc poſt,Rhodius Hieronymus dolore uacare ſummum bonum dixit,tantum in dolore duxit mali. Ceteri præter Zenonem, Ariſtonem, Pyrrhonem, idem ferè, A.Quomodo tu? M.Malum illud quidem,ſed alia peiora.Ergo id quod natura ipſa & quædam generoſa uirtus ſtatim reſpuit,ne dolorem ſummum malū diceres, oppoſitoq́ dedecore ſententia depellerere,in eo magiſtra uitæ philoſophia tot ſecula ꝑmanet? Quod huic officium,quæ laus,quod decus erit tanti, quod adipiſci cum dolore corporis uelit,qui dolorem ſummum malū ſibi eſſe perſuaſerit? Quā porrò quis ignominiam, quam turpitudinem nō pertulerit,ut effugiat dolorem,ſi id ſummum malum eſſe decreuerit? Quis autem non miſer non modo tunc quum premetur ſummis doloribus,ſi in his eſt ſummū malum, ſed etiā quū ſciet id ſibi poſſe euenire? & quis eſt,cui non poſſit? Ita fit, ut omnino nemo poſſit eſſe beatus. Metrodorus quidem eum perfecte putat beatum, cui corpus bene conſtitutum ſit,& exploratum ita ſemper fore. Quis autem eſt iſte cui id exploratum poſſit eē? Epicurus uero ea dicit,ut mihi quidem riſus captare uideatur. Affirmat enim quodam loco,ſi uratur ſapiens, ſi crucietur, expectas fortaſſe dum dicat,patietur,perferet,nō ſuccumbet.Magna mehercule laus,& eo ipſo per quem iuraui,Hercule digna,ſed Epicuro homini aſpero & duro nō eſt hoc ſatis.In Phalaridis tauro ſi erit,dicet q̄ ſuaue eſt hoc, q̄ hoc nō curo. Suaue etiam? an parū eſt,ſi nō amarum? Ad id quidem illi ipſi, qui dolorem malū eſſe negant,non ſolent dicere cuiq̄ ſuaue eſſe cruciari: aſperum,difficile, odioſum,contra naturam dicunt,nec tamen malum. Hic qui ſolum hoc malum dicit,& malorum omnium extremū,ſapiētem cenſet id ſuaue dicturum.Ego à te non poſtulo ut dolorem eiſdem uerbis afficias, quibus Epicurus uoluptatem,homo,ut ſcis,uoluptarius. Ille dixerit ſanè idē in Phalaridis tauro,quod ſi eſſet in lectulo.Ego tantam uim nō tribuo ſapientiæ cōtra dolorem, ſi forte in perferendo,officio ſatis eſt,ut lætetur etiam non poſtulo.Triſtis enim res eſt ſine dubio, aſpera,amara,inimica naturæ, ad patiendum tolerandumq́ difficilis. Aſpice Philoctetam, cui concedēdum eſt gementi.Ipſum enim Herculem uiderat in Oeta, magnitudine dolorum eiulantē.Nihil igitur hunc uirū ſagittæ quas ab Hercule acceperat, tum cōſolabant.

Quum è uiperino morſu uenæ uiſcerum
Veneno imbutæ tetros cruciatus cierent.

Itaq́ exclamat auxilium expetens,mori cupiens,

Heu quis ſalſis fluctibus mandet
Me ex ſublimi uertice ſaxi.
Iamiam abſumor,conficit animam
Vis uulneris,ulceris æſtus.

Difficile dictu uidetur,eum non in malo eſſe,& magno quidem,qui ita clamare cogatur.Sed uideamus Herculem ipſum,qui tum dolore frangebatur, quum immortalitatem ipſa morte quærebat, quas hic uoces apud Sophoclē in Trachinijs edit? Cui quum Deianira ſanguine Centauri tinctam tunicam induiſſet,inhæſiſſetq́ ea uiſceribus,ait ille,

O multa dictu grauia,perpeſſu aſpera,
Quæ corpore exanclato atq́ animo pertuli.

Nec mihi Iunonis terror implacabilis,
Nec tantum inuexit triſtis Euryſteus mali,
Quantum una uecors Oenei partu edita.
Hæc me irretiuit ueſte furiali inſcium,
Quæ lateri inhærens morſu lacerat uiſcera,
Vrgensq́ grauiter pulmonum haurit ſpiritus.
Iam decolorem ſanguinem omnem exorbuit,
Sic corpus clade horribili abſumptum extabuit.
Ipſe illigatus peſte interimor textili.
Hos non hoſtilis dextra, non terra edita
Moles gigantum, non biformato impetu
Centaurus ictus corpori infixit meo:
Non graia uis, non barbara ulla immanitas,
Non ſæua terris gens relegata ultimis,
Quas peragrans undiq́ omnem hinc feritatem expuli,
Sed fœminea ui, fœminea interimor manu,
O nate uere hoc nomen uſurpa patri
Ne me occidentem matris ſuperet charitas.
Huc arripe ad me manibus abſtractam pijs.
Iam cernam méne an illam potiorem putes.
Perge, aude nate, illacrima patris peſtibus,
Miſerere, gentes noſtras flebunt miſerias.
Heu uirginalem me ore ploratum edere,
Quem uidit nemo ulli ingemiſcentem malo,
Sic fœminata uirtus afflicta occidit.
Accede nate, aſſiſte, miſerandum aſpice
Euiſceratum corpus lacerati patris.
Videte cuncti, tuq́ cœleſtum ſator
Iace obſecro in me uim coruſcam fulminis.
Nunc nunc dolorum anxiferi torquent uertices,
Nunc ſerpit ardor. O' ante uictrices manus,
O' pectora, ó terga, ó lacertorum tori.
Veſtróne preſſu quondam Nemæus leo
Frendens efflauit grauiter extremum halitum?
Hæc dextra Lernam tetram mactata excetra
Placauit: hæc bicorporem afflixit manum:
Herymanthiam hæc uaſtificam abiecit beluam:
Hæc é tartarea tenebrica abſtractum plaga
Tricipitem eduxit hydra generatum canem:
Hæc interemit tortu multiplicabili
Draconem auriferam obtutu aſſeruantem arborem.
Multa alia uictrix noſtra luſtrauit manus,
Nec quiſquam é noſtris ſpolia cepit laudibus.

Poſſumus'ne nos contemnere dolorem, quum ipſum Herculem tam intole ranter dolere uideamus? Veniat Aeſchylus non poeta ſolum, ſed etiam Pythagoreus: ſic enim accepimus. Quo modo fert apud eũ Prometheus dolorẽ quem

quem excipit ob furtum Lemnium, Vnde ignis lucet mortalibus, clam diuiſus: eum Prometheus doctus clepſiſſe dolo, pœnasq; Ioui fato expendiſſe ſupremo. Has igitur pœnas pendens affixus ad Caucaſum dicit hæc.

Titanum ſoboles ſocia noſtri ſanguinis.
Generata cœlo aſpicite religatum aſperis
Vinctumq; ſaxis, nauem ut horriſono freto
Noctem pauentes timidi adnectunt nauitæ.
Saturnius me ſic infixit Iupiter,
Iouisq; numen Mulcibri adſciuit manus.
Hos ille cuneos fabrica crudeli inſerens
Perrupit artus, qua miſer ſolertia
Traſuerberatus caſtrum hoc furiarum incolo.
Iam tertio me quoq; funeſto die
Triſti aduolatu aduncis lacerans unguibus
Iouis ſatelles paſtu dilaniat fero.
Tum iecore opimo farta, & ſatiata affatim
Clangorem fundit uaſtum, & ſublime aduolans
Pinnata cauda noſtrum adulat ſanguinem.
Quum uero adeſum inflatu renouatum eſt iecur,
Tum rurſus tetros auida ſe ad paſtus refert.
Sic hunc cuſtodem mœſti cruciatus alo,
Qui me perenni uiuum fœdat miſeria.
Nanq; ut uidetis, uinclis conſtrictus Iouis,
Arcere nequeo diram uolucrem à pectore,
Sic me ipſe uiduus peſtes excipio anxias,
Amore mortis terminum anquirẽs mali,
Sed longe à leto numine aſpellor Iouis.
Atq; hæc uetuſta ſeclis glomerata horridis
Luctifica clades noſtro infixa eſt corpori,
Ex quo liquatæ ſolis ardore excidunt
Guttæ, quæ ſaxa aſſidue inſtillant Caucaſi.

Vix igitur poſſe uidemur ita affectum non miſerum dicere. A. Et ſi hũc miſerũ, certe dolorem malũ. M. Tu quidem adhuc meã cauſam agis, ſed hoc mox uidero. A. Interea unde iſti uerſus: nõ enim agnoſco. M. Dicam hercule. Etenim recte requiris. Vidés ne abũdare me ocio: A. Quid tum: Fuiſti ſæpe credo, quum Athenis eſſes, in ſcholis philoſophorum. A. Vero ac libẽter. M. Animaduertebas igitur, & ſi tum nemo erat admodũ copioſus, uerũ tamẽ uerſus ab his admiſceri orationi, ac multos quidẽ à Dionyſio Stoico. A. Probe dicis. M. Sed is quaſi dictata nullo delectu, nulla elegantia: Philo & propriũ numerũ, & electa poemata, & loco adiũgebat. Itaq; poſtq̃ adamaui hãc quaſi ſenilẽ declamationẽ, ſtudioſe equidẽ utor noſtris poetis, ſed ſicubi illi defecerunt. Verti enim multa de Græcis, ne quo ornamento in hoc genere diſputatiõis careret latina oratio. Sed uidésne poetę quid mali afferãt: Lamẽtãtes inducũt fortiſſimos uiros. Molliunt aĩos noſtros: ita ſunt deinde dulces ut nõ legãtur modo, ſed etiã ediſcantur. Sic ad malã domeſticã diſciplinã uitamq; umbratilẽ & delicatã quũ acceſſerũt etiã poetæ, neruos oĩs uirtutis eli

dunt. Recte igitur à Platone ducuntur ex ea ciuitate, quam finxit ille, quũ mores optimos, & optimum reip. ſtatũ exquireret. At uero nos docti ſcilicet à Græcia, hęc & à pueritia legimus & diſcimus. Hanc eruditionem liberalem & doctrinam putamus. Sed quid poetis iraſcimur? uirtutis magiſtri philoſophi inuenti ſunt, qui ſummum malum dolorem dicerent. At tu adoleſcens, quum id tibi pauloante dixiſſes uideri, rogatus à me etiam ne maius q̃ dedecus, uerbo de ſententia deſtitiſti. Rogo hoc idem Epicurum, maius dicet eſſe malum mediocrem dolorem q̃ maximũ dedecus. In ipſo enim dedecore mali nihil eſſe, niſi ſequantur dolores. Quis igitur Epicurum ſequitur dolor? quũ hoc ipſum dicit, ſummum malum eſſe dolorem, quo dedecus maius à philoſopho nullum expecto. Quare ſatis mihi dediſti quum reſpondiſti, maius tibi uideri malum dedecus, q̃ dolorem. Hoc ipſum enim ſi tenebis, intelliges q̃ ſit obſiſtendum dolori. Nec tam quærendum eſt, dolor malú mne ſit, quam firmandus animus ad dolorem ferendum. Concludunt ratiunculis Stoici, cur non ſit malum, quaſi de uerbo non de re laboretur. Quid me decipis Zeno? Nam quum id quod mihi horribile uidetur, tu omnino malum eſſe negas, capior, & ſcire cupio quo modo id quod ego miſerrimum exiſtimem, ne malũ quidem ſit. Nihil eſt, inquit, malũ, niſi quod turpe atq; uitioſum eſt. A. Ad ineptias redis: illud enim quod me angebat non eximis. Scio dolorem non eſſe nequitiam, deſine id me docere, hoc doce, doleam, necne doleam, nihil intereſſe. M. Nunq̃ quidq̃, inquit, ad beate quidẽ uiuendũ, quod eſt in una uirtute poſitũ, ſed eſt tamen reiiciendum. Cur? aſperũ eſt, contra naturã, difficile perpeſſu, triſte, durũ. Hæc eſt copia uerborũ, quod oẽs uno uerbo malum appellamus, id tot modis poſſe dicere. Definis tu mihi, non tollis dolorẽ, quum dicis aſperum, contra naturã, uix quod ferri tolerariq; poſſit, nec mẽtiris. Sed re ſuccũbere nõ oportebat uerbis gloriantẽ, dum nihil bonũ, niſi quod honeſtum, nihil malũ niſi quod turpe. Optare hoc quidem eſt, nõ docere. Illud & melius, & uerius, omnia quæ natura aſpernatur in malis eſſe: quæ aſciſcat, in bonis. Hoc poſito & uerborũ concertatione ſublata, tãtum tamen excellet illud, quod recte amplexãtur iſti: quod honeſtũ, quod rectũ, quod decorũ appellamus: quod idẽ interdũ uirtutis nomine amplectimur, ut omnia p̃terea, quæ bona corporis & fortunæ putantur, perexigua & minuta uideãtur: nec malũ quidem ullum, nec ſi in unũ locum collata omnia ſunt, cum turpitudinis malo comparãda. Quare ſi ut initio conceſſiſti, turpitudo peius eſt q̃ dolor, nihil eſt planè dolor. Nam dum tibi turpe, nec uiro dignum uidebitur gemere, eiulare, lamentari, frangi, debilitari dolere: tum honeſtas, tum dignitas, tũ decus aderit, tuq; in ea intueberis, te continebis, cedet profecto uirtuti dolor, & animi inductione langueſcet. Aut enim nulla uirtus eſt, aut contemnẽdus omnis dolor. Prudentiam ne uis eſſe, ſine qua ne intelligi quidem ulla uirtus poteſt? Quid ergo ea, patietur ne te quidq̃ facere nihil proficientem & laborantẽ? an temperantia ſinet te immoderate facere quidq̃? an coli iuſtitia poterit ab homine propter uim doloris enunciãte cõmiſſa, prodẽte conſcios, multa officia relinquente? Quid fortitudini comitibusq; eius, magnitudini animi, grauitati, patientiæ, rerũ humanarum deſpicientiæ, quo modo reſpondebis? Afflictus ne & iacens & lamentabili uoce deplorans audies, O uirũ fortẽ. Te uero ita affectũ ne uerũ quidẽ dixerit quiſq̃. Amittenda igitur fortitudo eſt,

do eſt,aut ſepeliendus dolor. Ecquid? Scis igitur,ſi quid de Corinthiis tuis amiſeris, poſſe habere te reliquam ſupellectilem ſaluam: uirtutem autem ſi unam amiſeris,& ſi amitti non poteſt uirtus,ſed ſi unã confeſſus fueris te non habere,nullam te eſſe habiturum? Num igitur fortem uirum,num magno animo,num patientem,num grauem,num humana contemnentem potes dicere aut Philoctetam illum? A te enim malo diſcere. Sed ille certe non fortis, qui iacet in lecto humido,qui

Eiulatu,queſtu,gemitu,fremitibus
Reſonando multum flebiles uoces refert.

Non ego dolorem, dolorem eſſe nego. Cur enim fortitudo deſideraretur? ſed eum opprimi dico patientia,ſi modo eſt aliqua patientia: ſi nulla eſt,quid exornamus philoſophiam? aut quid eius nomine glorioſi ſumus? Pungit dolor,uel fodiat ſane. ſi nudus es,da iugulum: ſin tectus Vulcaniis armis, ideſt fortitudine,reſiſte. Hæc enim te,niſi ita facies,cuſtos dignitatis relinquet & deſeret. Cretum quidem leges,quas ſiue Iupppiter,ſiue Minos ſanxit de Iouis quidem ſententia,ut poetæ ferunt: itemq; Lycurgi,laboribus erudiunt iuuentutẽ uenãdo,currẽdo,eſuriẽdo,ſitiẽdo,algendo,ęſtuãdo. Spartę uero pueri ad arã ſic uerberibus accipiuntur,ut multus è uiſceribus ſanguis exeat,non nunquam etiam,ut quum ibi eſſem audiebam,ad necem: quorum non modo nemo exclamauit unq̃, ſed ne ingemuit quidem. Quid ergo? hoc pueri poſſunt,uiri non poterũt? & mos ualet,ratio non ualebit? Intereſt aliquid inter laborem & dolorem: ſunt finitima omnino,ſed tamen differt aliquid. Labor eſt functio quædam uel animi uel corporis grauioris operis & muneris. Dolor autem motus aſper in corpore à ſenſibus alienus, Hæc duo Græci illi,quorum copioſior eſt lingua q̃ noſtra,uno nomine appellãt. Itaq; induſtrios homines illi ſtudioſos,uel potius amantes doloris appellant, nos commodius laborioſos. Aliud eſt enim laborare,aliud dolere. O uerborũ inops interdũ, quibus abundare te ſemper putas,Græcia. Aliud,inquam eſt dolere,aliud laborare. Quum uarices ſecabantur C. Mario,dolebat: quũ ęſtu magno agmẽ ducebat,laborabat. Eſt inter hęc tamen quædam ſimilitudo. Conſuetudo enĩ laborum perpeſſionem dolorum efficiet faciliorem. Itaq; illi qui Græciæ formam rerum publicarum dederunt, corpora iuuenum firmari labore uoluerunt. Quod ſpartiatæ etiam in fœminas tranſtulerunt, quæ ceteris in urbibus molliſſimo cultu parietum umbris occulũtur: Illi autem uoluerunt nihil horum ſimile eſſe apud Lacænas uirgines, quibus magis palęſtra. Eurotas, ſol,puluis,labor,militia in ſtudio eſt,q̃ fertilitas barbara. Ergo his laborioſis exercitationibus & dolor intercurrit. Nõnunq̃ impellũtur: ferũtur,abiiciuntur,cadũt. Et ipſe labor quaſi callum quoddã obducit dolori. Militiam uero noſtram dico nõ ſpartiatarum,quorum procedit ad modum,ad tibiã,nec adhibetur ulla ſine anapæſtis pedibus hortatio. Noſtri exercitus primũ unde nomen habeant uides. Deinde qui labor,quantus agminis: ferre plus dimidiati mẽſis cibaria: ferre ſi quid ad uſum uelint,ferre uallum: nam ſcutum, gladium,galeã in onere noſtri milites non plus numerant,q̃ humeros lacertos manus. Arma enim membra militis eſſe dicunt. Quæ quidem ita gerunt apte,ut ſi uſus foret,abiectis oneribus,expeditis armis,ut membris pugnare poſſint. Quid exercitatio legionum? quid ille curſus,concurſus,clamor, quã-

ti laboris eſt? ex hoc ille animus ĩ prœliis paratus ad uulnera. Adduc pari animo inexercitatum militem, mulier uidebitur. Cur? tantum intereſt inter nouum & ueterẽ exercitũ, quãtũ experti ſumus. Aetas tyronum plerũq; melior, ſed ferre laborem, contemnere uulnus, conſuetudo docet. Quinetiam uidemus ex acie efferri ſæpe ſaucios, & quidẽ rudem illum & inexercitatum quãuis leui ictu ploratus turpiſſimos edere. At uero ille exercitatus & uetus, ob eamq; rem fortior, medicum modo requirens à quo obligetur,

O Patrocles, inquit, ad uos aduenïens auxilium, & ueſtras manus peto,
Priuſq̃ oppeto malam peſtem mandatam hoſtili manu:
Neq; ſanguis ullo potis eſt pacto profluens conſiſtere,
Si qua ſapientia magis ueſtra deuitari mors poteſt.
Nam Aeſclapii liberorum ſaucii opplent porticus,
Non poteſt accedi.

Certe Euripylus hic quidem eſt. hominem exercitatum: ubi tãtum luctus continuatus? Vide q̃ non flebiliter reſpondeat, rationem etiam afferat, cur æquo animo ſibi ferendum ſit.

Qui alteri exitium parat,
Eum ſcire oportet ſibi paratam peſtem ut participet parem.

Abducet Patrocles credo, ut collocet in cubili, ut uulnus obliget, ſiquidẽ homo eſſet, ſed nihil uidi minus. Quærit enim quid actum ſit.

Eloquere, res Argiuum prælio ut ſe ſuſtinet.

Non poteſt ecfari tantum dictis, quantum factis ſuppetit laboris.

Quieſce igitur, & uulnus alliga: etiã ſi Euripylus poſſet, nõ poſſet Aeſopus,

Vbi fortuna Hectoris noſtram aciem inclinatam.

Et cætera explicat in dolore. Sic eſt enim intemperans militaris in forti uiro gloria. Ergo hæc ueteranus miles facere poterit, doctus uir, ſapiens, facere non poterit? Ille uero melius, ac non paulo quidem, ſed de conſuetudine adhuc exercitationis loquor, nondum de ratione & ſapientia. Aniculæ ſæpe inediam biduum aut triduum ferunt. Subduc cibum unum diem athletæ, Iouem Olympium, eum ipſum cui ſe exercebit, implorabit, ferre non poſſe clamabit. Conſuetudinis magna uis eſt. Pernoctant uenatores in niue, in mõtibus uri ſe patiũtur. Inde pugiles cæſtibus cõtuſi ne ingemiſcunt qdẽ. Sed quid hos, quibus olympiorum uictoria Conſulatus ille antiquus uidetur? Gladiatores aut perditi homines aut barbari quas plagas perferunt? Quomodo illi qui bene inſtituti ſunt, accipere plagam malunt, quàm turpiter uitare? Quam ſæpe apparet nihil eos malle, quàm uel domino ſatiſfacere, uel populo? Mittunt etiam uulneribus confecti ad dominos qui quærant quid uelint, ſi ſatiſfactum iis ſit, ſe uelle decumbere. Quis mediocris gladiator ingemuit? quis uultum mutauit unquam? Quis non modo ſtetit, uerumetiam decubuit turpiter? Quis quum decubuiſſet, ferrum recipere iuſſus, collum contraxit? Tantum exercitatio, meditatio, conſuetudo ualet. Ergo hoc poterit.

Samnis ſpurcus homo, uita illa dignus locoq;.

Vir natus ad gloriam, ullam partem animi tam mollem habebit, quã non meditatione & ratione corroboret? Crudele gladiatorum ſpectaculũ, & inhumanum nonnullis uideri ſolet, & haud ſcio an ita ſit, ut nunc ſit. Quũ uero

ſontes

ſontes ferro depugnabant,auribus fortaſſe multæ,oculis quidem nulla poterat eſſe fortior contra dolorem & mortẽ diſciplina.De exercitatione & conſuetudine & cõmentatione dixi,Ageſis,nũc de ratione uideamus, niſi quid uis ad hęc. A. Ego ne ut te interpellem: ne hoc quidem uellem, ita me ad credendum tua ducit oratio. M. Sit ne igitur malum dolere nec ne,Stoici uiderint,qui contortulis quibuſdam & minutis concluſiunculis, nec ad ſenſus permanantibus, effici uolunt non eſſe malum dolorem. Ego illud quicquid ſit, tantum eſſe, quantum uideatur non puto, falſaq́ eius uiſione & ſpecie moueri homines dico uehementius, doloremq́ eius omnem eſſe tolerabilem. Vnde igitur ordiar: an eadem breuiter attingam quæ modo dixi, quo facilius oratio progredi poſſit longius: inter omnes igitur hoc conſtat,nec doctos homines ſolũ,ſed etiam indoctos,uirorum eſſe fortium & magnanimorum, & patientium, & humana uincentium, toleranter dolorem pati.Nec uero quiſquam fuit,qui eum qui ita pateretur, non laudandum putaret.Quod ergo & poſtulatur à fortibus,& laudatur quum fit, id aut extimeſcere ueniens,aut non ferre pręſens,nõne turpe eſt: Atqui uide,ne quum omnes recte animi affectiones uirtutes appellentur,nõ ſit hoc proprium nomen omnium,ſed ab ea quæ una cęteris excellebat omnes nominatæ ſunt:appellata eſt enim ex uiro uirtus. Viri autem propria maxime eſt fortitudo, cuius munera duo maxima ſunt,mortis dolorisq́ cõtemptio. Vtendum eſt igitur his,ſi uirtutis cõpotes,uel potius ſi uiri uolumus eſſe,quoniam à uiris uirtus nomen eſt mutuata.Quæres fortaſſe quomodo,& recte:talem enim medicinã philoſophia profitetur. Venit Epicurus homo minime malus,uel potius uir optimus,tantum monet,quãtum intelligit.Neglige,inquit,dolorem. Quis hoc dicit: idem qui dolorem ſummum malum,uix ſatis conſtanter. Audiamus:ſi ſummus dolor eſt, inquit,neceſſe eſt breuẽ eſſe. A. Iterandũ eadem iſta mihi,non enim ſatis intelligo quid ſummum dicas eſſe, quid breue.

M. Summum,quo nihil ſit ſuperius:breue, quo nihil breuius. Contemno magnitudinem doloris, à qua me breuitas temporis uindicabit ante penè q̃ uenerit.Sed ſi eſt tantus dolor,quantus Philoctetæ, bene plane magnus mihi quidem uidetur,ſed tamen non ſummus.Nihil enim dolet niſi pes.Poſſũt oculi,poteſt caput,latera,pulmones,poſſunt omnia.Longe igitur abeſt à ſũmo dolore.Ergo,inquit,dolor diuturnus habet lętitiæ plus q̃ moleſtiæ.Nũc ego non poſſum tantum hominem nihil ſapere dicere.Sed nos ab eo derideri puto.Ego ſummum dolorem,ſummum autem dico,etiam ſi decem atomis eſt maior alius,non continuo dico eſſe breuem: multosq́ poſſum bonos uiros nominare,qui complures annos doloribus podagræ cruciẽtur maximis. Sed homo cautus nunq̃ terminat nec magnitudinis nec diuturnitatis modũ, ut ſciam quid ſummum dicat in dolore,quid breue ĩ tempore.Omittamus igitur hunc nihil prorſus dicentem,cogamusq́ confiteri non eſſe ab eo doloris remedia quærenda,qui dolorem malorum omnium maximum dixerit,quãuis idem forticulum ſe in torminibus,& in ſtranguria ſua præbeat. Aliunde igitur eſt quærenda medicina:& maxime quidem ſi quid maxime conſentaneum ſit quærimus, ab iis quibus quod honeſtum ſit ſummũ bonum, quod turpe ſummum uidetur malum.His tu præſentibus gemere,& iactare te non audebis profecto.Loquetur enim eorum uoce uirtus ipſa tecum. Tu ne quũ

pueros Lacedæmone,adoleſcentes Olympiæ,barbaros in arena uideris excipientes grauiſſimas plagas,& ferentes ſilẽtio,ſi te forte dolor aliquis peruellerit,exclamabis ut mulier? nõ conſtanter & ſedate feres? Fieri non poteſt: natura non patitur. Audio:pueri ferunt gloria ducti,ferunt pudore alii, multi metu,& tamen ueremur, ut hoc quod à tam multis,& quod tot locis perferatur,natura patiatur? Illa uero non modo patitur, uerumetiam poſtulat. Nihil enim præſtantius habet,nihil quod magis expetat, q̃ honeſtatem, q̃ laudem,q̃ dignitatem,q̃ decus. Hiſce ego pluribus nominibus unã rem declarari uolo,ſed utar,ut q̃ maxime ſignificem,pluribus. Volo autem dicere illud homini longe optimum eſſe,quod ipſum ſit optandum per ſe à uirtute profectum,uel in ipſa uirtute ſitũ ſua ſponte laudabile:quod quidem citius dixerim ſolum,q̃ non ſummum bonum. Atq; ut hoc de honeſto,ſic de turpi contraria. Nihil tam tetrum,nihil tam aſpernandum,nihil homine indignius. Quod ſi tibi perſuaſum eſt,principio enim dixiſti plus in dedecore mali tibi uideri,q̃ in dolore,reliquũ eſt,ut tute tibi imperes. Quãq̃ hoc neſcio quo mõdicatur,quaſi duo ſimus,ut alter imperet, alter pareat:non inſcite tamẽ dicitur. Eſt enim animus in partis tributus duas,quarum altera rationis eſt particeps,altera expers. Quum igitur præcipitur ut nobiſmetipſis imperemus, hoc præcipitur,ut ratio coerceat temeritatem. Eſt in animis omnium fere natura molle quiddam,demiſſum,humile,eneruatum quodammodo & languidũ,ſenile. Si nihil aliud,nihil eſſet homine deformius. Sed præſto eſt domina omnium & regina ratio:quæ connexa per ſe,& progreſſa longius,fit perfecta uirtus:hęc ut imperet illi parti animi quæ obedire debet,id uidendum eſt uiro. Quonã modo? inquies:uelut dominus ſeruo,uelut Imperator militi,uelut parens filio. Si turpiſſime ſe illa pars animi geret,quã dixi eſſe mollẽ, ſi ſe lamentis muliebriter lacrimiſq; dedet uinciatur & conſtringatur amicorũ propinquorũq; cuſtodiis. Sępe enim uidemus fractos pudore,qui ratione nulla uincerentur. Ergo hos quidẽ ut famulos uinclis propè ac cuſtodia arceamus. Qui autẽ erũt firmiores,nec tamẽ robuſtiſſimi,hos admonitu ſimili oportebit ut bonos milites reuocatos dignitatẽ tueri. Non nimis in Niptris ille ſapientiſſimus Græciæ ſaucius lamentatur,uel modice potius.

Pedetentim,inquit,ite,& ſedato niſu,ne ſuccuſſu arripiat maior dolor.

Pacuuius hæc melius q̃ Sophocles:apud illum enim per q̃ flebiliter Vlyſſes lamentatur in uulnere,tamẽ huic leuiter gementi,illi ipſi qui ferunt ſaucium,perſonæ grauitatem intuentes non dubitarunt dicere,

Tu quoq; Vlyſſes,q̃q̃ grauiter cernimus ictum,
Nimis penè animo es molli,qui conſuetus in armis æuum agere.

Intelligit poeta prudens ferẽdi doloris conſuetudinem eſſe non contemnendam magiſtram.

Atq; ille non immoderate in magno dolore,
Retinete,tenete,opprimite,
Vlcus nudate:heu miſerum me,excrucior.
Incipit labi,deinde illico deſinit.
Operite,abſcedite,iamiam mittite.
Nam attrectatu & quaſſu ſæuum amplificatis dolorem.

Vidés ne ut obmutuerit non ſedatus corporis,ſed caſtigatus animi dolor?

Itaq;

Itaq; in extremis Niptris alios quoq; obiurgat,idq; moriens
Conqueri fortunam aduerſam non lamentari decet.
Id uiri eſt officium,fletus muliebri ingenio additus.

Huius animi pars illa mollior rationi ſic paruit,ut ſeuero Imperatori miles prudens. In quo uiro erit perfecta ſapientia,quem adhuc nos quidem uidemus neminem,ſed philoſophorum ſententiis qualis futurus ſit,ſi modo aliquando fuerit,exponitur. Is igitur ſi ea ratio quæ erit in eo perfecta atq; abſoluta,ſic illi parti ĩperabit inferiori,ut iuſtus parens probis filiis,nutu quod uolet conficiet,nullo labore,nulla moleſtia: eriget ipſe ſe,ſuſcitabitur, inſtruet,armabit,ut tanq̃ hoſti ſic obſiſtat dolori. Quæ ſunt iſta arma? cõtentio,cõfirmatio,ſermoq; intimus,quum ipſe ſecum caue turpe quidq̃,lãguidum, nõ uirile, obuerſentur ſpecies honeſtæ animo. Zeno proponatur Eleates, qui perpeſſus eſt omnia potius q̃ conſcios delendæ tyrãnidis indicaret. De Anaxarcho Democritio cogitetur,qui quum Cypri in manus Nicocreontis Regis incidiſſet,nullum genus ſupplicii deprecatus eſt, neq; recuſauit. Calanus Indus indoctus ac barbarus in radicibus Caucaſi natus,ſua uoluntate uiuus combuſtus eſt. Nos ſi pes condoluit,ſi dens,ſed fac totum dolere corpus, ferre non poſſumus. Opinio eſt enim quædam effœminata ac leuis,nec in dolore magis q̃ eadem in uoluptate, qua quum liqueſcimus, fluimusq; mollitia, apis aculeum ſine clamore ferre nõ poſſumus. At uero C.Marius ruſticanus uir,ſed plane uir,quum ſecaretur,ut ſupra dixi,principio uetuit ſe alligari, nec quiſquam ante Mariũ ſolutus dicitur eſſe ſectus. Cur ergo poſtea alii? ualuit authoritas. Vides ne igitur eſſe opinionis non naturæ malum? & tamẽ fuiſſe acrem morſum doloris idem Marius oſtendit. Crus enim alterum non præbuit. Ita & tulit dolorem ut uir,& ut homo maiorem ferre ſine cauſa neceſſaria noluit. Totum igitur in eo eſt,ut tibi imperes. Oſtendi autem quod eſſet imperandi genus. Atq; hæc cogitatio,quid patientia, quid fortitudine,quid magnitudine animi digniſſimum ſit,non ſolum animum comprimit,ſed ipſũ etiam dolorẽ neſcio quo pacto mitiorem facit. Vt enim ſit in prælio,ut ignauus miles ac timidus ſimul ac uiderit hoſtem,abiecto ſcuto fugiat quantũ poſſit,ob eamq; cauſam pereat nonnunq̃ etiam integro corpore,quum ei qui ſteterit, nihil tale euenerit: ſic qui doloris ſpeciem ferre nõ poſſunt abiiciunt ſe, atq; ita afflicti & exanimati iacẽt. Qui autem reſtiterint,diſcedunt ſæpiſſime ſuperiores. Sunt enim quędam animi ſimilitudines cum corpore: ut onera cõtentis corporibus facilius feruntur,remiſſis opprimunt: ſimillime animus intentione ſua depellit preſſum omnem ponderum,remiſſione autem ſic urgetur,ut ſe nequeat extollere. Et ſi uerum quærimus, in omnibus officiis perſequendis,animi eſt adhibenda contentio. Ea eſt ſola officii tãquam cuſtodia. Sed hoc quidem in dolore maxime eſt prouidendũ,ne quid abiecte,ne quid timide,ne quid ignaue,ne quid ſeruiliter muliebriterue faciamus: ĩ primiſq; refutetur ac reiiciatur Philocteteus ille clamor. Ingemiſcere nõnunquã uiro conceſſum eſt, idq; raro,eiulatus ne mulieri quidem. Et hic nimirum eſt fletus,quem xii tabulæ in funeribus adhiberi uetuerunt. Nec uero unquam ne ingemiſcit quidem uir fortis ac ſapiẽs,niſi forte ut ſe intendat ad firmitatem, ut in ſtadio curſores exclamant q̃ maxime poſſunt. Faciunt idem quum exercentur athletæ: pugiles uero etiam quum feriunt aduerſarium in iactandis ce

ſtibus ingemiſcunt, non quod doleant, animóue ſuccumbāt, ſed quia profun denda uoce omne corpus intenditur, uenitq́ plaga uehementior. Quid? qui uolūt exclamare maius, num ſatis habent latera, fauces, linguā intēdere, é quibus elici uocem & fundi uidemus? toto corpore atq́ omnibus ungulis (ut dicitur) contentioni uocis aſſeruiunt. Genu mehercule M. Antoniū uidi quū contente ipſe pro ſe lege Varia diceret, terram tāgere. Vt enī baliſtæ lapidū & reliqua tormenta telorum eo grauiores emiſſiones habent, quo ſunt contē ta atq́ adducta uehementius: ſic uox, ſic curſus, ſic plaga hoc grauior, quo eſt miſſa contentius. Cuius contentionis quum tanta uis ſit, ſi gemitus in dolore ad confirmādum animum ualebit, utemur: ſin erit ille gemitus lamentabilis, ſi imbecillus, ſi abiectus, ſi flebilis, ei qui ſe dederit, uix eū uirum dixerī. Qui quidē gemitus ſi leuationis aliquid afferret, tamē uideremus quid eſſet fortis & animoſi uiri. Quū uero nihil imminuat doloris, cur fruſtra turpes eſſe uo lumus? Quid eſt enim fletu muliebri, uiro turpius? Atq́ hoc pręceptū quod de dolore datur, patet latius. Omnibus enim rebus non ſolum dolori, ſimili contētione animi reſiſtendum eſt. Ira exardeſcit, libido concitatur, in eādem arcem confugiendum eſt, eadem ſunt arma ſumenda. Sed quoniam de dolo re loquimur: illa omittamus. Ad ferendum igitur dolorē placide & ſedate plurimū proficit toto pectore (ut dicitur) cogitare q̄ id honeſtum ſit. Sumus enim natura, ut ante dixi (dicendum eſt enim ſępius) ſtudioſiſſimi appetētiſ ſimiq́ honeſtatis: cuius ſi quaſi lumen aliquod aſpexerimus, nihil eſt quod ut eo potiamur nō parati ſimus & ferre & perpeti. Ex hoc curſu atq́ impetu animorū ad ueram laudem atq́ honeſtatē, illa pericula adeuntur in pręliis: non ſentiūt uiri fortes in acie uulnera, uel ſentiunt, ſed mori malunt, q̄ tantū modo de dignitatis gradu dimoueri. Fulgentes gladios hoſtiū uidebant Decii, quū in aciē eorū irruebant: his leuabat omnem uulnerum metum nobilitas mortis & gloria. Num tum ingemuiſſe Epaminondam putas, quum una cum ſanguine uitam effluere ſentiret? imperātem enim patriā Lacedęmoniis relinquebat, quam acceperat ſeruiētē. Hęc ſunt ſolatia, hæc fomēta ſummorū dolorū. Dices, Quid in pace? quid domi? quid in lectulo? Ad philoſophos me reuocas qui in aciem non ſępe prodeunt. E' quibus homo ſane leuis Heracleotes Dionyſius quū á Zenone fortis eſſe didiciſſet, á dolore deductus ē. Nam quum ex renibus laboraret, ipſo in eiulatu clamitabat falſa eſſe illa quę antea de dolore ſenſiſſet ipſe. Quē quū Cleanthes cōdiſcipulus rogaret, quęnam ratio eum de ſentētia deduxiſſet, reſpondit. Quia quum tantū operę philoſophię dediſſem, dolorem tamen ferre non poſſem, ſatis eſſet argumētí malum eſſe dolorem: plurimos autem annos in philoſophia cōſumpſi, nec ferre poſſum: malum eſt igitur dolor. Tum Cleanthem quum pede terrā percuſiſſet, uerſum ex Epigonis ferunt dixiſſe,

Audis ne hęc Amphiarae ſub terram abdite?

Zenonem ſignificabat, á quo illum degenerare dolebat. At nō noſter Poſidonius, quē & ipſe ſępe uidi, & id dicam, quod ſolebat narrare Pōpeius, ſe quū Rhodū ueniſſet decedēs ex Syria, audire uoluiſſe Poſidoniū ſed quum audiſſet eum grauiter eſſe ægrum, quod uehemēter eius artus laborarēt, uoluiſſe tame n nobiliſſimum philoſophum uiſere. Quem ut uidiſſet, & ſalutauiſſet, honorificisq́ uerbis proſequutus eſſet, moleſteq́ ſe dixiſſet ferre, quod

eum

eum nõ poſſet audire: at ille. Tu uero, inquit, potes, nec committam ut dolor corporis efficiat, ut fruſtra tantus uir ad me uenerit, Itaq; narrabat eum grauiter & copioſe de hoc ipſo, nihil eſſe bonum niſi quod honeſtum eſſet, cubãtem diſputauiſſe: quumq; quaſi faces ei doloris admouerent, ſæpe dixiſſe. Nihil agis dolor, quamuis ſis moleſtus, nunquam te eſſe confitebor malũ. Omninoq; omnes clari & nobilitati labores contemnẽdo fiunt etiam tolerabiles. Videmus ne apud quos eorum ludorũ qui Gymnici nominantur: magnus honos ſit, nullum ab his qui in id certamen deſcendãt, deuitari dolorẽ? Apud quos autem uenandi & equitãdi laus uiget, qui hanc peteſſunt, nullũ fugiunt dolorem. Quid de noſtris ambitionibus, quid de cupiditate honorũ loquar? Quæ flamma eſt: per quam nõ cucurrerint hi, qui hæc olim pũctis ſingulis colligebant? Itaque ſemper Aphricanus Socraticum Xenophontem in manibus habebat, cuius in primis laudabat illud quod diceret, eoſdem labores non eſſe æque graues Imperatori & militi, quòd ipſe honos laborem leuiorem faceret imperatorium. Sed tamen hoc euenit, ut in uulgus inſipientium opinio ualeat honeſtatis, quum ipſam uidere non poſſit, Itaque fama & multitudinis iudicio mouentur, cum id honeſtum putent quod à pleriſque laudetur. Te autem ſi in oculis ſis multitudinis, tamen eius iudicio ſtare nolim, nec quod illa putet, idem te putare pulcherrimum. Tuo tibi iudicio eſt utendum. Tibi ſi recta probanti placebis, tunc non modo tu te uiceris, quod paulo ante præcipiebam, ſed omnes & omnia. Hoc igitur tibi propone, amplitudinem animi, & quaſi quandam exaggerationem quam altiſſimam animi, qui maxime eminet in contemnendis & deſpiciendis doloribus, unam eſſe omnium rem pulcherrimam, eoq; pulchriorem, ſi uacet populo, neq; plauſum captãs, ſe tantum ipſa delectet. Quin etiam mihi quidem laudabiliora uidentur omnia, quæ ſine uenditatione, & ſine populo teſte fiunt, nõ quo fugiendus ſit (omnia enim benefacta in luce ſe collocari uolunt) ſed tamen nullum theatrum uirtuti conſcientia maius eſt. Atque in primis meditemur illud, ut hæc patientia dolorum, quam ſæpe iam animi intentione dixi eſſe firmandam, in omni genere ſe æquabilem præbeat. Sæpe enim multi qui aut propter uictoriæ cupiditatem, aut propter gloriæ, aut etiam ut ius ſuum & libertatem tenerent, uulnera exceperunt fortiter, & tulerunt, iidem omiſſa contentione, dolorem morbi ferre non poſſunt. Neque enim illum, quem facile tulerant, ratione aut ſapientia tulerant, ſed ſtudio potius & gloria. Itaque barbari quidam, & immanes ferro decertare acerrime poſſunt, ægrotare uiriliter non queunt. Græci autem homines non ſatis animoſi, ſed prudentes: ut eſt captus hominum, ſatis hoſtem aſpicere non poſſunt, & iidem morbos toleranter atque humane ferunt. At Cimbri: & Celtiberi in præliis exultant, lamentantur in morbo. Nihil enim poteſt eſſe æquabile, quod non à certa ratione proficiſcatur. Sed quum uideas eos, qui aut ſtudio aut opinione ducantur, in eo perſequendo atque adipiſcendo dolore non frangi, debeas exiſtimare aut non eſſe malum dolorem, aut etiam, ſi quidquid aſperum, alienumq; a natura ſit, id appellari placeat malum: tantulum tamen eſſe, ut à uirtute ita obruatur, ut nuſquam appareat. Quę meditare quæſo dies & noctes. Latius enim manabit hæc ratio, & aliquanto maiorem locum, quàm de uno dolore occupabit. Nam ſi omnia fugiendæ turpitudinis, adipiſcendæq; ho-

neſtatis cauſa faciamus,non modo ſtimulos doloris,ſed etiam fulmina fortunæ contemnamus licebit,preſertim quum paratum ſit illud heſterna diſputatione perfugium. Vt enim ſi cui nauiganti,quem prędones inſequãtur, deus quis dixerit.Eiice te de naui,præſto eſt,qui excipiat,uel delphinus,ut Arionem Methymnæum,uel equi Pelopis illi Neptuni,qui per undas currus ſuſpẽſos rapuiſſe dicuntur,excipient te,& quo uelis perferent,omnem omittat timorem:ſic urgentibus aſperis & odioſis doloribus,ſi tanti non ſint ut ferẽdi ſint,quo ſit confugiendum uides.Hæc ferè hoc tempore putaui eſſe dicenda,ſed tu fortaſſe in ſententia permanes. A. Minime uero,meq́; biduo duarum rerum,quas maxime timebam, ſpero liberatum metu. M. Cras ergo ad clepſydram : ſic enim duximus, ſed tibi hoc uideo non poſſe deberi. A. Ita prorſus.Et illud quidem ante meridiem,hoc eodem tempore. M. Sic faciemus,tuisq́; optimis ſtudiis obſequemur.

M. TVLLII CICERONIS TVSCVLANARVM QVAESTIONVM AD M. BRVTVM LIBER TERTIVS.

DE AEGRITVDINE LENIENDA

QVIDNAM eſſe Brute cauſæ putem, cur quũ conſtemus ex animo & corpore,corporis curãdi tuendiq́; cauſa quæſita ſit ars eius atq; utilitas deorum immortalium inuentioni conſecrata,animi autẽ medicina nec tam deſiderata ſit anteq̃ inuenta,nec tam culta poſteaq̃ cognita eſt,nec tam multis grata & probata,pluribus etiam ſuſpecta & inuiſa? an quod corporis grauitatem & dolorem animo iudicamus, animi morbum corpore non ſentimus? Ita fit,ut animus de ſe ipſe tum iudicet,quum idipſum quo iudicatur,ęgrotet. Quod ſi tales nos natura genuiſſet,ut eã ipſam intueri & perſpicere,eademq́; optima duce curſum uitę conficere poſſemus, haud erat ſanè quod quiſquam ratione ac doctrina, requireret: nunc paruulos nobis dedit igniculos,quos celeriter malis moribus opinionibusq́; deprauatis ſic reſtinguimus,ut nuſquam naturæ lumen appareat.Sunt enim ingeniis noſtris ſemina innata uirtutum,quæ ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam uitam natura perduceret. Nunc autem ſimul atq; editi in lucem & ſuſcepti ſumus,in omni continuo prauitate,& in ſumma opinionum peruerſitate uerſamur,ut pene cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe uideamur. Quum uero parentibus redditi, ideſt magiſtris traditi ſumus,tum ita uariis imbuimur erroribus,ut uanitati ueritas,& opinioni confirmatæ natura ipſa cedat. Accedunt ętiam poetæ,qui quum magnam ſpeciem doctrinæ, ſapientiæq́; præ ſe tulerint,audiuntur, leguntur,ediſcuntur, & inhæreſcunt penitus in mentibus. Quum uero eodem quaſi maximus quidam magiſter populus, atq; omnis undiq; ad uitia conſentiens multitudo, tum planè inficimur opinionum prauitate,à naturaq́; deſciſcimus,ut nobis optimam naturam inuidiſſe uideantur

qui

qui nihil melius homini,nihil magis expetendum,nihil præſtantius honoribus,imperiis,populari gloria iudicauerunt, ad quam fertur optimus quiſq;: ueramq́; illam honeſtatem expetens, quam una natura maxime inquirit,in ſumma inanitate uerſatur, conſectaturq́; nullam eminentem effigiem uirtutis,ſed adumbratam imaginem gloriæ.Eſt enim gloria ſolida quędam res & expreſſa non adumbrata : ea eſt conſentiens laus bonorum, incorrupta uox bene iudicantium de excellente uirtute. Ea uirtuti reſonat tanq̃ imago gloriæ.Quæ quia recte factorum plerunq; comes eſt, non eſt bonis uiris repudianda.Illa autem quæ ſe eius imitatricem eſſe uult,temeraria atq; inconſiderata,& plerunq; peccatorum uitiorumq́; laudatrix fama popularis, ſimulatione honeſtatis,formam eius pulchritudinemq́; corrumpit.Qua cecitate homines,quum quædam præclara etiam cuperēt,eaq́; neſcirent nec ubi,nec qualia eſſent,funditus alii euerterant ſuas ciuitates,alii ipſi occiderūt.Atq; hi quidem optima petentes,non tam uoluntate,q̃ curſus errore fallūtur. Quid, qui pecuniæ cupiditate,qui uoluptatum libidine feruntur,quorumq́; ita perturbantur animi,ut non multum abſint ab inſania,quod inſipientibus cōtingit, omnibus his nulla ne eſt adhibenda curatio? Vtrum quod minus noceāt animi ægrotationes,q̃ corporis? an quod corpora curari poſſint,animorum medicina nulla ſit? At & morbi pernicioſiores pluresq́; ſunt animi,q̃ corporis. Hi enim ipſi odioſi ſunt,ꝙ ad animum pertinent,eumq́; ſolicitant,animusq́; » æger, ut ait Ennius,ſemper errat,neq; pati neq; perpeti poteſt,cupere nunq̃ deſinit.Quibus duobus morbis,ut omittam alios, ægritudine & cupiditate,qui tandem poſſunt in corpore eſſe grauiores? Qui uero probari poteſt, ut ſibi mederi animus non poſſit,quum ipſe medicinam corporis animus inuenerit? Quumq́; ad corporum ſanationem multum ipſa corpora & natura ualeant,nec oēs qui curari ſe paſſi ſunt,cōtinuo etiā conualeſcant. Animi autē qui ſanari uoluerint,præceptisq́; ſapientiū paruerint,ſine ulla dubitatione ſanētur.Eſt profecto animi medicina philoſophia:cuius auxiliū nō ut in corporis morbis petendum eſt foris,oībusq́; opibus uiribusq́;,ut noſmetipſi nobis mederi poſſimus,elaborandum eſt.Quāq̃ de uniuerſa philoſophia,quātopere expetenda eſſet & colenda,ſatis,ut arbitror,dictum eſt in Hortenſio. De maximis autē rebus nihil ferè intermiſimus poſtea,nec diſputare nec ſcribere.His autem libris expoſita ſunt ea,quæ à nobis cum familiaribus noſtris in Tuſculano erāt diſputata.Sed quoniam duobus ſuperioribus de morte & dolore dictum eſt,tertius dies diſputationis hoc tertium uolumen efficiet.Vt enim in academiam noſtram deſcēdimus, inclinato iam in poſtmeridianum tempus die,popoſci eorum aliquem qui aderant, cauſam diſſerendi:tum res acta ſic eſt. A. Videtur mihi cadere in ſapientem ægritudo. M. Num reliquæ quoq; perturbationes animi, formidines, libidines,iracundiæ? Hæc enim ferè ſunt eiuſmodi, quæ Græci πάθη appellant: ego poteram morbos, & id uerbum eſſet è uerbo,ſed in conſuetudinem noſtram non caderet.Nam miſereri,inuidere,geſtire,lætari, hæc omnia morbos Græci appellant,motus animi rationi non obtemperantes : nos autem hos eoſdem motus concitati animi recte,ut opinor,perturbationes dixerimus,morbos autem non ſatis uſitate,niſi quid aliud tibi uidetur. A. Mihi uero iſto modo. M. Hæccinæ igitur cadere in ſapientem putas? A. Prorſus exiſtimo. M. Nę iſta

glorioſa ſapientia non magno æſtimanda eſt, ſiquidem non multum differt ab inſania. A. Quid tibi omnis ne animi commotio uidetur inſania? M. Non mihi quidem ſoli, ſed id quod admirari ſæpe ſoleo, maioribus quoq; noſtris hoc ita uiſum intelligo multis ſeculis ante Socratem, à quo hæc omnis quæ eſt de uita & de moribus philoſophia manauit. A. Quo nam tandem modo? M. Quia nomen inſaniæ ſignificat mentis ægrotationem, & morbum, id eſt inſanitatem & ægrotum animum, quam appellarunt inſaniã. Omnes autem perturbationes animi morbos philoſophi appellãt, negantq́; ſtultum quẽq̃ his morbis uacare. Qui autem in morbo ſunt, ſani non ſunt, & omniũ inſipientium animi in morbo ſunt, omnes inſipiẽtes igitur inſaniunt. Sanitatem enim animorum poſitam in trãquillitate quadã conſtantiaq́; cenſebãt: his rebus mentem uacuam appellarunt inſaniam, propterea quod in perturbato animo ſicut in corpore ſanitas eſſe nõ poſſit. Nec minus illud acute, quod animi affectionem lumine mentis carentem nominauerunt amentiam, eandemq́; demẽtiam. Ex quo intelligendũ eſt, eos qui hæc rebus nomina poſuerunt, ſenſiſſe hoc idẽ quod à Socrate acceptũ diligenter Stoici retinuerũt, omnes inſipiẽtes eſſe non ſanos. Quis eſt enim ſanus in aliquo morbo? morbos autem hos perturbatos motus, ut modo dixi, philoſophi appellant. nõ magis eſt ſanus, q̃ id corpus, quod in morbo eſt. Ita fit, ut ſapientia ſanitas ſit animi, inſipientia autem quaſi inſanitas quędam, quæ eſt inſania, eademq́; dementia, multoq́; melius hæc notata ſunt uerbis Latinis q̃ Græcis, quod aliis quoq; multis locis reperietur. Sed id alias, nunc quod inſtat. Totum igitur id quod quærimus, quid & quale ſit, uerbi uis ipſa declarat. Eos enim ſanos intelligi neceſſe eſt, quorum mens motu quaſi morbo perturbata nullo ſit: qui cõtra affecti ſunt, hos inſanos appellari neceſſe eſt. Itaq; nihil melius, q̃ quod eſt in cõſuetudine ſermonis Latini, quum exiſſe è poteſtate dicimus eos, qui effrenati feruntur, aut libidine, aut iracundia. q̃q̃ ipſa iracundia libidinis eſt pars. Sic enim definitur, Iracundia, ulciſcendi libido. Qui igitur exiſſe ex poteſtate dicũtur, idcirco dicuntur, quia non ſint in poteſtate mentis, cui regnũ totius animi à natura tributum eſt. Græci autem μανίαν unde appellant, non facile dixerim. Eam tamen ipſam diſtinguimus nos melius, q̃ illi. Hanc enim inſaniam, quæ iuncta ſtultitiæ patet latius, à furore diſiungimus. Græci uolunt illi quidem, ſed parum ualent uerbo, quem nos furorẽ, μελαγχολίαν ipſi uocant. Quaſi uero atra bili ſolum mens, ac non ſæpe uel iracundia grauiore, uel timore, uel dolore moueatur. Quo genere Athamantem, Alcmæonem, Aiacem, Oreſtem furere dicimus. Qui ita ſit affectus, cum dominum eſſe rerum ſuarum, uetant. xii. tabulæ. Itaq; non eſt ſcriptum, ſi inſanus, ſed ſi furioſus eſſe incipit. Inſaniam enim cenſuerunt (id eſt, inconſtantiam ſanitate uacãtem) poſſe tamen tueri mediocritatem officiorum, & uitæ communem cultum atq; uſitatum. Furorem autem eſſe rati ſunt, mentis ad omnia cæcitatem. Quod quum maius eſſe uideatur q̃ inſania, tamen eiuſmodi eſt, ut furor in ſapientẽ cadere poſſit, non poſſit inſania, Sed hæc alia quæſtio eſt. Nos ad propoſitum reuertamur. Cadere, opinor in ſapiẽtem ægritudinem tibi dixiſti uideri. A. Ego uero ita exiſtimo. M. Humanum id quidem quod ita exiſtimas, non enim ſilice nati ſumus: ſed eſt naturale in animis tenerum quiddã atq; molle, quod ægritudine, quaſi tempeſtate quatiatur. Nec abſurde Cran

tor

» tor ille,qui in noſtra Academia uel in primis fuit nobilis.Minime, inquit,aſ
» ſentior his,qui iſtã neſcio quã indolẽtiã magnopere laudant, quæ nec poteſt
» ulla eſſe,nec debet: ne ægrotus ſim,inquit,ſed ſi fuerim ſenſus adſit, ſiue ſecet
» quid,ſiue auellatur à corpore.Nã iſtuc nihil dolere,non ſine magna mercede
» cõtingit immanitatis ĩ animo,ſtuporis ĩ corpore.Sed uideamus ne hæc ora-
tio ſit hominũ aſſentãtium noſtræ imbecillitati,& indulgentiũ mollitudini.
Nos autẽ audeamus nõ ſolũ ramos amputare miſeriarũ,ſed oẽs radicũ fibras
euellere:tamen aliquid relinquetur fortaſſe, ita ſunt altæ ſtirpes ſtultitię, ſed
relinquetur id ſolũ,quod erit neceſſariũ. Illud quidem ſic habeto,niſi ſanatus
animus ſit,quod ſine philoſophia fieri nõ poteſt,finem miſeriarũ nullũ fore.
Quãobrem quoniam cœpimus,tradamus nos ei curãdos,ſanabimur ſi uole-
mus.Et progrediar quidẽ lõgius.Nõ enim de ægritudine ſolum,q̃q̃ id qui-
dẽ primũ,ſed de omni animi(ut ego poſui)perturbatione,morbo(ut Græ-
ci uolũt)explicabo. Et primo ſi placet Stoicorũ more agamus, qui breuiter
aſtringere ſolent argumẽta,Deinde noſtro inſtituto uagabimur.Qui fortis
eſt,idẽ eſt fidẽs,quoniã cõfidens mala cõſuetudine loquẽdi in uitio ponit̃,du
ctũ uerbum à confidendo quod laudis eſt.Qui autẽ eſt fidens,is profecto nõ
extimeſcit.Diſcrepat enim à timendo cõfidere.atq; in quẽ cadit ægritudo,in
eundẽ timor.Quarũ enim rerum præſentia ſumus in ægritudine,eaſdẽ impẽ
dẽtes & ueniętes timemus. Ita fit,ut fortitudini ægritudo repugnet. Veriſimi
le eſt igitur in quẽ cadit ægritudo,cadere in eundem timorẽ,& infractionem
quãdam animi,& demiſſionẽ.Quæ in quem cadunt,in eundẽ cadit ut ſerui-
at,ut uictũ quãdoq; ſe eſſe fateatur.Quæ qui recipit,recipiat idẽ neceſſe eſt ti
miditatẽ & ignauiã.Non cadunt autẽ hæc in uirum fortẽ,igitur ne ægritudo
quidẽ. At nemo ſapiens,niſi fortis,non cadet ergo in ſapientẽ ægritudo.Prę
terea neceſſe eſt qui fortis ſit,eundẽ eſſe magni animi:qui magni animi ſit,in
uictum:qui inuictus ſit,eum res humanas deſpicere,atq; infra ſe poſitas arbi
trari.Deſpicere autẽ nemo poteſt eas res propter quas ægritudine affici po-
teſt.Ex quo efficitur,fortẽ uirũ ægritudine nunq̃ affici.Omnes autẽ ſapiẽtes
fortes.Non cadit igitur in ſapientem ægritudo.Et quẽadmodũ oculus con-
turbatus nõ eſt probe affectus ad ſuũ munus fungẽdũ,& reliquæ partes,totũ
ue corpus ſtatim cum eſt motũ deeſt officio ſuo & muneri,ſi cõturbatus ani-
mus nõ eſt aptus ad exequẽdum munus ſuum .Munus aũt animi eſt ratione
bene uti.Et ſapiẽtis animus ita ſemper affectus,eſt ut ratione optime utatur.
Nunq̃ igitur eſt perturbatus. At ægritudo perturbatio eſt animi,ſemper igi
tur ſapiens ea uacabit. Veriſimile etiã illud eſt, qui ſit tẽperans , quem Græci
σώφρονα appellãt:eamq; uirtutem σωφροσύνην uocãt,quã ſoleo equidẽ tum tẽpe
rãtiã tum moderationẽ appellare,nõnunq̃ etiam modeſtiã.Sed haud ſcio an
recte ea uirtus,frugalitas appellari poſſit.Quod anguſtius apud Græcos ua
let,qui frugi homines χρησίμους appellãt,id eſt tãtũmodo utiles. At illud ẽ lati
us.Omnis enim abſtinẽtia,oĩs innocentia,quæ apud Græcos uſitatũ nomen
nullũ habet,ſed habere poteſt ἀβλάβειαν.Nã eſt innocẽtia affectio talis animi,
quæ noceat nemini:reliquas ẽt uirtutes frugalitas cõtinet:quæ niſi tãta eſſet,
& ſi iis anguſtiis q̃bus pleriq; putãt,teneretur, nunq̃ eſſet L.Piſonis cogno
men tãtopere laudatũ.Sed quia nec qui ꝓpter metũ præſidiũ reliquit,quod
eſt ignauiæ:nec q propter auaritiã clam depoſitũ nõ reddidit,quod eſt iniu-

ſtitiæ: nec qui propter temeritatem male rem geſſit, quod eſt ſtultitiæ, frugi appellari ſolet, eo tres uirtutes fortitudinem, iuſtitiam, prudentiam, frugalitas eſt complexa, & ſi hoc quidem commune eſt uirtutum: omnes enim inter ſe nexæ & iugatæ ſunt, reliqua igitur, & quarta uirtus, ut ipſa ſit ipſa frugalitas. Eius enim uidetur eſſe proprium motus animi appetentis regere & ſedare, ſemperq́ aduerſantem libidini moderatam in omni re ſeruare conſtantiã, cui contrarium uitium nequitia dicitur. Frugalitas, ut opinor, à fruge, qua nihil melius è terra: nequitia ab eo, & ſi hoc erit fortaſſe durius, ſed tentemus, & luſiſſe putemur ſi nil ſit, ab eo quod nequidq̃ eſt in tali homine, ex quo idẽ nihili dicitur. Qui ſit frugi igitur, uel ſi mauis moderatus & temperans, eum neceſſe eſt eſſe conſtantem: qui autem conſtans, quietum: qui quietus, perturbatione omni uacuum: ergo etiã ægritudine, & ſunt illa ſapientis. Aberit igitur à ſapiente ægritudo, Itaq́ non inſcite Heracleotes Dionyſius ad ea diſputat, quæ apud Homerum Achilles queritur, hoc, ut opinor, modo.

Corq́ meum penitus turgeſcit triſtibus iris,
Quum decore atq́ omni me orbatum laude recordor.

Num manus affecta recte eſt, quum in tumore eſt? aut num aliquod quippiam membrum tumidum ac turgidum non uitioſe ſe habet? Sic igitur inflatus & tumens animus in uitio eſt. Sapientis autẽ animus ſemper uacat uitio, nũq̃ turgeſcit, nunq̃ tumet. At iratus animus eiuſmodi eſt, nunq̃ igitur ſapiẽs iraſcitur. Nam ſi iraſcitur, etiam concupiſcit. Proprium eſt enim irati cupere, à quo læſus uideatur, ei q̃maximum dolorem inurere. Qui autem id concupierit, eum neceſſe eſt, ſi id conſecutus ſit, magnopere lætari. Ex quo fit, ut alieno malo gaudeat. quod quoniam non cadit in ſapientem, ne ut iraſcatur quidem cadit: ſi autẽ caderet in ſapiẽtem ægritudo, caderet etiam iracundia: qua quoniã uacat, ægritudine etiã uacabit. Etenim ſi ſapiẽs in ægritudinẽ ĩcidere poſſet, poſſet etiam in miſericordiam, poſſet in inuidentiam: non dixi inuidiam, quæ tum eſt, quum inuidetur. Ab inuidendo autem inuidentia recte dici poteſt, ut effugiamus ambiguum nomen inuidiæ, quod uerbum ductum eſt à nimis intuendo fortunam alterius, ut eſt in Menalippo.

Florem quiſnam liberum inuidit meum?

Male latine uidetur, ſed præclare Accius: ut enim uidere, ſic inuidere florẽ rectius, q̃ flori dicitur. Nos cõſuetudine prohibemur, poeta ius ſuum tenuit, & dixit audacius. Cadit igitur in eũdẽ, & inuidere, & miſereri. Nã qui dolet rebus alicuius aduerſis, idẽ alicuius ẽt ſecũdis ſolet: ut Theophraſtus interitũ deplorans Calliſthenis ſodalis ſui, rebus Alexandri proſperis angitur. Itaq́ dicit Calliſthenem incidiſſe in hominem ſumma potentia, ſummaq́ fortuna ſed ignarum quẽadmodum rebus ſecundis uti conueniret. Atqui quẽadmodum miſericordia ægritudo eſt ex alterius rebus aduerſis, ſic inuidentia ægritudo eſt ex alterius rebus ſecũdis. In quem igitur cadit miſereri, in eundẽ etiã inuidere. Nõ cadit autẽ inuidere in ſapientẽ, ergo ne miſereri quidem. Quod ſi hoc ægre ferre ſapiens ſoleret, miſereri etiam ſoleret. abeſt ergo à ſapiente ægritudo. Hęc ſic dicuntur à Stoicis, cõcluduntur q́ contortius: ſed latius aliquando dicenda ſunt & diffuſius, ſententiis tamen utendum eorum potiſſimum, qui maxime forti, & ut ita dicam, uirili utuntur ratione atq́ ſententia. Nam peripatetici familiares noſtri, quibus nihil eſt uberius, nihil eruditius,

nihil grauius, mediocritates uel perturbationum, uel morborum animi mihi non ſane probant. Omne enim malum etiam mediocre magnum eſt. Nos autem id agimus, ut id in ſapiente nullum ſit omnino. Nam ut corpus etiam ſi mediocriter ægrum eſt, ſanum non eſt, ſic in animo ſi eſt iſta mediocritas, caret ſanitate. Itaq; præclare noſtri, ut alia multa, moleſtiã, ſolicitudinem, angorem, propter ſimilitudinem corporum ęgrorum ægritudinẽ nominauerunt. Hoc propemodum uerbo Gręci omnem animi perturbationem appellant. Vocant enim πάθος, id eſt morbum, quicunq; eſt motus in animo turbidus: nos melius: ægris enim corporibus ſimillima eſt animi ægritudo. At non ſimilis ægrotationis eſt libido, non immoderata lętitia, quę eſt uoluptas animi elata & geſtiens. Ipſe etiam metus non eſt morbi admodum ſimilis, q̃q̃ ægritudini eſt finitimus, ſed proprie ut ægrotatio in corpore, ſic ægritudo in animo nomen habet non ſeiunctum à dolore. Doloris igitur huius origo nobis explicanda eſt, id eſt cauſa efficiens ægritudinem in animo. tanquã ægrotationem in corpore. Nam ut medici cauſa morbi inuenta, curationem eſſe inuentã putant: ſic nos cauſa ægritudinis reperta, medendi facultatem reperiemus. Eſt igitur cauſa omnis in opinione, nec uero ægritudinis ſolum, ſed etiam reliquarum omniũ perturbationum quæ ſunt genere quatuor, partibus plures. Nam quum omnis perturbatio ſit animi motus, uel rationis expers. uel rationem aſpernans, uel rationi non obediens, isq; motus, aut boni aut mali opinione citetur, biſariam quatuor perturbationes æqualiter diſtributæ ſunt. Nam duæ ſunt ex opinione boni, quarum altera uoluptas geſtiẽs, id eſt pręter modum elata lętitia, opinione prǫſentis magni alicuius boni. Altera cupiditas, quę recte uel libido dici poteſt, quę eſt immoderata appetitio opinati magni boni, rationi nõ obtemperans, quæ uel cupiditas recte, uel libido dici poteſt. Ergo hæc duo genera, uoluptas geſtiens & libido, bonorũ opinione turbantur, ut duo reliqua metus & ægritudo, malorũ. Nã & metus opinio magni mali impẽdẽtis, & ægritudo eſt opinio magni mali pręſentis, & quidẽ recẽs opinio talis mali, ut in eo rectũ uideatur eſſe angi. Id autẽ eſt, ut is qui doleat, oportere opinetur ſe dolere. His autẽ perturbatiõibus, quas in uita hominũ ſtultitia quaſi quaſdam furias immittit atq; incitat, omnibus uiribus atq; opibus repugnãdum eſt, ſi uolumus hoc quod datũ eſt uitæ, tranquille placideq; traducere. Sed cetera alias, nũc ægritudinẽ ſi poſſumus, depellamus. Id enim ſit propoſitũ, quãdoquidẽ eam tu uideri tibi in ſapientẽ cadere dixiſti, quod ego nullo modo exiſtimo. Tetra enim res eſt, miſera, deteſtabilis, omni cõtentione, uelis, ut ita dicã, remiſq; fugienda. Qualis enim tibi ille uidetur Tantalo prognatus, Pelope natus, qui quondã à ſocero Oenomao Rege Hippodamiã raptis nactus ẽ nuptiis? Iouis iſte quidẽ pronepos. Tam ne ergo abiectus tamq; fractus?

Nolite, inquit, hoſpites ad me adire, ilico iſtic,
Ne contagio mea bonis umbraue obſit,
Tanta uis ſceleris in corpore hæret.

Tu te Thyeſta damnabis, orbabisq; luce, propter uim ſceleris alieni? Quid illum filium.

Solis, nonne patris ipſius luce indignum putas?
Refugere oculi, corpus macie extabuit.

Lacrymæ peredere humore exanguis genas
Situ nidoris, barba pædore horrida,
Atq; intonſa infuſcat pectus illuuie ſcabrum.

Hæc mala o ſtultiſſime Aeeta ipſe tibi addidiſti. Non inerant in his quæ tibi caſus inuexerat, & quidem inueterato malo quum tumor animi reſediſſet. Eſt autẽ ægritudo, ut docebo, in opinione mali recentis. Sed mœres uidelicet regni deſiderio non filiæ. Illã enim oderas, & iure fortaſſe, regno non æquo animo carebas. Eſt autẽ impudens luctus mœrore ſe conficientis quod imperare non liceat liberis. Dionyſius quidem tyrannus Syracuſis expulſus Corinthi pueros docebat, uſq; eo imperio carere non poterat. Tarquinio uero quid impudentius? qui quum bellum gereret cum his qui eius non tulerãt ſuperbiam, is quum reſtitui in regnum nec Veiẽtium nec Latinorum armis potuiſſet, Cumas ſe contuliſſe dicit̃, in'q; ea urbe, ſenio & ægritudine eſſe cõfectus. Hoc tu igitur cenſes ſapiẽti poſſe accidere, ut ægritudine opprimatur, ideſt miſeria? Nã quũ omnis perturbatio miſeria eſt, tum carnificina eſt ęgritudo. Habet ardorem libido, leuitatem lætitia geſtiens, humilitatem metus: ſed ægritudo quædam maiora, tabem, cruciatum, afflictationem, fœditatem: lacerat, exeſt animum, planeq; conficit. Hanc niſi exuimus ſicut abiiciamus, miſeria carere non poſſumus. Atqui hoc quidem perſpicuum eſt, tum ægritudinem exiſtere, quum quid ita uiſum ſit, ut magnum quoddam malum adeſſe & urgere uideatur. Epicuro autem placet opinionem mali ægritudinem eſſe natura, ut quicunq; intueatur in aliquod maius malum, ſi id ſibi accidiſſe opinetur, ſit continuo in ægritudine. Cyrenaici non omni malo ægritudinem effici cenſent, ſed inſperato nec opinato malo. Eſt id quidẽ nõ mediocre ad ægritudinem augendam. Videntur enim omnia repentina grauiora. Ex hoc & illa iure laudantur.

Ego quum genui, tum morituros ſciui, & ei rei ſuſtuli.
Præterea ad Troiam quum miſi ob defendendam Græciam,
Sciebam me in mortiferum bellum non in epulas mittere.

Hæc igitur præmeditatio futurorũ malorum lenit eorum aduentum, quæ uenientia longe ante uideris. Itaq; apud Euripidem à Theſeo dicta laudant̃.
Licet enim, ut ſæpe facimus, in latinum illa conuertere,

Nam qui hæc audita à docto meminiſſem uiro,
Futuras mecum commentabar miſerias,
Aut mortem acerbam, aut exilii mœſtam fugam,
Aut ſemper aliquam molem meditabar mali,
Vt ſi qua inuecta diritas caſu foret,
Ne me imperatum cura laceraret repens,

Quod autem Theſeus à docto ſe audiuiſſe dicit, id de ſe ipſo loquitur Euripides, Fuerat enim auditor Anaxagorę, quẽ ferunt nunciata morte filii dixiſſe. Sciebã me genuiſſe mortalem. Quæ uox declarat, his eſſe hæc acerba à quibus nõ fuerint cogitata. Ergo id quidẽ non eſt dubium, quin omnia quæ mala putentur, ſint improuiſa grauiora. Itaq; q̃q̃ non hæc una res efficit maximam ægritudinem, tamen quoniam multum poteſt prouiſio animi, & pręparatio ad minuendum dolorem, ſint ſemper omnia homini humana meditata. Et nimirum hæc illa præſtans & diuina ſapientia, & perceptas penitus,

& pertractatas res humanas habere, nihil admirari quum acciderit, nihil antequam euenerit non euenire poſſe arbitrari.

Quamobrem omnes quum ſecundæ res ſunt maxime, tum maxime
Meditari ſecum oportet, quo pacto aduerſam ærumnam ferant,
Pericla, damna, exilia. Peregre rediens ſemper cogitet,
Aut filii peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiæ,
Communia eſſe hæc fieri poſſe, ut nequid animo ſit nouum
Quidquid præter ſpem eueniat, omne id deputare eſſe in lucro.

Ergo hoc Terentius à philoſophia ſumptum quum tam commode dixerit, nos é quorum fontibus id hauſtum eſt, non & dicemus hoc melius, & cōſtantius ſentiemus? Hic eſt enim ille uultus ſemper idem, quem dicitur Xantippe prædicare ſolita in uiro ſuo fuiſſe Socrate, eodem ſemper ſe uidiſſe exeuntem illum domo, & reuertentem. Nec uero ea frons erat, quæ M. Craſſi illius ueteris, quem ſemel ait in omni uita riſiſſe Lucilius, ſed tranquilla & ſerena. Sic enim accepimus. Iure autem erat ſemper idem uultus, quum mentis, à qua is fingitur, nulla fieret mutatio. Quare accipio equidem à Cirenaicis hęc arma contra caſus & euentus, quibus eorum aduenientes impetus diuturna præmeditatione frangantur, ſimulq́ iudico malum illud opinionis eſſe non naturæ. Si enim in re eſſent, cur fierent prouiſa leuiora? Sed eſt iiſdem de rebus quod dici poſſit ſubtilius, ſi prius Epicuri ſententiam uiderimus, qui cenſet neceſſe eſſe omnes in ægritudine eſſe qui ſe in malis eſſe arbitrentur, ſiue illa ante prouiſa & expectata ſint, ſiue inueterauerint. Nam neq; uetuſtate minui mala, nec fieri præmeditata leuiora, ſtultamq́ etiam eſſe meditationē futuri mali, aut fortaſſe ne futuri quidē, ſatis eſſe odioſum malū omne quum ueniſſet. Qui autē ſemper cogitauiſſet accidere poſſe aliqd aduerſi, ei fieri illud ſempiternū malum: ſi uero ne futurū quidem ſit, fruſtra ſuſcipi miſeriā uoluntariā. Ita ſemper angi aut accipiendo, aut cogitando malo. Leuationem autē ægritudinis in duabus rebus ponit, auocatione à cogitanda moleſtia, & reuocatione ad cōtēplandas uoluptates. Parere enim cenſet aīum rationi poſſe, & quo illa ducat ſequi. Vetat igitur ratio intueri moleſtias, abſtrahit ab acerbis cogitationibus hebetem aciem ad miſerias contemplandas: à quibus quū cecinit receptui, impellit rurſum, & incitat ad conſpiciendas, totaq́ mente contrectādas uarias uoluptates, quibus ille & præteritarū memoria, & ſpe conſequētium, ſapientis uitam refertam putat. Hæc noſtro more nos diximus. Epicurei dicūt ſuo. Sed quæ dicant, uideamus quomodo negligamus. Principio male reprehendunt præmeditationē rerum futurarum. Nihil eſt enim quod tam obtūdat eleuetq́ ægritudinem, q̄ perpetua in omni uita cogitatio, nihil eſſe quod accidere nō poſſit, q̄ meditatio conditionis humanę, q̄ uitæ lex, cōmentatioq́ parendi: quæ non hoc affert ut ſemper mœreamus, ſed ut non unquam. Neq; enim qui rerum naturā, qui uitæ uarietatem, qui imbecillitatem generis humani cogitat, mœret, quum hæc cogitat, ſed tum uel maxime ſapiētiæ fungitur munere. Vtrunq; enim cōſequitur, ut & conſiderandis rebus humanis proprio philoſophiæ fruatur officio, & aduerſis caſibus, triplici cōſolatione ſanetur. Primum quod poſſe accidere diu cogitauerit, quæ cogitatio una maxime omnes moleſtias extenuat & diluit: Deinde quod humane ferenda intelligit. Poſtremo quod uidet malū nullum eſſe niſi culpā. Culpā au

tem nullam eſſe, quum id quod ab homine non potuerit præſtari, euenerit. Nã reuocatio illa quã affert, quũ à contuendis nos malis auocat, nulla eſt. Nõ eſt enim ĩ noſtra poteſtate ſodicãtibus his rebus, quas malas eſſe opinemur, diſſimulatio uel obliuio. Lacerant, uexant, ſtimulos admouent, ignes adhibent, reſpirare non ſinunt. Et tu obliuiſci iubes, quod contra naturã eſt: quod à natura datum eſt, auxilium extorques inueterati doloris. Eſt enim tarda illa quidem medicina, ſed tamen magna, quam affert longinquitas & dies. Iubes me bona cogitare, obliuiſci malorũ. Diceres aliquid, & magno quidem philoſopho dignum, ſi ea bona ſentires eſſe, quæ eſſent homine digniſſima. Pythagoras mihi ſic diceret, aut Socrates, aut Plato. Quid iaces, aut qd mœres, aut cur ſuccumbis, cedisq́ fortunæ? quæ ut peruellere te forſitan potuerit & pungere, non potuit certe uires frangere. Magna uis eſt in uirtutibus: eas excita, ſi forte dormiunt. Iam tibi aderit princeps fortitudo, quę te animo tãto eſſe coget, ut omnia quæ poſſint homini euenire contemnas, & pro nihilo putes. Aderit temperantia, quæ eſt eadem moderatio, à me quidem paulo ante appellata frugalitas, quæ te turpiter & nequiter facere nihil patiať. Quid eſt autem nequius aut turpius effœminato uiro? Ne iuſtitia quidem ſinet iſta facere, cui minimum eſſe uidetur in hac cauſa loci: quæ tamen ita dicet dupliciter eſſe te iniuſtum, quum & alienum appetas, qui mortalis natus conditionẽ poſtules immortalium: & grauiter feras te quod utendum acceperis, reddidiſſe. Prudentiæ uero quid reſpondebis dicenti uirtutem ſe eſſe contentam, quo modo ad bene uiuendum ſic & ad beate? quæ ſi extrinſecus religata pendeat, & non oriatur ex ſe, & rurſus ad ſe reuertatur, & omnia ſua complexa, nihil quærat aliunde, non intelligo cur aut uerbis tam uehemẽter ornanda, aut re tãtopere expetenda uideatur. Ad hæc bona me ſi reuocas Epicure, pareo, ſequor, utor te ipſo duce, obliuiſcor etiam malorum, ut iubes, eoq́ facilius, q̃ ea ne in malis quidem ponenda cenſeo. Sed traducis cogitationes meas ad uoluptates, quas? corporis credo, aut quæ propter corpus uel recordatione uel ſpe cogitentur. Nunquid eſt aliud? recte ne interpretor ſententiam tuam? Solent enim iſti negare nos intelligere quid dicat Epicurus. Hoc dicit, & hoc ille Gręculus me audiente Athenis ſenex Zeno iſtorum acutiſſimus contendere, & magna uoce dicere ſolebat, eum eſſe beatum, qui præſentibus uoluptatibus frueretur, confideretq́ ſe fruiturum aut in omni, aut in magna parte uitę, dolore non interueniente: aut ſi interueniret, ſi ſummus foret, futurum breuẽ, ſi productior, plus habiturum iucundi q̃ mali. Hæc cogitantem fore beatum, preſertim ſi & ante perceptis bonis contentus eſſet, nec mortem, nec deos extimeſceret. Habes formam Epicuri uitæ beatæ uerbis Zenonis expreſſam, nihil ut poſſit negari. Quid ergo? huius ne uitę propoſitum & cogitatio, aut Thyeſtem leuare poterit, aut Aeetam, de quo paulo ante dixi, aut Telamonem pulſum patria exulantem atq́ egentem, in quo hæc admiratio fiebat,

Hiccine eſt Telamon ille, modo quem gloria ad cœlum extulit,
Quem aſpectabãt, cuius ob os Graii ora obuertebant ſua?

Quod ſi cui, ut ait idem, ſimul animus cum re concidit, à grauibus illis antiquis philoſophis petẽda medicina eſt, non ab his uoluptuariis. Quam enim iſti bonorum copiam dicunt? Fac ſanè ſummum bonum eſſe non dolere, q̃q̃ id non uocatur uoluptas: ſed non neceſſe eſt nunc omnia, id ne eſt, quo tradu-

ctí luctum

cti luctum leuemus? ſit ſane ſummum malum dolere: in eo igitur qui non eſt, ſi malo careat, continuo ne fruitur ſummo bono? Quid tergiuerſamur Epicu re? nec fatemur eã nos dicere uoluptatem, quam tu idem, quum os perfricuiſti, ſoles dicere? Sunt hæc tua uerba nec ne? in eo quidẽ libro, qui continet omnem diſciplinam tuam (fungar enim iam interpretis munere, ne quis me pu
» tet fingere) dicis hæc: Nec equidem habeo quod intelligam bonum illud, de
» trahens eas uoluptates quę ſapore percipiuntur, detrahens eas etiam quæ au
» ditu & cantibus, detrahens eas etiam quæ ex formis percipiuntur, oculis ſua
» ues motiones, ſiue quæ aliæ uoluptates in toto homine gignuntur quolibet è ſenſu. Nec uero ita dici poteſt, mentis lætitiam ſolam eſſe in bonis. Lætãtem enim mẽtem ita noui ſpe eorum omnium quæ ſupra dixi fore, ut natura iis po tiens dolore careat. Atq; hæc quidem his uerbis, quiuis ut intelligat quã uo
» luptatem norit Epicurus. Deinde paulo infra, Sæpe quæſiui (inquit) ex iis
» qui appellantur ſapiẽtes, quid haberent quod in bonis relinquerent, ſi illa de
» traxiſſent, niſi ſi uellent uoces inanis fundere. Nihil ab his potui cognoſcere.
» Qui ſi uirtutes ebullire uolent & ſapientias, nihil aliud dicẽt, niſi eam uiam, qua efficiantur hæ uoluptates quas ſupra dixi. Quæ ſequuntur, in eadem ſen tentia ſunt, totusq; liber qui eſt de ſummo bono, refertus & ſententiis & uer bis talibus. Ad hanccine igitur uitam Telamonem illum reuocabis, ut leues ægritudinem? & ſi quem tuorum afflictum mœrore uideris, huic acipenſerẽ potius quàm aliquẽ Socraticum libellum dabis? ὑδραύλεως hortabere ut audiat uoces potius q̃ Platonis? Expones quæ ſpectet florida & uaria. Faſciculũ ad naris admouebis. Incendes odores, & ſertis redimiri iubebis & roſa. Si ue ro aliquid etiam, tum plane luctum omnem abſterſeris. Hæc Epicuro confitenda ſunt, aut ea quæ modo expreſſa ad uerbum dixi, tollẽda de libro, uel to tus liber potius abiiciundus. Eſt enim conſertus uoluptatibus. Quærendum igitur quemadmodum ægritudine priuemus eum, qui ita dicat,

» Pol mi fortuna magis nunc deſit, q̃ genus,
» Namq; regnum ſuppetebat mihi, ut ſcias quanto è loco,
» Quantis opibus, quibus de rebus lapſa fortuna accidat.

Quid? huic calix mulſi impingendus eſt, ut plorare deſinat, aut aliquid eiuſmodi? Ecce tibi ex altera parte ab eodem poeta,

» Ex oppibus ſummis opis egens Hector tuæ,

Huic ſubuenire debemus, quærit enim auxilium.

» Quid petam præſidii, aut exequar, quóue nunc auxilio, aut fuga
» Freta ſim? Arce & urbe orba ſum, quo accedam? quo applicem?
» Cui nec aræ patriæ domi ſtant, fractæ & diſiectæ iacent.
» Fana flamma deflagrata, toſti alti ſtant parietes
» Deformati, atq; abiete criſpa, Scitis quæ ſequantur, & illud in primis,
» O pater, o patria, o Priami domus.
» Septum altiſono cardine templum.
» Vidi ego te, aſtante ope barbarica
Tectis cælatis, laqueatis
» Auro ebore inſtructam regifice.

O poetam egregium, q̃q̃ ab his cantoribus Euphorionis contemnitur. Sentit omnia repentina necopinata eſſe grauiora. Exaggeratis igitur Regis opi

bus, quæ uidebantur ſempiternæ fore, quid adiungit?

Hæc omnia uidi inflammari.

Priamo ui uitam euitari.

Iouis aram ſanguine turpari.

Præclarũ carmen. Eſt enĩ & rebus, & uerbis, & modis lugubre. Eripiamus huic ægritudinem. Quomodo? collocemus in culcita plumea, pſaltriã adducamus, hedychrum incendamus, demus ſcutellã dulciculæ potionis, aliquid uideamus & cibi. Hęc tãdem bona ſunt, quibus ægritudines grauiſſimæ detrahãtur? Tu enim paulo ante ne intelligere te quidem alia bona dicebas, Reuocari igitur oportere a mœrore ad cogitationem bonorum cõueniret mihi cum Epicuro, ſi quid eſſet bonum conueniret. Dicet aliquis, Quid ergo tu Epicurum exiſtimabas iſta uoluiſſe, aut libidinoſas eius fuiſſe ſetentias? Ego uero minime. Video enĩ ab eo dici multa ſeuere, multa pręclare. Itaq;, ut ſępe dixi, de acumine agitur eius, nõ de moribus, q̃uis ſpernat uoluptates eas, quas modo laudauit. Ego tamẽ meminero quod uideatur ei ſummum bonũ. Nõ enim uerbo ſolum poſuit uoluptatẽ, ſed explanauit quid diceret. Saporẽ inquit, & corporum complexum, & ludos atq; cantus & formas eas, quibus oculi iucũde moueantur. Num fingo? num mentior? cupio reſelli. Quid enĩ laboro, niſi ut ueritas in omni quęſtione explicetur? At idem ait non creſcere uoluptatẽ dolore detracto, ſummamq; uoluptatem, nihil dolere. Paucis uerbis tria magna peccata. Vnum, quod ſecum ipſe pugnat. Modo enim ne ſuſpicari quidem ſe quidq̃ bonum, niſi ſenſus quaſi titillarentur uoluptate: nũc autem ſummam uoluptatem eſſe dolore carere. Poteſt ne magis ſecum ipſe pugnare? Alterum peccatum, quod quum in natura tria ſint, unũ gaudere, alterũ dolere, tertium nec gaudere nec dolere, hic putat primũ & tertium idem eſſe, nec diſtinguit à non dolendo uoluptatem. Tertium peccatum cõmune cũ quibuſdã, quod quum uirtus maxime expetatur, eiusq; adipiſcendę cauſa philoſophia quęſita ſit, ille à uirtute ſummum bonum ſeparauit. At laudat & ſępe uirtutem. Et quidem C. Gracchus quum largitiões maximas feciſſet, & effudiſſet ærarium, uerbis tamẽ defendebat ærariũ. Quid uerba audiã, quum facta uideã? Piſo ille Frugi ſemper cõtra legem frumentariã dixerat. Is lege lata Cõſularis ad frumentum accipiẽdum uenerat. Animaduertit Gracchus in concione Piſonẽ ſtantẽ. Quęrit audiente Populo R. qui ſibi conſtet, quũ ea lege frumentum petat quam diſſuaſerat. Nolim, inquit, mea bona Gracche tibi uiritim diuidere liceat: ſed ſi facias, partem petam. Parumne declarauit uir grauis & ſapiens lege Sempronia patrimonium publicũ diſſipari? Lege orationes Gracchi, patronum ærarii eſſe dices. Negat Epicurus iucunde poſſe uiui, niſi cum uirtute uiuatur. Negat ullam in ſapientem uim eſſe fortunæ, tenuem uictum antefert copioſo. Negat ullum eſſe tempus, quo ſapiens non beatus ſit. Omnia philoſopho digna, ſed cum uoluptate pugnantia. Nõ iſtam dicit uoluptatem. Dicat quãlibet: nempe eam dicit, in qua uirtutis nulla pars inſit. Age ſi uoluptatem non intelligamus, ne dolorem quidem. Nego igitur eius eſſe, qui dolore ſummum malum metiatur, mentionem facere uirtutis. Et queruntur quidam Epicurei uiri optimi (nam nullum genus eſt minus malitioſum) me ſtudioſe dicere contra Epicurum. Ita credo, de honore aut de dignitate contendimus. Mihi ſummum in animo bonum uidetur, illi autem

li autem in corpore: mihi in uirtute, illi in uoluptate. Et illi quidem pugnāt, & quidem uicinorum fidem implorāt: multi autem ſunt qui ſtatim cōuolent, Ego ſum is, qui dicam me non laborare, actū habiturū quod egerint. Quid enim de bello Punico agitur? de quo ipſo quum aliud M. Catoni, aliud L. Lētulo uideretur, nulla inter eos concertatio unq̄ fuit. Hi nimis iracunde agunt, preſertim quū ab his non ſane animoſe defendatur ſententia, pro qua non in Senatu, non in concione, non apud exercitum, neq; ad Cenſores dicere audeant. Sed cum iſtis alias, & eo quidem animo, nullum ut certamen inſtituam, uerum dicentibus facile cedam: tantum admonebo, ſi maxime uerum ſit, ad corpus omnia referre ſapientem, ſiue ut honeſtius dicā, nihil facere niſi quod expediat, ſiue omnia referre ad utilitatem ſuam, quoniam hęc plauſibilia non ſunt, ut in ſinu gaudeant, glorioſe loqui deſinant. Cyrenaicorū reſtat ſententia, qui tum ægritudinem cenſent exiſtere, ſi necopinato quid euenerit. Eſt id quidem magnum, ut ſupra dixi: etiam Chryſippo ita uideri ſcio, quod proui ſum ante non ſit, id fieri uehementius. Sed non ſunt in hoc omnia, q̄q̄ hoſtiū repens aduentus magis aliquando conturbat q̄ expectatus, & maris ſubita tempeſtas q̄ ante prouiſa terret nauigantes uehementius, & eiuſmodi ſunt pleraq;. Sed quum diligenter necopinatorum naturam cōſideres, nihil aliud reperias, niſi omnia uideri ſubita maiora, & quidem ob duas cauſas. Primū quod quanta ſint quæ accidunt, conſiderandi ſpatium nō datur: deinde quū uidetur præcaueri potuiſſe ſi prouiſum eſſet, quaſi culpa contractum malum ægritudinem acriorem facit. Quod ita eſſe dies declarat: quæ procedens ita mitigat, ut iiſdem malis manentibus non modo leniatur ægritudo, ſed in pleriſq; tollatur. Carthaginiēſes multi Romæ ſeruierūt. Macedones Rege Perſe capto. Vidi etiam in Peloponeſo quum eſſem adoleſcens, quoſdam Corinthios. Hi poterant omnes eadem illa de Andromacha deplorare.

„Hæc omnia uidi Sed & iam decantauerant fortaſſe. Eo enim erāt uultu, oratione, omni reliquo motu & ſtatu, ut eos Argiuos aut Sycionios diceres. Magiſq; me mouerant Corinthi ſubito aſpectę parietinæ, q̄ ipſos Corinthios, quorū animis diuturna cogitatio callum uetuſtatis obduxerat. Legimus librum Clitomachi, quem ille euerſa Carthagine miſit cōſolandi cauſa ad captiuos ciues ſuos. In eo eſt diſputatio ſcripta Carneadis, quam ſe ait in cōmētarium retuliſſe: quum ita poſitum eſſet, Videri fore in ægritudine ſapientē patria capta. Quæ Carneades cōtradixerit, ſcripta ſunt. Tanta igitur calamitatis præſentis adhibetur à philoſopho medicina, quāta inueteratę ne deſideratur quidem. Nec ſi aliquot annis poſt idem ille liber captiuis miſſus eſſet, uulneribus mederetur, ſed cicatricibus. Senſim enim & pedetentim progrediēs extenuatur dolor, non quo ipſa res īmutari ſoleat, aut poſſit, ſed id quod ratio debuerat, uſus docet, minora eſſe ea quæ ſint uiſa maiora. Quid ergo opus eſt, dicet aliquis, ratione, aut omnino conſolatione ulla, qua ſolemus uti quum leuare dolorem mœrentium uolumus? Hæc enim ferè tum habemus ī promptu, nihil oportere inopinatum uideri. Atqui tolerabilius feret incom„modum, qui cognouerit neceſſe eſſe homini tale aliquid accidere. Hæc enim oratio de ipſa ſumma mali nihil detrahit, tantummodo affert nihil eueniſſe quod opinandum non fuiſſet. Neq; tamen genus id orationis in conſolando non ualet: ſed id haud ſciam an plurimum. Ergo iſta necopinata non habent

tantam uim,ut ægritudo ex his omnis oriatur. Feriunt enim fortaſſe grauius,non id efficiunt,ut ea quę accidant, maiora uideantur: quia recentia ſunt, non quia repentina. Duplex eſt igitur ratio ueri reperiendi,non in his ſolum quę mala,ſed in his etiam quę bona uidentur. Nam aut ipſius rei natura qualis & quanta ſit quęrimus,ut de paupertate nonnunq̃,cuius onus diſputando leuamus,docentes q̃ parua & q̃ pauca ſint quę natura deſideret: aut à diſputãdi ſubtilitate orationem ad exempla traducimus. Hic Socrates commemoratur,hic Diogenes,hic Cęcilianum illud,

Sæpe eſt etiam ſub palliolo ſordido ſapientia.

Quum enim paupertatis una eademq́ʒ ſit uis,quidnam dici poteſt,quãobrẽ C. Fabritio tolerabilis ea fuerit,alii negent ſe ferre poſſe? Huic igitur alteri generi ſimilis eſt ea ratio cõſolandi,quæ docet humana eſſe quæ acciderint. Nõ enim id ſolum continet ea diſputatio,ut cognitiõem afferat generis humani, ſed ſignificat tolerabilia eſſe, quæ & tulerint & ferant ceteri. De paupertate agitur,multi patiẽtes pauperes commemorãtur. De contemnendo honore, multi inhonorati proferũtur,& quidẽ propter id ipſum beatiores: eorumq́ʒ, qui priuatum otium negotiis publicis antetulerunt,nominatim uita laudatur. Nec ſiletur illud potentiſſimi Regis Anapæſtum,qui laudat ſenem, & fortunatũ eſſe dicit,quod inglorius ſit atqʒ ignobilis ad ſupremũ diem peruenturus. Similiter cõmemorandis exemplis orbitates quoqʒ liberorum prędicantur,eorumq́ʒ qui grauius ferunt luctus,aliorum exemplis leniuntur. Sic perpeſſio ceterorum facit, ut ea quæ acciderint,multo minora,q̃ quanta ſint exiſtimata,uideãtur. Ita fit ſenſim cogitantibus,ut quantum ſit ementita opinio appareat. Atqʒ hoc idem & Telamon ille declarat,

Ego quum genui moriturum ſciui   Et Theſeus,

Futuras mecum commentabar miſerias.

Et Anaxagoras, Sciebam me genuiſſe mortalem. Hi enim omnes diu cogitãtes de rebus humanis,intelligebant eas nequaq̃ pro opinione uulgi eſſe extimeſcendas. Et mihi quidem uidetur idem ferè accidere iis qui ante meditantur,quod iis quibus medetur dies,niſi quòd ratio quædã ſanat illos, hos ipſa natura,intellecto eo quod remedium illud continet,malũ quod opinatum ſit eſſe maximum,nequaq̃ eſſe tantum,ut uitam beatam poſſit euertere. Hoc igitur efficitur,ut ex illo necopinato plaga maior ſit: non ut illi putant,ut quum duobus pares caſus euenerit,is modo ægritudine afficiatur,cui ille necopinato caſus euenerit. Itaqʒ dicunt nõnulli in mœrore,quũ de hac cõmuni hoĩum conditione audiuiſſent,ea lege eſſe nos natos,ut nemo in perpetuum eſſe poſſet expers mali,grauius etiam tuliſſe. Quocirca Carneades, ut uideo noſtrũ ſcribere Antiochum, reprehendere Chryſippum ſolebat laudantem Euripideum carmen illud,

Mortalis nemo eſt,quem non attingat dolor,
Morbusq́ʒ. multi ſunt humandi liberi,
Rurſus creandi,morsq́ʒ eſt finita omnibus.
Quæ generi humano angorem nequidq̃ afferunt.
Reddenda eſt terræ terra. Tum uita omnibus
Metenda ut fruges,ſic iubet neceſſitas.

Negabat genus hoc orationis quidq̃ omnino ad leuandum ægritudinem

pertinere

pertinere. Id enim ipſum dolendum eſſe dicebat, quod in tam crudelem neceſſitatem incidiſſemus. Nam illam quidem orationem ex commemoratione alienorum malorum, ad maleuolos conſolandos eſſe accommodatam. Mihi uero longe uidetur ſecus. Nam & neceſſitas ferendæ conditionis humanę, quaſi cum deo pugnare cohibet, admonetq́ eſſe hominem: quæ cogitatio magnopere luctum leuat: & enumeratio exemplorum, non ut animũ maleuolorum oblectet, affertur, ſed ut ille qui mœret, ferendum ſibi id cenſeat, quod uideat multos moderate & tranquille tuliſſe. Omnibus enim modis fulciẽdi ſunt qui ruunt, nec cohærere poſſunt propter magnitudinem ægritudinis. Ex quo ipſam ægritudinem λύπην Chryſippus, quaſi ſolutionem totius hominis appellatam putat, quæ tota poterit euelli, explicata, ut principio dixi, cauſa ægritudinis. Eſt enim nulla alia, niſi opinio & iudicium magni præſentis atq; urgentis mali. Itaq; & dolor corporis, cuius eſt morſus acerrimus, perferetur, ſpe propoſita boni: & acta ętas honeſte ac ſplendide tantã adfert conſolationem, ut eos qui ita uixerint, aut nõ tangat ægritudo, aut perleuiter pungat animi dolor. Sed ad hanc opinionem magni mali, quum illa etiam opinio acceſſerit, oportere rectum eſſe, ad officium pertinere, ferre illud ægre quod acciderit, tũ deniq; efficitur illa grauis ægritudinis perturbatio. Ex hac opinione ſunt illa uaria, & deteſtabilia genera lugendi, pædores, muliebres lacerationes genarũ, pectoris, fœminum, capitis percuſſiones. Hinc ille Agamemnon Homericus, & idem Accianus,

Scindens dolore identidem intonſam comam

In quo facetũ illud Bionis, perinde ſtultiſſimum Regẽ in luctu capillum ſibi euellere, quaſi caluitio mœror leuaretur. Sed hęc omnia faciunt opinantes ita fieri oportere. Itaq; & Aeſchines in Demoſthenem inuehitur, quod is ſeptimo die poſt filiæ mortem hoſtias immolauiſſet. At q̃ rhetorice, q̃ copioſe, quas ſentẽtias colligit? quæ uerba contorquet? ut licere quiduis rethori intelligas. Quæ nemo probaret, niſi inſitum illud in animis haberemus, omnis bonos interitu ſuorũ q̃ grauiſſime mœrere oportere. Ex hoc euenit, ut in animi doloribus alii ſolitudines captent, ut ait Homerus de Bellerophonte,

Qui miſer in campis mœrens errabat Aleis,
Ipſe ſuum cor edens, hominum ueſtigia uitans.

Et Niobe fingitur lapidea propter æternum, credo, in luctu ſilentium. Hecubam autem putant propter animi acerbitatem quandam & rabiem, fingi in canem eſſe conuerſam. Sunt autem alii, quos in luctu cum ipſa ſolitudine loqui ſæpe delectat: ut illa apud Ennium nutrix, Cupido cœpit miſeram nunc me proloqui cœlo atq; terræ Medeę miſerias,

Hęc omnia uera, recta, debita putantes faciunt in dolore: maximeq́ declaratur hoc quaſi officii iudicio fieri. Quod ſi qui forte quum in luctu eſſe uellẽt, aliquid fecerũt humanius, aut ſi hilarius locuti ſunt, reuocant ſe rurſus ad mœſtitiam, peccatiq́ ſe inſimulant, quod dolere intermiſerint. Pueros uero matres & magiſtri caſtigare etiam ſolẽt, nec uerbis ſolum, ſed etiam uerberibus, ſi quid in domeſtico luctu hilarius ab his factum eſt, aut dictum, plorare cogunt. Quid ipſa remiſſio luctus, quum eſt cõſecuta, intellectaq́ nihil profici mœrendo, nónne res declarat, fuiſſe totum illud uoluntarium? Quid ille Terentianus ipſe ſe puniens, id eſt, ἑαυτὸν τιμωρούμενος.

Decreui tantiſper me minus iniuriæ
Chremes meo gnato facere,dum fiam miſer.
Hic decernit,ut miſer ſit.Nun quis igitur quidq̃ decernit inuitus?
Malo quidem me quouis dignum deputem.
Malo ſe dignũ deputat niſi miſer ſit. Vides ergo opinionis eſſe non naturæ malum.Quid quod res ipſa lugere prohibet? Vt apud Homerum cotidianæ neces interitusq́ multorũ ſedationem mœrendi afferũt;apud quẽ ita dicitur.
Nanq; nimis multos atq; omni luce carentes
Cernimus,ut nemo poſſit mœrore uacare.
Quo magis eſt æquum tumulis mandare peremptos
Firmo animo,& luctum lacrymis finire diurnis.
Ergo in poteſtate eſt ab iicere dolorẽ,quum uelis, tempori ſeruientem An eſt ullum tempus(quoniam quidem res in noſtra poteſtate eſt)cui nõ ponẽdæ curæ ægritudinis cauſa ſeruiamus? Conſtabat eos qui concidentem uulneribus.Cn.Pompeium uidiſſent,quum ĩ illo ipſo acerbiſſimo miſerrimoq́ ſpectaculo ſibi timerent,quod ſe claſſe hoſtium circunfuſos uiderent,nihil tũ aliud egiſſe,niſi ut remiges hortarentur,& ut ſalutem adipiſcerentur fuga: poſteaq̃ Tyrum ueniſſent,tum afflictari lamentariq́ cœpiſſe. Timor igitur ab iis ægritudinem potuit repellere,ratio ac ſapientia uera non poterit? Quid eſt autem quod plus ualeat ad ponendum dolorem , q̃ quum eſt intellectum nihil profici,& fruſtra eſſe ſuſceptum? Si igitur deponi poteſt,etiam non ſuſcipi poteſt. Voluntate igitur & iudicio ſuſcipi ægritudinem confitendum eſt. Idq; indicatur eorum patientia,qui quum multa ſint ſæpe perpeſſi,faciliꝰ ferunt quidquid accidit, obduruiſſeq; ſeſe contra fortunam arbitrantur.
Vt ille apud Euripidem.
Si mihi nunc triſtis primum illuxiſſet dies:
Nec tam erumnoſo nauigauiſſem ſalo,
Eſſet dolendi cauſa,ut iniecto equulei
Freno repente tactu exagitantur nouo.
Sed iam ſubiectus miſeriis obtorpui.
Defatigatio igitur miſeriarum ægritudines quum faciat leuiores,intelligi neceſſe eſt,nõ rem ipſam cauſam atq; fontem eſſe mœroris. Philoſophi ſummi, necdum tamen ſapientiam conſequuti,nónne intelligunt in ſummo ſe malo eſſe? Sunt enim inſipientes,neq; inſipientia ullum maius malum eſt, neq; tamen lugent.Quid ita? quia huic generi malorum non affingitur illa opinio, rectum eſſe & æquum,& ad officium pertinere,ægre ferre quod ſapiens non ſis.Quod idẽ effingimus huic ægritudini,in qua luctus ineſt,quæ omniũ maxima eſt. Itaq; Ariſtoteles ueteres philoſophos accuſans,qui exiſtimauiſſent philoſophiã ſuis ingeniis eſſe perfectam,ait eos aut ſtultiſſimos aut glorioſiſſimos fuiſſe.Sed ſe uidere quod paucis annis magna acceſſio facta eſt,breui tẽpore philoſophiã plane abſolutam fore. Theophraſtus autem moriens accuſaſſe naturam dicitur,quod ceruis & cornicibus uitam diuturnã, quorum id nihil intereſſet,hominibus,quorum maxime interfuiſſet, tam exiguam uitã dediſſet: quorum ſi ætas potuiſſet eſſe longinquior,futurum fuiſſe, ut omnibus perfectis artibus,omni doctrina hominum uita erudiretur. Quærebatur igitur ſe tum,quum illa uidere cœpiſſet, extingui. Quid ex ceteris philoſophis?

phis? Nónne optimus & grauiſſimus quiſq; confitetur multa ſe ignorare, & multa ſibi etiam atq; etiam eſſe diſcenda? Neq; tamen quum ſe in media ſtultitia, qua nihil eſt peius, hærere intelligant, ægritudine premuntur. Nulla enī admiſcetur opinio officioſi doloris. Quid qui non putant lugendum uiris? qualis fuit Q. Maximus efferens filium conſularem. Qualis L. Paulus duobus paucis diebus amiſſis filijs, Qualis M. Cato Pretore deſignato mortuo filio. Quales reliqui, quos in conſolatione collegimus. Quid hos aliud placauit, niſi quod luctum & mœrorem non putabant uiri? Ergo id quod alij rectum opinantes, ægritudini ſe ſolent dedere: id ij turpe putantes ægritudinē repulerunt. Ex quo intelligitur non in natura, ſed in opinione eſſe ægritudinem. Contradicuntur hæc: quis tam demens, ut ſua uoluntate mœreat? Natura affert dolorem: cui quidem Crantor, inquiunt, noſter cedēdum putat. Premit enim atq; inſtat, nec reſiſti poteſt. Itaq; Oileus ille apud Sophoclem qui Telamonem antea de Aiacis morte conſolatus eſſet, is quum audiſſet de ſuo, fractus eſt. De cuius commutata mente ſic dicitur.

Nec uero tanta præditus ſapientia
Quiſq; eſt, qui aliorum ærumnam dictis alleuans,
Non idem quum fortuna mutata impetum
Conuertat, clade ut ſubita frangatur ſua,
Vt illa ad alios dicta & præcepta excidant.

Hæc quum diſputant, hoc ſtudent efficere, naturę obſiſti nullo modo poſſe. Ii tamen fatentur grauiores ęgritudines ſuſcipi q̄ natura cogat. Quæ eſt igitur amentia, ut nos quoq; idem ab alijs requiramus? Sed plures ſunt cauſæ ſuſcipiendi doloris. Primum illa opinio mali, quo uiſo atq; perſuaſo, ęgritudo inſequitur neceſſario. Deinde etiam gratum ſe mortuis facere, ſi grauiter eos lugeant, arbitrantur. Accedit ſuperſtitio muliebris quædam. Exiſtimant enī dijs immortalibus ſe facilius ſatis facturos, ſi eorum plaga perculſi, afflictos ſe & ſtratos eſſe fateātur. Sed hæc inter ſe q̄ repugnēt pleriq; non uident. Laudant enim eos, qui æquo animo moriātur: qui alterius mortē æquo animo ferant, eos putāt uituperandos: quaſi fieri ullo modo poſſit, quod in amatorio ſermōe dici ſolet, ut quiſquā plus alterum diligat, q̄ ſe. Pręclarum illud eſt, & ſi quæris rectū quoque & uerū, ut eos qui nobis chariſſimi eſſe debeant, æque ac noſmetipſos amemus. At uero plus fieri nullo pacto poteſt. Ne optandum quidem eſt in amicitia, ut me ille plus q̄ ſe, ego illum plus q̄ me. Perturbatio uitæ, ſi ita ſit, atq; officiorum omnium cōſequatur. Sed de hoc aliás. Nunc illud ſatis eſt, nō attribuere ad amiſſionē amicorum miſeriā noſtram, ne illos plus q̄ ipſi uelint ſi ſentiāt, plus certe q̄ noſmetipſos diligamus. Nā quod aiūt, pleroſq; conſolationibus nihil leuari, adiunguntq́; cōſolatores ipſos cōfiteri ſe miſeros, quum ad eos impetū ſuum fortuna conuerterit, utrūq; diſſoluitur. Sunt enim iſta nō naturæ uitia, ſed culpæ, ſtultitiam autē accuſare quãuis copioſe licet: nā & qui nō leuantur, ipſi ad miſeriā inuitant: & qui ſuos caſus aliter ferunt, atq; ut alijs auctores ipſi fuerunt: nō ſunt uitioſiores, q̄ fere pleriq; qui auari auaros, gloriæ cupidos glorioſi reprehendunt: eſt enim proprium ſtultitiæ, aliorū uitia cernere, obliuiſci ſuorum. Sed nimirum hoc maximū eſt exprimendū: quum conſtet ægritudinem uetuſtate tolli, hanc uim non eſſe in die poſitā, ſed in cogitatione diuturna. Nā & ſi eadem res eſt, & idē eſt ho-

mo qui poteſt quidquam de dolore mutari, ſi neq; de eo propter quod dolet, quidquam eſt mutatum, neq; de eo qui dolet? Cogitatio igitur diuturna nihil eſſe in re mali, dolori medetur, non ipſa diuturnitas. Hic mihi afferunt mediocritates: quæ ſi naturales ſunt, quid opus eſt conſolatione? Natura enĩ ipſa terminabit modum: Sin opinabiles, tota opinio tollatur. Satis dictum eſſe arbitror ægritudinem eſſe opinionem mali præſentis, in qua opinione illud inſit, ut ægritudinem ſuſcipere oporteat. Additur ad hanc definitionem à Zenone recte, ut illa opinio præſentis mali ſit recens. Hoc autem uerbum ſic interpretatur, ut non tantum illud recens eſſe uelit, quod paulò ante acciderit, ſed quandiu in illo opinato malo uis quædam inſit & uigeat, & habeat quandam uiriditatem, tandiu appelletur recens. Vt Arthemiſia illa Mauſoli Cariæ Regis uxor, quæ nobile illud Halicarnaſi fecit ſepulcrum, quandiu uixit, uixit in luctu. eodemq; etiam confecta contabuit. Huic erat illa opinio cotidie recens, quæ tum denique non appellabatur recens, quum uetuſtate exaruit. Hæc igitur officia ſunt conſolantium, tollere ægritudinem funditus, aut ſedare, aut detrahere quamplurimum, aut ſupprimere, nec pati manare lõgius, aut ad aliam traducere. Sunt qui unum officium conſolantis putent, malum illud omnino non eſſe, ut Cleanthi placet. Sunt qui non magnum malum, ut peripatetici. Sunt qui abducunt à malis ad bona, ut Epicurus. Sunt qui ſatis putant oſtendere nihil inopinati accidiſſe, nihil mali. Chryſippus autem caput eſſe cenſet in conſolando detrahere illam opinionem mœrenti, ſe officio fungi putet iuſto atq; debito. Sunt etiam qui hæc omnia genera cõſolandi colligunt: alius enim alio modo mouetur, ut ferè nos omnia in conſolationem unam coniecimus. Erat enim in tumore animus, & omnis in eo tẽtabatur curatio. Sed ſumendum tempus eſt non minus in animorum morbis q̃ in corporum, ut Prometheus ille Aeſchyli, cui quum dictum eſſet,

Atqui prometheû te hoc tenere exiſtimo,
Mederi poſſe rationem iracundiæ: Reſpondet,
Siquidem qui tempeſtiuam medicinam admouens,
Non aggraueſcens uulnus, illidat manus.

Erit igitur in conſolationibus prima medicina docere, aut nullum malum eſſe, aut admodum paruum. Altera eſt & de cõmuni conditione uitæ, & propriæ, ſi quid ſit de ipſius qui mœreat, diſputãdum. Tertia, ſummam eſſe ſtultitiam fruſtra confici mœrore quum intelligas nihil poſſe profici. Nam Cleanthes quidem ſapientem conſolatur, qui conſolatione non eget. Nihil enim eſſe malum quod turpe non ſit, ſi lugenti perſuaſeris, non tu illi luctum, ſed ſtultitiam detraxeris. Alienum autem tempus docendi. Et tamen non ſatis mihi uidetur uidiſſe hoc Cleanthes, ſuſcipi aliquando ægritudinem poſſe ex eo ipſo, quod eſſe ſummum malum Cleanthes ipſe fateatur. Quid enim dicemus? quum Socrates Alcibiadi perſuaſiſſet, ut accepimus, eum nihil hominis eſſe, nec quidquam inter Alcibiadem ſummo loco natum, & quemuis baiulum intereſſe, quum ſe Alcibiades affligaret, lacrymanſq; Socrati ſupplex eſſet, ut ſibi uirtutem traderet, turpitudinemq; depelleret: quid dicemus Cleanthe? num in illa re, quæ ægritudine Alcibiadem afficiebat, mali nihil fuiſſe? Quid illa Lyconis, qualia ſunt? qui ægritudinem extenuans, paruis ait eam rebus moueri fortunæ & corporis incommodis, non animi malis, Quid ergo?

ergo? illud quod Alcibiades dolebat,non ex animi malis uitiiſq; conſtabat?
Ad Epicuri conſolationem ſatis eſt antedictum.Ne illa quidem cõſolatio fir
miſſima eſt,quanq̃ & uſitata eſt,& ſæpe prodeſt. Non tibi hoc ſoli. Prodeſt
hæc quidem ,ut dixi,ſed nec ſemper,nec omnibus , ſunt enim qui reſpuant.
Sed refert quo modo adhibeatur.ut enim tulerit quiſq; eorum qui ſapienter
tulerunt,non quo quiſq; incommodo affectus ſit,prædicandum eſt.Chryſip
pi, ad ueritatem firmiſſima eſt , ad tempus ægritudinis difficilis. Magnum
opus eſt probare mœrenti illum ſuo iudicio,& quod ſe ita putet oportere fa-
cere,mœrere.Nimirum igitur ut in cauſis nõ ſemper utimur eodem ſtatu , ſic
enim appellamus controuerſiarum genera , ſed ad tempus,ad controuerſiæ
naturam,ad perſonam accomodamus:ſic in ægritudine leniẽda. Nam quam
quiſque curationem recipere poſſit uidendum eſt. Sed neſcio quo pacto ab
eo quod erat à te propoſitum,aberrauit oratio.Tu enim de ſapiente quæſie-
ras,cui aut malum uideri nullum poteſt quod uacet turpitudine, aut ita par-
uum malum,ut id obruatur ſapientia,uixq; appareat : qui nihil opinione aſ-
fingat,aſſumatq; ad ęgritudinem , nec id putet eſſe rectum , ſe quàm maxi-
me excruciari luctuq; confici , quo grauius nihil eſſe poſſit. Edocuit tamen
ratio,ut mihi quidem uidetur,quum hoc ipſum proprie non quæreretur hoc
tempore,ne quidem ullum eſſe malum,niſi quod idem dici turpe poſſet , ta-
men ut uideremus quidquid eſſet in ægritudine mali,id non naturale eſſe,ſed
uoluntario iudicio,& opinionis errore contractum. Tractatum eſt autem à
nobis id genus ęgritudinis,quod unum eſt omnium maximum ; ut eo ſubla-
to,reliquorum remedia,ne magnopere quærenda arbitremur.Sunt enim cer
ta quæ de paupertate,certa quæ de uita inhonorata & ingloria dici ſoleant.
Separatim autem certæ ſcholæ ſunt,de exilio,de interitu patriæ, de ſeruitute,
de debilitate,de cæcitate,& de omni caſu,in quo nomen poni ſolet calamita-
tis.Hæc Græci in ſingulas ſcholas , & in ſingulos libros diſpertiunt. Opus
enim quærunt,quamquam planè diſputationis ſunt,delectationis.Et tamen
ut medici toto corpore curando minimę etiam parti ſi condoluit,medentur:
ſic philoſophia,quum uniuerſam ęgritudinem ſuſtulit,tamen ſi quis error ali
unde extitit,ſi paupertas momordit , ſi ignominia pupugit , ſi quid tenebra-
rum obſudit,exilium,aut eorum quæ modo dixi,ſi quid extitit. Et ſi ſingula-
rum rerum ſunt proprię cõſolationes,de quibus audies tu quidem quum uo-
les.Sed ad eũdem fontem reuertendum eſt,ægritudinem omnem procul ab-
eſſe à ſapiente,q; inanis ſit,quòd fruſtra ſuſcipiatur, quòd non natura exoria
tur,ſed iudicio,ſed opinione,ſed quadam inuitatione ad dolendum, quum id
decreuerimus ita fieri oportere.Hoc detracto,quod totum eſt uoluntarium,
ægritudo erit ſublata illa mœrens , morſus tamen & contractiunculæ quæ-
dam animi relinquentur. Hanc dicant ſanè naturalem, dum ægritudinis no-
men abſit,graue,tetrum,funeſtum,quod cum ſapientia eſſe , atque ut ita di-
cam,habitare nullo modo poſſit. Atqui ſtirpes ſunt ægritudinis quàm mul-
tæ,quàm amarę,quæ ipſo trunco euerſo omnes elidendę ſunt,& ſi neceſſe erit
ſingulis diſputatiõibus.Supereſt enim nobis hoc cuicuimodi eſt otium.Sed
ratio una omnium eſt ægritudinum,plura nomina.Nam & inuidere ægritu
dinis eſt,& æmulari,& obtrectare,& miſereri,& angi,lugere,mœrere,ærũ-
na affici,lamentari,ſollicitari,dolere,ĩ moleſtia eſſe,afflictari,deſperare. Hæc

omnia definiunt ſtoici: eaq; uerba quæ dixi, ſingularum rerum ſunt, non ut uidentur eaſdem res ſignificant, ſed aliquid differunt, quod alio loco fortaſſe tractabimus. Hæ ſunt illæ ſtirpium fibræ, quas initio dixi, perſequendæ, & omnes elidendæ, ne unq̃ ulla poſſit exiſtere. Magnum opus & difficile, quis negat? Quid autem præclarum, non idem arduum? ſed tamen id ſe effecturã philoſophia profitetur: nos modo curationẽ eius recipiamus. Verum quidẽ hæc hactenus. Cetera quotieſcunque uoletis, & hoc loco, & alijs parata uobis erunt.

M. TVLLII CICERONIS TVSCVLANARVM QVAESTIONVM AD M. BRVTVM LIBER QVARTVS.

DE RELIQVIS ANIMI PERTVRBATIONIBVS

CVM multis in locis noſtrorum hominum ingenia uirtutesq; Brute ſoleo mirari, tum maxime his ĩ ſtudijs quæ ſero admodum expetita in hanc ciuitatem è Græcia tranſtulerunt. Nam quum a' primo urbis ortu regijs inſtitutis, partim etiam legibus, auſpicia, cerimoniæ, comitia, prouocationes, Patrum conſilium, equitum peditumq; deſcriptio, tota res militaris diuinitus eſſet conſtituta, tum progreſſio admirabilis incredibiliſq; curſus ad omnem excellentiam factus eſt, dominatu regio Rep. liberata. Nec uero hic locus eſt, ut de moribus inſtitutiſq; maiorum, & diſciplina ac temperatione ciuitatis loquamur. Alijs hæc locis ſatis accurate a' nobis dicta ſunt, maximeq; in his VI libris, quos de Rep. ſcripſimus. Hoc autem loco conſiderãti mihi ſtudia doctrinæ, multa ſane' occurrunt cur ea quoq; accerſita aliunde, neq; ſolum expetita, ſed etiã conſeruata & culta uideantur. Erat enim illis pene' in conſpectu pręſtanti ſapiẽtia & nobilitate Pythagoras, qui fuit in Italia temporibus ijſdem, quibus L. Brutus patriam liberauit, pręclarus author nobilitatis tuę. Pythagoræ autem doctrina quum longe lateq; flueret, permanauiſſe mihi uidetur in hanc ciuitatem: idq; cum coniectura probabile eſt, tum quibuſdam etiam ueſtigijs indicatur. Quis eſt enim qui putet, quum floreret in Italia Græcia potẽtiſſimis & maximis urbibus ea quæ magna dicta eſt, in hiſq; primũ ipſius Pythagoræ, deinde poſtea Pythagoreorũ tantum nomẽ eſſet, noſtrorum hominum ad eorum doctiſſimas uoces aures clauſas fuiſſe? Quinetiam arbitror propter Pythagoreorũ admirationẽ, Numam quoq; regẽ Pythagoreum a' poſterioribus exiſtimatũ. Nam quum Pythagoræ diſciplinã & inſtituta cognoſcerẽt, Regiſq; eius æquitatẽ & ſapientiã a' maioribus ſuis accepiſſent, ætates autẽ & tempora ignorarent propter ue tuſtatẽ, eum qui ſapientia excelleret, Pythagorę auditorem fuiſſe crediderũt. Et de coniectura quidem hactenus. Veſtigia autem Pythagoreorum: q̃q̃ multa colligi poſſunt, paucis tamen utemur, quoniã non id agitur hoc tempore. Nã quum carminibus ſoliti illi eſſe dicantur & præcepta quædã occultius

tradere

tradere,& mentes ſuas a cogitationum intẽtione cantu fidibusq́ʒ ad tranquillitatem traducere,grauiſſimus author in Originibus dixit Cato,morẽ apud maiores hunc epularum fuiſſe,ut deinceps qui accubarent,canerent ad tibiã clarorum uirorum laudes atqʒ uirtutes.Ex quo perſpicuum eſt,& cantus tũ fuiſſe reſcriptos uocum ſonis & carmina:quãq̃ id quidem etiam XII tabulę declarant,condi iam tum ſolitum eſſe carmen : quod ne liceret fieri ad alterius iniuriam,lege ſanxerunt.Nec uero illud nõ eruditorum temporum argumentum eſt, quod & deorum puluinaribus & epulis magiſtratuum fides pręcinunt,quod proprium eius fuit,de qua loquor,diſciplinę. Mihi quidem etiam Appij Cęci carmen,quod ualde Panętius laudat epiſtola quadam quę eſt ad Q. Tuberonem Pythagoreorum uidetur.Multa etiam ſunt in noſtris inſtitutis ducta ab illis,quę prętereo,ne ea quę peperiſſe ipſi putamur,aliunde didiciſſe uideamur. Sed ut ad propoſitum redeat oratio.Qꝫ breui tempore,quot & quãti poetę?qui autem oratores extiterunt?facile ut appareat noſtros omnia conſequi potuiſſe:ſimul ut uelle cœpiſſent.Sed de ceteris ſtudijs alio loco & dicemus,ſi uſus fuerit,& ſępe diximus. Sapientię ſtudium uetus id quidem in noſtris,ſed tamen ante Lęlij ætatem & Scipionis non reperio, quos appellare poſſim nominatim. Quibus adoleſcentibus Stoicum Diogenem,& Academicum Carneadem uideo ad Senatum ab Athenienſibus miſſos eſſe Legatos:qui quum reipub.nullam unq̃ partẽ attigiſſent,eſſentq́ʒ eorum alter Cyrenæus,alter Babylonius,nunquam profecto ſcholis eſſent excitati,neqʒ ad illud munus electi,niſi in quibuſdam principibus temporibus illis fuiſſent ſtudia doctrinæ,qui quum cetera literis mandarent,alij ius ciuile,alij orationes ſuas,alij monumenta maiorum,hanc ampliſſimam omnium artium bene uiuendi diſciplinam uita magis q̃ literis perſequuti ſunt. Itaqʒ illius uerę elegãtisq́ʒ philoſophiæ,quæ ducta a Socrate in Peripateticis adhuc permanſit,& idem alio modo dicentibus Stoicis, quum Academici eorum controuerſias diſceptarent,nulla fere ſunt,aut pauca admodum latina monumenta,ſiue propter magnitudinem rerum,occupationemq́ʒ omnium,ſiue etiam ꝙ imperitis ea probari poſſe non arbitrabantur,quum interim illis ſilentibus,C. Amaſanius extitit,dicẽs.Cuius libris editis commota multitudo cõtulit ſe ad eandem potiſſimum diſciplinam,ſiue ꝙ erat cognitu perfacilis,ſiue ꝙ inuitabatur illecebris blandis uoluptatis, ſiue etiam quia nihil prolatum erat melius,illud quod erat,tenebãt.Poſt Amaſanium autem multi eiuſdem æmuli rationis,multa quum ſcripſiſſent,Italiam totã occupauerũt. Quodq́ʒ maximum argumentum eſt,non dici illa ſubtiliter quod etiam facile ediſcantur,& ab indoctis probentur,id illi firmamentum eſſe diſciplinę putant.Sed defendat quod quiſqʒ ſentit,ſunt enim iudicia libera,nos inſtitutum tenebimus,nullisq́ʒ unius diſciplinæ legibus aſtricti,quibus in philoſophia neceſſario pareamus, quid ſit in quaqʒ re maxime probabile, ſemper requiremus. Quod quum ſæpe alias,tum nuper in Tuſculano ſtudioſe egimus. Itaqʒ expoſitis tridui diſputationibus, quartus dies hoc libro concluditur. Vt enim in inferiorẽ ambulationẽ deſcendimus,quod feceramus idẽ ſuperioribus diebus,acta res eſt ſic. M. Dicat ſi quis uult qua de re diſputare uelit. A. Non mihi uidetur omni animi perturbatione poſſe ſapiens uacare. M. Aegritudine quidem heſterna diſputatione uidebatur. Niſi forte temporis cauſa no

mur, ut in bono ſimus aliquo, dupliciter id contingit. Nam quum ratione animus mouetur placide atque cōſtanter, tum illud gaudium dicitur. Quum autem inaniter & effuſe animus exultat, tum illa lætitia geſtiens, uel nimia dici poteſt, quam ita definiūt, ſine ratione animi elationem. Quoniamq́ ut bona natura appetimus, ſic a malis natura declinamus, quæ declinatio ſi cum ratione fiet, cautio appelletur, eaq́ intelligatur in ſolo eſſe ſapiente: quæ autem ſine ratione & cum examinatione humili atq́ fracta, nominetur metus. Eſt igitur metus rationi aduerſa cautio. Præſentis autem mali, ſapientis affectio nulla eſt. Stulti autem ægritudo eſt ea, qua afficiuntur in malis opinatis, animosq́ demittunt & contrahunt rationi non obtemperantes. Itaq́ hæc prima definitio eſt, ut ægritudo ſit animi aduerſante ratione contractio. Sic quatuor perturbationes ſunt. Tres conſtantiæ, quum ægritudini nulla conſtantia opponitur, ſed omnes perturbationes iudicio cenſent fieri & opinione. Itaque eas definiunt preſſius, ut intelligatur non modo quàm uitioſę, ſed etiam quàm in noſtra ſint poteſtate. Eſt igitur ęgritudo, opinio recens mali pręſentis, ī quo demitti cōtrahiq́ animo rectum eſſe uideatur. Lætitia opinio recens boni præſentis, in quo efferri rectum eſſe uideatur. Metus, opinio impendentis mali, quod intolerabile eſſe uideatur. Libido, opinio uenturi boni, quod ſit ex uſu iam præſens eſſe atque adeſſe. Sed quæ iudicia, quasq́ opiniones perturbationum eſſe dixi, non in eis perturbationes ſolum poſitas eſſe dicunt, uerum illa etiā quæ efficiunt perturbationibus. Vt ægritudo quaſi morſum aliquem doloris efficiat: metus receſſum quendā animi & fugam: lætitia profuſam hilaritatem: libido effrenatā appetentiam. Opinionē autem, quam in omnes definitiones ſuperiores incluſimus, uolunt eſſe imbecillam aſſenſionē. Sed ſingulis perturbationibus partes eiuſdē generis plures ſubiiciūtur. Vt ægritudini inuidentia (utendum eſt enim docendi cauſa uerbo minus uſitato, quoniam inuidia non ī eo qui inuidet ſolum dicitur, ſed etiam ī eo qui īuidetur) æmulatio, obtrectatio, miſericordia, angor, luctus, mœror, ærumna, dolor, lamentatio, ſolicitudo, moleſtia, afflictatio, deſperatio, & ſi qua ſunt de genere eodem. Sub metum autem ſubiecta ſunt pigritia, pudor, terror, timor, pauor, exanimatio, conturbatio, formido. Voluptati maleuolentia, lætans malo alieno, delectatio, iactatio, & ſimilia. Libidini ira, eſcandeſcētia, odium, inimicitia, diſcordia, indigentia, deſiderium & cetera eiuſmodi. Hæc autem definiunt hoc modo. Inuidentiam eſſe dicunt ægritudinem ſuſceptam propter alterius res ſecundas, quæ nihil noceant inuidenti. Nam ſi quis doleat eius rebus ſecundis a quo ipſe lædatur, non recte dicitur inuidere, ut ſi Hectori Agamemnon. Qui autem, cui alterius commoda nihil noceāt, tamen eum doleat his frui, inuidet profecto. Aemulatio autem dupliciter illa quidem dicitur, ut & in laude & in uitio nomen hoc ſit. Nam & imitatio uirtutis ęmulatio dicitur. Sed ea nihil hoc loco utimur, ē enim laudis. Et eſt ęmulatio ęgritudo, ſi eo quod concupierit, alius potiatur, ipſe careat. Obtrectatio autem eſt ea, quam intelligi Zelotypiam uolo, ęgritudo ex eo, quod alter quoq́ potiatur eo quod ipſe concupiuerit. Miſericordia eſt ęgritudo ex miſeria alterius iniuria laborantis. Nemo enim parricidę aut proditoris ſupplicio miſericordia commouetur. Angor, ęgritudo pręmens. Luctus, ęgritudo ex eius, qui charus fuerit, interitu acerbo. Mœror ęgritudo flebilis,

Aerumna,ægritudo laborioſa. Dolor,ægritudo crucians. Lamentatio,ægritudo cum eiulatu. Solicitudo,ægritudo cum cogitatione. Moleſtia, ægritudo permanẽs. Afflictatio,ægritudo cũ uexatione corporis. Deſperatio, ægritudo ſine ulla rerum expectatione meliorum. Quæ autem, ſubiecta ſunt ſub metum,ea ſic definiunt. Pigritiam,metum conſequentis laboris. Terrorem, metũ concutientem. Ex quo fit,ut pudorem rubor,ſic terrorem pallor,& tremor,& dentium crepitus conſequatur. Timorem,metum mali appropinquãtis. Pauorem,metum mentem loco mouentem. Ex quo illud Ennij,

Tum pauor ſapientiam omnem mihi ex animo expectorat.

Exanimationem,metum ſubſequentem,& quaſi comitem pauoris. Conturbationem metum excutientem cogitata. Formidinem, metum permanentẽ. Voluptatis autem partes hoc modo deſcribũt,ut maleuolẽtia ſit uoluptas ex malo alterius ſine emolumẽto ſuo. Delectatio,uoluptas ſuauitate auditus animum deleniens. Et qualis eſt hęc aurium, tales ſunt oculorum,& tactionum, & odorationum,& ſaporum: quę ſunt omnes unius generis ad perfundendum animum,tanq̃ illiquefactæ uoluptates. Iactatio eſt uoluptas geſtiẽs,& ſe efferens inſolentius. Quæ autem libidini ſubiecta ſunt,ea ſic definiuntur,ut ira ſit libido puniendi eius qui uideatur læſiſſe iniuria. Exſcãdeſcentia autem ſit ira naſcens,& modo exiſtens,quę θύμωσις græce dicit̃. Odiũ,ira inueterata. Inimicitia,ira ulciſcendi tempus obſeruans. Diſcordia, ira acerbior intimo odio & corde concepta. Indigentia, libido explebilis. Deſiderium, libido eius qui nondum adſit uidendi. Diſtinguitur illud etiam, ut libido ſit earum rerum,quæ dicuntur de quodam,aut quibuſdam, quæ κατηγορήματα Dialectici appellant,ut habere diuitias,capere honores. Indigentia,libido rerum ipſarum eſt,ut honorum,ut pecuniæ. Omnium autem perturbationum fontem eſſe dicunt intemperantiam, quæ eſt à tota mente, ac recta ratione defectio, ſic auerſa à præſcriptione rationis,ut nullo modo appetitiones animi nec regi nec contineri queant. Quemadmodum igitur temperantia ſedat appetitiones & efficit ut hæ rectæ rationi pareant, conſeruatq́ conſiderata iudicia mentis: ſic huic inimica intemperantia omnem animi ſtatum inflammat,cõturbat, incitat. Itaque & ægritudines, & metus,& reliquæ perturbationes omnes gignuntur ex ea. Quemadmodum quum ſanguis corruptus eſt, aut pituita redundat,aut bilis,in corpore morbi, ęgrotationes naſcuntur: ſic prauarum opinionum conturbatio,& ipſarum inter ſe repugnantia,ſanitate ſpoliat animum,morbiſq́ perturbat. Ex perturbationibus autem primum morbi conficiuntur, quæ uocãt illi νοσήματα, eaq́ quæ ſunt eis morbis contraria, quæ habent ad res certas uitioſam offenſionem atq́ faſtidium. Deinde ægrotationes,quæ appellantur à Stoicis ἀῤῥωστήματα, hiſq́ item oppoſitæ contrariæ offenſiones. Hoc loco nimium operæ conſumitur à Stoicis, maxime à Chryſippo,dum morbis corporum comparatur morborum animi ſimilitudo. Qua oratione prætermiſſa minime neceſſaria,ea quæ rem continent pertractemus. Intelligatur igitur perturbationem iactantibus ſe opinionibus inconſtanter & turbide in motu eſſe ſemper. Quum autem hic feruor concitatioq́ animi inueterauerit, & tanquam in uenis medulliſq́ inſederit, tum exiſtit & morbus & ægrotatio, & offenſiones hę,quæ ſunt eis morbis ęgrotationibuſq́ contrariæ. Hæc quæ dico: cogitatione quidem inter ſe differunt,

re uero copulata ſunt,eaq́ꝫ oriuntur ex libidine & lętitia. Nam quum eſt con cupita pecunia,nec adhibita continuo ratio,quaſi quædam Socratica medici na,quæ ſanaret eam cupiditatē, permanat in uenas,& inhęret in uiſceribus illud malum,exiſtitq́ꝫ morbus & ęgrotatio: quę auelli inueterata non poſ ſunt, eiq́ꝫ morbo nomen eſt auaritia: ſimiliterq́ꝫ ceteri morbi, ut glorię cupi ditas, ut mulieroſitas,ut ita appellē eam, quę gręce φιλογυνέια dicitur,ceteriq́ꝫ ſimiliter morbi ægrotationesq́ꝫ morborum naſcuntur. Quę autem ſunt his contraria,ea naſci putantur à metu,ut odium mulierū,quale in μισογυνέια eſt,ut in hominū uniuerſum genus,quod accepimus de Timone,qui μισάνθρωπος ap pellatur,ut inhoſpitalitas eſt. Quæ oēs ægrotatiōes animi ex quodam metu naſcuntur earū rerum,quas fugiunt & oderunt. Definiunt autem animi ęgro tationem,opinationem uehementem de re non expetenda,tanq̃ ualde expe tēda ſit,inhærentem & penitus inſitam. Quod autē naſcitur ex offenſione,ita definiunt,opinionē uehemētem de re nō fugienda inhærentē & penitus inſi tam,tanq̃ fugienda. Hæc autem opinatio eſt iudicare ſe ſcire quod neſciat. Aegrotationi autem talia quædam ſubiecta ſunt,auaritia,ambitio, mulieroſi tas,peruicacia,ligurritio,uinolentia,cupedia,& ſi qua ſimilia. Eſt autem aua ritia opinatio uehemēs de pecunia,quaſi ualde expetēda ſit,inhærens & peni tus inſita. Similisq́ꝫ eſt eiuſdem generis definitio reliquarū. Offenſionū autē definitiones ſunt eiuſmodi. Vt inhoſpitalitas ſit opinio uehemēs ualde fugiē dū eſſe hoſpitē,eaq́ꝫ inhærens & penitus inſita. Similiterq́ꝫ definitur & mu lierū odium,ut Hippolyti,& ut Timonis generis humani. Atq́ꝫ ut ad ualetu dinis ſimilitudinē ueniā,eaq́ꝫ collatione utamur aliquādo, ſed parcius q̃ ſolēt Stoici: ut ſint alij ad alios morbos procliuiores. Itaq́ꝫ dicimus grauedinoſos, quoſdam,quoſdam torminoſos,non quia ſemper ſint,ſed quia ſæpe ſint: alij ad metum,alij ad aliam perturbationē. Ex quo in alijs anxietas, unde anxij: in alijs iracundia dicitur,quæ ab ira differt, Eſtq́ꝫ aliud iracundum eſſe,aliud iratū,ut differt anxietas ab angore. Neq́ꝫ enim oēs anxii qui angūtur aliquā do,neq́ꝫ anxij ſemper angūtur: ut inter ebrietatē & ebrioſitatem intereſt: ali udq́ꝫ eſt amatorem eſſe aliud amantem. Atq́ꝫ hæc aliorum ad alios morbos procliuitas late patet. Nam pertinet ad oēs perturbationes. In multis etiam uitijs apparet,ſed nomen res non habet. Ergo inuidi, & maleuoli: liuidi & ti midi,& miſericordes,quia procliues ad eas perturbationes,non quia ſemper feruntur. Hęc igitur procliuitas ad ſuum quodq́ꝫ genus à ſimilitudine corpo ris ægrotatio dicitur,dum ea intelligatur ad ægrotandum procliuitas. Sed hęc in bonis rebus, quòd alij ad alia bona ſunt aptiores, facilitas nomine tur,in malis procliuitas,ut ſignificet lapſionē,in neutris habeat ſuperius no men. Quomodo autem in corpore eſt morbus,ægrotatio,& uitiū,ſic in ani mo. Morbum appellant totius corporis corruptionem: Aegrotationē mor bum cum imbecillitate: Vitium quum partes corporis inter ſe diſſident. Ex quo prauitas membrorum diſtortio, deformitas. Itaq́ꝫ illa duo,morbus & ægrotatio ex totius ualetudinis corporis conquaſſatione & perturbatione gignuntur: uitium autem integra ualetudine ipſum ex ſe cernitur. Sed in ani mo tantummodo cogitatione poſſumus morbum ab ægrotatione ſeiungere. Vitioſitas autem eſt habitus,aut affectio in tota uita inconſtās,& à ſeipſa diſ ſentiēs. Ita fit,ut in altera corruptione opinionum morbus efficiatur & ęgro

tatio,in altera inconſtantia & repugnantia. Non enim omne uitium partes habet diſſentientes,ut eorum qui non longe à ſapientia abſunt,affectio eſt illa quidem diſcrepans ſibi ipſa dum eſt inſipiens, ſed non diſtorta nec praua. Morbi autem & ægrotationis partes ſunt uitioſitatis,ſed perturbatiões ſint ne eiuſdem partes,quæſtio eſt. Vitia enim affectiones ſunt manentes, perturbationes autem mouentes:ut non poſſint affectionum manentium partes eſſe. Atq; ut in malis attingit animi naturam corporis ſimilitudo, ſic & in bonis. Sunt enim in corpore præcipua,pulchritudo,uires,ualetudo,firmitas,uelocitas. Sunt item in animo corporis tẽperatio,quum ea congruunt inter ſe, è quibus conſtamus. Sanitas ſic animi dicitur,quum eius iudicia opinionesq; concordant. Eaq; animi eſt uirtus, quam alii ipſam temperantiã dicunt eſſe, alij obtemperantẽ temperantię pręceptis,& eam ſubſequentem,nec habentẽ ullam ſpeciẽ ſuam. Sed ſiue hoc ſiue illud ſit,in ſolo eſſe ſapiente. Eſt autẽ quędam animi ſanitas,quæ in inſipientẽ etiam cadat,quum curatione medicorũ cõturbatio mentis aufertur. Et ut corporis eſt quædam apta figura membrorum cũ coloris quadã ſuauitate,eaq; dicitur pulchritudo:ſic in animo opinionũ iudiciorumq; æquabilitas,& cõſtantia cum firmitate quadã & ſtabilitate uirtutem ſubſequens,aut uirtutis uim ipſam continens,pulchritudo uocatur. itemq; uiribus corporis & neruis, & efficacitati ſimiles, ſimilibusq; uerbis animi uires nominantur. Velocitas autem corporis celeritas appellatur,quæ eadem ingenij etiam laus habetur propter animi multarum rerum breui tempore percurſionem. Illud animorum corporumq; diſſimile eſt, quod animi ualentes morbo tentari non poſſunt,corpora poſſunt. Sed corporum offenſiones ſine culpa accidere poſſunt,animorũ non item,quorum omnes morbi & perturbationes ex aſpernatione rationis eueniũt. Itaq; in hominibus ſolũ exiſtunt. Nam beſtiæ ſimile quiddam faciunt,ſed in perturbationes non incidunt. Inter acutos autem & hebetes intereſt,quod ingenioſi ut æs Corinthium in æruginem,ſic illi in morbum & incidunt tardius,& recreantur ocyus: hebetes non item. Nec uero in omnem morbum ac perturbationem animus ingenioſi cadit. Nõ enim multa efferata & immania:quædam autem humanitatis quoq; habẽt primã ſpeciem,ut miſericordia,ægritudo,metus. Aegrotationes autem & morbi animorum difficilius euelli poſſe putantur,q̃ ſumma illa uitia,quæ uirtutibus ſunt contraria. Morbis enim manentibus uitia ſublata eſſe non poſſunt,quia non tam celeriter ſanantur,q̃ illa tolluntur. Habes ea,quæ de pturbationibus enucleate diſputãt Stoici,quę logica appellãt, quia diſſerũtur ſubtilius. E' quibus tanq̃ ẽ ſcrupuloſis cotibus enauigauit oratio. Reliquæ diſputationis curſum teneamus, modo ſatis illa dilucide dixerimus pro rerum obſcuritate. A. Prorſus ſatis:ſed ſiqua diligentius erunt cognoſcẽda,quæremus aliàs. Nunc uela,quæ modo dicebas,expectamus & curſum, M. Quando & alijs locis de uirtute diximus,& ſæpe dicendum erit. Pleræq; enim queſtiones,quæ ad uitã moresq; pertinent,à uirtutis fonte ducuntur. Quando igitur uirtus eſt affectio animi conſtans conueniensq;, laudabiles efficiens eos,in quibus eſt,& ipſa per ſe ſua ſponte,ſeparata etiam utilitate laudabilis,ex ea proficiſcunt̃ honeſtę uoluntates, ſentẽtiæ,actiones,oĩs recta ratio. Quanq̃ ipſa uirtus breuiſſime ratio recta dici poteſt. Huius igit̃ uirtutis contraria eſt uitioſitas. Sic enim malo q̃ malitiam appellare eam,quã

Græci

Greci κακίαν appellāt. Nam malitia certi cuiuſdam uitij nomen eſt, uitioſitas omniū. Ex qua cogitantur perturbationes, quæ ſunt, ut pauló ante diximus, turbidi animorum concitatiq́ motus, auerſi á ratione, & inimiciſſimi mentis uitæq́ tranquillæ. Important enim ægritudines anxias atq acerbas, animosq́ affligūt & debilitant metu. Iidem inflāmant appetitione nimia, quam tum cupiditatem, tum libidinem dicimus impotentiam quandam animi á tēperantia & moderatione plurimum diſſidentem. Quę ſi quando adepta eſt id quod ei fuerit concupitum, tum fert alacritatem, ut nihil eſſe conſtet quod agat, ut ille qui uoluptatem animi nimiā ſummū eſſe errorem arbitratur. Eorum igitur malorum in una uirtute poſita ſanatio eſt. Quid autē eſt non miſerius ſolū, ſed fœdius etiam & deformius, q̄ ægritudine quis afflictus debilitatusq́ iacens? Cui miſeriæ proximus eſt is, qui appropinquās aliquod malum metuit, exanimatusq́ pendet animi. Quam uim mali ſignificantes, poetæ im pendere apud inferos ſaxum Tantalo faciunt ob ſcelera animiq́ impotentiā & ſuperbiloquentiam. Ea communis pœna ſtultitiæ eſt. Omnibus enim quorum mens abhorret á ratione, ſemper aliquis talis terror impendet. Atq ut hæ tabificæ mētis perturbationes ſunt, ægritudinem dico & metum, ſic hilariores ille, cupiditas auide ſemper aliquid expetens, & inanis alacritas, ideſt lætitia geſtiens, non multum differunt ab amētia. Ex quo intelligitur qualis ille ſit, quē tum moderatū, alias modeſtum & temperantem, alias conſtantē continentemq́ dicimus. Nonnunq̄ hæc eadem uocabula ad frugalitatis nomen tanq̄ ad caput referre uolumus. Quod niſi eo nomine uirtutes continerētur: nunq̄ ita per illud uulgatum eſſet, ut iam prouerbij locum obtineret, hominem frugi omnia recte facere. Quod idem quum Stoici de ſapiente dicunt nimis admirabiliter, nimisq́ magnifice dicere uidētur. Ergo is quiſquis eſt, qui moderatione & conſtantia, quietus animo eſt, ſibiq́ ipſe placatus, ut nec tabeſcat moleſtijs, nec frangatur timore, nec ſitienter quid expetens ardeat deſiderio, nec alacritate futili geſtiens deliqueſcat: is eſt ſapiens quem quærimus, is eſt beatus cui nihil humanarum rerum aut intolerabile ad demittendum animum, aut nimis lętabile ad ferendū uideri poteſt. Quid enim uideatur ei magnum ī rebus humanis, cui ęternitas omnis, totiusq́ mundi nota ſit magnitudo? Nam quid aut in ſtudijs humanis, aut in tam exigua breuitate uitæ, magnum ſapienti uideri poteſt? qui ſemper animo ſic excubat, ut ei nihil improuiſum accidere poſſit, nihil inopinatum, nihil omnino nouum. Atq idem ita acrem in omnes partes aciem intendit, ut ſemper uideat ſedem ſibi ac locum ſine moleſtia atq angore uiuendi, ut quencunque caſum fortuna inuexerit, hunc apte & quiete ferat: quod qui faciet, non ęgritudine ſolum uacabit, ſed etiam perturbationibus reliquis omnibus. His autem uacuus animus perfecte atq abſolute beatos efficit. Idemq́ concitatus & abſtractus ab integra certaq́ ratione, non conſtantiam ſolum amittit, uerumetiam ſanitatem. Quocirca mollis & eneruata putanda eſt Peripateticorum ratio & oratio, qui perturbari animos neceſſe eſſe dicunt, ſed adhibent modum quendā, quem ultra progredi non oporteat. Modū tu adhibes uitio? An uitium nullum eſt nō parere ratiōi? an ratio parū præcipit nec bonū illud eſſe quod aut cupias ardēter, aut adeptus efferas te inſolenter? Nec porro malū quo aut oppreſſus iaceas, aut ne opprimare, mente uix conſtes? eaq́ oīa aut nimis triſtia

aut nimis læta errore fieri? Qui ſi error ſtultis extenuetur die, ut quum res ea dē maneat aliter ferat inueterata, aliter recentia, ſapienteis ne attingat quidē omnino. Et enim quis erit tandem modus iſte? Quæramus enim modū ægritudinis, in qua operæ plurimum ponitur. Aegre tuliſſe P. Rutilium fratris repulſam Conſulatus, ſcriptum apud Fannium eſt, ſed tamen tranſiſſe uidetur modum, quippe qui ob eam cauſam à uita receſſerit. Moderatius igitur ferre debuit. Quid? ſi quum id ferret modice, mors liberorum acceſſiſſet? nata eſſet ęgritudo noua, ſed ea modica, magna tamen facta eſſet acceſſio. Quid ſi deinde dolores graues corporis? ſi bonorum amiſſio? ſi cęcitas? ſi exilium? ſi pro ſingulis malis ægritudines accederent? ſumma ea fieret, quæ non ſuſtineretur. Qui modum igitur uitio quęrit, ſimiliter facit, ut ſi poſſe putet, eum qui ſe è Leucade præcipitauerit, ſuſtinere ſe, quum uelit. Vt enim id non poteſt, ſic animus perturbatus & incitatus nec cohibere ſe poteſt, nec quo loco uult inſiſtere omnino. Quæq; creſcentia pernitioſa ſunt, eadem ſunt uitioſa naſcentia. Aegritudo autem, ceteræq; perturbationes amplificatæ, certe peſtiferæ ſunt. igitur etiam ſuſceptæ continuo in magna peſtis parte uerſantur. Et enim ipſæ ſe impellunt, ubi ſemel à ratione diſceſſum eſt, ipſaq; ſibi imbecillitas indulget, in altumq; prouehitur imprudens, nec reperit locum conſiſtendi. Quamobrem nihil intereſt, utrum moderatas perturbationes approbēt, an moderatam iniuſtitiam, moderatam ignauiam, moderatam intemperantiam. Qui enim uitiis modum apponit, is partem ſuſcipit uitiorum. Quod quum ipſum per ſe odioſum eſt: tum eo moleſtius, quia ſunt in lubrico, incitataq; ſemel in procliue labuntur, ſuſtineriq; nullo modo poſſunt. Quid quod ijdem Peripatetici perturbationes iſtas, quas nos extirpādas putamus: non modo naturales eſſe dicunt, ſed etiam utiliter à natura datas? Quorum eſt talis oratio. Primum multis uerbis iracundiam laudant, cotem fortitudinis eſſe dicunt, multoq; & in hoſtem & in improbum ciuem uehementiores iratorum impetus eſſe. Leueis autem ratiunculas eorum qui ita cogitarent, prælium rectum eſt hoc fieri, conuenit dimicare pro legibus, pro libertate, pro patria. Hæc ullam habent uim, niſi ira excanduit fortitudo. Nec uero de bellatoribus ſolum diſputant, imperia ſeueriora nulla eſſe putant ſine aliqua acerbitate iracundiæ. Oratorem denique non modo accuſantem, ſed ne defendentem quidem probant ſine aculeis iracundiæ. Quæ etiam ſi non adſit, tamen uerbis atque motu ſimulandam arbitrantur: ut auditoris iram oratoris incēdat actio. Virum deniq; uideri negant, qui iraſci neſciat. Eamq; quam lenitatem nos dicimus, uitioſo lentitudinis nomine appellant. Nec uero ſolum hanc libidinem laudant: eſt enim ira, ut modo definiui, ulciſcendi libido, ſed ipſum illud genus uel libidinis uel cupiditatis, ad ſummam utilitatem eſſe dicunt à natura datum. Nihil enim quemquam niſi quod lubeat, præclare facere poſſe. Noctu ambulabat in publico Temiſtocles, quod ſomnum capere non poſſet: quærentibusq; reſpondebat, Milciadis trophęis ſe è ſomno ſuſcitari. Cui non ſunt auditæ Demoſthenis uigiliæ? qui dolere ſe aiebat, ſi quando opificum antelucana uictus eſſet induſtria. Philoſophiæ denique ipſius principes, nunquam in ſuis ſtudijs tantos progreſſus ſine flagranti cupiditate facere potuiſſent. Vltimas terras luſtraſſe Pythagoram, Democritū, Platonem accepimus. Vbi enim quidquid eſſet, quod diſci poſſet, eo ueniendum

iudicauerunt

iudicauerunt. Num putamus hæc fieri ſine ſummo cupiditatis ardore potuiſſe? Ipſam ægritudinem, quam nos ut tetram & immanem beluam fugiendã diximus: non ſine magna utilitate à natura dicunt conſtitutam, ut omnes caſtigationibus, reprehenſionibus, ignominiis, affici ſe in delicto dolerent. Impunitas enim peccatorum data uidetur eis, qui ignominiam & infamiam ferunt ſine dolore. Morderi eſt melius conſcientia, ex quo eſt illud è uita ductum ab Afranio. Nam quum diſſolutus filius, Heu me miſerum, tum ſeuerus pater,

" Dummodo doleat aliquid, doleat quod lubet.

Reliquas quoque partes ægritudinis utiles eſſe dicunt. Miſericordiam ad opem ferẽdam, & calamitates hominum indignorum ſubleuandas. Ipſum illud æmulari, obtrectare, non eſſe inutile, quum aut ſe non idem uideat conſequutum quod alium, aut alium idem quod ſe. Metum uero ſi quis ſuſtuliſſet omnem uitæ diligentiam ſublatam fore, quæ ſumma eſſet in eis, qui leges, qui magiſtratus, qui paupertatem, qui ignominiam, qui mortem, qui dolorem timerent. Hæc tamen ita diſputant, ut reſecanda eſſe fateãtur, euelli penitus dicant: nec poſſe, nec opus eſſe, ut in omnibus ferè rebus mediocritatem eſſe optimam exiſtiment. Quę quum exponunt, nihilne tibi uidentur, an aliquid dicere? A. Mihi uero dicere aliquid, itaque expecto quid ad iſta. M. Reperiam fortaſſe, ſed illud ante, uidéſne quanta fuerit apud Academicos uerecundia? Planè enim dicunt, quod ad rem pertineat. Peripateticis reſpondetur à Stoicis. Digladientur illi per me licet, cui nihil eſt neceſſe, niſi ubi ſit illud quod ueriſimillimum uideatur, anquirere. Quid eſt igitur, quod occurrat in hac quæſtione, è qua poſſit attingi aliquid ueriſimile, quo longius mens humana progredi non poteſt? Definitio perturbationis, qua recte Zenonem uſum puto. Ita enim definit, ut perturbatio ſit aduerſa ratione contra naturam animi cõmotio: uel breuius, ut perturbatio ſit appetitus uehementior. Vehementior autem intelligatur is, qui procul abſit à naturę conſtantia. Quid ad has definitiones poſſim dicere? Atqui hæc pleraque ſunt prudenter acuteque differẽtium: illa quidem ex rhetorum pompa, ardores animorum, cotéſque uirtutum. An uero uir fortis niſi ſtomachari cœperit, non poteſt fortis eſſe? Gladiatorium id quidem, quanquam in eis ipſis uidemus ſępe conſtantiam. Colloquuntur, congrediuntur, queruntur, aliquid poſtulant, ut magis placati, quàm irati eſſe uideantur. Sed in illo genere ſit ſanè Pacideianus aliquis hoc animo. ut narrat Lucilius:

Occidam illum equidem, & uincam, ſi id quæritis, inquit.
Verum illud credo fore, in os prius accipiam ipſe,
Quam gladium in ſtomacho, ſura ac pulmonibus ſiſto,
Odi hominem, iratus pugno, nec longius quicquam
Vobis, quam dextræ gladium dum accommodet alter.
Vſqueadeo ſtudio atque odio illius efferor ira,

At ſine hac gladiatoria iracundia uidemus progredientem apud Homerum Aiacem multa cum hilaritate, quum depugnaturus eſſet cum Hectore: cuius, ut arma ſumpſit, ingreſſio lętitiam attulit ſociis, terrorem autem hoſtibus, ut ipſum Hectorem (quẽadmodum ẽ apud Homerum) toto pectore trementẽ prouocaſſe ad pugnam pœniteret. Atque hi colloquuti inter ſe priuſquam

manum conſererent leniter & quiete,nihilne in ipſa quidem pugna iracunde rabioſéue fecerunt.Ego ne Torquatum quidem illũ,qui hoc cognomen inuenit,iratum exiſtimo Gallo torquem detraxiſſe.Nec Marcellum apud Claſtidium ideo fortem fuiſſe,quia fuerit iratus. De Aphricano quidem,quia notior eſt nobis propter recentem memoriam,uel iurare poſſum,non illum iracundia inflammatum tum fuiſſe,quum in acie M.Halienum Pelignum ſcuto protexerit,gladiumq́ꝫ hoſti,in pectus infixerit.De L.Bruto fortaſſe dubitarim,an propter infinitum odium tyranni effrenatius in Arruntem inuaſerit. Video enim utrunqꝫ comminus ictu cecidiſſe cõtrario.Quid igitur huc adhibetis iram? An fortitudo niſi inſanire cœperit,impetus ſuos nõ habet? Quid Herculem quem in cœlum iſta ipſa quam uos iracundiã eſſe uultis,ſuſtulit fortitudo, iratumne cenſes cõflixiſſe cum Erymãthio apro,aut leone Nemeço? An etiã Theſeus Marathonij tauri cornua comprehendit iratus? Vide ne fortitudo minime ſit rabioſa,ſitq́ꝫ iracundia tota leuitatis.Necꝫ enim ulla fortitudo,quæ rationis eſt expers.Contemnendę res humanæ ſunt, negligenda mors eſt,patibiles & dolores,& labores putandi.Hæc quum conſtituta ſint iudicio atqꝫ ſententia,tum eſt robuſta illa & ſtabilis fortitudo: niſi forte quæ uehementer,acriter,animoſe fiunt, iracunde fieri ſuſpicamur.Mihi ne Scipio quidem ille Pont.Max.qui hoc Stoicorum uerum eſſe declarauit, nunquam iratum eſſe ſapientem,iratus uidetur fuiſſe cum Ti.Graccho,tum,quum Conſulem languentem reliquit,atqꝫ ipſe priuatus,ut ſi Conſul eſſet,qui Remp.ſaluam eſſe uellet, ſe ſequi iuſſit.Neſcio ecquid ipſi nos fortiter in Rep.fecerimus: ſi quid fecimus, certe irati non fecimus. An eſt quidquam ſimilius inſanię quàm ira? quàm bene Ennius, initium dixit inſaniæ. Color, uox oculi, ſpiritus, impotentia dictorum atque factorum, quam partem habent ſanitatis? Quid Achille Homerico fœdius? Quid Agamemnone in iurgio? Nam Aiacem quidem ira ad furorem mortemq́ꝫ perduxit. Non igitur deſiderat fortitudo aduocatam iracundiam: ſatis eſt inſtructa, parata, armata per ſeſe.Nam iſto modo quidem licet dicere utilem uinolentiam ad fortitudinem, utilem etiam dementiam; quod & inſani & ebrij multa faciunt ſæpe uehementius.

Semper Aiax fortis,fortiſſimus tamen in furore.
Nam facinus fecit maximum, quum Danais inclinantibus
Summam rem perfecit manus,prælium quum reſtituit inſaniens.

Dicamus igitur utilem inſaniam.Tracta definitionem fortitudinis, intelliges eam ſtomacho non egere.Fortitudo igitur eſt affectio animi legi ſummæ in perpetiẽdis rebus obtẽperans: uel,conſeruatio ſtabilis iudicii in eis rebus quæ formidoloſæ uidentur, ſubeundis & repellendis: uel,ſcientia rerum formidoloſarum contrariarumq́ꝫ,aut omnino negligẽdarum,conſeruans earum rerum ſtabile iudiciũ: uel breuius ut Chryſippus,Nam ſuperiores definitiones erant Sphæri hominis in primis bene definientis, ut putant Stoici. Sunt enim omnino omnes ferè ſimiles, ſed declarant communeis notiones alia magis alia.Quomodo igitur Chryſippus? Fortitudo eſt,inquit,ſcientia perferendarum rerum: uel,affectio animi in patiendo ac perferendo ſummæ legi parens ſine timore. Licet enim inſectemur iſtos, ut Carneades ſolebat, metuo ne ſoli philoſophi ſint. Quæ enĩ iſtarũ definitionũ nõ aperit,notionẽ

noſtram:

noſtram,quam habemus omnes de fortitudine tectam atq; inuolutam? qua aperta quis eſt qui aut bellatori,aut Imperatori:aut oratori quærat aliquid, neq;eos exiſtimet ſine rabie quidq̃ fortiter facere poſſe? Quid Stoici,qui omnes inſipientes inſanos eſſe dicunt,nonne iſta colligunt? Remoue perturbationes,maximeq́; iracundiam. Iam uidebuntur monſtra dicere,nunc autem ita differunt,ſic ſe dicere omnes ſtultos inſanire,ut male olere omne cœnum. At non ſemper,commoue ſenties:ſic iracundus non ſemper iratus eſt. Laceſſe,iam uidebis furẽtem. Quid iſta bellatrix iracundia? quum domum rediit? qualis eſt cum uxore,cum liberis, cum familia? An tum quoq; eſt utilis? Eſt igitur aliquid quod conturbata mens melius poſſit facere, q̃ conſtans? An quiſq̃ poteſt ſine perturbatione mẽtis iraſci? bene igitur noſtri quum omnia eſſent in morbis uitia,quod nullũ erat iracũdia fœdius, iracundos ſolos morboſos nominauerunt. Oratorem uero iraſci minime decet,ſimulare nõ dedecet. An tibi iraſci tum uidemur,quum quid in cauſis acrius & uehementius dicimus? Quid quum iam in rebus tranſactis & præteritis orationes ſcribimus,num irati ſcribimus?

Ecquis hoc animaduertit? Vincite

num aut egiſſe unq̃ iratum Aeſopum,aut ſcripſiſſe exiſtimamus iratum Accium? Agũtur iſta præclare,& ab oratore quidem melius,ſi modo ẽ orator, q̃ ab ullo hiſtrione: ſed aguntur leniter,& mẽte trãquilla. Libidinẽ uero laudare,cuius ẽ libidinis? Themiſtoclem mihi & Demoſthenem profertis. Additis Pythagorã,Democritum,Platonem. Quid? uos ſtudia libidinẽ uocatis? quæ uel optimarũ rerum,ut ea ſunt quæ profertis,ſedata tamen & trãquilla eſſe debẽt. Iã ægritudinẽ laudare,unam rem maxime deteſtabilem,quorũ eſt tandem philoſophorum? At cõmode dixit Afranius,

Dummodo doleat aliquid,doleat quod lubet.

Dixit enim de adoleſcẽte perdito ac diſſoluto. Nos aũt de cõſtãti uiro ac ſapiẽte quærimus. Et quidẽ ipſam illam irã Centurio habeat aut ſignifer,uel ceteri,de quibus dici nõ neceſſe eſt,ne rhetorũ aperiamus myſteria. Vtile ẽ enĩ uti motu animi,qui uti rõne nõ poteſt. Nos aũt ut teſtificor ſæpe,de ſapiente quærimus, At etiã æmulari utile eſt,obtrectare,miſereri. Cur miſereare potius,q̃ feras opẽ,ſi id facere poſſis? An ſine miſericordia liberales eſſe nõ poſſumus? Nõ enim ſuſcipere ipſi ægritudines propter alios debemus, ſed alios ſi poſſumus leuare ægritudine. Obtrectare uero alteri,aut illa uitioſa æmulatione,q̃ riualitati ſimilis eſt,æmulari,quid habet utilitatis? quũ ſit æmulantis,angi alieno bono,quod ipſe nõ habeat: obtrectãtis aũt,angi alieno bono quod id ẽt alius habeat. Quis id approbare poſſit,ęgritudinẽ ſuſcipe pro experientia ſi qd habere uelis? Nã ſolũ habere uelle ſũma demẽtia eſt. Mediocritates autẽ malorũ quis laudare recte poſſit? Quis enĩ poteſt,in quo libido cupiditáſue ſit,nõ libidinoſus & cupidus eſſe? in quo ira nõ iracũdus,in quo angor nõ anxius,in quo timor nõ timidus? Libidinoſũ igit̃,& cupidũ, & iracũdũ, & anxiũ,& timidũ cẽſemus eſſe ſapiẽtẽ? De cuius excellẽtia multa quidẽ dici, q̃uis fuſe lateq; poſſint,ſed breuiſſime illo modo,ſapiẽtiã eſſe rerũ diuinarũ & humanarũ ſciẽtiã,cognitionẽq; q̃ cuiuſq; rei cauſa ſit. Ex quo efficit̃,ut diuina imitet̃,humana oĩa inferiora uirtute ducat. ĩ hãc tu igitur tanq̃ in mare, quod eſt uẽtis ſubiectũ perturbationẽ cadere tibi dixiſti uideri. Quid eſt quod tãtã

grauitatem conſtantiamq́ perturbet? An improuiſum aliquid aut repẽtinũ? Quid poteſt accidere tale, & cui nihil quod homini euenire poſſit? Nã quod aiũt, nimia reſecari oportere, naturalia relĩqui, quid tãdẽ poteſt eſſe naturale, quod idem nimiũ eſſe poſſit? Sunt enim omnia iſta ex errorũ orta radicibus, quę euellenda & extrahenda penitus nõ circũcidẽda nec amputanda ſũt. Sed quoniã ſuſpicor te nõ tam de ſapiente, q̃ de teipſo quærere (illum enim putas omni perturbatione eſſe liberũ, te uis) uideamus quanta ſint, quæ à philoſophia remedia morbis animorum adhibeantur. Eſt enim quędam medicina certe, nec tam fuit hominũ generi infenſa atq́ inimica natura, ut corporibus tot res ſalutares, animis nullã inuenerit. De quibus hoc etiam eſt merita melius, quod corporum adiumenta adhibentur extrinſecus, animorũ ſalus incluſa in his ipſis eſt. Sed quo maior eſt in eis præſtantia & diuinior, eo maiore indigẽt diligẽtia. Itaq́ bene adhibita ratio cernit quid optimũ ſit, neglecta multis implicatur erroribus. Ad te igitur mihi iam conuertẽda omnis oratio eſt. Simulas enim quærere te de ſapiẽte, quæris autẽ fortaſſe de te. Earum igitur perturbationũ quas expoſui, uarię ſunt curationes. Nã neq́ omnis ægritudo una ratione ſedatur. Alia eſt enĩ lugenti, alia miſerãti, aut inuidenti adhibẽda medicina. Eſt etiã in omnibus quatuor perturbationibus illa diſtinctio, utrũ ad uniuerſam perturbationẽ, quę eſt aſpernatio rõnis, aut appetitus uehemẽtior, an ad ſingulas, ut ad metũ, libidinẽ, reliquasq́ melius adhibeat̃ oratio: & utrum illud ne uideatur ęgre ferendum ex quo ſuſcepta ſit ęgritudo, an omnium rerum toleranda omnino ægritudo: ut ſi quis ægre ferat ſe pauperem eſſe, id ne diſputes paupertatem malum non eſſe, an hominem ægre ferre nihil oportere. Nimirum hoc melius, ne ſi forte de paupertate non perſuaſeris, ſit ægritudini concedendum. Aegritudine autem ſublata proprijs rationibus, quibus heri uſi ſumus, quodammodo etiam paupertatis malum tollitur. Sed omnis eiuſmodi perturbatio animi placatione abluatur: illa quidem quum doceas nec bonum illud eſſe, ex quo lætitia aut libido oriatur, nec malum ex quo aut metus aut ægritudo. Verumtamen hęc eſt certa & propria ſanatio, ſi doceas ipſas ꝑturbationes per ſe eſſe uitioſas, nec habere quidquã aut naturale aut neceſſariũ: ut ipſam ægritudinem leniri uidemus, quum obijcimus mœrentibus imbecillitatem animi effœminati, quumq́ eorum grauitatem conſtantiamq́ laudamus, qui non turbulente humana patiãtur. Quod quidẽ ſolet eis etiam accidere, qui illa mala eſſe cẽſent, ferenda tamẽ æquo animo arbitrãtur. Putat aliquis eſſe uoluptatem bonum, alius autẽ pecuniam: tamen & ille ab intemperantia, & hic ab auaritia auocari poteſt. Illa autem altera ratio & oratio, quæ ſimul & opinionem falſam tollit, & ęgritudinem detrahit, eſt ea quidem utilior, ſed raro proficit, neq́ eſt ad uulgus adhibenda. Quædam autem ſunt ægritudines, quas illa medicina nullo modo poſſit leuare, ut ſi quis ægre ferat nihil in ſe eſſe uirtutis, nihil animi, nihil officij, nihil honeſtatis, propter mala is quidem angatur, ſed alia quædam ſit ad eum admouenda curatio, & talis quidem quę poſſit eſſe omnium, etiam de ceteris rebus diſcrepantiũ philoſophorum. Inter omnes enim conuenire oportet, commotiones animorum à recta ratione auerſas, eſſe uitioſas, ut etiam ſi nec mala ſint illa, quæ metũ ægritudinémue, nec bona quæ cupiditatem lætitiámue moueãt, tamen ſit uitioſa ipſa cõmotio. Conſtantem enim quendam uolumus ſedatum,

grauem,

grauem, humana omnia prementem, illum eſſe, quem magnanimum & fortem uirum dicimus. Talis autem nec mœrens, nec timens, nec cupiens, nec geſtiens eſſe quiſquam poteſt. Eorum enim hęc ſunt, qui euentus humanos ſuperiores, quàm ſuos animos eſſe dicunt. Quare omnium philoſophorum, ut ante dixi, una ratio eſt medendi, ut nihil quale ſit illud quod perturbet animum, ſed de ipſa perturbatione dicendum. Itaq; primum in ipſa cupiditate, quum id ſolum agitur ut ea tollatur, non eſt quærendum, bonum illud nécne ſit quod libidinem moueat, ſed libido ipſa tollenda eſt, ut ſiue quod honeſtum eſt, id ſit ſummum bonū, ſiue uoluptas, ſiue horū utrunq; coniūctum, ſiue tria illa genera bonorum, tamen etiam ſi uirtutis ipſius uehemētior appetitus ſit, eadem ſit omnibus ad deterrendum adhibenda oratio. Continet autem ſedationem omnem animi, humana in conſpectu poſita natura, quæ quo facilius expreſſa cernatur, explicanda eſt oratione communis conditio, lexq; uitæ. Itaq; non ſine cauſa quum Oreſtis fabulam doceret Euripides, primos tris uerſus reuocaſſe dicitur Socrates.

Neq; tam terribilis ulla fando oratio eſt,
Nec ſors, nec ira cœlitum inuictum malum,
Quod non natura humana patiendo efferat.

Eſt autem utilis ad perſuadendum ea quæ acciderunt, ferri & poſſe & oportere, enumeratio eorum qui tulerunt: & ſi ægritudinis ſedatio & heſterna diſputatione explicata eſt, & in cōſolationis libro quem in medio (non enim ſapientes eramus) mœrore & dolore cōſcripſimus: quodq; uetat Chryſippus, ad recētis quaſi tumores animi remedium adhibere: id nos fecimus, naturęq; uim attulimus, ut magnitudini medicinę doloris magnitudo concederet. Sed ęgritudini, de qua ſatis eſt diſputatum, finitimus eſt metus, de quo pauca dicenda ſunt. Eſt enim metus, ut ægritudo præſentis, ſic ille futuri mali. Itaq; nonnulli ægritudinis partem quandam metum eſſe dicebant. Alij autem metum præmoleſtiam appellabant, quod eſt quaſi dux conſequentis moleſtiæ. Quibus igitur rationibus inſtantia feruntur, eiſdem contemnuntur ſequentia. Nam uidendum eſt in utriſque ne quid humile, ſummiſſum, molle, effœminatum, fractum abiectumq; faciamus. Sed quanquam de ipſius metus incōſtātia, imbecillitate, leuitate dicēdū eſt, tamen multū prodeſt ea quæ metuūtur ipſa contēnere. Itaq; ſiue caſu accidit, ſiue cōſilio, percōmode factū eſt quod eis de rebus quæ maxime metuuntur, de morte & dolore primo & proximo die diſputatum eſt. Quæ ſi probata ſunt, metu magna ex parte liberati ſumus. Ac de malorum opinione hactenus. Videamus nunc de bonorum, id eſt de lętitia & cupiditate. Mihi quidem in tota ratione ea quæ pertinet ad animi perturbationem, una res uidetur cauſam continere, omneis eas eſſe in noſtra poteſtate, omneis iudicio ſuſceptas, omneis uoluntarias. Hic igitur error eſt eripiendus, hæc detrahenda opinio: atque ut in malis opinatis tolerabilia, ſic in bonis ſedatiora ſunt efficienda ea, quæ magna & lætabilia dicuntur. Atque hoc quidem commune malorum & bonorum, ut ſi iam difficile ſit perſuadere nihil earum rerum quæ perturbent animum, aut in bonis aut in malis eſſe habendum, tamen alia ad alium motū curatio ſit adhibēda, aliaq; ratione maleuolus, alia amator, alia rurſus, anxius, alia timidus corrigendus. Atque erat facile ſequentem eam rationem, quæ

maxime probatur de bonis & malis, negare unquam lætitia affici poſſe inſipientem, quod nihil unquam haberet boni: ſed loquimur nunc more communi. Sint ſané iſta bona quæ putantur, honores, diuitiæ, uoluptates, cetera tamẽ in eis ipſis potiundis exultans geſtiensq́ lętitia turpis eſt. Vt ſi ridere cõceſſum ſit, uituperetur tamẽ cachinnatio. Eodem enim uitio eſt effuſio animi in lætitia, quo in dolore contractio. Eademq́ leuitate cupiditas eſt in appetẽdo, qua lætitia in fruendo. Et ut nimis afflicti moleſtia, ſic animi elati lætitia, iure iudicantur leues. Et quum inuidere ægritudinis ſit, malis autem alienis uoluptatem capere lætitiæ, utrunq; immanitate & feritate quadam proponẽda caſtigari ſolet. Atq; ut cõfidere decet, timere non decet, ſic gaudere decet, lætari non decet. Quoniam docendi cauſa á gaudio lætitiam diſtinguimus, illud iam ſupra diximus, fieri contractionem animi recte nunquam poſſe, elationẽ poſſe. Aliter enim Næuianus ille gaudet Hector,

Lætus ſum
Laudari me abs te pater laudato uiro.

Aliter ille apud Trabeam Chærea,

Lena delinita argento nutum obſeruabit meum,
Quid uelim, quid ſtudeam, adueniens digito impellam ianuam,
Fores patebunt. De improuiſo Chryſis ubi me aſpexerit,
Alacris obuiam mi ueniet, complexum exoptans meum.
Mihi ſe dedet,
Quam hæc pulchra putet, ipſe iam dicet.
Fortunam ipſam anteibo fortunis meis.

Hęc lętitia q̃ turpis ſit, ſatis eſt diligenter attendentem penitus uidere. Et ut turpes ſunt qui efferunt ſe lętitia, tum quũ fruuntur uenereis uoluptatibus, ſic flagitioſi, qui eas inflammato animo cõcupiſcunt. Totus uero iſte, qui uulgo appellatur amor, nec hercule inuenio quo nomine alio poſſit appellari, tãtæ leuitatis eſt, ut nihil uideam, quod putem conferendum. Quem Cęcilius.

Deum qui non ſummum putet,
Aut ſtultum, aut rerum eſſe imperitum exiſtimet,
Cui in manu ſit, quem eſſe dementem uelit,
Quem ſapere, quem inſanire, quem in morbum iniici,
Quem contra amari, quem accerſiri, quem expeti.

O præclaram emendatricem uitæ poeticam, quæ amorem flagitii & leuitatis authorem in concilio deorum collocandum putet. De Comœdia loquor, quæ ſi hæc flagitia non probaremus, nulla eſſet omnino. Quid ait ex tragœdia princeps ille Argonautarum?

Tu me amoris magis q̃ honoris ſeruauiſti gratia.

Quid ergo hic amor Medeæ, quanta miſeriarum incendia excitauit? Atque ea tamen apud alium poetam patri dicere audet, ſe coniugem habuiſſe,

Illum, amor quem dederat, qui plus pollet, potiorq́ eſt patre.

Sed poetas ludere ſinamus, quorum fabulis in hoc flagitio uerſari ipſum uidemus Iouem. Ad magiſtros uirtutis philoſophos ueniamus, qui amorẽ negant ſtupri eſſe, & in eo litigant cũ Epicuro, non multum, ut opinio mea fert, mentiente. Quis eſt enim iſte amor amicitiæ? cur neq; deformem adoleſcentem quiſquam amat, neq; formoſum ſenem? mihi quidem hæc in Græco

rum

rum gymnaſijs nata conſuetudo uidetur,in quibus iſti liberi & conceſſi ſunt amores.Bene igitur Ennius.

Flagitii principium eſt nudare inter ciues corpora.

Qui ut ſint(quod fieri poſſe uideo)pudici,ſoliciti tamē & anxii ſunt, eoq́ magis,quod ſeipſi continent & coercent.Atq; ut muliebreis amores omittā, quibus maiorem licentiam natura conceſſit,quis aut de Ganimedis raptu dubitat quid poetæ uelint? aut nō intelligit quid apud Euripidem & loquatur & cupiat Laius? quid deniq; homines doctiſſimi,& ſummi poetæ de ſeipſis & carminibus edant & cantibus? Fortis uir in ſua Repub.cognitus, quæ de iuuenum amore ſcribit Alcæus? Nam Anacreontis quidem tota poeſis eſt amatoria.Maxime uero omnium flagraſſe amore Rheginum Ibicum apparet ex ſcriptis,Atq; horum omnium libidinoſos eſſe amores uidemus.Philoſophi ſumus exorti(et authore quidem noſtro Platone,quem nō iniuria Dicæarchus accuſat)qui amori authoritatem tribueremus.Stoici uero & ſapiētem amaturum eſſe dicunt:& amorem ipſum,conatum amicitiæ faciendæ ex pulchritudinis ſpecie definiunt.Qui ſi quis eſt in rerum natura, ſine ſolicitudine,ſine deſiderio,ſine cura,ſine ſuſpirio,ſit ſanè:uacat enim omni libidine: hæc autem de libidine oratio eſt.Sin autem eſt aliquis amor, ut eſt certe,qui nihil abſit,aut non multum ab inſania,qualis in Leucadia eſt.

» Si quidem ſit quiſquam deus,cui ego ſim curæ.

At id erat diis omnibus curandum, quemadmodum hic frueretur uoluptate amatoria.

» Heu me inſelicem. Nihil uerius,probe & ille.

» Sanuſ ne es,qui temere lamentare?

Sic inſanus ſuis etiam uidetur. At quas tragœdias effecit?

» Te Apollo ſancte fer opem.teq́ omnipotens

» Neptune inuoco, Vosq́ adeò uenti.

Mundum totum ſe ad amorem ſuum ſubleuandum cōuerſurum putat. Venerem unam excludit ut iniquam.

» Nam quid ego te appellem Venus?

Eam præ libidine negat curare quidquam,quaſi uero ipſe non propter libidinem tanta flagitia & faciat & dicat.Sic igitur affecto hæc adhibenda curatio eſt,ut & illud quod cupiat:oſtendat quàm leue,quàm contemnendum, q̄ nihil ſit omnino,quàm facile uel aliunde uel alio modo perfici,uel omnino negligi poſſit.Abducendus etiam eſt nōnunquam ad alia ſtudia,ſolicitudines, curas,negotia.Loci deniq; mutatione tanquam ægroti non cōualeſcentes ſæpe curandus eſt.Etiam nouo quodam amore ueterem amorem tanquam clauo clauum eiiciendum putant.Maxime autem admonendus, quantus ſit furor amoris.Omnibus enim ex animi perturbationibus eſt profecto nulla uehemētior,ut ſi iam ipſa illa accuſare nolis,ſtupra dico & corruptelas & adulteria,inceſta,deniq;,quorum omnium accuſabilis eſt turpitudo. Sed ut hæc omittas,perturbatio ipſa mentis in amore fœda per ſe eſt. Nam ut illa præteream quæ ſunt furoris,hæc ipſa per ſeſe quam habent leuitatem, quæ uidentur eſſe mediocria,iniuriæ.

» Suſpiciones,inimicitiæ,induciæ,

» Bellum,pax rurſum? Incerta hæc ſi tu poſtules

ceteris, qui illa in Socrate uitia nō agnoſcerent: ab ipſo autem Socrate ſuble uatus eſt, quum illa ſibi ſigna, ſed ratione à ſe deiecta diceret. Ergo ut optima quiſq; ualetudine affectus poteſt uideri alius, ut natura ad aliquem morbum procliuior, ſic animus alius ad alia uitia propenſior. Qui autem non natura, ſed culpa uitioſi eſſe dicuntur, eorum uitia conſtant ex falſis opinionibus rerum bonarum ac malarum, ut ſit alius ad alios motus perturbationesq; procliuior. Inueteratio autem, ut in corporibus ęgrius depellitur, quàm perturbatio: citiusq; repentinus oculorum tumor ſanatur, q̃ diuturna lippitudo depellitur. Sic cognita iam cauſa perturbationum, quæ omnes oriuntur ex iudicijs opinionum & uoluntatibus, ſit iam huius diſputationis modus. Scire autem nos oportet, cognitis, quoad poſſint ab homine cognoſci, bonorum & malorū finibus, nihil à philoſophia poſſe aut maius aut utilius optari, q̃ hęc, quę à nobis hoc quatriduo diſputata ſunt. Morte enim cōtempta, & dolore ad patiendum leuato, adiunximus ſedationem ægritudinis, qua nullum homini maius malū eſt. Et ſi enim omnis animi perturbatio grauis eſt, nec multum differt ab amentia, tamen ita ceteros quum ſint in aliqua perturbatione, aut metus, aut lætitiæ, aut cupiditatis, commotos modo & perturbatos dicere ſolemus: at eos qui ſe ęgritudini dediderunt, miſeros, afflictos, ęrumnoſos, calamitoſos. Itaq; non fortuito factum uidetur, ſed à te ratione propoſitum, ut ſeparatim de ægritudine, & de ceteris perturbationibus diſputaremus. In ea eſt enim fons miſeriarum & caput. Sed & ęgritudinis, & reliquorum animi morborum una ſanatio eſt, omnes opinabiles eſſe & uoluntarios, ea req; ſuſcipi, quod ita rectum eſſe uideatur. Hūc errorem quaſi radicem omnium malorum ſtirpitus philoſophia ſe extracturam, pollicetur. Demus igitur nos huic excolēdos, patiamurq; nos ſanari. Iis enim malis inſidentibns non modo beati, ſed ne ſani quidē eſſe poſſumus. Aut igitur negemus quidq̃ ratione cōfici, quum contra nihil ſine ratione recte fieri poſſit, aut quum philoſophia ex rationum collatione conſtet, ab ea ſi & boni & beati uolumus eſſe, omnia adiumenta & auxilia petamus bene beateq; uiuendi.

M. TVLLII CICERONIS TVSCVLANARVM QVAESTIONVM AD M. BRVTVM LIBER QVINTVS.

AD BEATE VIVENDVM VIRTVTEM SEIPSA ESSE CONTENTAM.

QVINTVS hic dies Brute finem faciet Tuſculanarū diſputationum, quo die eſt à nobis ea de re, quam tu ex omnibus maxime probas, diſputatum. Placere enim tibi admodum ſenſi, & ex eo libro quem ad me accuratiſſime ſcripſiſti, & ex multis ſermonibus tuis, uirtutem ad beate uiuendum, ſeipſa eſſe contentam. Quod & ſi difficile eſt probatu propter tam uaria, & tam multa tormēta fortunæ, tale tamen eſt, ut elaborandū ſit, quo facilius

probetur. Nihil eſt enim omnium quæ in philoſophia tractãtur, quod graui us magnificentiusq́ dicatur. Nam quum ea cauſa impulerit eos, qui primi ſe ad philoſophiæ ſtudium contulerunt, ut omnibus rebus poſthabitis, totos ſe in optimo uitæ ſtatu exquirendo collocarent, profecto ſpe beate uiuendi tan tam in eo ſtudio curam operamq́ poſuerunt. Quod ſi ab iis inuenta & perfe cta uirtus eſt, & ſi præſidij ad beate uiuendum in uirtute ſatis eſt, quis eſt qui nõ præclare, & ab illis poſitam, & à nobis ſuſceptam operam philoſophãdi arbitretur? Sin autem uirtus ſubiecta ſub uarios incertosq́ caſus famula for tunæ eſt, nec tantarum uirium eſt ut ſe ipſa tueatur, uereor ne non tam uirtutis fiducia nitendum nobis ad ſpem beate uiuendi, q̃ uota facienda uideantur. Equidẽ eos caſus, in quibus me fortuna uehementer exercuit, mecum ipſe con ſiderans, huic incipio ſententię diffidere, interdum & humani generis imbecil litatem fragilitatemq́ extimeſcere. Vereor enim ne natura quũ corpora no bis infirma dediſſet, ijsq́ & morbos inſanabileis, & doloris intolerabilis ad iunxiſſet, animos quoq; dederit, & corporum doloribus congruẽtis, & ſepa ratim ſuis angoribus & moleſtijs ĩplicatos. Sed in hoc me ipſe caſtigo, quod ex aliorum, & ex noſtra fortaſſe mollitia, non ex ipſa uirtute de uirtutis robo re exiſtimo. Illa enim ſi modo eſt ulla uirtus, quam dubitationem auuncu lus tuus Brute ſuſtulit, omnia quæ cadere in hominem poſſunt, ſubter ſe ha bet, eaq́ deſpiciens caſus contemnit humanos, culpaq́ omni carens præter ſe ipſam nihil cenſet ad ſe pertinere. Nos autem omnia aduerſa, tum uenientia metu augentes, tum mœrore præſentia, rerum naturam, q̃ errorem noſtrum damnare malumus. Sed & huius culpæ, & ceterorum uitiorũ peccatorumq́ noſtrorum omnis à philoſophia petenda correctio eſt. Cuius in ſinum quum à primis temporibus ætatis noſtra uoluntas ſtudiumq́ nos compuliſſet his grauiſſimis caſibus in eundem portum, ex quo eramus egreſſi, magna iactati tẽpeſtate, confugimus. O uitæ philoſophia dux, o uirtutis indagatrix, expul trixq́ uitiorum, quid non modo nos, ſed omnino uita hominum ſine te eſſe potuiſſet? Tu urbes peperiſti: tu diſſipatos homines in ſocietatem uitæ con uocaſti, tu eos inter ſe primo domicilijs, deinde cõiugijs, tum literarum & uo cum communione iunxiſti: tu inuentrix legum: tu magiſtra morum & diſci plinæ fuiſti. Ad te confugimus, à te opem petimus, tibi nos ut antea magna ex parte, ſic nunc penitus totosq́ tradimus. Eſt autem unus dies bene, & ex præceptis tuis actus, pene toti immortalitati anteponendus. Cuius igitur po tius opibus utamur, q̃ tuis? quæ & uitę trãquillitatem largita nobis es, & ter rorem mortis ſuſtuliſti. At philoſophia quidem tantum abeſt, ut proinde ac de hominum eſt uita merita laudetur, ut à pleriſq; neglecta, à multis etiam ui tuperetur. Vituperare quiſq̃ inquam uitæ parentẽ, & hoc paricidioſe inqui nare audet? & tam impie ingratus eſſe, ut e am accuſet, quã uereri deberet etiã ſi minus percipere potuiſſet? Sed ut opinor, hic error, & hæc indoctorum animis offuſa caligo eſt, quod tam longe retro reſpicere nõ poſſunt, nec eos à quibus uita hominum inſtructa primis ſit, fuiſſe philoſophos arbitrantur. Quam rem antiquiſſimam quum uideamus, nomen tamen confitemur eſſe re cens. Nam ſapientiam quidem ipſam quis negare poteſt non modo re eſſe an tiquam, uerumetiam nomine? quę diuinarum humanarumq́ rerum, tum ini tiorum, cauſarumq́ cuiuſq; rei cognitione, hoc pulcherrimum nomen apud

antiquos aſſequebatur. Itaq; & illos ſeptem, qui à Græcis σοφοὶ, ſapientes à noſtris & habebantur & nominabantur, & multis ante ſeculis Lycurgum, cuius temporibus Homerus etiam fuiſſe ante hãc urbem conditam traditur, etiam heroicis ætatibus Vlyſſem & Neſtorem accepimus & fuiſſe, & habitos eſſe ſapientes. Nec uero Atlas ſuſtinere cœlum, nec Prometheus affixus Caucaſo, nec ſtellatus Cepheus cum uxore, genero, filia traderetur, niſi cœleſtium diuina cognitio, nomen eorum ad errorem fabulæ traduxiſſet. à quibus ducti deinceps omnes qui in rerum contemplatione ſtudia ponebant, ſapientes & habebantur, & nominabantur. Idq; eorum nomen uſq; ad Pythagoræ manauit ætatem, quem ut ſcribit auditor Platonis Ponticus Heraclides uir doctus, in primis Phliuntem ferunt ueniſſe, eumq; cum Leonte principe Phliaſiorum docte & copioſe diſſeruiſſe quædam. Cuius ingenium & eloquentiã quum admiratus eſſet Leon, quæſiuiſſe ex eo qua maxime arte confideret. At illum artem quidem ſe ſcire nullam, ſed eſſe philoſophum. Admiratum Leontem nouitate nominis, quęſiuiſſe qui nam eſſent philoſophi, & quid inter eos & reliquos intereſſet. Pythagoram autem reſpondiſſe, ſimilem ſibi uideri uitam hominum, & mercatum eum, qui haberetur maximo ludorum apparatu totius Græciæ celebritate. Nam ut illic alij corporibus exercitatis gloriam & nobilitatem coronæ peterent, alij emendi aut uendendi quæſtu & lucro ducerẽtur: eſſet autem quoddam genus eorum, idq; uel maxime ingenuum, qui nec plauſum nec lucrum quærerent, ſed uiſendi cauſa uenirẽt, ſtudioſeq; perſpicerẽt quid ageretur, & quomodo: Item nos quaſi in mercatus quadam celebritate ex urbe aliqua, ſic in hanc uitam ex alia uita & natura profectos, alios gloriæ ſeruire, alios pecunię, raros eſſe quoſdam, qui ceteris omnibus pro nihilo habitis, rerum naturam ſtudioſe intuerentur: hos ſe appellare ſapientiæ ſtudioſos, id eſt enim philoſophos. Et ut illic liberaliſſimum eſſet ſpectare nihil ſibi acquirentem, ſic in uita longe omnibus ſtudijs contemplationem rerum, cogitationemq; prǽſtare. Nec uero Pythagoras nominis ſolum inuentor, ſed rerum etiam ipſarum amplificator fuit. Qui quũ poſt hunc Phliaſium ſermonem in Italiam ueniſſet, exornauit eam Gręciã, quę Magna dicta eſt, & priuatim & publice prǽſtantiſſimis & inſtitutis & artibus. Cuius de diſciplina aliud tempus fuerit fortaſſe dicendi. Sed ab antiqua philoſophia uſq; ad Socratem qui Archelaum Anaxagorę diſcipulum audierat, numeri motuſq; tractabantur, & unde omnia orirentur, quóue recederent, ſtudioſeq; ab his ſyderum magnitudines, interualla, curſus anquirebantur, & cuncta cœleſtia. Socrates autem primus philoſophiam deuocauit è cœlo, & ĩ urbibus collocauit, & in domos etiam introduxit, & coegit de uita & moribus, rebuſq; bonis & malis quærere. Cuius multiplex ratio diſputandi, rerumq; uarietas, & ingenij magnitudo, Platonis memoria & literis conſecrata plura genera efficit diſſentientium philoſophorum, E quibus nos id potiſſimum conſecuti ſumus, quo Socratem uſum arbitramur, ut noſtram ipſi ſententiã tegeremus, errore alios leuaremus, & in omni diſputatione, quid eſſet ſimillimum ueri, quęreremus. Quem morem, quum Carneades acutiſſime copioſiſſimeq; tenuiſſet, fecimus & alias ſępe, & nuper in Tuſculano, ut ad eam conſuetudinem diſputaremus. Et quatridui quidem ſermonem ſuperioribus ad te perſcriptum libris miſimus, Quinto autem die quum eodem in loco cõ-

ſediſſemus,ſic eſt propoſitũ,de quo diſputaremus. A.Non mihi uidetur ad beate uiuẽdum ſatis poſſe uirtutẽ. M. At Hercule Bruto meo uidetur,cuius ergo iudiciũ,pace tua dixerim,longe antepono tuo. A. Nõ dubito. Nec id nunc agitur,tu illum quantũ ames: ſed de hoc quod mihi dixi uideri quale ſit, de quo à te diſputari uolo. M.Nẽpe negas ad beate uiuendũ ſatis poſſe uirtutẽ? A.Proſus nego. M.Quid? ad recte,honeſte,laudabiliter, poſtremo ad bene uiuẽdũ ſatis ne eſt præſidij in uirtute? A. Certe ſatis. M. Potes igitur, aut qui male uiuat non eũ miſerum dicere,aut quẽ bene fateare,eũ negare beate uiuere? A. Quid ni poſſum? Nã etiam in tormentis recte,honeſte, laudabiliter,& ob eã rem bene uiui poteſt,dũmodo intelligas,quid nũc dicã bene. Dico enim cõſtanter,grauiter,ſapiẽter,fortiter. Hæc etiã in eculeum conijciũtur,quo uita nõ aſpirat beata. M.Quid igitur,ſola ne beata uita quæſo relinquitur extra oſtiũ limenq́ carceris,quum cõſtãtia,grauitas,fortitudo,ſapientia,reliquæq́ uirtutes rapiantur ad tortorẽ,nullumq́ recuſent nec ſupplicium nec dolorẽ? A. Tu(ſi quid facturus)noua aliqua cõquiras oportet,iſta me minime mouẽt: nõ ſolum quia peruulgata ſunt,ſed multo magis quia tanq̃ leuia quedã uina nihil ualent in aqua,ſic Stoicorum iſta magis guſtata q̃ potata delectant. Velut iſte chorus uirtutũ in eculeum impoſitus imagines conſtituit ante oculos cũ ampliſſima dignitate,ut ad eas curſim perrectura, nec eas beata uita à ſe deſertas paſſura uideatur. Quum autem animũ ab iſta pictura imaginibusq́ uirtutũ ad rem,ueritatemq́ traduxeris,hoc nudũ relinquitur, poſſit ne quis beatus eſſe,q̃diu torqueatur. Quãobrem hoc nunc quæramus. Virtutes autẽ noli uereri ne expoſtulent & querãtur ſe à beata uita eſſe relictas. Si enim nulla uirtus prudẽtia uacat,prudentia ipſa hoc uidet,nõ oẽs bonos eſſe etiã beatos,multaq́ de M. Attilio,Q. Cępione, Aquilio recordatur, beatamq́ uitã,ſi imaginibus potius uti,q̃ rebus ipſis placet,conãtem ire in eculeum retinet ipſa prudẽtia,negatq́ ei cũ dolore & cruciatu quidq̃ eſſe cõmune. M. Facile patior te iſto modo agere,& ſi iniquum eſt præſcribere mihi te,queẽadmodũ à me diſputari uelis. Sed quæro utrum aliquid actum ſuperioribus diebus,an nihil arbitremur? A. Actum uero & aliquantum quidem. M. Atqui ſit ita eſt,profligata iam hæc, & penè ad exitũ adducta quæſtio ẽ. A. Quo tandem modo? M.Quia motus turbulenti,iactationesq́ animorũ incitatę,& impetu inconſiderato elatæ,rationem omnẽ repellentes,uitæ beatæ nullã partem relinquunt. Quis enim poteſt mortẽ aut dolorẽ metuẽs,quorum alterũ ſæpe adeſt,alterum ſemper impẽdet,eſſe nõ miſer? Quid ſi idem (quod plerũq́ fit)paupertatẽ,ignominiam,infamiam timet: ſi debilitatem, cæcitatẽ,ſi deniq́,quod nõ ſingulis hominibus,ſed potentibus populis ſæpe cõtingit,ſeruitutẽ,poteſt ea timens eſſe quiſq̃ beatus? Quid qui nõ modo ea futura timet,uerũ etiam fert,ſuſtinetq́ præſentia? Adde eodẽ exilia,luctus,orbitates: qui rebus his fractus,ægritudine eliditur,poteſt tandẽ eſſe nõ miſerrimus? Quid uero illũ quem libidinibus inflãmatum & furentem uidemus; omnia rabide oppetentẽ cũ inexplebili cupiditate: quoq́ affluentius uoluptates undiq́ hauriat,eo grauius ardẽtiusq́ ſitientẽ,nónne recte miſerrimũ dixeris? Quid elatus ille leuitate,inaniq́ lætitia exultãs,& temere geſtiẽs, nónne tãto miſerior, quãto ſibi uidetur beatior? Ergo ut hi miſeri,ſic cõtra illi beati, quos nulli metus terrẽt,nullę ægritudines exedũt,nullę libidines ĩcitãt,nullę

futiles

ſutiles lætitiæ exultantes lãguidis liquefaciunt uoluptatibus. Vt maris igitur tranquillitas intelligitur, nulla ne minima quidẽ aura fluctus cõmouente, ſic animi quietus & placatus ſtatus cernitur, quum perturbatio nulla eſt qua moueri queat. Quod ſi eſt, qui uim fortunæ, qui omnia humana, quę cuiq; accidere poſſunt, tolerabilia ducat, ex quo nec timor eũ, nec angor attingat: idemq́; ſi nihil concupiſcat, nulla efferatur animi inani uoluptate, quid eſt cur is non beatus ſit? & ſi hæc uirtute efficiũtur, quid eſt cur uirtus ipſa per ſe nõ efficiat beatos? A. Atqui alterum dici non poteſt, quin hi, qui nihil metuant, nihil angantur, nihil cõcupiſcãt, nulla impotẽti lætitia efferãtur, beati ſint. Itaq; id tibi cõcedo: alterũ autem iam integrũ non eſt. Superioribus enim diſputationibus effectum eſt, uacare omni animi perturbatione ſapientem. M. Nimirum igitur cõfecta res eſt. Videtur enim ad exitũ ueniſſe quæſtio. A. Propemodũ id quidẽ. M. Verũtamen mathematicorũ iſte mos eſt, non philoſophorum. Nã geometræ quum aliquid docere uolunt, ſi quid ad eam rem pertinet eorũ quæ ante docuerunt, id ſumunt pro conceſſo & probato. Illud modo explicãt, de quo ante nihil ſcriptum eſt. Philoſophi quãcunq; rem habent in manibus, in eam, quæ cõueniunt, congerunt omnia, & ſi alio loco diſputata ſunt. Quod ni ita eſſet, cur Stoicus ſi eſſet quęſitũ, ſatis ne ad beate uiuendũ uirtus poſſet, multa diceret? cui ſatis eſſet reſpõdere, ſe ante docuiſſe nihil bonũ eſſe niſi quod honeſtũ eſſet: hoc probato conſequens eſſe, beatã uitam uirtute eſſe contẽtam. Et quomodo hoc ſit conſequens illi, ſic illud huic: ut ſi beata uita uirtute contenta ſit, niſi honeſtũ quod ſit, nihil aliud ſit bonum. Sed tamen nõ agunt ſic. Nã & de honeſto, & de ſummo bono ſeparatim libri ſunt: & quum ex eo efficiatur ſatis magnã in uirtute ad beate uiuendũ eſſe uim, nihilominus hoc agunt ſeparatim. Proprijs enim & ſuis argumentis & admonitionibus tractãda quęq; res eſt, tanta preſertim. Caue enim putes ullam in philoſophia uocem emiſſam clariorem, ullũ ue eſſe philoſophiæ promiſſum uberius aut maius. Nam quid profitetur ó dij boni? perfecturam ſe, qui legibus ſuis paruiſſet, ut eſſet cõtra fortunam ſemper armatus, ut omnia præſidia haberet in ſe bene beateq́; uiuendi, ut eſſet ſemper deniq; beatus. Sed uidero quid efficiat, tantiſper hoc ipſum magni æſtimo, quod pollicetur. Nam Xerſes quidẽ refertus omnibus præmiis doniſq́; fortunæ, nõ equitatu, non pedeſtribus copijs, nõ nauium multitudine, non infinito pondere auri contentus, præmiũ propoſuit qui inueniſſet nouã uoluptatem, qua ipſa, non fuit contentus. Neq; enim unq̃ finem inueniret libido. Nos uellem præmio elicere poſſemus, qui nobis aliquid attuliſſet, quo hoc firmius crederemus, A. Vellem id quidem, ſed habeo paululũ quod requiram. Ego enim aſſentior eorũ quæ poſuiſti alterũ alteri conſequens eſſe, ut quemadmodum ſi quod honeſtum ſit, id ſolũ ſit bonũ, ſequatur uitã beatam uirtute confici, ſic ſi uita beata in uirtute ſit, nihil eſſe niſi uirtutem bonum. Sed Brutus tuus, authore Ariſtone & Antiocho, non ſentit hoc. Putat enim, etiam ſi ſit bonum aliquod præter uirtutem. M. Quid igitur, contra Brutũ ne me dicturum putas? A. Tu uero ut uidetur. Nã præfinire non eſt meum. M. Quod cuiq; igitur conſentaneum ſit alio loco. Nam iſta mihi & cũ Antiocho ſæpe, & cum Ariſtone nuper, quum Athenis Imperator apud eum diuerſarer, diſſenſio fuit. Mihi enim nõ uidebatur quiſq̃ eſſe beatus poſſe, quũ in malis eſſet. In malis autem ſapientẽ

eſſe poſſe,ſi eſſent ulla corporis aut fortunæ mala. Dicebantur hæc, quæ ſcripta ſunt etiam Antiochijs locis pluribus,uirtutē ipſam per ſe beatam uitam efficere poſſe,neq; tamen beatiſſimam. Deinde ex maiore parte pleraſq; res nominari etiam ſi qua pars abeſſet, ut uires,ut ualetudinem, ut diuitias,ut honorem,ut gloriam,quæ genere,non numero cernerentur. Item beatam uitam etiam ſi ex aliqua parte claudicaret,tamen ex multo maiore parte obtinere nomen ſuum. Hæc nunc enucleare non ita neceſſe eſt, q̄ q̄ non conſtantiſſime dici mihi uidentur. Nam & qui beatus eſt,non intelligo quid requirat ut ſit beatior. Si eſt enim quod deſit,ne beatus quidē eſt. Et quod ex maiore parte unamquamq; rem appellari ſpectariq; dicunt,eſt ubi id iſto modo ualeat. Quum uero tria genera malorum eſſe dicant,qui duorū generū malis omnibus urgeatur,ut omnia aduerſa ſint in fortuna, omnibus oppreſſum corpus & confectum doloribus,huic paululum ne ad beatā uitam deeſſe dicemus,nō modo ad beatiſſimā? Hoc illud eſt,quod Theophraſtus ſuſtinere non potuit. Nā quum ſtatuiſſet uerbera,tormēta, cruciatus, patriæ euerſiones, exilia, orbitates,magnā uim habere ad male miſereq; uiuēdum, nō eſt auſus elate & ample loqui,quum humiliter demiſſeq; ſentiret,q̄ bene nō quæritur,cōſtanter quidē certe. Itaq; mihi placere nō ſolet,conſequentia reprehendere,quum prima cōceſſeris. Hic autē elegantiſſimus omniū philoſophorum & eruditiſſimus,non magnopere reprehēditur,quum tria genera dicit bonorum. Vexatur autē ab omnibus. Primum in eo libro quē ſcripſit de uita beata, in quo multa diſputat,quāobrem is qui torqueatur,qui crucietur, beatus eſſe nō poſſit. In eo etiā putatur dicere,in rotam (id eſt genus quoddam tormenti apud græcos) beatam uitam non aſcendere: non uſq̄ id quidem dicit omnino,ſed quę dicit,idem ualēt. Poſſum igitur cui conceſſerim in malis eſſe dolores corporis,in malis fortunæ naufragia,huic ſuſcenſere dicenti, non omnes bonos eſſe beatos,quum in omnes bonos ea quæ ille in malis numerat, cadere poſſint? Vexatur idem Theophraſtus & libris & ſcholis omnium philoſophorum,quod in Calliſthene ſuo laudarit illam ſententiam,

Vitam regit fortuna,non ſapientia.

Negant ab ullo philoſopho quidq̄ dictum eſſe lāguidius. Recte id quidē, ſed nihil intelligo dici potuiſſe cōſtantius. Si enim tot ſunt in corpore bona, tot extra corpus in caſu atq; fortuna,nónne cōſentaneū eſt plus fortunā, quæ domina rerū ſit,& externarū,& ad corpus pertinentium, q̄ conſiliū ualere? An malumus Epicurū imitari,qui multa pręclare ſępe dicit? Q; enim ſibi cōſtanter conueniēterq; dicat,nō laborat. Laudat tenuem uictū: philoſophi id quidē,ſed ſi Socrates,aut Antiſthenes diceret,non is qui finem bonorū uoluptatem eſſe dixerit. Negat quenq̄ iucunde poſſe uiuere,niſi idem honeſte, ſapiēter,iuſteq; uiuat. Nihil grauius,nil philoſophia dignius,niſi idē hoc ipſū, honeſte,ſapiēter,iuſte,ad uoluptatem referret. Quid melius,q̄ fortunam exiguam interuenire ſapiēti? Sed hoc is ne dicit,qui quum dolorē non modo maximū malū,ſed ſolū malū etiā dixerit,toto corpore opprimi poſſit doloribus » acerrimis,tum quum maxime cōtra fortunam glorietur? Quod idem melio » ribus etiā uerbis Metrodorus. Occupaui,te inquit,fortuna atq; cepi,omneſq; » aditus tuos intercluſi,ut ad me aſpirare nō poſſes. Præclare ſi Ariſto Chius aut ſi Stoicus Zeno diceret,qui niſi quod turpe eſſet,nihil malū duceret. Tu

uero

uero Metrodore,qui omne bonum in uiſceribus medullisq́ cōdideris,& definieris ſummum bonū firma corporis affectione,explorataq́ ſpe contineri, fortunæ aditus interclusiſti? Quomodo? iſto enim bono iā expoliari potes. Atqui his capiuntur imperiti,& propter huiuſmodi ſententias iſtorū hominum eſt multitudo. Acute autē diſputantis illud eſt,nō quid quiſq; dicat, ſed quid cuiq; dicendum ſit uidere. Velut in ea ſententia quam in hac diſputatione ſuſcepimus. Omnis bonos ſemper beatos uolumus eſſe. Quid dicā bonos, perſpicuum eſt. Omnibus enim uirtutibus inſtructos & ornatos,tum ſapientes,tum uiros bonos dicimus. Videamus qui dicēdi ſint beati. Equidem hos exiſtimo,qui ſint in bonis nullo adiūcto malo: neq; ulla alia huic uerbo, quū beatum dicimus,ſubiecta notio eſt,niſi ſecretis malis omnibus cumulata bonorū complexio. Hanc aſſequi uirtus,ſi quidq̄ præter ipſam boni eſt,non poteſt. Aderit enim malorū,ſi mala illa dicimus,turba quædā,paupertas, ignobilitas,humilitas,ſolitudo,amiſſio ſuorū,graues dolores corporis,perdita ualetudo,debilitas,cęcitas,interitus patrię, exiliū,ſeruitus. Deniq; in his tot & tātis atq; etiam quæ plura poſſunt accidere,poteſt eſſe ſapiens. Nā hæc caſus importat,qui in ſapiētem poteſt incurrere. At ſi ea mala ſunt,quis poteſt pręſtare ſemper ſapientem beatum fore,quum uel in omnibus his uno tempore eſſe poſſit? Non igitur facile concedo neq; Bruto meo,neq; cōmunibus magiſtris,nec ueteribus illis, Ariſtoteli, Speuſippo, Xenocrati, Polemoni, ut quum ea quæ ſupra enumeraui in malis numerēt,ijdem dicant ſemper beatū eſſe ſapiētem. Quos ſi titulus hic delectat inſignis & pulcher, Pythagora, Socrate,& Platone digniſſimus,inducant animum,illa quorū ſplendore capiūtur,uires,ualetudinē,pulchritudinē,diuitias,honores,opes contemnere,eaq́ quæ his cōtraria ſunt,pro nihilo ducere. Tum poterunt clariſſima uoce profiteri,ſe neq; fortunæ impetu,nec multitudinis opinione, nec dolore,nec paupertate terreri,omniaq́ ſibi in ſeſe eſſe poſita, neq; eſſe quidq̄ extra ſuam poteſtatē quod ducant in bonis. Nec hunc & hæc loqui,quę ſunt magni cuiuſdā & alti uiri,& eadem quę uulgus in malis & bonis numerare,concedi ullo modo poteſt. Qua gloria cōmotus Epicurus exoritur, cui etiam (ſi dijs placet) uidetur ſemper ſapiēs beatus. Hic dignitate huius ſentētiæ capitur. Sed nunq̄ id diceret,ſi ipſe ſe audiret. Quid eſt enim, quod minus conueniat q̄ ut is qui uel ſummum,uel ſolū malum dolorem eſſe dicat,idem cēſeat,q̄ hoc ſuaue eſt, tum quum dolore crucietur,dicturum eſſe ſapientem. Non igitur ex ſingulis uocibus philoſophi ſpectādi ſunt,ſed ex perpetuitate atq; cōſtantia. A. Adducis me,ut tibi aſſentiar,ſed tua quoq; uide ne deſideretur cōſtātia. M. Quonam modo? A. Quia legi tuum nuper quartum de Finibus: in eo mihi uidebare contra Catonē diſſerens,hoc uelle oſtendere,quod mihi quidem probatur,inter Zenonem & Peripateticos nihil præter uerborum nouitatē intereſſe. Quod ſi ita eſt,quid eſt cauſæ quin ſi Zenonis rationi conſentaneum ſit, ſatis magnā uim in uirtute eſſe ad beate uiuēdum,liceat idem Peripateticis dicere? Rem enim opinor ſpectari oportere, non uerba. M. Tu quidem tabellis obſignatis agis mecum,& teſtificaris quid dixerim aliquando,aut ſcripſerim. Cū alijs iſto modo,qui legibus impoſitis diſputant. Nos in diem uiuimus: quodcūq; noſtros animos probabilitate percuſſit,id dicimus. Itaq; ſoli ſumus liberi. Verūtamen quoniam de conſtantia paulo ante diximus,nō ego

hoc loco id quærendum puto, uerum ne ſit quod Zenoni placuerit, quodq́ eius auditori Ariſtoni, bonum eſſe ſolũ quod honeſtum eſſet: ſed ſi ita eſſet, tum ut hoc totum beate uiuere in una uirtute poneret. Quare demus hoc ſane Bruto, ut ſit beatus ſemper ſapiens, q̃ ſibi conueniat ipſe uiderit. Gloria quidem huius ſentẽtiæ, quis eſt illo uiro dignior? Nos tamen teneamus, ut ſit idẽ beatiſſimus. Et ſi Zeno Cittieus aduena quidam & ignobilis, uerborum opifex, inſinuaſſe ſe in antiquam philoſophiam uidetur, huius ſententię grauitas à Platonis authoritate repetatur, apud quem ſæpe hæc oratio uſurpata eſt, ut nihil preter uirtutem diceretur bonum. Velut in Gorgia Socrates, quum eſſet ex eo quæſitum, Archelaum Perdicę filium, qui tum fortunatiſſimus haberetur, nonne beatum putaret? Haud ſcio, inquit. Nunq̃ enim cum eo locutus ſum. Ain tu? an aliter id ſcire nõ potes? Non ullo modo. Tu igitur ne de Perſarum quidem Rege magno potes dicere, beatus ne ſit? An ego poſſem, quum ignorem q̃ ſit doctus, q̃ uir bonus? Quid? tu in eo ſitam uitam beatam putas? Ita prorſus exiſtimo, bonos beatos, improbos miſeros. Miſer ergo Archelaus? Certe ſi iniuſtus. Videtur ne omnẽ hic uitam beatam in una uirtute ponere? Quid uero in epitaphio quomodo idem? Nam cui uiro, inquit, ex ſeipſo apta ſunt omnia quæ ad beate uiuendũ ferunt, nec ſuſpenſa aliorum aut bono caſu, aut contrario pendere ex alterius euentis, & errare coguntur, huic optime uiuẽdi ratio comparata eſt. Hic eſt ille moderatus, hic fortis, hic ſapiens, hic & naſcentibus & cadentibus cum reliquis commodis, tum maxime liberis, parebit, & obediet præcepto illi ueteri.

Neq; enim lætabitur unq̃, nec mœrebit nimis
Quod ſemper in ſe ipſe omnem ſpem reponit ſui.

Ex hoc igitur Platonis quaſi quodam ſancto auguſtoq́ fonte noſtra omnis manabit oratio. Vnde igitur rectius ordiri poſſumus, q̃ à communi parente natura? Quæ quidquid genuit, nõ modo animal, ſed etiam quod ita eſſet ortum è terra, ut ſtirpibus ſuis niteretur, in ſuo quidq; genere perfectum eſſe uoluit. Itaq; & arbores, & uites, & ea quę ſunt humiliora, neq; ſe tollere à terra altius poſſunt, alia ſemper uirent, alia hyeme nudata, uerno tempore tepefacta frondeſcunt. Neq; enim eſt ullum, quod non ita uigeat interiore quodam motu, & ſuis quoq; ſeminibus incluſis, ut aut flores, aut fruges fundat, aut baccas, omniaq́ in omnibus, quantũ in ipſis ſit, nulla ui impediente perfecta ſint. Facilius uero etiã in beſtijs, quod his ſenſus à natura ẽ datus, uis ipſius naturę perſpici poteſt. Nãq; alias beſtias nãtis aquarum incolas eſſe uoluit. Alias uo lucres cœlo frui libero, ſerpẽtis quaſdã, quaſdam eſſe gradientis: earum ipſarum partim ſoliuagas, partim congregatas: immanis alias, quaſdam autem cicures, nonnullas abditas, terraq́ tectas. Atq; earum quæq; ſuum tenens munus, quum in diſparis animantis uitam tranſire non poſſit, manet in lege naturæ. Et ut beſtijs aliud alij præcipui à natura datum eſt, quod ſuum quæq; retinet, nec diſcedit ab eo, ſic homini multo quiddam præſtantius: & ſi præſtãtia debẽt ea dici, quæ habent aliquam comparationẽ. Humanus autẽ animus decerptus ex mente diuina cũ alio nullo niſi cum ipſo deo, ſi hoc fas eſt dictu, comparari poteſt. Hic igitur ſi eſt excultus, & ſi eius acies ita curata eſt, ut ne cęcetur erroribus, fit perfecta mẽs, id eſt abſoluta ratio, quod eſt idem uirtus: & ſi omne beatũ eſt, cui nihil deeſt, & quod ĩ ſuo genere expletum atq; cumu

latum eſt,idq́ꝫ uirtutis eſt proprium,certe omnes uirtutis compotes beati ſũt. Et hoc quidem mihi cum Bruto conuenit,item cum Ariſtotele, Xenocrate, Speuſippo,Polemone,ſed mihi uidentur etiam beatiſſimi. Quid enim deeſt ad beate uiuendum ei,qui confidit ſuis bonis? aut qui diffidit,beatus eſſe qui poteſt? At diffidat neceſſe eſt,qui bona diuidit tripertito. Qui enim poterit aut corporis firmitate,aut fortunæ ſtabilitate confidere? Atqui niſi ſtabili & fixo & permanente bono,beatus eſſe nemo poteſt. Quid ergo eiuſmodi iſto-rũ eſt? ut mihi illud Laconis dictũ in hos cadere uideatur,qui glorianti cuidã mercatori,quod multas naues in omnem oram maritimam dimiſiſſet:nõ ſa-ne optabilis quidem iſta inquit rudentibus apta fortuna. An dubiũ eſt,quin nihil ſit habendum in eo genere,quod uita beata cõplectitur,ſi id poſſit amit ti? Nihil enim interareſcere,nihil extingui,nihil cadere debet eorum in qui-bus uita beata conſiſtit. Nam qui timebit ne quid ex his deperdat,beatus eſſe non poterit. Volumus enim eum qui beatus ſit,tutum eſſe, inexpugnabilem, ſeptum,atqꝫ munitum,non ut paruo metu pręditus ſit,ſed ut nullo. Vt enim innocens is dicitur,non qui leuiter nocet,ſed qui nil nocet: ſic ſine metu is ha-bendus eſt,non qui parua metuit,ſed qui omnino metu uacat. Quę eſt enim alia fortitudo niſi animi affectio,quũ in adeũdo periculo,& in labore ac dolo re patiens,tum procul ab omni metu? Atque hæc certe nõ ita ſe haberent,niſi omne bonũ in una honeſtate cõſiſteret. Qui autẽ illã maxime optatã & ex-peditã ſecuritatẽ (ſecuritatẽ autẽ nũc appello uacuitatẽ ęgritudinis,in qua ui ta beata poſita eſt) habere quiſq̃ poteſt,cui aut adſit,aut adeſſe poſſit multitu do malorũ? Qui autẽ poterit eſſe celſus & erectus,& ea quæ homini accidere poſſunt,omnia parua ducens,qualẽ ſapientẽ eſſe uolumus, niſi omnia ſibi in ſe poſita cenſebit? An Lacedæmonij Philippo minitanti per literas ſe omnia quæ conarentur,prohibiturum,quæſiuerunt num ſe eſſet etiam mori prohi-biturus: uir is quem quærimus non multo facilius tali animo reperietur, q̃ ci uitas uniuerſa? Quid ad hanc fortitudinem de qua loquimur,temperantia ad iuncta,quæ ſit moderatrix omnium cõmotionum? Quid poteſt ad beate ui-uendum deeſſe ei,quem fortitudo ab ægritudine & a metu uindicet? tempe-rantia tum à libidine auocet,tum inſolenti alacritate geſtire non ſinat? Hæc efficere uirtutem oſtẽderem,niſi ſuperioribus diebus eſſent explicata. Atqui quum perturbationes animi miſeriam,ſedationes autem efficiant uitam bea-tam,duplexq́ꝫ ratio perturbationis ſit,quod ægritudo & metus in malis opi natis,in bonorum autem errore lætitia geſtiens libidoq́ꝫ uerſetur: quum om nia cum conſilio & ratione pugnent, his tu tam grauibus concitationibus, tanqꝫ ipſis inter ſe diſſentientibus,atqꝫ diſtractis,quem uacuum,ſolutum,libe rum uideris,hũc dubitabis beatum dicere. Atqui ſapiens ſemper ita affectus eſt,ſemper igitur ſapiens beatus eſt. Atqui etiam omne bonum lætabile eſt, quod autem lætabile,id prædicãdum & præ ſe ferendum. Quod tale autem, id etiam glorioſum,ſi uero glorioſum, certe laudabile: quod autem laudabi-le,profecto etiam honeſtum: quod bonum igitur id honeſtũ. At quę iſti bo-na numerant,ne ipſi quidem honeſta dicunt,ſolum igitur bonum quod hone ſtum. Ex quo efficitur,honeſtate una uitam contineri beatam. Non ſunt igi-tur ea bona dicenda,nec habenda quibus abundantem licet eſſe miſerrimũ. An dubitas quin præſtans ualetudine, uiribus, forma,acerrimis integerri-

misq́ ſenſibus, adde etiam, ſi libet, pernicitatem, & uelocitatem: da diuitias, honores, imperia, opes, gloriã, ſi fuerit is qui hæc habet iniuſtus, intemperãs, timidus, hebeti ingenio atq; nullo, dubitabis ne eum miſerum dicere? Qualia igitur iſta bona ſunt, quæ qui habeat, miſerrimus eſſe poſſit? Videamus ne ut aceruus ex ſui generis granis, ſic beata uita ex ſui ſimilibus partibus effici debeat. Quod ſi ita eſt, ex bonis, quæ ſola honeſta ſunt, efficiendum eſt beatum. Ea mixta ex diſſimilibus ſi erũt, honeſtum ex his effici nihil poterit: quo detracto, quid poterit beatum intelligi? Etenim quidquid eſt quod bonum ſit, id expetẽdum: quod autem expetendum, id certe approbandum: quod uero approbaris, id gratum acceptumq́ habendum. Ergo etiam dignitas ei tribuenda eſt, quod ſi ita eſt, laudabile ſit neceſſe eſt. Bonum igitur omne laudabile. Ex quo efficitur, ut quod ſit honeſtum, id ſit ſolum bonum. Quod ni ita tenebimus, multa erunt quæ nobis bona dicenda ſint. Omitto diuitias, quas, quum quiuis, quãuis indignus habere poſſit. In bonis non numero. Quod enim eſt bonum, id non quiuis habere poteſt. Omitto nobilitatem, famamq́ popularem, ſtultorum, improborumq́ conſenſu excitatam. Hæc quę ſunt minima, tamen bona dicantur neceſſe eſt. Candiduli dentes: uenuſti oculi, color ſuauis, & ea quæ Euryclia laudat, Vlyſſi pedes abluens, lenitudo orationis, mollitudo corporis. Ea ſi bona dicemus, quid erit in philoſophi grauitate, q̃ in uulgi opinione, ſtultorumq́ turba, quod dicatur aut grauius aut grãdius? A. At enim eadem Stoici præcipua, uel producta dicunt, quæ bona iſti. M. Dicũt illi quidem: ſed his uitam beatam compleri negant: hi autem ſine ijs eſſe nullam putant: aut ſi ſit beata, beatiſſimam certe negant. Nos autem uolumus beatiſſimam, idq́ nobis Socratica illa cõcluſione confirmatur. Sic enim princeps ille philoſophiæ diſſerebat: Qualis cuiusq; animi affectus eſſet, talẽ eſſe hominem: qualis autem homo ipſe eſſet, talem eius eſſe orationem. Orationi autem facta ſimilia, factis uitam. Affectus autem animi in bono uiro laudabilis, & uita igitur laudabilis boni uiri & honeſta. Ergo quoniam laudabilis, ex quibus bonorum beatam uitam eſſe concluditur. Et enim prò deorum atq; hominum fidem, parũ ne cognitum eſt ſuperioribus noſtris diſputationibus? An delectationis & otii conſumendi cauſa locuti ſumus, ſapientem ab omni concitatione animi, quam perturbationem uoco, ſemper uacare, ſemper in animo eius eſſe placidiſſimam pacem? Vir igitur temperatus, conſtans, ſine metu, ſine ægritudine, ſine ulla alacritate, ſine libidine, nónne beatus? At ſemper ſapiens talis, ſemper igitur beatus. Iam uero qui poteſt uir bonus, nõ ad id quod laudabile ſit, omnia referre, quæ agit, quæq́ ſentit? Refert autem omnia ad beate uiuendum. Beata igitur uita laudabilis. Nec quidq̃ ſine uirtute laudabile. Beata igitur uita uirtute conficitur. Atq; hoc ſic etiam concluditur. Nec in miſera uita quidq̃ eſt prædicabile, aut gloriandum, nec in ea quæ nec miſera ſit nec beata. Et eſt in aliqua uita prædicabile aliquid, & gloriandum, ac præ ſe ferendum: ut Epaminondas,

Conſilijs noſtris laus eſt attonſa Laconum,

Vt Aphricanus,

A ſole exoriente ſupra Mæotis paludes,
Nemo eſt qui factis me æquiperare queat.

Quod ſi beata uita glorianda, & prædicanda, & præ ſe ferenda eſt. Nihil eſt enim aliud quod prædicandum, & præ ſe ferendum ſit: quibus poſitis, in

telligis quid ſequatur. Et quidem niſi ea uita beata eſt quę eſt eadem honeſta, ſit aliud neceſſe eſt melius uita beata. Quod erit enim honeſtum, certe fatebuntur eſſe melius. Ita erit beata uita melius aliquid, quo quid poteſt dici peruerſius? Quid, quum fatentur ſatis magnam uim eſſe in uitijs ad miserã uitam, nónne fatendum eſt eandem uim in uirtute eſſe ad beatam uitam? Cõtrariorum enim contraria ſunt conſequentia. Quo loco quæro quam uim habeat libra illa Critolai, qui quum in alteram lancem animi bona imponat, in alteram corporis & externa, tantum propendere illam boni lancem putet, ut terram & maria deprimat. Quid ergo aut hũc prohibet, aut etiam Xenocratem illum grauiſſimum philoſophorum exaggerantem tantopere uirtutem, & extenuantem cetera, & abijcientem, in uirtute non beatam modo uitam, ſed etiam beatiſſimam ponere? Quod quidem niſi ſit, uirtutum interitus conſequetur. Nam in quem cadit ęgritudo, in eundem metum cadere neceſſe eſt: Eſt enim metus futuræ ęgritudinis ſolicita expectatio. In quem autem metus, in eundem formido, timiditas, pauor, ignauia. Ergo ut idem uincatur interdum, nec putet ad ſe præceptum illud Atrei pertinere.

Proinde ita parent ſe in uita, ut uinci neſciant.

Hic autem uincetur, ut dixi, nec modo uincetur, ſed etiam ſeruiet: nos autem uirtutem ſemper liberam uolumus, ſemper inuictã: quæ niſi ita eſt, ſublata uirtus eſt. Atqui ſi in uirtute ſatis eſt pręſidij ad bene uiuendum, ſatis etiam ad beate. Satis eſt enim certe in uirtute ut fortiter uiuamus: ſi fortiter, etiam ut magno animo, & quidem ut nulla re unq̃ terreamur, ſemperq; ſimus inuicti: ſequitur ut nihil pœniteat, nihil deſit nihil obſtet. Ergo omnia profluenter, abſolute, proſpere, igitur beate. Satis autem uirtus ad fortiter uiuendum poteſt, ſatis ergo etiam ad beate. Etenim ut ſtultitia, & ſi adepta eſt, quod concupiuit, nunquam ſe tamen ſatis conſecutam putat: ſic ſapientia ſemper eo contẽta eſt, quod adeſt, neq; eam unquam ſui pœnitet. Simile ne putas C. Lælij unum Conſulatum fuiſſe, & eum quidem cum repulſa (ſed quum ſapiens, & bonus uir, qualis fuit ille, ſuffragijs præteritur, non populus à bono Conſule potius, q̃ ille à bono populo repulſam fert, ſuffragijs præteritur?) Sed tamen utrum malles te, ſi poteſtas eſſet, ſemel, ut Lęlium Conſulem, an ut Cinnam quater? Non dubito tu quid reſpõſurus ſis. Itaq; uideo cui committam. Non quemuis hoc idem interrogarem. Reſponderet enim alius fortaſſe ſe non modo quatuor conſulatus uni anteponere, ſed unum diem Cinnæ multorum & clarorum uirorum totis ætatibus. Lęlius ſi digito quem attigiſſet, pœnas dediſſet. At Cinna collegę ſui Conſulis Cn. Octauij præcidi caput iuſſit, P. Craſſi, L. Cæſaris, nobiliſſimorum hominum, quorum uirtus fuerat domi militięq; cognita: M. Antonij omnium eloquentiſſimi, quos ego audierim: C. Cæſaris, in quo mihi uidetur fuiſſe ſpecimen humanitatis, ſalis, ſuauitatis, leporis. Beatus ne igitur, qui hos interfecit? Mihi cõtra non ſolum eo uidetur miſer, quod ea fecit, ſed etiam quod ita ſe geſſit, ut ea facere ei liceret: & ſi peccare nemini licet, ſed ſermõis errore labimur. Id enim licere dicimus, quod cuique conceditur. Vtrum tandem beatior C. Marius, tum quum Cimbricę uictorię gloriam cum Collega Catulo cõmunicauit pene altero Lęlio? Nam hunc illi duco ſimillimũ. An quum ciuili bello uictor iratus, neceſſarijs Catuli deprecantibus non ſemel reſpondit, ſed ſæpe, moriatur? In quo bea

tior ille, qui huic nefariæ uoci paruit, quàm is qui tam ſcelerate imperauit. Nam cum accipere q̃ facere præſtat iniuriam, tum morti iam ipſi aduentanti paulum procedere obuiam, quod fecit Catulus, q̃ quod Marius, talis uiri interitu ſex ſuos obruere Conſulatus, & contaminare extremum tempus ætatis. Duodequadraginta annos tyrannus Syracuſanorum fuit Dionyſius? quum V & XX natus annos dominatum occupauiſſet: qua pulchritudine urbem, quibus autem opibus præditam ſeruitute oppreſſam tenuit ciuitatem? Atqui de hoc homine à bonis authoribus ſic ſcriptum accepimus, ſummam fuiſſe eius in uictu temperantiam, in rebusq́ gerendis uirum Acrem & induſtrium, eundem tamen maleficum natura, & iniuſtum. Ex quo omnibus bene ueritatem intuentibus, uideri neceſſe eſt miſerrimum. Ea enim ipſa quæ concupierat, ne tum quidem quum omnia ſe poſſe cenſebat, conſequebatur. Qui quum eſſet bonis parẽtibus atq́ honeſto loco natus, & ſi id quidem alius alio modo tradidit, abundaretq́ & æqualium familiaritatibus, & conſuetudine propinquorum, haberet etiam more Græciæ quoſdam adoleſcentes amore coniunctos, credebat eorum nemini, ſed is, quos ex familijs locupletum ſeruos delegerat, quibus nomen ſeruitutis ipſe detraxerat, & quibuſdam conuenis & feris barbaris corporis cuſtodiam committebat. Ita propter iniuſtam dominatus cupiditatem, in carcerem quodammodo ipſe ſe incluſerat. Quinetiam ne tonſori collum committeret, tondere filias ſuas docuit. Ita ſordido ancillariq́ artificio regiæ uirgines, ut tonſtriculæ tondebant barbam & capillum patris. Et tamen ab ijs ipſis, quũ iam eſſent adultę, ferrum remouit: inſtituitq́, ut candentibus iuglandium putaminibus barbam ſibi & capillum adurerẽt. Quumq́ duas uxores haberet Ariſtomachen ciuem ſuam, Doridem autem Locrenſem, ſic noctu ad eas uentitabat, ut omnia ſpecularetur & perſcrutaretur ante. Et quum foſſam latam cubiculari lecto circundediſſet, eiusq́ foſſæ tranſitum ponticulo ligneo coniunxiſſet, eum ipſum, quum fores cubiculi clauſerat, detorquebat. Idemq́ quum in communibus ſuggeſtis conſiſtere non auderet, concionari ex turri alta ſolebat. Atq́ is quum pila ludere uellet (ſtudioſe enim id factitabat) tunicamq́ poneret, adoleſcentulo quem amabat, tradidiſſe gladium dicitur. Hic quum quidam familiarius iocans dixiſſet. Huic quidem certe uitam tuam committis? arriſiſſetq́ adoleſcens, utrunque iuſſit interfici. Alterum, quia uiam demonſtrauiſſet interimẽdi ſui: alterum, quia dictum id riſu approbauiſſet. Atque eo facto, ſic doluit, nihil ut tulerit grauius in uita. Quem enim uehementer amarat, occiderat. Sic diſtrahuntur in contrarias partes impotentium cupiditates: quum huic obſecutus ſis, illi eſt repugnandum. Quamq̃ hic quidem tyrannus ipſe iudicauit quàm eſſet beatus. Nam quum quidam ex eius aſſentatoribus Damocles cõmemoraret in ſermone copias eius, opes, maieſtatẽ, dominatus, rerum abũdantiam, magnificentiam ędium regiarum, negaretq́ unq̃ beatiorem quenq̃ fuiſſe, uis ne igitur inquit o' Damocle, quoniam hęc te uita delectat, ipſe eandem deguſtare, & fortunam experiri meam? Quum ſe ille cupere dixiſſet, collocari iuſſit hominem in aureo lecto, ſtrato pulcherrimo, textili ſtragulo, magnificis operibus picto, abacosq́ complures ornauit argento, auroq́ cælato: tum ad menſam eximia forma pueros delectos iuſſit conſiſtere, eosq́ nutum illius intuentis diligenter miniſtrare. Aderant unguenta, coronæ,

incendebantur

incendebātur odores, menſæ conquiſitiſſimis epulis extruebantur. Fortunatus ſibi Damocles uidebatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladiū e' lacunari ſeta equina aptum demitti iuſſit, ut impenderet illius beati ceruicibus. Itaq; nec pulchros illos miniſtratores aſpiciebat, nec plenum artis argētum, nec manum porrigebat in menſam, iam ipſę defluebant coronæ. Deniq; exorauit tyrannum, ut abire liceret, quod iam beatus nollet eſſe. Satis ne uidetur declaraſſe Dionyſius nihil eſſe ei beatum, cui ſemper aliquis terror impendeat? Atq; ei ne integrum quidem erat, ut ad iuſtitiam remigraret, ciuibus libertatem, & iura redderet. His enim ſe adoleſcens improuida ætate irretierat erratis, eaq; commiſerat, ut ſaluus eſſe non poſſet, ſi ſanus eſſe cœpiſſet. Quantopere uero amicitias deſideraret, quarum infidelitatem extimeſcebat, declarauit in Pythagoreis duobus illis, quorum quum alterum uadem mortis accepiſſet, alter ut uadem ſuum liberaret præſto fuiſſet ad horam mortis deſtinatam: Vtinam ego (inquit) tertius uobis amicus aſcriberer. Q; huic miſerum erat carere conſuetudine amicorum, ſocietate uictus, ſermone omnino familiari: homini preſertim docto a' puero, & artibus ingenuis erudito. Muſicorum uero perſtudioſum accepimus, poetam etiam tragicum q̄ bonum, nihil ad rem. In hoc enim genere neſcio quo pacto magis q̄ in alijs, ſuum cuiq; pulchrum eſt. Adhuc neminem cognoui poetam, & mihi fuit cum Aquinio amicitia, qui ſibi non optimus uideretur. Sic ſe res habet. Te tua, me delectant mea. Sed ut ad Dionyſium redeamus, omni cultu & uictu humano carebat. Viuebat cum fugitiuis, cum facinoroſis, cum barbaris. Neminē qui aut libertate dignus eſſet, aut uellet omnino liber eſſe, ſibi amicum arbitrabatur. Non ego iam cū huius uita, qua tetrius, miſerius, deteſtabilius excogitare nihil poſſum, Platonis aut Archytæ uitā comparabo, doctorum hominum, & planè ſapiētium: ex eadem urbe humilē homunculum a' puluere & radio excitabo, qui multis annis poſt fuit, Archymedem, cuius ego Quæſtor ignoratum ab Syracuſanis, quū eſſe omnino negarent, ſeptum undiq; & ueſtitum ueprıbus & dumetis, indagaui ſepulcrum. Tenebam enim quoſdam ſenariolos, quos in eius monumēto eſſe inſcriptos acceperam, qui declarabant in ſummo ſepulcro ſphęram eſſe poſitam cum cylindro. Ego autem quum omnia colluſtrarē oculis (eſt enim ad portas Agragianas magna frequentia ſepulcrorum) animaduerti columellā non multum e' dumis eminentem, in qua inerat ſphæræ figura, & cylindri. Atq; ego ſtatim Syracuſanis (erant autem principes mecum) dixi me illud ipſum arbitrari eſſe quod quærerem. Immiſſi cū falcibus multi purgarunt, & aperuerunt locū. Quo quum patefactus eſſet aditus, ad aduerſam baſim acceſſimus. Apparebat epigrāma exeſis poſterioribus partibus uerſiculorū dimidiatis ferè. Ita nobiliſſima Gręciæ ciuitas quōdam uero etiā doctiſſima, ſui ciuis unius acutiſſimi monumētū ignoraſſet, niſi ab homine Arpinate didiciſſet. Sed redeat unde aberrauit oratio. Quis eſt omnium qui modo cū muſis, id eſt cum humanitate, & cū doctrina habeat aliquod cōmercium, qui ſe nō hunc mathematicum malit, q̄ illum tyrānum? Si uitæ modū actionemq; quærimus, alterius mens rationibus agitandis exquirendiſq; alebatur cum oblectatione ſolertiæ, qui unus ſuauiſſimus paſtus animorum, alterius in cæde & iniurijs, cū & diurno & nocturno metu. Age cōfer Democritum, Pythagoram, Anaxagoram: quæ regna, quas opes ſtudijs eorum &

delectationibus antepones? Etenĩ quę pars optima eſt in homine,in ea ſitũ eſſe neceſſe eſt illud quod quęris omnium optimũ. Quid eſt autem in homine, ſagaci ac bona mente melius? Eius bono fruendum eſt igitur,ſi beati eſſe uolumus. bonum autẽ mentis eſt uirtus,ergo hac beatam uitam contineri neceſſe eſt. Hinc omnia quę pulchra,honeſta,pręclara ſũt, ut ſupra dixi. Sed dicẽdũ idẽ illud paulo uberius uidetur,plena gaudiorũ ſunt. Ex perpetuis autẽ plenisq; gaudijs quũ perſpicuũ ſit uitã beatã exiſtere,ſequitur ut ea exiſtat ex honeſtate. Sed ne uerbis ſolũ attingamus ea,quæ uolumus oſtendere,proponenda quędã quaſi mouentia ſunt,quę nos magis ad cognitionẽ intelligentiamq; conuertant. Sumatur enim nobis quidã pręſtans uir optimis artibus, isq; animo parumper & cogitatiõe fingatur. Primũ ingenio eximio ſit,neceſſe eſt: Tardis enim mentibus uirtus nõ facile comitatur. Deinde ad inueſtigãdã ueritatẽ ſtudio incitato,ex quo triplex ille animi fœtus exiſtet. Vnus in cognitione rerum poſitus,& in explicatione naturę: Alter in diſcretione expetẽdarũ fugiẽdarum'ue rerũ: Tertius in iudicando quid cuiq; rei ſit cõſequẽs, quid repugnãs: inquo ineſt tũ omnis ſubtilitas diſſerẽdi,tũ ueritas iudicãdi. Quo tandẽ igitur gaudio affici neceſſe eſt ſapientis animũ cum his habitantẽ pernoctantẽq; curis? ut quum totius mundi motus conuerſionesq; perſpexerit,ſyderaq; uiderit innumerabilia cœlo inhęrentia cum eius ipſius motu congruere,certis infixa ſedibus,ſeptẽ alia ſuos quęq; tenere curſus,multum inter ſe altitudine aut humilitate diſtantia,quorũ uagi motus,rata tamen & certa ſui curſus ſpatia definiant. Horum nimirũ aſpectus impulit illos ueteres, & admonuit, ut plura quęrerent. Inde eſt indagatio nata initiorum & tanquã ſeminum,unde eſſent omnia orta, generata, concreta,quæq; cuiuſq; generis, uel inanimi uel animantis,uel muti uel loquentis origo,quæ uita,quis interitus,quæq; ex alio in aliud uiciſſitudo atq; mutatio. Vnde terra & quibus librata ponderibus,quibus cauernis maria ſuſtineat,in qua omnia delata grauitate,medium mundi locum ſemper expetant,qui eſt idem infimus in rotundo. Hæc tractanti animo, & noctes & dies cogitanti, exiſtit illa à deo Delphis præcepta cognitio,ut ipſa ſe mens agnoſcat, coniunctamq; cum diuina mente ſe ſentiat,ex quo inſatiabili gaudio compleatur. Ipſa enim cogitatio de ui & natura deorum,ſtudium incendit illius æternitatis imitandę. Neq; ſe in breuitate uitæ collocatã putat,quum rerum cauſas alias ex alijs aptas,& neceſſitate nexas uidet, quibus ab æterno tẽpore fluentibus in æternum ratio tamen mensq; moderatur. Hæc ille intuens atq; ſuſpiciẽs,uel potius oẽs partes horasq; circunſpiciens,quanta rurſus animi tranquillitate humana & citeriora conſiderat? Hinc illa cognitio uirtutis exiſtit,efflorеſcunt genera,partesq; uirtutũ: inuenitur quid ſit quod natura ſpectet extremũ in bonis,quod in malis ultimum,quo referenda ſint officia,quæ degendæ ætatis ratio deligenda. Quibus & talibus rebus exquiſitis,hoc uel maxime efficitur,quod hac diſputatione agimus,ut uirtus ad beate uiuẽdum ſit ſeipſa contẽta. Sequitur tertia, quę per omnes partes ſapiẽtiæ manat & funditur,quæ rem definit,genera diſpertit, ſequẽtia adiungit,perfecta concludit,uera & falſa diiudicat, diſſerendi ratio & ſciẽtia. Ex qua quũ ſumma utilitas exiſtit ad res ponderandas,tum maxime ingenua delectatio,& digna ſapiẽtia. Sed hæc otii. Tranſeat idẽ iſte ſapiens ad remp. tuendam, quid eo poſſit eſſe præſtantius, quum contineri

pruden tia

prudẽtia utilitatem ciuium cernat, iuſtitia nihil in ſuam domum inde deriuet, reliquis utatur tot tam uarijsq́ue uirtutibus. Adiũge fructũ amicitiarũ, in quo à doctis poſitum eſt cum conſilium omnis uitæ cõſentiens & pene conſpirãs, tum ſumma iocunditas ex cotidiano cultu atq; uictu. Quid hæc tandẽ uita deſiderat, quo ſit beatior? Cui rei refertæ tot tantisq́ue gaudijs, fortuna ipſa cedat neceſſe eſt. Quod ſi gaudere talibus bonis animi, ideſt uirtutibus beatũ eſt, omnesq́ue ſapiẽtes gaudijs perfruuntur, omnis eos beatos eſſe cõfiteri neceſſe eſt. A. Etiã ne in cruciatu atq; tormentis? M. An tu me in uiola putabas, aut in roſa dicere? An Epicuro, qui tãtummodo induit perſonã philoſophi, & ſibiipſi hoc nomẽ inſcripſit, dicere licebit, quod quidẽ ut habet ſe res, me tamen plaudente dicit, nullum ſapiẽti eſſe tempus, & ſi uratur, torqueatur, ſecetur, quin poſſit exclamare, q̃ pro nihilo puto? Quum preſertim omne malũ dolore definiat, bonũ uoluptate: hæc noſtra honeſta, turpia, irrideat, dicatq́ue nos in uocibus occupatos, inanis ſonos fundere, neq; quidq̃ ad nos pertinere, niſi quod aut leue aut aſperũ in corpore ſentiatur. Huic ergo, ut dixi, non multum differenti à iudicio ferarũ, obliuiſci licebit ſui, & tum fortunam contẽnere, quum ſit omne & bonum eius & malũ in poteſtate fortunæ, tum dicere ſe beatũ in ſummo cruciatu atq; tormẽtis, quum cõſtituerit non modo ſummũ malum eſſe dolorẽ, ſed etiam ſolum. Nec uero illa ſibi remedia cõparauit ad tolerãdũ dolorem, firmitatem animi, turpitudinis uerecundiã, exercitationẽ cõſuetudinemq́ue patiẽdi, pręcepta fortitudinis, duritiam uirilem: ſed una ſe dicit recordatione acquieſcere præteritarum uoluptatũ: ut ſi quis æſtuans, quũ uim caloris non facile patiatur, recordari uelit ſe aliquando in Arpinati noſtro gelidis fluminibus circunfuſum fuiſſe. Non enim uideo quomodo ſedare poſſint mala pręſentia pręteritæ uoluptates. Sed quum is dicat ſemper beatum eſſe ſapientem, cui dicere hoc, ſi ſibi conſtare uellet, non liceret, quidnam faciendũ eſt iis, qui nihil expetendũ, nihil in bonis ducendũ quod honeſtate careat, exiſtimãt? Me quidẽ authore etiam Peripatetici, ueteresq́ue Academici balbutire deſinant aliquãdo, aperteq́ue & clara uoce audeant dicere, beatã uitam in Phalaridis taurũ deſcenſuram. Sint enim tria genera bonorum, ut iã à laqueis Stoicorum, quibus uſum me pluribus q̃ ſoleo, intelligo, recedamus. Sint ſanè illa genera bonorum, dum corporis & externa iaceãt humi, & tãtũmodo quia ſumẽda ſint, appellentur bona. Alia autem diuina illa lõge lateq́ue ſe pandant, cœlumq́ue contingãt, ut ea qui adeptus ſit, cur eum beatũ modo, & non beatiſſimũ etiã dixerim? Dolorẽ uero ſapiens extimeſcit? Is enim huic maxime ſententiæ repugnat. Nam cõtra mortem noſtram atq; noſtrorum, contraq́ue ægritudinẽ, & reliquas animi perturbationes, ſatis eſſe uidemur ſuperiorum dierũ diſputationibus armati & parati. Dolor eſſe uidetur acerrimus uirtuti aduerſarius. Is ardẽtes faces intentat, is fortitudinem, magnitudinẽ animi, patiẽtiam, ſe debilitaturum minatur. Huic igitur ſuccumbet uirtus? huic beata ſapientis & conſtantis uiri uita cedet? Quã turpe ò dij boni. Pueri Spartiatę nõ ingemiſcũt uerberum dolore laniati. Adoleſcẽtium greges Lacedæmone uidimus ipſi incredibili contentione certantes pugnis, calcibus, unguibus, morſu, deniq; ut exanimarẽtur, priusq̃ uictos ſe faterent. Quę barbaria India uaſtior, aut agreſtior? in ea tamẽ gente primũ hi qui ſapientes habẽtur, nudi ętatẽ agũt, & Caucaſi niues, hyemaleq́ue uim perferũt ſine dolore.

Quumq́ ad flammam ſe applicauerint,ſine gemitu aduruntur. Mulieres uero in India quum eſt cuiuſuis earum uir mortuus,in certamen iudiciumq́ ueniunt,quam plurimum ille dilexerit(plures enim ſolent eſſe ſingulis nuptæ) quæ uictrix ea læta proſequentibus ſuis unà cum uiro in rogum imponitur. Illa uicta mœſta diſcedit.Nunq̃ naturam mos uinceret, eſt enim ea ſemper inuicta,ſed nos umbris,delitijs,otio,lãguore,deſidia animum infecimus,opinionibus,maloq́ more delinitũ molliuimus. Aegyptiorum morẽ quis ignorat? quorum imbutæ mentes prauitatis erroribus quãuis carnificinam prius ſubierint,q̃ Ibim,aut aſpidem,aut felem,aut canem,aut crocodilum uiolent. Quorum etiam ſi imprudentes quippiam fecerint,pœnam nullam recuſent. De hominibus loquor.Quid beſtiæ? non frigus,non famẽ,non montiuagos atq; ſylueſtres curſus luſtrationesq́ patiuntur? Non pro ſuo partu ita propugnant,ut uulnera excipiant,nullos impetus,nullos ictus reformident? Omitto quæ perferãt,quæq́ patiãtur ambitioſi honoris cauſa:laudis ſtudioſi,gloriæ cauſa:amore incenſi,cupiditatis.Plena uita exemplorum eſt,ſed adhibeat oratio modum,& redeat illuc unde deflexit.Dabit,dabit,inquam ſe in tormẽta uita beata,nec iuſtitiam,temperantiam,in primisq́ fortitudinem,magnitudinem animi,patiẽtiam proſecuta,quum tortoris os uiderit,conſiſtet,uirtutibusq́ omnibus ſine ullo animi terrore ad cruciatum profectis reſiſtet extra fores,ut ante dixi,limẽq́ carceris.Quid enim ea fœdius? quid deformius ſola relicta,comitatu pulcherrimo ſegregata? quod tamen fieri nullo pacto poteſt.Nec enim uirtutes ſine beata uita cohærere poſſunt, nec illa ſine uirtutibus.Itaq; eam tergiuerſari non ſinent,ſecumq́ rapient,ad quemcũq; ipſę dolorem cruciatumq́ ducentur.Sapientis eſt enim proprium nihil quod pœnitere poſſit,facere,nihil inuitum:ſplendide,conſtanter,grauiter, honeſte omnia:nihil ita expectare,quaſi certo futurum:nihil quũ acciderit,admirari, ut inopinatum ac nouum accidiſſe uideatur:omnia ad ſuum arbitrium referre: ſuis ſtare iudicijs:quo quid ſit beatius,mihi certe in mẽtem uenire nõ poteſt. Stoicorum quidem facilis concluſio eſt,qui quum finem bonorum eſſe ſenſerint congruere naturæ,cumq́ ea conuenienter uiuere,quum id ſit in ſapiente ſitum,non officio ſolum,uerumetiam poteſtate,ſequatur neceſſe eſt, ut cuius in poteſtate ſummum bonum,in eiuſdem uita beata ſit:ita ſit ſemper uita beata ſapiẽtis.Habes quę fortiſſime de beata uita dici putem, & quomodo nunc eſt,niſi quid tu melius attuleris,etiam ueriſſime. A.Melius equidem afferre nil poſſum.Sed à te impetrarim libenter,ut niſi moleſtum ſit,quoniam te nulla uincula impediunt ullius certæ diſciplinæ,libasq́ ex omnibus,quodcunq; te maxime ſpecie ueritatis mouet, quod pauloante Peripateticos, ueteremq́ Academiam hortari uidebare,ut ſine retractatione libere dicere auderent, ſapiẽtes eſſe ſemper beatiſſimos. Id uelim audire,quemadmodum his putes cõſentaneum eſſe id dicere.Multa enim à te contra iſtam ſententiam dicta ſunt, & Stoicorum ratione concluſa. M.Vtamur igitur libertate,qua nobis ſolis in philoſophia licet uti, quorum oratio nihil ipſa iudicat,ſed habetur in omnes partes,ut ab alijs poſſit ipſa per ſeſe nullius authoritate adiuncta iudicari. Et quoniam uideris hoc uelle,ut quæcunq; diſſentiẽtiũ philoſophorum ſentẽtia ſit de finibus,tamẽ uirtus ſatis habeat ad uitam beatam præſidij,quod quidẽ Carneadem diſputare ſolitum accepimus : ſed ijs,ut contra Stoicos,quos

ſtudioſiſſime

ſtudioſiſſime ſemper refellebat,& cōtra quorum diſciplinam ingenium eius exarſerat,nos illud quidem cum pace agemus. Si enim Stoici fines bonorum recte poſuerunt,confecta res eſt,neceſſe eſt ſemper beatum eſſe ſapiētem. Sed quæramus unamquāq; reliquorum ſententiam,ſi fieri poteſt, ut hoc præclarum quaſi decretum beatæ uitę poſſit omnium ſententijs & diſciplinis conuenire. Sunt autem hæ de finibus,ut opinor,retētæ defenſæq; ſentētiæ,primum ſimplices quatuor. Nihil bonum niſi honeſtū,ut Stoici. Nihil bonū niſi uoluptatē,ut Epicurus. Nihil bonum niſi uacuitatē doloris,ut Hieronymus. Nihil bonum niſi naturæ primis bonis,aut omnibus, aut maximis frui,ut Carneades contra Stoicos diſſerebat. Hęc igitur ſimplicia. Illa mixta tria genera bonorū,maxima animi ſecunda corporis,externa tertia,ut Peripatetici. Nec multo ueteres Academici ſecus. Voluptatē cū honeſtate Dinomachus & Callipho copulauit. Indolētiam autem honeſtati Peripateticus Diodorus adiūxit. Hæ ſunt ſentētiæ,quæ ſtabilitatis aliquid habeant. Nam Ariſtonis,Pyrrhonis,Erilli,nōnullorumq; aliorū euanuerunt. Hi quid poſſint obtinere uideamus,omiſſis Stoicis,quorum ſatis uideor defendiſſe ſentētiam,& Peripateticis,quorum quidē explicata cauſa eſt,præter Theophraſtum, & ſi qui illum ſecuti imbecillius horrent dolorē & reformidant. Reliquis quidē licet facere id quod ferè faciunt,ut grauitatē dignitatemq; uirtutis exaggerēt, quam quum ad cœlum extulerint,quod facere eloquētes homines copioſe ſolēt,reliqua ex collatione facile eſt cōterere atq; contēnere. Nec enim licet ijs,qui laudem cum dolore petendam eſſe dicunt,negare eos eſſe beatos,qui illā adepti ſunt. Q̃q̃ enim ſint in quibuſdā malis,tamen hoc nomen beati longe & late patet. Nam ut quæſtuoſa mercatura,fructuoſa aratio dicitur,nō ſi altera ſemper omni dāno,altera omnis tempeſtatis calamitate ſemper uacet,ſed ſi multo maiori ex parte extat in utraq; felicitas: ſic uita non ſolum ſi undiq; referta bonis eſt, ſed ſi multo maiore & grauiore ex parte bona propendent, beata recte dici poteſt. Sequetur igitur horum ratione uel ad ſupplicium beata uita uirtutem,cumq; ea deſcendet in taurum, Ariſtotele,Xenocrate, Speuſippo,Polemone auctoribus,nec eam minimis blandimentis corrupta deſeret. Eadem Calliphontis erit Diodoriq; ſententia, quorum uterq; honeſtatē ſic complectitur,ut omnia quæ ſine ea ſint,longe & retro ponenda cenſeat. Reliqui habere ſe uidentur anguſtius: enatant tamen Epicurus, Hieronymus, & ſi qui ſunt qui diſertum illum Carneadem curent defendere. Nemo eſt enim qui eorum bonorum animum putet eſſe iudicem, eumq; condoceſaciat,ut ea quæ bona, maláue uideātur,poſſit contēnere. Nam quę tibi Epicuri uidetur, eadem erit Hieronymi & Carneadis cauſa,& hercle omnium reliquorum. Quis enim parum eſt cōtra mortem,aut dolorem paratus? Ordiamur ab eo ſi placet,quem mollem,quem uoluptarium dicimus. Quid is tibi mortem ne uidetur,an dolorem timere,qui eum diem,quo moritur,beatum àppellat,maximisq; doloribus affectus eos ipſos inuentorum ſuorum memoria & recordatione confutat? Nec hæc ſic agit,ut ex tempore quaſi effutire uideatur. De morte enim iſta ſentit, ut diſſoluto animante ſenſum extinctum putet. Quod autem ſenſu careat, nihil ad nos id iudicet pertinere. Item de dolore certa habet quæ ſequatur, quorum magntiudinem breuitate conſolatur, longinquitatem lenitate. Quid tandem iſti grandiloqui contra hæc duo,

quæ maxime angunt, melius ſe habent, q̃ Epicurus? An ad cetera quæ mala putantur, non & Epicurus, & reliqui philoſophi ſatis parati uidẽtur? Quis non paupertatem extimeſcit? neq; tamen quiſquam philoſophorum. Hic uero ipſe q̃ paruo eſt contentus? nemo de tenui uictu plura dixit. Etenim quæ res pecunię cupiditatem afferunt, ut amori, ut ambitioni, ut cotidianis ſumptibus copiæ ſuppetant, quum procul ab ĳs omnibus rebus abſit, cur pecuniam magnopere deſideret, uel potius curet omnino? An Scythes Anacharſis potuit pro nihilo pecuniam ducere, noſtrates philoſophi facere non potuerunt? Illius epiſtola fertur his uerbis,

ANACHARSIS HANNONI S. Mihi amictui eſt Scythicũ tegmẽ,
» calciamentum ſolorum callum, cubile terra, pulpamentum fames, lacte caſeo,
» carne ueſcor. Quare ut ad quietum me licet uenias. Munera autẽ iſta quibus
» es delectatus, uel ciuibus tuis, uel dĳs immortalibus dona. Omnes ferè philo-
» ſophi omnium diſciplinarum, niſi quos à recta ratione natura uitioſa detorſiſſet, hoc eodem animo eſſe potuerũt. Socrates in pompa, quum magna uis auri argentiq; ferretur. Quàm multa non deſidero, inquit. Xenocrates quum Legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta attuliſſent, quæ erat pecunia temporibus illis Athenis preſertim maxima, adduxit Legatos ad cenam in Academiam. Is appoſuit tãtum, quod ſatis eſſet, nullo apparatu. Quum poſtridie rogarent eum, cui numerari iuberet. Quid uos heſterna, inquit, cenula nõ intellexiſtis me pecunia non egere? Quos quum triſtioris uidiſſet. xxx. minas accepit, ne aſpernari Regis liberalitatem uideretur. At uero Diogenes liberius ut Cynicus, Alexandro rogãti ut diceret ſi quid ſibi opus eſſet. Nunc quidem paululũ, inquit, à ſole. Offecerat uidelicet apricanti. Et hic quidẽ diſputare ſolebat, quãto Regẽ Perſarũ uita fortunaq; ſuperaret: ſibi nihil deeſſe, illi nihil ſatis unq̃ fore: ſe eius uoluptates nõ deſiderare, quibus nunq̃ ſatiari ille poſſet, ſuas eũ conſequi nullo modo poſſe. Vides, credo, ut Epicurus cupiditatum genera diuiſit, non nimis fortaſſe ſubtiliter, utiliter tamen, partim eſſe naturales & neceſſarias, partim naturales & nõ neceſſarias, partim neutrum. neceſſarias ſatiari poſſe penè nihilo. Diuitias enim naturæ parabiles eſſe. Secundũ autẽ genus cupiditatum, nec ad potiendum difficile eſſe cenſet, nec uero ad carẽdũ. Tertias quod eſſent planè inanes, neq; neceſſitatem modo, ſed ne naturam quidem attingerẽt, funditus eĳciẽdas putauit. Hoc loco multa ab Epicureis diſputantur, hæq; uoluptates de quibus multa ab illis, ſingulatim extenuãtur, quarum genera non contẽnunt, quęrunt tamen copiam. Nam & obſcœnas uoluptates, de quibus multa ab illis habetur oratio, facileis, cõmuneis, in medio ſitas eſſe dicunt: eaſq; ſi natura requirit, non genere aut loco aut ordine, ſed forma, ętate, figura metiendas putant: ab hiſq; abſtinere minime eſſe difficile, ſi aut ualetudo aut officium aut fama poſtulet: omninoq; genus hoc uoluptatum optabile eſſe ſi non obſit, prodeſſe nunquam. Totumq; hoc de uoluptate ſic ille præcepit, ut uoluptatem ipſam per ſe quia uoluptas ſit, ſemper optandam expetendamq; putet, eademq; ratione dolorem, ob id ipſum quia dolor ſit, ſemper eſſe fugiendum. Itaq; hac uſurum compenſatione ſapientem, ut uoluptatem fugiat, ſi ea maiorem dolorem effectura ſit, & dolorem ſuſcipiat maiorem efficientem uoluptatem, omniaq; iucunda, q̃q̃ ſenſu corporis iudicentur, ad animum referri tamen. Quocirca corpus gaudere

tamdiu,

tamdiu,dum præſentem ſentiret uoluptatem:animum & præſentem percipe re pariter cum corpore,& proſpicere uenientem,nec præteritam præterflue re ſinere. Ita perpetuas & contextas uoluptates in ſapiente fore ſemper, quũ expectatio ſperatarum uoluptatum perceptarum memoria iungeretur. Atq; ijs ſimilia ad uictum etiam transferuntur, extenuanturq; magnificentia,& ſũ ptus epularum,quod paruo cultu natura contenta ſit. Etenim quis hoc non ui det,deſiderijs omnia iſta condiri? Darius in fuga quum aquam turbidam & cadaueribus inquinatam bibiſſet,negauit unq̃ ſe bibiſſe iucundius. Nunq̃ ui delicet ſitiens biberat. Nec eſuriens Ptolemæus ederat. Cui quum peragran ti Aegyptum comitibus non conſecutis,cibarius in caſa panis datus eſſet, ni hil uiſum eſt illo pane iucundius. Socratem ferunt,quum uſq; ad ueſperũ con tentius ambularet,quęſitumq; eſſet ex eo,quare id faceret,reſpondiſſe ſe,quo melius cenaret,obſonare ambulando famem. Quid? uictum Lacedęmonio rum in Phiditijs nónne uidemus? Vbi quum tyrannus cenauiſſet Dionyſius, negauit ſe iure illo nigro, quod cenæ caput erat,delectatum. Tum is qui illa coxerat. Minime mirum,condimenta enim defuerunt. Quæ tandem, inquit ille? Labor in uenatu,ſudor,curſus ab Eurota,fames,ſitis. His enim rebus Lacedæmoniorum epulæ condiuntur. Atq; hoc non ex hominum more ſolum, ſed etiam ex beſtijs intelligi poteſt,quæ ut quidquid obiectũ eſt, quod modo a natura non ſit alienum,eo contentę non quęrunt amplius. Ciuitates quędã uniuerſę more doctæ,parſimonia delectantur,ut de Lacedęmonijs pauloãte diximus. Perſarum à Xenophonte uictus exponitur, quos negat ad panem adhibere quidquam pręter naſturcium. Q; q̃ ſi quædã etiam ſuauiora natu ra deſideret,quàm multa ex terra arboribusq; gignuntur,quum copia facili, tum ſuauitate præſtantia? Adde ſiccitatem,quæ conſequitur hanc continen tiam in uictu,adde integritatem ualetudinis. Confer ſudantis,ructantis, refer tos epulis tanquam opimos boues, tum intelliges, qui uoluptatem maxime ſequantur,eos minime conſequi,iucunditatemq; uictus eſſe in deſiderio, non in ſatietate. Timotheum clarum hominem Athenis & principem ciuitatis fe runt, quum cenauiſſet apud Platonem,eoq; conuiuio admodum delectatus eſſet, uidiſſetq; eum poſtridie, dixiſſe, Veſtræ quidem cenæ non ſolum in præſentia,ſed etiam poſtero die iucundæ ſunt. Quid quod ne mente quidem recte uti poſſumus,multo cibo & potione cõpleti? Eſt præclara epiſtola Platonis ad Dionis propinquos,in qua ſcriptum eſt his ferè uerbis. Quo quum » ueniſſem,uita illa beata,quæ ferebatur plena Italicarum Syracuſiarumq; men » ſarum,nullo modo mihi placuit:bis ĩ die ſaturum fieri,nec unquam pernocta » re ſolum,ceteraq; quæ comitantur huic uitæ,in qua ſapiens nemo efficitur unquam,moderatus uero multo minus. Quæ enim natura tam mirabiliter temperari poteſt? Quomodo igitur iucunda uita poteſt eſſe,à qua abſit prudentia,abſit moderatio? Ex quo Sardanapali opulentiſſimi Syriæ Regis error agnoſcitur,qui incidi iuſſit in buſto,

Hæc habeo quæ edi, quæq; exaturata libido
Hauſit:at illa iacent multa & præclara relicta.

Quid aliud(inquit Ariſtoteles)in bouis,non in Regis ſepulcro inſcriberes? Hęc habere ſe mortuũ dicit,quæ ne uiuus quidem diutius habebat,q̃ fruebatur. Cur igitur diuitiæ deſiderẽtur? aut ubi paupertas beatos eſſe nõ ſinit?

Signis credo,tabulis,ludis.Si quis ẽ qui his delectetur,nónne melius tenues homines fruũtur q̃ illi,qui his abundant? Eſt enim earum rerum omnium noſtra in urbe ſumma in publico copia: quæ qui priuati habent,nec tam multa & raro uident,quum in ſua rura uenerint, quos tamen pungit aliquid quum illa unde habeãt recordãtur. Dies deficiet,ſi uelim paupertatis cauſam defendere. Aperta enim res eſt,& cotidie nos ipſa natura admonet,q̃ paucis,q̃ paruis rebus egeat,q̃ uilibus. Num igitur ignobilitas,aut humilitas,aut etiã popularis offenſio ſapientem beatum eſſe prohibebit? Vide ne plus commendatio in uulgus,& hæc quæ expetitur gloria,moleſtiæ habeat q̃ uoluptatis. Leuiculus ſane noſter Demoſthenes,qui illo ſuſurro delectari ſe dicebat,aquam ferentis mulierculæ,ut mos in Græcia eſt, inſuſurrantiſq; alteri. Hic eſt ille Demoſthenes. Quid hoc leuius? At quantus orator? ſed apud alios loqui uidelicet didicerat,nõ multum ipſe ſecum. Intelligẽdum eſt igitur nec gloriam popularem ipſam per ſe expetendam,nec ignobilitatem extimeſcendam. Veni Athenas,inquit Democritus,neque me quiſq̃ ibi agnouit. Conſtãtem hominem & grauem,qui glorietur à gloria ſe abſuiſſe. An tibicines, ijq; qui fidibus utuntur, ſuo non multitudinis arbitrio cantus numeroſq; moderantur? Vir ſapiens multo arte maiore præditus, non quid uerißimum ſit,ſed quid uelit uulgus exquiret? An quidquam ſtultius,quàm quos ſingulos ſicut operarios barbaroſq; contemnas, eos aliquid putare eſſe uniuerſos? Ille uero noſtras ambitiones leuitateſq; contemnet,honoreſq; populi etiam ultro delatos repudiabit. Nos autem eos neſcimus,antequam pœnitere cœpit, contemnere. Eſt apud Heraclytum phyſicum de principe Epheſiorum Hermodoro. Vniuerſos ait Epheſios eſſe morte mulctandos, quod quum ciuitate expellerent Hermodorum, ita locuti ſunt. Nemo de nobis unus excellat, ſin quis extiterit,alio in loco, & apud alios ſit. An hoc non ita fit omni in populo? Nónne omnem exuperantiam uirtutis oderunt? Quid? Ariſtides (malo enim Græcorum, quàm noſtra proferre) nónne ob eam cauſam expulſus eſt patria, quod præter modum iuſtus eſſet? Quantis igitur moleſtijs uacant, qui nihil omnino cum populo contrahunt? Quid eſt enim dulcius otio literato? ijs dico literis, quibus infinitatem rerum atque naturæ, & in hoc ipſo mundo, cœlum,terras,maria agnoſcimus. Contempto igitur honore, contempta etiam pecunia, quid relinquitur quod extimeſcendum ſit? Exilium credo, quod in maximis malis ducitur. Id ſi propter aliam & offenſam populi uoluntatem malum eſt, quàm ſit ea contemnenda pauloante dictum eſt: ſin abeſſe à patria miſerum eſt,plenæ miſerorum prouinciæ ſunt, ex quibus admodum pauci in patriam reuertuntur. At mulctantur bonis exules. Quid tum? Parum ne multa de toleranda paupertate dicuntur? Iam uero exilium,ſi rerum naturam, non ignominiam nominis quærimus, quantum dèmum à perpetua peregrinatione differt, in qua ætates ſuas philoſophi nobilißimi conſumpſerunt, Xenocrates, Crantor, Arceſilas, Lacydes, Ariſtoteles, Theophraſtus, Zeno, Cleanthes, Chryſippus, Antipater, Carneades, Panætius, Clitomachus, Philo, Antiochus, Poſidonius,innumerabiles alij,qui ſemel egreßi,nunquam domum reuerterũt? At enim nõ ſine ignominia afficere poterit ſapientem. De ſapiente eſt hęc omnis oratio,cui iure id accidere non poſſit. Nã iure exulantem conſolari nõ oportet.

tet. Poſtremo ad omnes caſus facillima ratio eſt eorũ, qui ad uoluptatem ea referunt, quę ſequuntur in uita: ut quocunq; hęc loco ſuppeditetur, ibi beate queant uiuere. Itaq; ad omnem rationem Teucri uox accommodari poteſt, Patria eſt, ubicunq; eſt bene.

Socrates quidem quum rogaretur cuiatem ſe eſſe diceret. Mundanum, inquit. Totius enim mundi ſe incolam, & ciuem arbitrabatur. Quid T. Albutius, nónne animo ęquiſſimo Athenis exul philoſophabatur? cui tamen illud ipſum non accidiſſet, ſi in republica quieſcens Epicuri legibus paruiſſet. Qui enim beatior Epicurus quod in patria uiuebat, q̃ quod Athenis Metrodorus? aut Plato Xenocratem uincebat, aut Polemo Arceſilam, quo eſſet beatior? Quanti uero iſta ciuitas æſtimanda eſt, ex qua boni ſapientesq; pelluntur? Demarathus quidem Tarquinij Regis noſtri pater, tyrannum Cypſelum quod ferre non poterat, fugit Tarquinios Corintho, & ibi ſuas fortunas conſtituit, ac liberos procreauit. Num ſtulte antepoſuit exilij libertatem domeſticę ſeruituti? Iam uero motus animi, ſolicitudines, ęgritudinesq; obliuione leniũtur, traductis animis ad uoluptatem. Non ſine cauſa igitur Epicurus auſus eſt dicere, ſemper in pluribus bonis eſſe ſapientem, quia ſemper ſit in uoluptatibus. Ex quo effici putat ille, quod quærimus, ut ſapiens ſemper beatus ſit. A. Etiam ne ſi ſenſibus carebit oculorum, ſi auriũ? M. Etiam. Nam iſta ipſa contemnit. Primum enim horribilis iſta cęcitas, quibus tandem caret uoluptatibus? Quum quidam etiam diſputent ceteras uoluptates in ipſis habitare ſenſibus. Quæ autem aſpectu percipiantur, ea non uerſari in oculorum ulla iocunditate: ut ea quæ guſtemus, olfaciamus, tractemus, audiamus, in ea ipſa ubi ſentimus, parte uerſentur, in oculis tale nihil fit. Animus accipit quæ uidemus, animo autem multis modis uarijsq; delectari licet, etiam ſi non adhibeatur aſpectus. Loquor autem de docto homine & erudito, cui uiuere eſt cogitare. Sapientis enim cogitatio non ferme ad inueſtigandum adhibet oculos aduocatos. Etenim ſi nox non adimit uitam beatam, cur dies nocti ſimilis adimat? Nam illud Antipatri Cyrenaici eſt quidem paulo obſcœnius, ſed non abſurda ſententia eſt. Cuius cęcitatem quum mulierculæ lamentarentur. Quid agitis, inquit? an uobis nulla uidetur uoluptas eſſe nocturna? Appium quidem ueterem illum qui cæcus annos multos fuit, & ex magiſtratibus, & ex rebus geſtis intelligimus in illo ſuo caſu, nec priuato nec publico muneri defuiſſe. C. autem Druſi domum compleri conſultoribus ſolitam accepimus, quum quorum res eſſet ſua, ipſi non uidebant, cæcum adhibebant ducẽ. Pueris nobis Cn. Aufidius prætorius, & in ſenatu ſententiam dicebat, nec amicis deliberantibus deerat, & Græcam ſcribebat hiſtoriam, & uidebat in literis. Diodotus Stoicus cæcus multos annos noſtræ domi uixit. Is uero quod credibile uix eſſet, quum in philoſophia multo etiã magis aſſidue q̃ antea uerſaretur, & quum fidibus more Pythagoreorum uteretur, quumq; ei libri noctes & dies legerentur, quibus in ſtudijs oculis non egebat, tum quod ſine oculis uix fieri poſſe uidetur, geometriæ munus tuebatur, uerbis præcipiens diſcentibus unde, quo, quãq; lineam ſcriberent. Aſclepiadem ferunt non ignobilem Eretricum philoſophum, quum quidam quæreret quid ei cæcitas attuliſſet, reſpondiſſe puero ut uno eſſet comitatior. Vt enim uel ſumma paupertas tolerabilis ſit, ſi liceat quod quibuſdam Græcis cotidie, ſic cæcitas

ferri facile poſſit,ſi non deſint ſubſidia ualetudinum. Democritus luminibus
amiſſis,alba ſcilicet & atra diſcernere non poterat:at uero bona mala, æqua
iniqua,honeſta turpia,utilia inutilia, magna parua poterat: & ſine uarieta-
te colorum licebat uiuere beate,ſine notione rerum non licebat. Atq; hic uir
impediri animi etiam aciem aſpectu oculorum arbitrabatur: & quum alij ſæ-
pe quod ante pedes eſſet non uiderent,ille infinitatem omnem peregrinaba-
tur,ut nulla in extremitate conſiſteret. Traditum eſt etiam Homerum cęcum
fuiſſe,at eius picturam non poeſim uidemus. Quæ regio, quæ ora,qui locus
Græciæ,quæ ſpecies formæ,quæ pugna,quæ acies,quod remigium,qui mo-
tus hominum,qui ferarum,non ita expictus eſt,ut quæ ipſe nõ uiderit,nos ut
uideremus,effecerit? Quid ergo aut Homero ad delectationem animi ac uo-
luptatem,aut cuiq̃ docto defuiſſe unq̃ arbitramur? Aut ni ita ſe res haberet,
Anaxagoras,aut hic ipſe Democritus agros & patrimonia ſua reliquiſſent?
huic diſcẽdi quærendiq; diuinæ delectationi toto ſe animo dedidiſſent? Itaq;
augurem Tireſiam,quẽ ſapientem fingunt poetæ,nunq̃ inducũt deplorantẽ
cæcitatem ſuam. At uero Polyphemum Homerus quum immanem ferumq;
finxiſſet,cum ariete etiam colloquentem facit,eiusq; laudare fortunas,quod
quo uellet ingredi poſſet,& quæ uellet attingeret. Recte hic quidem. Nihilo
enĩ erat ipſe Cyclops,q̃ aries ille prudẽtior. In ſurditate uero quidnã ẽ mali?
Erat ſurdaſter M. Craſſus,ſed aliud moleſtius quod male audiebat, etiam ſi,
ut mihi uidebatur,iniuria. Epicurei noſtri græce fari neſciunt,nec græci lati-
ne: ergo ij in illorum,& illi in horũ ſermone ſurdi: omnesq; id nos in his lin-
guis,quas nõ intelligimus quæ ſunt innumerabiles,ſurdi profecto ſumus. At
uocẽ citharœdi non audiunt,ne ſtridorem quidem ferrę tum quum acuitur,
aut grunnitum quum iugulatur ſuis,nec quum quieſcere uolunt fremitũ mur
murantis maris. Et ſi cantus eos forte delectant,primum cogitare debent an-
teq̃ hi ſint inuenti,multos beate uixiſſe ſapiẽtes. Deinde multo maiorem per-
cipi poſſe legendis his q̃ audiendis uoluptatem. Tum ut paulo ante cæcos ad
aurium traducebamus uoluptatẽ,ſic licet ſurdos ad oculorum. Etenim qui ſe-
cum loqui poterit,ſermonẽ alterius non requiret. Congerantur in unum om-
nia,ut idem oculis & auribus captus ſit,prematur etiam doloribus acerrimis
corporis,qui primũ per ſe ipſi plerunq; conficiunt hominẽ: ſin forte longin
quitate producti,uehementius tamen torquent,q̃ ut cauſa ſit cur ferãtur,quid
eſt tandem,dii boni,quod laboremus? Portus enim pręſto eſt, quoniã mors
ibidem eſt,ęternum nihil ſentienti receptaculũ. Theodorus Lyſimacho mor
tem minitanti. Magnum uero,effeciſti, ſi cantaridis uim conſecutus es. Pau-
lus Perſæ deprecãti ne in triũpho duceretur. In tua id quidem poteſtate eſt.
Multa prima die quum de ipſa morte quæreremus,non pauca etiam poſtero
quum ageretur de dolore,ſunt dicta de morte: quę qui recordetur,haud ſane
periculum eſt,ne non mortem aut optandam,aut certe non timendam putet.
Mihi quidem in uita,ſeruanda uidetur illa lex, quæ in Græcorum conuiuijs
» obtinetur. Aut bibat,inquit,aut abeat. Et recte. Aut enim fruatur aliquis pa
riter cum alijs uoluptate potandi,aut ne ſobrius in uiolentiam uinolentorum
incidat,ante diſcedat. Sic iniurias fortunæ quas ferre nequeas,defugiendo re-
linquas. Hæc eadem quæ Epicurus, totidem uerbis dicit & Hieronymus.
Quod ſi his philoſophis,quorum ea ſententia eſt,ut uirtus per ſe ipſa nihil ua

leat,

leat,omneq; quod honeſtū nos & laudabile eſſe dicimus,id illi caſſum quiddam,& inani uocis ſono decoratum eſſe dicant,& tamen ſemper beatum cenſent eſſe ſapientē,quid tandē à Socrate & Platone,perfectis philoſophis faciendum putes? Quorum alij tantam pręſtantiam in bonis animi eſſe dicunt, ut ab his corporis externa obſcurentur. Alij autem hæc ne bona quidem ducunt,in animo reponunt omnia. Quorum controuerſiam ſolebat tanq̄ honorarius arbiter iudicare Carneades. Nam quum quæcūq; bona Peripateticis, eadem Stoicis cōmoda uiderentur,neq; tamen Peripatetici plus tribuerent diuitijs,bonæ ualetudini,ceteriſq; rebus generis eiuſdem,q̄ Stoici,quum ea, re,non uerbis ponderarentur,cauſam eſſe deſiderandi negabat. Quare hunc locum ceterarū diſciplinarum philoſophi,quemadmodum obtinere poſſint, ipſi uiderint. Mihi tamen gratum eſt,quod de ſapientium perpetua bene uiuendi facultate dignum quiddam philoſophorum uoce profitentur. Sed quoniam mane eſt eundum,has quinq; dierum diſputationes memoria comprehendamus. Equidem me etiam conſcripturum arbitror. Vbi enim melius uti poſſumus hoc cuicuimodi eſt otio? Ad Brutumq; noſtrum hos libros alteros quinq; mittemus,à quo non modo impulſi ſumus ad philoſophicas ſcriptiones,uerumetiam laceſſiti. In quo quantum ceteris profuturi ſumus,non facile dixerimus. Noſtris quidem acerbiſſimis doloribus,uarijſq;, & undiq; circunfuſis moleſtijs,alia nulla potuit inueniri leuatio.

M. T. C. TVSCVLANARVM QVAESTIONVM LIBRI .V. ET VLTIMI FINIS.

MARCI TVLLII CICERONIS DE NATVRA DEORVM AD M. BRVTVM LIBER PRIMVS.

CVM Multę res in philoſophia nequaquā ſatis adhuc explicatæ ſint, tum perdifficilis Brute (quod tu minime ignoras) & perobſcura quęſtio ē de natura deorum,quę & ad agnitionem animi pulcherrima eſt, & ad moderandam religionem neceſſaria. De qua tam uariæ ſunt doctiſſimorum hominum, tamq; diſcrepantes ſententiæ, ut magno argumento eſſe debeat, cauſam,principium philoſophiæ eſſe ſcientiam: prudenterq; Academicos à rebus incertis aſſenſionem cohibuiſſe. Quid eſt enim temeritate fortius? aut quid tam temerarium, tamq; indignum ſapientis grauitate atq; conſtantia, quàm aut falſum ſentire, aut quod non ſatis explorate perceptum ſit & cognitum,ſine ulla dubitatione defendere? Velut in hac quæſtione pleriq;(quod maxime ueriſimile eſt, & quo omnes duce natura uehimur) deos eſſe dixerunt. Dubitare ſe Protagoras,nullos eſſe omnino Diagoras Melius,& Theodorus Cyrenaicus putauerunt. Qui uero deos eſſe dixerunt,tanta ſunt in uarietate & diſſenſione,ut eorum moleſtum ſit

dinumerare ſententias. Nam & de figuris deorum, & de locis atq; ſedibus, & actione uitæ multa dicuntur, deq; his ſumma philoſophorum diſſenſione certatur. Quod uero maxime rem cauſamq; cōtinet, eſt, utrum nihil agant, nihil moliātur, an ab omni curatione & adminiſtratione rerum uacent: an contra ab his, & a' principio omnia facta & conſtituta ſint, & ad infinitum tempus regantur, atq; moueantur. In primiſq; magna diſſenſio eſt, eaq; niſi diiudicetur, in ſummo errore neceſſe eſt homines, atq; in maximarū rerum ignoratione uerſari. Sunt enim philoſophi & fuerunt, qui omnino nullam habere cenſerent rerū humanarum procurationem deos: quorum ſi uera ſententia eſt, quæ poteſt eſſe pietas? quæ ſanctitas? quæ religio? Hæc enim omnia pure atq; caſte tribuenda deorum numini ita ſunt, ſi animaduertuntur ab his, & ſi eſt aliquid a' diis immortalibus hominum generi tributum. Sin autem dij neq; poſſunt nos iuuare, nec uolunt, nec omnino curant, nec quid agamus animaduertūt, nec eſt quod ab his ad hominum uitam permanare poſſit, quid eſt quod ullos deis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus? In ſpecie autē fictę ſimulationis, ſicut reliquę uirtutes, ita pietas ineſſe non poteſt, cum qua ſimul & ſanctitatem & religionem tolli neceſſe eſt: quibus ſublatis perturbatio uitę ſequitur, & magna confuſio. Atq; haud ſcio an pietate aduerſus deos ſublata, fides etiam & ſocietas generis humani, & una excellentiſſima uirtus iuſtitia tollatur. Sunt autē alij philoſophi, & hi quidem magni atq; nobiles, qui deorum mente atq; ratione omnem mundum adminiſtrari & regi cenſeāt: neq; uero id ſolum, ſed etiam ab eiſdem hominum uitæ conſuli & prouideri. Nam & fruges, & reliqua quæ terra pariat, & tempeſtates, ac temporū uarietates, cœliq; mutationes, quibus omnia quæ terra gignat, maturata pubeſcant, a' dijs immortalibus tribui generi humano putant, multaq; quæ dicētur in his libris colligūt: quæ talia ſunt, ut ea ipſa dii immortales ad uſum hominum fabricati pene uideantur. Cōtra quos Carneades ita multa diſſeruit, ut excitaret homines non ſocordes ad ueri inueſtigandi cupiditatē. Res enim nulla eſt, de qua tantopere non ſolum indocti, ſed etiam docti diſſentiant: quorum opiniones quum tam uariæ ſint, tamq; inter ſe diſſidentes, alterum profecto fieri poteſt, ut earum, nulla: alterum certe non poteſt, ut plus una uera ſit. Qua quidem in cauſa & beneuolos obiurgatores placare, & inuidos uituperatores confutare poſſumus, ut alteros reprehendiſſe pœniteat, alteri didiciſſe ſe gaudeant. Nam qui admonent amice, docendi ſunt: qui inimice inſectantur, repellendi. Multum autem fluxiſſe uideo de libris noſtris, quos complures breui tempore edidimus, uariumq; ſermonem, partim admirantium unde hoc philoſophandi nobis ſubito ſtudium extitiſſet, partim quid quaque de re certi haberemus, ſcire cupientium. Multis etiam ſenſi mirabile uideri eam nobis potiſſimum probatam eſſe philoſophiam, quæ lucem eriperet, & quaſi noctem quandam rebus offunderet, deſertæq; diſciplinæ, & iam pridem relictæ patrocinium necopinatum a' nobis eſſe ſuſceptum. Nos autem nec ſubito cœpimus philoſophari, nec mediocrem a primo tempore ætatis in eo ſtudio operam curamq; conſumpſimus: & quum minime uidebamur, tum maxime philoſophabamur: quod & orationes declarant refertæ philoſophorum ſententijs, & doctiſſimorum hominum familiaritates, quibus ſemper domus noſtra floruit, & principes illi Diodotus, Philo, Antiochus,

chus,

chus, Poſidonius, à quibus inſtituti ſumus. Et ſi omnia pręcepta philoſophię referuntur ad uitam, arbitramur nos & publicis & priuatis in rebus ea præſtitiſſe, quæ ratio & doctrina præſcripſerit. Sin autem quis requirit, quæ cauſa nos impulerit ut hæc tam ſero literis mandaremus, nihil eſt quod expedire tam facile poſſimus. Nam quum otio langueremus, & is eſſet Reip. ſtatus, ut eam unius cõſilio atque cura gubernari neceſſe eſſet, primum ipſius Reipub. cauſa philoſophiam noſtris hominibus explicandam putaui, magni exiſtimans intereſſe ad decus & ad laudem ciuitatis, res tam graueis tamq́ præclaras latinis etiam literis contineri. Eoq́ me minus inſtituti mei pœnitet, quod facile ſentio, q̃ multorum non modo diſcendi, ſed etiam ſcribendi ſtudia commouerim. Complures enim Græcis inſtitutionibus eruditi, ea quæ didicerãt cum ciuibus ſuis communicare non poterant, quod illa quæ à Græcis accepiſſent, latine dici poſſe diffiderent. Quo in genere tantum profeciſſe uidemur, ut à Græcis ne uerborum quidem copia uinceremur. Hortata etiam eſt ut me ad hæc conferrem animi ægritudo, fortunæ magna & graui commota iniuria: cuius ſi maiorem aliquam leuationem reperire potuiſſem, nõ ad hanc potiſſimum confugiſſem. Ea uero ipſa nulla ratione melius frui potui, q̃ ſi me nõ modo ad legendos libros, ſed etiam ad totam philoſophiam pertractandam dediſſem. Omnes autem eius partes atq́ omnia membra tum facillime noſcũtur, quum totæ quęſtiones ſcribendo explicantur. Eſt enim admirabilis quędam continuatio, ſeriesq́ rerum, ut alia ex alia annexa, & omnes inter ſe aptę colligatęq́ uideantur. Qui autem requirunt, quid quaq́ de re ipſi ſentiamus, curioſius id faciunt, q̃ neceſſe eſt. Non enim tam auctoritatis in diſputãdo q̃ rationis momenta quærenda ſunt. Quinetiam obeſt plerunq́ ijs qui diſcere uolunt, authoritas eorum qui ſe docere profitẽtur. Deſinunt enim ſuum iudicium adhibere: id habent ratum quod ab eo quem probant iudicatum uidẽt. Nec uero probare ſoleo id quod de Pythagoreis accepimus, quos ferunt, ſi quid affirmarent in diſputando, quum ex eis quęreretur quare ita eſſet, reſpõdere ſolitos, Ipſe dixit. Ipſe autem erat Pythagoras. Tantum opinio præiudicata poterat, ut etiam ſine ratione ualeret authoritas. Qui autem mirantur nos hanc potiſſimum diſciplinam ſecutos, his quatuor Academicis libris ſatis reſponſum uidetur. Nec uero deſertarum relictarumq́ rerum patrocinium ſuſcepimus: non enim hominum interitu ſententię quoq́ occidunt: ſed lucem authoris fortaſſe deſiderant, ut hæc in philoſophia ratio cõtra omnia diſſerendi, nullamq́ rem aperte iudicandi, profecta à Socrate, repetita ab Arceſila, confirmata à Carneade, uſq́ ad noſtram uiguit ætatem, quam nunc propemodum orbam eſſe in ipſa Græcia intelligo. Quod non Academiæ uitio, ſed tarditate hominum arbitror contigiſſe. Nam ſi ſingulas diſciplinas percipere magnum eſt, quanto maius omnes? Quod facere ijs neceſſe eſt, quibus propoſitum eſt ueri reperiendi cauſa, & contra omnes philoſophos, & pro omnibus dicere. Cuius rei tantæ tamq́ difficilis facultatem conſecutum eſſe me non profiteor, ſecutum eſſe præ me fero. Nec tamen fieri poteſt, ut qui hac ratione philoſophentur, hi nihil habeant, quod ſequãtur. Dictum eſt omnino de hac re alio loco diligentius, ſed quia nimis indociles quidam tardiq́ ſunt, admonendi uidentur ſæpius. Non enim ſumus ij, quibus nihil uerum eſſe uideatur, ſed ij, qui omnibus ueris falſa quædam adiuncta eſſe dicamus, tan

ta ſimilitudine, ut in ĳs nulla inſit certe iudicandi & aſſentiendi nota. Ex quo exiſtit & illud, multa eſſe probabilia, quæ quanq̃ non perciperentur, tamen quia uiſum quendam haberent inſignem & illuſtrem, his ſapientis uita regeretur. Sed iam ut omni me inuidia liberem, ponam in medio ſententias philoſophorum de natura deorum. Quo quidem loco conuocandi omnes ui dentur, qui quæ ſit earum uera iudicent. Tũ demum mihi procax Academia uidebitur, ſi aut conſenſerint omnes, aut erit inuentus aliquis, qui quid uerum ſit inuenerit. Itaq; mihi libet exclamare, ut Statius in Synephebis.

Pró deum, popularium omnium adoleſcentium
Clamo, poſtulo, obſecro, oro, ploro, atq; imploro fidem.

Non leuiſſima de re, ut queritur ille in ciuitate fieri facinora capitalia.
Ab amico amante argentum accipere meretrix non uult.

Sed ut adſint, cognoſcant, animaduertãt, quod de relig ione, pietate, ſanctitate, cerimonĳs, fide, iureiurando, quid de templis, delubris, ſacrificĳsq; ſolemnibus, quid de ipſis auſpĳs, quibus nos præſumus, exiſtimandum ſit. Hæc enim omnia ad hanc de dĳs immortalibus quæſtionem referenda ſunt. Pro fecto eos ipſos qui ſe aliquid certi habere arbitrantur, addubitare coget doctiſſimorum hominum de maxima re tãta diſſenſio. Quod quum ſæpe aliàs, tum maxime animaduerti, quum apud C. Cottam familiarem meum accurate ſanè & diligenter de dĳs immortalibus diſputatum ſit. Nam quum ferĳs Latinis ad eum ipſius rogatu arceſſituq; ueniſſem, offendi eum ſedentem in exhedra, & eum C. Velleio Senatore diſputantem, ad quem tum Epi curei primas ex noſtris hominibus deferebant. Aderat etiam Q. Lucilius Balbus, qui tantos progreſſus habebat in Stoicis, ut cum excellentibus in eo genere Græcis compararetur. Tum ut me Cotta uidit. Peropportune, ĩquit, uenis. Oritur enim mihi magna de re altercatio cum Velleio, cui pro tuo ſtudio non eſt alienum te intereſſe. Atqui mihi quoque uideor, inquam, ueniſſe (ut dicis) opportune: tres enim trium diſciplinarum prĩcipes cõueniſtis. M. enim Piſo ſi adeſſet, nullius philoſophiæ, earum quidem quæ in honore ſunt, uacaret locus. Tum Cotta, Si, inquit, liber Antiochi noſtri, qui ab eo nuper ad hunc Balbum miſſus eſt. Vera loquitur, nihil eſt quod Piſonem familiarem tuum deſideres. Antiocho enim Stoici cum Peripateticis, re concinere ui dentur, uerbis diſcrepare. Quo de libro Balbe uelim ſcire quid ſentias. Egóne, inquit ille, miror Antiochum hominem in primis acutum non uidiſſe, intereſſe plurimum ĩter Stoicos, qui honeſta à commodis, non nomine, ſed genere toto dĳungerent, & Peripateticos, qui honeſta commiſcerent cum com modis, ut ea inter ſe magnitudine, & quaſi gradibus non genere differrent? Hæc enim eſt, non uerborum parua, ſed rerum permagna diſſenſio. Verum hoc aliàs, nunc quod cœpimus ſi uidetur, Mihi uero, inquit, Cotta, uidetur: ſed ut hic qui interuenit, me intuens, ne ignoret quæ res agatur, de natura age bamus deorum: quę quum mihi uideretur perobſcura, ut ſemper uideri ſolet, Epicuri ex Velleio ſciſcitabar ſententiam. Quamobrem, inquit, Vellei, niſi moleſtum eſt, repete quæ cœperas. Repetam uero, q̃q̃ non mihi ſed tibi hic uenit adiutor. Ambo enim, inquit, arridens, ab eodem Philone nihil ſcire di diciſtis. Tum ego, quid didicerimus Cotta uiderit: tu autem nolo exiſtimes me adiutorem huic ueniſſe, ſed auditorem, & quidem æquum, libero iudicio

nulla

nulla eiuſmodi aſtrictum neceſſitate, ut mihi uelim nolim,ſit certa quædam tuenda ſententia. Tum Velleius fidenter ſané,ut ſolent iſti,nihil tam uerẽs, q̃ ne dubitare aliqua de re uideretur,tanq̃ modo ex deorum cõcilio,&ex Epi curi intermundijs deſcẽdiſſet. Audite,inquit,non futiles commentitiasq́ ſen tentias,non opificem ædificatoremq́ mundi Platonis de Timæo deum:nec anum fatidicam Stoicorum πρόνοιαν, quam latíne licet prouidentiam dicere: neq; uero mundum ipſum animo & ſenſibus præditum,rotundum,ardentẽ, uolubilem deum,portẽta & miracula non diſſerentium philoſophorum, ſed ſomniantium.Quibus enim oculis animi intueri potuit ueſter Plato fabricã illã tanti operis,qua conſtrui à deo atq; ædificari mundum facit? Quæ moli‐ tio,quæ ferramenta,qui uectes,quæ machinæ,qui miniſtri tanti muneris fue‐ runt? Quemadmodum autẽ obedire & parere uoluntati architecti,aer,ignis, aqua,terra potuerunt? Vnde uero ortæ illæ quinq; formæ è quibus reliqua formantur,apte cadentes ad animum efficiendũ,pariendosq́; ſenſus? Longũ eſt ad omnia,quæ talia ſunt ut optata magis q̃ inuẽta uideantur. Sed illa pal‐ maris quidem,quòd qui non modo natum mundum introduxerit,ſed etiam manu pené factum,is eum dixerit fore ſempiternum:hũc cenſes primis,ut di‐ citur,labris guſtaſſe phyſiologiam,id eſt naturæ rationem,qui quidq̃ quod ortũ ſit putet ęternum eſſe poſſe? Quæ eſt enim coagmentatio non diſſolubi lis? aut quid eſt cuius principium aliquod ſit,nihil ſit extremũ? Pronœa uero ſi ueſtra eſt Lucili,eadem requiro quæ pauloante,miniſtros,machinas,omnẽ totius operis deſignationem atq; apparatum.Sin alia eſt,cur mortalem fece‐ rit mundum,non quẽadmodũ Platonicus deus ſempiternum? Ab utroq; au tem ſciſcitor,cur mundi ædificatores repente extiterint,innumerabilia ſecula dormierint? Non enim ſi mundus nullus erat,ſecula non erant.ſecula nunc di co,nõ ea,quæ dierum,noctiumq́ numero annuis curſibus conficiuntur,nam fateor ea ſine mundi conuerſione effici non potuiſſe: ſed fuit quædam ab infi‐ nito tẽpore æternitas,quam nulla circũſcriptio tẽporum metiebatur, ſpatio tamen qualis ea fuerit intelligi poteſt:quod ne ĩ cogitationem quidem cadit, ut fuerit tempus aliquod,nullum quum tẽpus eſſet.Iſto igitur tam immenſo ſpatio quæro Balbe,cur Pronœa ueſtra ceſſauerit: laborémne fugiebat? At iſte nec attingit deum,nec erat ullus,quum omnes naturæ numini diuino,cœ lum,ignes,terræ,maria pareret.Quid autẽ erat quod concupiſceret deus,mũ dum ſignis & luminibus tanquam Aedilis ornare? Si ut deus ipſe melius ha‐ bitaret,ante uidelicet tempore infinito in tenebris tanquam in gurguſtio ha‐ bitauerat.Poſt autem uarietaténe eum delectari putamus,qua cœlum & ter‐ ras exornatas uidemus? Quæ iſta poteſt eſſe oblectatio deo? quę ſi eſſet,non ea tandiu carere potuiſſet. An hæc feré ut dicitis,hominum cauſa à deo conſti tuta ſunt? Sapientumne? propter paucos ergo eſt tanta facta rerum molitio. An ſtultorum? At primum cauſa non fuit cur de improbis bene mereretur. Deinde quid eſt aſſecutus,quum omnes ſtulti ſint ſine dubio miſerrimi,ma‐ xime quod ſtulti ſunt? Miſerius enim ſtultitia quid poſſumus dicere? Dein‐ de quód ita multa ſunt incommoda in uita,ut ea ſapientes commodorum cõ‐ penſatione leniant: ſtulti nec uitare uenĩetia poſſunt,nec ferre præſentia.Qui uero mundum ipſum animantem ſapientemq́ eſſe dixerunt,nullo modo ui‐ derunt animi naturam,intelligentes in quam figuram cadere poſſet:de quo

dicam equidem paulopoſt. Nunc autem hactenus admirabor eorum tardita tem, qui animantem, immortalem, & eundem beatum rotundum eſſe uelint, quod ea forma neget ullam eſſe pulchriorem Plato. At mihi uel cylindri, uel quadrati, uel coni, uel pyramidis uidetur eſſe formoſior. Quæ uero uita tribuitur iſti rotundo deo? nempe, ut ea celeritate contorqueatur, cui par nulla ne cogitari quidē poſſit. In qua nō uideo ubinam mens conſtans, & uita beata poſſit inſiſtere. Quodq́ in noſtro corpore, ſi minima ex parte ſignificetur, moleſtum ſit, cur hoc idē non habeatur moleſtum in deo? Terra enim profecto, quoniam mūdi pars eſt, pars eſt etiam dei: atqui terræ maximas regiones inhabitabiles atq; incultas uidemus, quod pars earū appulſu ſolis exarſerit, pars obriguerit niue pruinaq́, lōginquo ſolis abſceſſu. Quæ, ſi mundus eſt deus, quoniā mundi partes ſunt, dei mēbra partim ardentia, partim refrigerata dicenda ſunt. Atq; hæc quidē ueſtra Lucili, qualia uero ſint ab ultimo repetam ſuperiorū. Thales enim Mileſius, qui primus de talibus rebus quæſiuit, aquam dixit eſſe initium rerum: deum autem eā mentē, quæ ex aqua cūcta fingeret. Si dij poſſunt eſſe ſine ſenſu & mente, cur aquæ adiunxit, ſi ipſa mens cōſtare poteſt uacans corpore? Anaximandri autē opinio eſt natiuos eſſe deos. lōgis īteruallis oriētes occidētesq́, eosq́ īnumerabiles eſſe mūdos. Sed nos deū ſempiternum niſi ſempiternū intelligere qui poſſumus? Poſt Anaximenes aera deū ſtatuit, eumq́ gigni, eſſeq́ immenſū & infinitum, & ſemper in motu: quaſi aut aer ſine ulla forma deus eſſe poſſit. quū præſertim deum, non modo aliqua, ſed pulcherrima ſpecie deceat eſſe, aut nō omne, quod ortum ſit mortalitas cōſequatur. Inde Anaxagoras, qui accepit ab Anaximene diſciplinā, primus omniū rerum deſcriptionē, & modum, mentis infinitæ ui ac ratione deſignari & confici uoluit. In quo non uidit, neq; motum ſenſui iunctum, & continentem in infinito ullum eſſe poſſe, neq; ſenſum omnino, quo nō ipſa natura pulſa ſentiret. Deinde ſi mentē iſtam quaſi animal aliquod uoluit eſſe, erit aliquid interius, ex quo illud animal nominetur. Quid autē interius mente? cingatur igitur corpore externo. Quod quoniam non placet, aperta ſimplexq́ mens nulla re adiuncta, quæ ſentire poſſit, fugere intelligētiæ noſtræ uim & notionē uidetur. Crotoniates autē Alcmęo, qui ſoli & lunę, reliquiſq́ ſyderibus animoq́ præterea diuinitatē dedit, non ſenſit ſeſe mortalibus rebus immortalitatē dare. Nam Pythagoras, qui cenſuit animum eſſe per naturam rerum omnē intentum & commeantē, ex quo noſtri animi carperētur, non uidit diſtractione humanorum animorum diſcerpi & lacerari deum: & quum miſeri animi eſſent, quod pleriſq; contingeret, tum dei partem eſſe miſeram, quod fieri non poteſt. Cur autē quidq̄ ignoraret animus hominis, ſi eſſet deus? Quomodo porrò deus iſte, ſi nihil eſſet niſi animus, aut infixus, aut infuſus eſſet in mundo? Tum Xenophanes, qui mente adiuncta, omne præterea quod eſſet, infinitū deum uoluit eſſe, de ipſa mēte item reprehēditur ut ceteri: de infinitate autem uehemētius, in qua nihil neq; ſentiens, neq; coniunctū poteſt eſſe. Nā Parmenides quidē cōmentitium quiddā coronæ ſimilitudine effecit, Stephanē appellat, continentē ardore lucis orbē, qui cingit cœlum, quē appellat deū, ī quo neq; figurā diuinam, neq; ſenſum quiſq̄ ſuſpicari poteſt, multaq́ eiuſdē monſtra: quippe qui bellum, qui diſcordiam, qui cupiditatē, ceteraq́ generis eiuſdē ad deum reuocat, quæ uel morbo, uel ſomno, uel obli-

uione, uel uetuſtate delentur, eademq́ de ſyderibus, quę reprehenſa in alio lo co, in hoc omittãtur. Empedocles autem multa alia peccans, in deorũ opinio ne turpiſſime labitur. Quatuor enim naturas, ex quibus omnia conſtare cen ſet, diuinas eſſe uult, quas & naſci & extĩgui perſpicuum eſt, & ſenſu omni ca- rere. Nec uero Protagoras, qui ſeſe negat omnino de dijs habere, quod lique at, ſint non ſint, qualeſue ſint quidq̃ uidetur de natura deorũ ſuſpicari. Quid Democritus? qui tum imagines earumq́ circuitus in deorũ numero refert, tũ illam naturam, quæ imagines fundat ac mittat, tum ſcientiam intelligentiãq́ noſtram, nónne in maximo errore uerſatur? Quumq́ idem omnino quia ni- hil ſemper ſuo ſtatu maneat, neget eſſe quidq̃ ſempiternum, nónne deum om- nino, ita tollit ut nullam opinionem eius reliquam faciat? Quid aer, quo Dio genes Apolloniates utitur deo, quẽ ſenſum habere poteſt, aut quam formam dei? Iam de Platonis inconſtãtia lõgum eſt dicere, qui in Timęo, patrẽ huius mundi nominari neget poſſe: in Legũ autem libris, quid ſit omnino deus, in quiri oportere nõ ceſeat. Quod uero ſine corpore ullo deũ uult eſſe, ut Gręci dicũt ἀσώματον, id quale eſſe poſſit, ĩtelligi nõ poteſt. Careat enĩ ſenſu neceſſe eſt, careat etiã prudentia, careat uoluptate, quæ omnia una cum deorũ notio- ne cõprehendimus. Idem & in Timęo dicit, & in Legibus, & mũdum deum eſſe, & cœlum, & aſtra, & terrã, & animos, & eos quos maiorum ĩſtitutis ac- cepimus, quæ & per ſe ſunt falſa perſpicue, & inter ſeſe uehementer repugnan tia. Atq́ etiã Xenophon paucioribus uerbis eadem ferè peccat: facit enim in ijs quę à Socrate dicta retulit, Socratem diſputãtẽ, formã dei quæri nõ opor tere, eundemq́ & ſolem & animũ deum dicere, & modo unum, tum autẽ plu res deos: quæ ſunt ijſdem in erratis ferè, quibus ea quæ de Platone dicimus. Atq́ etiam Antiſthenes in eo libro qui Phyſicus inſcribitur, populares deos multos, naturalem unum eſſe dicens, tollit uim & naturã deorum. Nec multo ſecus Speuſippus Platonem auunculum ſubſequens, & uim quandam dicens, qua omnia regãtur, eamq́ animalem, euellere ex animis cõnatur cognitionẽ deorum. Ariſtoteles quoq́ in tertio de philoſophia libro, multa turbat, a ma giſtro uno Platone diſſentiens. Modo enim menti tribuit omnem diuinita- tem, modo mundũ ipſum deum dicit eſſe, modo alium quendam præficit mũ do, eiq́ eas partes tribuit, ut replicatione quadam, mundi motum regat atq́ tueatur: tum cœli ardorem deum dicit eſſe, nõ intelligens cœlum mundi eſſe partem, quem alio loco ipſe deſignarit deum. Quomodo autem cœli diuinus ille ſenſus in celeritate tanta cõſeruari poteſt: ubi deinde illi tot dij, ſi numera- mus etiam cœlum deum? Quum autẽ ſine corpore idem uult eſſe deum, om- ni illum ſenſu priuat, etiam prudentia. Quo porrò modo mundus moueri ca rens corpore? aut quomodo ſemper ſe mouens, eſſe quietus & beatus poteſt? Nec uero eius condiſcipulus Zenocrates in hoc genere prudentior eſt, cuius in libris qui ſunt de natura deorũ, nulla ſpecies diuina deſcribitur. Deos enim octo eſſe dicit, quinq́ eos, qui in ſtellis uagis nominãtur, unum qui ex omni- bus ſyderibus quę infixa cœlo ſunt, ex diſperſis quaſi mẽbris, ſimplex ſit putã dus deus, ſeptimũ ſolem adiũgit, octauam lunam: qui quo ſenſu beati eſſe poſ ſint, intelligi non poteſt. Ex eadem Platonis ſchola Ponticus Heraclides pue rilibus fabulis referſit libros, & tamen modo mundũ, tum mentẽ diuinã eſſe putat: errantibus etiã ſtellis diuinitatem tribuit, ſenſuq́ deum priuat, & eius

formam mutabilem eſſe uult: eodemq́; in libro rurſus terram & cœlum refert
in deos. Nec uero Theophraſti inconſtantia ferenda eſt. Modo enim menti
diuinum tribuit principatũ, modo cœlo, tum autem ſignis ſyderibusq́; cœle
ſtibus. Nec audiẽdus eius auditor Strato, is qui Phyſicus appellatur, qui om
nem uim diuinã in natura ſitam eſſe cenſet, quæ cauſas gignendi, augendi, mi
nuẽdi, habeat: ſed careat omni ſenſu & figura. Zeno autem, ut iam ad ueſtros
Balbe ueniam, naturalem legem diuinam eſſe cenſet, eamq́; uim obtinere re-
cta imperantem, prohibentemq́; contraria. Quam legem quomodo efficiat
animantẽ intelligere non poſſumus. Deum autem animãtẽ certe uolumus eſ-
ſe. Atq; hic idem alio loco æthera deum dicit, ſi intelligi poteſt nihil ſentiens
deus, qui nunq̃ nobis occurrit, neq; in precibus, neq; in optatis, neq; in uotis.
Alijs autem libris quãdam rationem per omniũ naturam rerum pertinentẽ,
ut diuinam eſſe affectam putat. Idem aſtris hoc idem tribuit, tum annis, men-
ſibus, annorumq́; mutationibus. Quum uero Heſiodi Theogoniã, id eſt ori
ginem deorum interpretatur, tollit omnino uſitatas perceptasq́; cognitiones
deorum: neq; enim Iouem, neq; Iunonem, neq; Veſtam, neq; quẽquam qui
ita appelletur, in deorum habet numero: ſed rebus inanimis atq; mutis per
quandam ſignificationem hæc docet tributa nomina. Cuius diſcipuli Ariſto
nis non minus magno in errore ſententia eſt, qui neq; formã dei intelligi poſ
ſe cẽſeat, neq; in dijs ſenſum eſſe dicat, dubitetq́; omnino deus animans néc-
ne ſit. Cleanthes autẽ qui Zenonem audiuit unà cum eo quẽ proxime nomi-
naui, tum ipſum mundũ deum dicit eſſe, tum totius naturæ menti atq; animo
tribuit hoc nomen, tum ultimum & altiſſimũ atq; undiq; circunfuſum & ex
tremum, omnia cingentẽ atq; cõplexum ardorẽ, qui æther nominetur, certiſ-
ſimũ deũ iudicat: idemq́; quaſi delirans in his libris, quos ſcripſit contra uo-
luptatem, cũ confingit formam quandã & ſpeciem deorum, tum diuinitatem
omnem tribuit aſtris, tum nihil ratione cenſet eſſe diuinius. Ita fit, ut deus ille
quẽ mente noſcimus, atq; in animi notione tanq̃ in ueſtigio uolumus repone
re, nuſq̃ prorſus appareat. At Perſeus eiuſdem Zenonis auditor, eos dicit eſ-
ſe habitos deos, à quibus magna utilitas ad uitæ cultum eſſet inuenta, ipſasq́;
res utiles & ſalutares deorũ eſſe uocabulis nuncupatas: ut ne hoc quidem dice
ret, illa inuenta eſſe deorum, ſed ipſa diuina. Quo quid abſurdius? q̃ aut res
ſordidas atque deformes deorũ honore afficere, aut homines iam morte dele
tos reponere in deos, quorum omnis cultus eſſet futurus in luctu? Iam uero
Chryſippus, qui Stoicorũ ſomniorum uaferrimus habet interpres, magnam
turbã congregat ignotorum deorum, atque ita ignotorũ, ut eos ne coniectu-
ra quidẽ informare poſſimus, quum mens noſtra quiduis uideatur cogitatio
ne poſſe depingere. Ait enim uim diuinã in ratione eſſe poſitam, & uniuerſæ
naturę animo atque mẽte: ipſumq́; mundũ deum dicit eſſe, & eius animi fuſio
nẽ uniuerſam: tum eius ipſius principatũ, qui in mente & ratione uerſetur, cõ
munemq́; rerum naturã uniuerſam atque omnia continentẽ: tum fatalem um
bram, & neceſſitatẽ rerum futurarum. Ignem præterea, & eum quem ante di
xi æthera: tum ea quæ natura fluerẽt atque manarẽt, ut & aquam & terrã, &
aera, ſolẽ, lunam, ſydera, uniuerſitatemq́; rerũ, qua omnia cõtinerentur, atque
etiam homines eos, qui immortalitatem eſſent cõſecuti. Idemq́; diſputat ęthe
ra eſſe eum, quẽ homines Iouem appellarẽt: quiq́; aer per maria manaret, eũ

eſſe

eſſe Neptunum:terramꝗ eam eſſe quæ Ceres diceretur.Similiꝗ ratione per
ſequitur uocabula reliquorū deorum.Idemꝗ etiam legis perpetuę & ęternę
uim,quæ quaſi dux uitę & magiſtra officiorum ſit,Iouem dicit eſſe:eādemꝗ
fatalem neceſſitatem appellat,ſempiternam rerum futurarum ueritatem,quo
rum nihil tale eſt,ut in eo uis diuina ineſſe uideatur. Et hæc quidē in primo
libro de natura deorum,In ſecundo autem uult Orphei,Muſæi,Heſiodi,Ho
meriꝗ fabellas accommodare ad ea quæ ipſe primo libro de dijs immortali-
bus dixerit,ut etiam ueterrimi poetæ qui hæc ne ſuſpicati quidem ſint, Stoici
fuiſſe uideantur.Quem Diogenes Babylonius cōſequens in eo libro,qui in
ſcribitur de Minerua,partum Iouis ortumꝗ uirginis ad phyſiologiam tra-
ducens deiungit à fabula.Expoſui ferè non philoſophorum iudicia,ſed delirā
tium ſomnia.Nec enim multo abſurdiora ſunt ea,quæ poetarum uocibus fu-
ſa ipſa ſuauitate nocuerunt,qui & ira inflammatos,& libidine furentes indu-
xerunt deos,feceruntꝗ ut eorum bella,prælia, pugnas, uulnera uideremus:
odia præterea,diſſidia,diſcordias, ortus,interitus, querelas, lamentationes,
effuſas in omni intemperantia libidines,adulteria,uincula,cum humano ge-
nere concubitus mortalesꝗ ex immortali procreatos.Cum poetarum autem
errore coniungere licet portenta Magorum, Aegyptiorumꝗ in eodem ge-
nere demētiam,tum etiam uulgi opiniones,quæ in maxima inconſtantia ueri
tatis ignoratione uerſantur.Ea qui conſideret q̄ inconſulte ac temere dicātur,
uenerari Epicurum,& in eorū ipſorum numero,de quibus hæc quæſtio eſt,
habere debeat.Solus enim uidit primum eſſe deos, quod in omnium animis
eorum notionem impreſſiſſet ipſa natura.Quæ ē enim gens,aut quod genus
hominū,quod non habeat ſine doctrina anticipationem quandam deorum?
quam appellat πρόληψιν Epicurus,ideſt anteceptam animo rei quādam infor-
mationem,ſine qua nec ītelligi quidq̄, nec quæri,nec diſputari poteſt. Cuius
rationis uim ac utilitatem ex illo cœleſti Epicuri de regula & iudicio uolumi
ne accepimus.Quod igitur fundamentū huius quæſtionis eſt, id præclare ia
ctum uidetis.Quum enim non inſtituto aliquo aut more, aut lege ſit opinio
conſtituta,maneatꝗ ad unum,omnium firma conſenſio, intelligi neceſſe eſt
eſſe deos,quoniā inſitas eorum,uel potius innatas cognitiones habemus. De
quo autem omnium natura cōſentit,id uerum eſſe neceſſe eſt:eſſe igitur deos
confitendum eſt.Quod quoniam ferè conſtat inter omnes,non philoſophos
ſolū,ſed etiam indoctos fateamur cōſtare illud etiam,hanc nos habere ſiue an
ticipationem,ut ante dixi,ſiue prænotionem deorum.Sunt enim rebus nouis
noua ponēda nomina,ut Epicurus ipſe πρόληψιν appellauit,quā antea nemo eo
uerbo nominarat.Hanc igitur habemus,ut deos beatos & immortales pute-
mus.Quę enim nobis natura informationem deorū ipſorum dedit,eadē in-
ſculpſit in mētibus,ut eos æternos & beatos haberemus.Quod ſi ita eſt,uere
expoſita illa ſentētia eſt ab Epicuro,quod beatū æternumꝗ ſit,id nec habere
ipſū negocij quidq̄,nec exhibere alteri.Itaꝗ neꝗ ira,neꝗ gratia teneri quod
quæ talia eſſent,imbecilla eſſent omnia.Si nihil aliud quæreremus,niſi ut de-
os pie coleremus,& ut ſuperſtitione liberaremur,ſatis erat dictū.Nā & præ-
ſtās deorū natura hominū pietate coleretur,quum & æterna eſſet,& beatiſſi
ma:habet enim uenerationē iuſtā quidquid excellit,& metus omnis à ui atꝗ
ira deorū pulſus eſſet.Intelligit enī à beata īmortaliꝗ natura & irā & gratiā

ſegregari: quibus remotis, nullos à ſuperis impendere metus. Sed ad hanc cōfirmandam opinionem, anquirit animus & formam, & uitam, & actionem mentis, atq; agitationem in deo. Ac de forma quidem partim natura nos admonet, partim ratio docet. Nam à natura habemus omnes, omnium gẽtium ſpeciem nullam aliam niſi humanam deorum. Quę enim forma alia occurrit unq̃, aut uigilanti cuiq̃, aut dormienti? Sed ne omnia reuocẽtur ad primas notiones, ratio hoc idem ipſa declarat. Nam quum pręſtantiſſimam naturam uel quia beata eſt, uel quia ſempiterna, conuenire uideatur eãdem eſſe pulcherrimam, quæ compoſitio membrorum, quę cōformatio lineamentorum, quę figura, quę ſpecies humana poteſt eſſe pulchrior? Vos quidem Lucili ſoletis, nam Cotta meus modo hoc, modo illud, quum artificium effingitis fabricãq; diuinam, q̃ ſint omnia in hominis figura non modo ad uſum, uerumetiam ad uenuſtatem apta deſcribere. Quod ſi omnium animantium formã uincit hominis figura, deus autem animãs eſt, ea figura profecto eſt, quæ pulcherrima ſit omniũ, quoniamq; deos beatiſſimos eſſe cōſtat, beatus autẽ eſſe ſine uirtute nemo poteſt, nec uirtus ſine ratione cōſtare, nec ratio uſq̃ ineſſe niſi ĩ hominis figura, hominis eſſe ſpecie deos cōfitendũ eſt. Nec tamẽ ea ſpecies corpus eſt, ſed quaſi corpus, nec habet ſanguinẽ, ſed quaſi ſanguinẽ. Hęc quanq̃ & inuenta ſunt acutius, & dicta ſubtilius ab Epicuro, q̃ ut quiuis ea poſſit agnoſcere, tamen fretus intelligẽtia ueſtra diſſero breuius q̃ cauſa deſiderat. Epicurus autẽ qui res occultas & penitus abditas non modo uiderit animo, ſed etiã ſic *tractet, ut manu doceat, eam eſſe uim & naturam deorũ, ut primum non ſenſu ſed mente cernatur, nec ſoliditate quadam, nec ad numerum, ut ea quæ ille propter firmitatem στερέμνια appellat, ſed imaginibus ſimilitudine & tranſitione perceptis, quum infinita ſimillimarum imaginum ſpecies ex innumerabilibus indiuiduis exiſtat, & ad deos affluat cũ maximis uoluptatibus, in eas imagines mentẽ intentam, infixamq; noſtrã intelligentiam capere quæ ſit & beata natura & æterna. Sũma uero uis infinitatis, magna ac diligenti contemplatione digniſſima eſt: in qua intelligi neceſſe eſt eam eſſe naturam, ut omnia omnibus, paribus paria reſpondeant. Hanc ἰσονομίαν appellat Epicurus, id eſt æquabilẽ tributionem. Ex hac igitur illud efficitur, ſi mortaliũ tanta multitudo ſit, eſſe immortalium non minorem: & ſi quæ interimant innumerabilia ſunt, etiã ea quæ conſeruent infinita eſſe debere. Et quærere à nobis Balbe ſoletis, quæ uita deorũ ſit, quæq; ab ijs degatur ætas: ea uidelicet qua nihil beatius, nihil omnibus bonis affluẽtius cogitari poteſt. Nihil enim agit, nullis occupationibus eſt implicatus, nulla opera molitur, ſua ſapientia & uirtute gaudet, habet exploratum fore ſe ſemper, tum ĩ maximis, tum in æternis uoluptatibus. Hũc deũ rite beatũ dixerimus, ueſtrũ uero laborioſiſſimũ. Siue enĩ ipſe mũdus deus eſt, quid poteſt eſſe minus quietũ, q̃ nullo puncto tẽporis intermiſſo uerſari circũ axẽ cœli admirabili celeritate? niſi quietũ autẽ nil beatũ ẽ: ſi uero in ipſo mũdo deus ineſt aliq̃s, qui regat, qui gubernet, qui curſus aſtrorũ, mutationes tẽporum, rerũ uiciſſitudines ordinesq; cōſeruet, terras & maria cōtẽplans, hominũ cōmoda uitaſq; tueatur, ne ille eſt implicatus moleſtis negotijs, & operoſis. Nos autem beatam uitam in animi ſecuritate, & in omnium uacatione munerum ponimus. Docuit enim nos idẽ qui cetera, natura effectũ eſſe mundum, nihil opus fuiſſe fabrica, tamq; eam rem eſſe facilẽ, quã

uos

uos effici negetis ſine diuina poſſe ſolertia,ut innumerabiles natura mundos effectura ſit,efficiat,effecerit.Quod quia quemadmodum natura efficere ſine aliqua mente poſſit non uidetis,ut Tragici poetæ,quum explicare argumẽti exitum non poteſtis,confugitis ad deum,cuius operam profecto non deſideraretis,ſi immenſam & interminatam in omneis partes magnitudinem regionum uideretis,in quam ſe inijciens animus & intendens,ita late longeq́ peregrinatur,ut nullam tamen oram ultimi uideat,in qua poſſit inſiſtere.In hac igitur immenſitate latitudinum,longitudinum,altitudinum, infinita uis innumerabilium uolitat atomorum,quæ interiecto inani cohęreſcunt tamen inter ſe,& aliæ alias apprehendentes continuantur:ex quo efficiuntur eæ rerũ formæ & figuræ,quas uos effici poſſe ſine follibus & incudibus non putatis. Itaq́ impoſuiſtis in ceruicibus noſtris ſempiternum dominum,quem dies & noctes timeremus.Quis enim non timeat omnia prouidentem, & cogitantem,& animaduertentem,& omnia ad ſe pertinere putantem,curioſum & plenum negocij deum? Hinc uobis extitit primum illa fatalis neceſſitas, quã εἱμαρμένην dicitis,ut quidquid accidat,id ex æterna ueritate cauſarumq́ continuatione fluxiſſe dicatis.Quanti autem hæc philoſophia æſtimanda eſt,cui tanq̃ aniculis,& his quidem indoctis,fato fieri uideantur omnia? Sequitur μαντικὴ ueſtra,quę latine diuinatio dicitur,qua tanta imbueremur ſuperſtitione ſi uos audire uellemus,ut aruſpices,augures,arioli,uates,cõiectores nobis eſſent colendi.His terroribus ab Epicuro ſoluti,& in libertatem uindicati, nec metuimus eos quos intelligimus,nec ſibi fingere ullam moleſtiam,nec alteri quærere,& pie ſancteq́ colimus naturam excellentem atq́ præſtantem. Sed elatus ſtudio uereor ne longior fuerim. Erat autem difficile rem tantam tamq́ pręclaram inchoatam relinquere: quanquam non tam dicendi ratio mihi habenda fuit,quàm audiẽdi. TVM Cotta comiter ut ſolebat. Atqui, inquit, Vellei, niſi tu aliquid dixiſſes, nihil ſanè ex me quidem audire potuiſſes. Mihi enim non tam facile in mentem uenire ſolet quare uerum ſit aliquid,quàm quare falſum:idq́ quum ſæpe,tum quũ te audirẽ pauloante contigit. Roges me qualem naturam deorum eſſe ducam, nil fortaſſe reſpondeam. Quæras putèmne talem eſſe, qualis modo à te ſit expoſita? Nil dicam mihi uideri minus: ſed antequam aggrediar ad ea quæ à te diſputata ſunt, de teipſo dicam quid ſentiam. Sæpe enim de L. Craſſo familiari illo tuo uideor audiſſe, quum te togatis omnibus ſine dubio anteferret, paucos tecum Epicureos è Græcia compararet. Sed quod ab eo te mirifice diligi intelligebam,arbitrabar illum propter beneuolentiam uberius id dicere. Ego autem & ſi uereor laudare præſentem, iudico tamen de re obſcura atq́ difficili à te dictum eſſe dilucide, neque ſententijs ſolum copioſe, ſed uerbis etiam ornatius quàm ſolent ueſtri. Zenonem,quem Philo noſter coryphæum appellare Epicureorum ſolebat,quum Athenis eſſem,audiebam frequenter,& quidem ipſo authore Philone, credo ut facilius iudicarem q̃ illa bene refellerentur,quum à principe Epicureorum accepiſſem quemadmodum dicerentur.Non igitur ille ut pleriq́,ſed iſto modo ut tu,diſtincte, grauiter, ornate.Sed quod in illo mihi uſu ſæpe uenit,idem modo quum te audirem acciderat,ut moleſte ferrem tantum ingenium (bona uenia me audies) in tam leues ne dicam in tam ineptas ſententias incidiſſe. Nec ego nunc ipſe aliquid

afferam melius. Vt enim modo dixi, omnibus ferè in rebus, ſed maxime in phyſicis, quid non ſit citius q̃ quid ſit dixerim. Roges me quid aut quale ſit deus, authore utar Simonide: de quo quum quęſiuiſſet hoc idem, tyrannus Hiero, deliberandi ſibi unum diem poſtulauit: quum idem ex eo poſtridie quęreret, biduum petiuit. Quum ſępius duplicaret numerum dierum, admiransq; Hiero, requireret cur ita faceret. Quia quãto, diutius cõſidero, inquit, tanto mihi res uidetur obſcurior. Sed Simonidem arbitror (non enim poeta ſolum ſuauis, uerumetiam ceteroqui doctus ſapiensq; traditur) quia multa uenirent in mentem acuta atq; ſubtilia, dubitantem quid eorum eſſet ueriſſimum, deſperaſſe omnem ueritatem. Epicurus uero tuus, nã cum illo malo diſſerere q̃ tecum, quid dicit, quod non modo philoſophia dignum eſſet, ſed mediocri prudentia? Quæritur primum in ea quæſtione quæ eſt de natura deorum, ſint ne dei, necne ſint. Difficile eſt negare, credo, ſi in concione quærat: ſed in huiuſmodi ſermone, & in conſeſſu facillimum. Itaq; ego ipſe Pontifex qui cerimonias religiõesq; publicas ſanctiſſime tuẽdas arbitror, is hoc quod primum eſt, eſſe deos perſuaderi mihi non opinione ſolum, ſed etiam ad ueritatem plane uelim. Multa enim occurrunt quæ conturbent, ut interdum nulli eſſe uideãtur. Sed uide quàm tecum agam liberaliter, quę communia ſunt uobis cum ceteris philoſophis non attingam, ut hoc ipſum (placet enim omnibus fere mihiq; ipſi in primis deos eſſe, itaq; non pugno) rationem tamen eã quę à te affertur, non ſatis firmam puto. Quod enim omnium gentium generumq; hominibus ita uideretur, id ſatis magnum eſſe argumẽtum dixiſti, cur eſſe deos confiteremur: quod quum leue per ſe, tum etiam falſum eſt. Primũ enim unde tibi notæ ſunt opiniones nationum? Equidem arbitror multas eſſe gentes ſic immanitate efferatas, ut apud eas nulla ſuſpicio deorũ ſit. Quid Diagoras Atheos qui dictus eſt, poſteaq; Theodorus, nónne aperte deorũ naturam ſuſtulerunt? Nam Abderites quidem Protagoras, cuius à te modo mentio facta eſt, ſophiſtes temporibus illis uel maximus, quum in principio libri ſic poſuiſſet. De diuis neque ut ſint, neq; ut non ſint habeo dicere. Athenienſium iuſſu urbe atq; agro eſt exterminatus, libriq; eius in concione combuſti. Ex quo equidem exiſtimo tardiores ad hanc ſententiam profitendam multos eſſe factos: quippe quum pœnam ne dubitatio quidẽ effugere potuiſſet. Quid de ſacrilegis? quid de impijs periuriſq; dicemus?

Tubulus, ſi Lucius unquam,
Si Lupus, aut Carbo, aut Neptuni filius,

Vt ait Lucilius, putaſſet eſſe deos, tam periurus aut tam impurus fuiſſet? Non eſt igitur tam explorata iſta ratio ad id quod uultis confirmãdum, q̃ uidetur. Sed quia commune hoc eſt argumentum aliorum etiam philoſophorum, omittam hoc tempore, ad ueſtra propria uenire malo. Concedo eſſe deos, doce me igitur unde ſint, ubi ſint, quales ſint corpore, animo, uita. Hæc enim ſcire deſidero. Abuteris ad omnia atomorum regno & licentia. Hinc quodcunq; in ſolum uenit (ut dicitur) effingis atq; efficis. Quæ primum nullæ ſunt: nihil enĩ eſt quod uacet corpore. Corporibus autem omnis obſidetur locus. Ita nullum inane, nihil eſſe indiuiduum poteſt. Hæc ego nunc phyſicorum oracla fundo, uera an falſa neſcio, ſed ueri tamen ſimiliora q̃ ueſtra. Iſta enim flagitia Democriti, ſiue etiam ante Leucippi, eſſe corpuſcula quædam leuia,

leuia, alia aſpera,rotunda alia,partim autem angulata, curuata quædam, & quaſi adunca:ex his effectũ eſſe cœlum atq; terram nulla cogente natura, ſed concurſu quodam fortuito.Hanc tu opinionem C. Velleiuſq; ad hanc ætatẽ perduxiſti,priusq; te quis de omni uitæ ſtatu q̃ de iſta authoritate deiecerit. Ante enim iudicaſti Epicureum te eſſe oportere,q̃ iſta cognouiſti.Ita neceſſe fuit,aut hæc flagitia concipere animo,aut ſuſceptæ philoſophię nomẽ amittere.Quid enim mereas ut Epicureus eſſe deſinas? Nihil equidem,inquis, ut rationem uitæ beatæ,ueritatemq; deſeram.Iſta igitur eſt ueritas? Nam de uita beata nil repugno,quam tu ne in deo quidem eſſe cenſes,niſi planè ocio langueat.Sed ubi eſt ueritas? in mũdis credo innumerabilibus oĩbus minimis tẽporũ punctis, alijs naſcẽtibus,alijs cadẽtibus,an indiuiduis corpuſculis, tam pręclara opera nulla moderante natura,nulla ratione fingẽtibus? Sed oblitus liberalitatis meæ qua tecũ pauloante uti cœperã,plura complector.Concedam igitur ex indiuiduis conſtare omnia,quid ad rem? Deorum enim natura quæritur.Sint ſanè ex atomis,non igitur æterni. Quia enim ex atomis ſit,id natum aliquando ſit.Si natum,nulli dei anteq̃ nati.Et ſi ortus eſt deorum,interitus ſit neceſſe eſt,ut tu pauloante de Platonis mundo diſputabas. Vbi igitur illud ueſtrum beatum & æternum,quibus duobus uerbis ſignificatis deum? Quod quum efficere uultis,in dumeta correpitis.Ita enim dicebas,non corpus eſſe in deo,ſed quaſi corpus:nec ſanguinem ſed tanq̃ ſanguinem.Hoc perſæpe facitis,ut quum aliquid non ueriſimile dicatis, & effugere reprehẽſionem uelitis,afferatis aliquid quod omnino ne fieri quidem poſſit, ut ſatius fuerit illud ipſum de quo ambigebatur concedere,q̃ tam impudẽter reſiſtere. Velut Epicurus quum uideret ſi atomi ferrentur in locum inferiorẽ ſuopte pondere,nil fore in noſtra poteſtate,quod eſſet earum motus certus & neceſſarius,inuenit quo modo neceſſitatem effugeret ,quod uidelicet Democritum fugerat. Ait atomum,quum pondere & grauitate directo deorſũ feratur,declinare paululum.Hoc dicere turpius eſt,q̃ illud quod uult non poſſe defendere.Idem facit contra Dialecticos:à quibus quum traditũ ſit,in omnibus diſiunctionibus,in quibus aut etiam,aut non,poneretur,alterum utrũ eſſe,uerum pertimuit ne ſi conceſſum eſſet huiuſmodi aliquid,aut uiuet cras, aut non uiuet Epicurus,alterutrum fieri neceſſarium.Totum hoc aut etiã aut nõ,negauit eſſe neceſſarium:quo quid dici poteſt obtuſius? Vrgebat Archeſilas Zenonem,quum ipſe falſa omnia diceret,quę ſenſibus uiderẽtur. Zeno autem,nonnulla uiſa eſſe falſa,non omnia.Timuit Epicurus,ne ſi unum uiſũ eſſet falſum,nullum eſſet uerum:omnes ſenſus ueri nũcios dixit eſſe.Nihil horum niſi callide,grauiorem enim plagam accipiebat,ut leuiorem repelleret. Idem facit in natura deorum,dum indiuiduorum corporum concretionem ſugit,ne interitus & diſſipatio conſequatur,negat eſſe corpus deorum,ſed tã quam corpus:nec ſanguinem,ſed tanquam ſanguinẽ.Mirabile uidetur quod non rideat aruſpex,quum aruſpicem uiderit:hoc mirabilius, quod uos inter uos riſũ tenere poſſitis.Nõ eſt corpus,ſed quaſi corpus.Hoc intelligerẽ quale eſſet,ſi ĩ ceris fingeretur,aut fictilibus figuris. In deo quid ſit quaſi corpus, aut quaſi ſanguis,intelligere non poſſum:ne tu quidem Vellei,ſed non uis fateri.Iſta enim à uobis quaſi dictata redduntur.quę Epicurus oſcitans halluci natus eſt,quum quidem gloriaretur,ut uidemus in ſcriptis,ſe magiſtrum ha-

buiſſe nullum : quod & non prędicanti tamen facile quidem crederem, ſicut mali ædificij domino glorianti ſe architectum non habuiſſe. Nihil enim olet ex Academia, nihil ne ex Lyceo, nihil ne è puerilibus quidē diſciplinis. Xenocratem audire potuit, quē uirū, dij immortales: & ſunt qui putent audiſſe, ipſe non uult, credo plus nemini. Pāphilum quendam Platonis auditorem ait à ſe Sami auditum. Ibi enim adoleſcens habitabat cum patre & fratribus, quod in eam pater eius Neocles agripeta uenerat. Sed quum agellus eum nō ſatis aleret, ut opinor, ludi magiſter fuit. Sed hunc Platonicum mirifice contemnit Epicurus: ita metuit, ne quid unq̄ didiciſſe uideatur. In Nauſiphane Democriteo tenetur. Quem quum à ſe non neget auditum, uexat tamē omnibus contumelijs. Atqui ſi hęc Democritea non audiſſet, quid audierat? Quid eſt in phyſicis Epicuri, non à Democrito? Nam & ſi quædam commutauit, ut quod pauloante de inclinatione atomorum dixi, tamen pleraq; dicit eadē, atomos, inane, imagines, infinitatem locorum, innumerabilitatemq; mundorum, eorum ortus, interitus, omnia ferè quibus naturæ ratio continetur. Nūc iſtuc quaſi corpus & quaſi ſanguinem, quid intelligis? Ego enim te ſcire iſta melius q̄ me non fateor ſolum, ſed etiam facile patior, quum quidem ſemel dicta ſunt. Quid eſt quod Velleius intelligere poſſit, Cotta non poſſit? Itaq; corpus quid ſit, ſanguis quid ſit intelligo: quaſi corpus, & quaſi ſanguis quid ſit, nullo prorſus modo intelligo. Neq; tu me cęlas, ut Pythagoras ſolebat alienos: nec conſulto dicis occulte, tanquam Heraclitus: ſed (quod inter nos liceat) ne tu quidem intelligis. Illud uideo pugnare te, ſpecies ut quædā ſit deorum, quæ nihil concreti habeat, nihil ſolidi, nihil expreſſi, nihil eminētis, ſitq; pura, leuis, perlucida. Dicemus ergo idem quod in Venere Coa: corpus illud non eſt, ſed ſimile corpori: nec ille fuſus & candore mixtus rubor, ſanguis eſt, ſed quædam ſanguinis ſimilitudo. Sic in Epicureo deo, non rem, ſed ſimilitudines eſſe, rerum fac, id quod ne intelligi quidem poteſt, mihi eſſe perſuaſum. Cedo mihi iſtorum adumbratorum deorum lineamenta atq; formas, non deeſt hoc loco copia rationum, quibus docere uelitis humanas eſſe formas deorum. Primum quod ita ſit informatum, anticipatum mētibus noſtris, ut homini quum de deo cogitet, forma occurrat humana. Deinde ut quoniam rebus omnibus excellat natura diuina, forma quoq; eſſe pulcherrima debeat, nec eſſe humana ullam pulchriorem. Tertiam rationē affertis, quòd nulla in alia figura domicilium mentis eſſe poſſit. Primum igitur quidq; conſideras quale ſit? Arripere enim mihi uidemini quaſi ueſtro iure rem nullo modo probabilem omniū. Quis tam cęcus ī contemplandis rebus unq̄ fuit, ut non uideret ſpecies iſtas hominum collatas in deos, aut conſilio quodam ſapientum, quo facilius animos imperitorum ad deorum cultum à uitæ prauitate conuerterent: aut ſuperſtitione, ut eſſent ſimulacra quæ uenerantes deos ipſos ſe adire crederent? Auxerunt autem hæc eadem poetæ, pictores, opifices. Erat enim non facile agenteis aliquid & molienteis deos in aliarū formarum imitatione ſeruare. Acceſſit etiam iſta opinio fortaſſe, quod homini homine pulchrius nihil uideatur. Sed tu hoc phyſice non uides, quàm blanda cōciliatrix, & quàm ſui ſit lena ipſa natura? An putas ullam eſſe terra mariq; beluam, quæ non ſui generis belua maxime delectetur? Quod ni ita eſſet, cur nō geſtiret taurus equæ contrectatione, equus uaccæ? An tu aquilam, aut leonē,

aut

aut delphinum ullam anteferre cẽſes figuram ſuæ? Quid igitur mirum ſi hoc eodem modo homini natura præſcripſit,ut nihil pulchrius quàm hominem putaret,eam eſſe cauſam cur deos hominum ſimiles putemus? Quid cenſes ſi ratio eſſet in beluis,non ſuo quaſq; generi plurimum tributuras fuiſſe? At mehercule ego (dicam enim ut ſentio) quanuis amem ipſe me, tamen non au deo dicere pulchriorem eſſe me quàm ille fuerit taurus,qui uexit Europam. Non enim hoc loco de ingenijs aut de orationibus noſtris,ſed de ſpecie figu ræq; quæritur. Quod ſi fingere nobis & iungere formas uelimus, qualis ille maritimus Triton pingitur, natantibus inuehens beluis adiunctis humano corpori,nolis eſſe. Difficili in loco uerſor. Eſt enim uis tanta naturæ,ut homo nemo uelit niſi hominis ſimilis eſſe, & quidem formica formicæ. Sed tamen cuius hominis? quotus enim quiſq; formoſus eſt? Athenis quũ eſſem e gre gibus epheborũ uix ſinguli reperiebantur. Video quid arriſeris, ſed ita tamẽ ſe res habet. Deinde nobis qui concedentibus philoſophis antiquis adoleſcẽ tulis delectamur,etiam uitia ſæpe iucunda ſunt. Næuus in articulo pueri dele ctat Alcæum. At eſt corporis macula neuus,illi tamen hoc lumen uidebatur. Quintus Catulus huius collegæ & familiaris noſtri pater,dilexit municipẽ tuum Roſcium,in quem etiam illud eſt eius,

Conſtiteram exorientem auroram forte ſalutans,
  Quum ſubito à læua Roſcius exoritur.
Pace mihi liceat cœleſtes dicere ueſtra,
  Mortalis uiſus pulchrior eſſe deo.

Huic deo, pulchrior at erat,ſicut hodie eſt,peruerſiſſimis oculis. Quid refert ſi hoc ipſum ſalſum illi & uenuſtum uidebatur? Redeo ad deos,ecquos ſi non tã ſtrabones,at petulos eſſe arbitramur,ecquos næuum habere, ecquos ſilos, flaccos,frontones,capitones,quæ ſunt in nobis? An omnia emendata in illis? Detur id uobis. Num etiam una eſt omnium facies? Nam ſi plures,aliam eſſe alia pulchriorem neceſſe eſt. Igitur aliquis nõ pulcherrimus deus. Si una om nium facies eſt,florere in cœlo Academiam neceſſe eſt. Si enim nihil inter de um & deum differt,nulla eſt apud deos cognitio, nulla perceptio. Quod ſi etiam Vellei falſum illud omnino eſt,nullam aliam nobis de deo cogitãtibus ſpeciem niſi hominis occurrere,tamen ne iſta tam abſurda defendes? Nobis fortaſſe ſi occurrit,ut dicis,apparuiſſe Iouem, Iunonem,Mineruam, Neptu num,Vulcanum,Apollinem,reliquos deos ea facie nouimus qua pictores, fictoresq; uoluerunt: neq; ſolum facie, ſed etiam ornatu, ætate, ueſtitu. At nõ Aegyptij,nec Syrij,nec ferè cuncta barbaria. Firmiores enĩ uideas apud eos opiniones eſſe de beſtijs quibuſdam,q̃ apud nos de ſanctiſſimis templis & ſi mulacris deorum. Etenim fana multa expoliata,& ſimulacra deorum de locis ſanctiſſims ablata uidemus à noſtris. At uero ne fando quidem auditum eſt crocodilum aut ibim,aut felẽ uiolatũ ab Aegypto. Quid igitur cenſes Apim illum ſanctum Aegyptiorum bouem? Nonne deum uideri Agyptijs? Tam hercle q̃ tibi illam ueſtram Soſpitam,quam tu nunq̃ ne in ſomnis quidẽ uides niſi cum pelle caprina,cum haſta,cum ſcutulo,cum calceolis repandis. At nõ eſt talis Argia nec Romana Iuno. Ergo alia ſpecies Iunonis Argiuis,alia La nuinis: & quidem alia nobis Capitolini,alia Aphris Ammonis Iouis. Non pudet igitur phyſicum,id eſt ſpeculatorem, uenatoremq; naturæ,ab animis

conſuetudine imbutis petere teſtimoniũ ueritatis? Iſto enĩ modo dicere licebit Iouem ſemper barbatum, Apollinem ſemper imberbem, cæſios oculos Mineruę, cœruleos eſſe Neptuni. Et quidem laudamus eſſe Athenis Vulcanum eum, quem fecit Alcamenes, in quo ſtante atq; ueſtito, leuiter apparet claudicatio non deformis. Claudum igitur habebimus deum, quoniã de Vulcano ſic accepimus. Age & his uocabulis eſſe deos facimus, quibus à nobis nominantur. At primum quot hominum linguæ, tot nomina deorum. Non enim ut tu Velleius quocunq; ueneris, ſic idem in Italia Vulcanus, idem in Aphrica, idem in Hiſpania. Deinde nominum non magnus numerus ne in pontificijs quidem noſtris, deorum autẽ innumerabilis. An ſine nominibus ſunt? Iſtud quidem ita uobis dicere neceſſe eſt. Quid enim attinet quum una facies ſit, plura eſſe nomina? Q; bellum erat Velleí confiteri potius neſcire quod neſcires, q̃ iſta effutiẽtem nauſeare, atq; ipſum ſibi diſplicere? An tu mei ſimilem putas eſſe, aut tui deum? profecto nõ putas. Quid ergo? Solem dicã, aut lunam, aut cœlum deum? Ergo etiam beatum quibus fruentem, uoluptatibus? & ſapientem. Qui poteſt eſſe in eiuſmodi trũco ſapientia? Hæc ueſtra ſunt. Si igitur nec humano quod docui, nec tali aliquo, quod tibi ita perſuaſũ eſt, quid dubitas? Negare deos eſſe non audes, ſapienter id quidem: & ſi hoc loco non populum metuis, ſed ipſos deos. Noui ego Epicureos omnia ſigilla numerantes. Quanq̃ uideo nonnullis uideri Epicurum ne in offenſionem Athenienſium caderet, uerbis reliquiſſe deos, re ſuſtuliſſe. Itaq; ĩ illis ſelectis eius, breuibusq; ſentẽtijs, quas appellatis κυρίας δόξας, hæc (ut opinor) prima
» ſentẽtia eſt. Quod beatum & immortale eſt, id nec habet, nec exhibet cuiq̃ ne
» gocium. In hac ita expoſita ſententia, ſunt qui exiſtimẽt quod ille inſcitia plane loquendi fecerit, feciſſe cõſulto. De homine minime uafro male exiſtimãt. Dubium eſt enim utrum dicat aliquid iſte beatum & immortale, an ſi quod ſit, id eſſe immortale. Non enim animaduertunt, hic eum ambigue locutum eſſe. Sed multis alijs locis & illum & Metrodorum tam aperte, quàm paulo ante te. Ille uero deos eſſe putat, nec quẽquam uidi qui magis ea quę timẽda eſſe negaret, timeret, mortem dico & deos, quibus mediocres homines nõ ita ualde mouentur. His ille clamat omnium mortalium mentes eſſe perterritas. Tot milia latrocinantur morte propoſita: alij omnia quæ poſſunt ſana compilant. Credo aut illos mortis timor terret, aut hos religionis. Sed quoniam nõ audes (iam enim cũ ipſo Epicuro loquar) negare eſſe deos, quid eſt quod te impediat, aut ſolem, aut mundum, aut mentem aliquã ſempiternam in deorum natura ponere? Nunquam uidi, inquit, animam rationis conſilijq; participem, in ulla alia niſi humana figura. Quid ſolis, nunquid nam aut lunæ, aut quinq; errãtium ſyderũ ſimile uidiſti? Sol duabus unius orbis ultimis partibus definiens motum, curſus annuos conficit: huius hanc inluſtrationẽ eiuſdẽ incenſa radijs menſtruo ſpatio luna complet. Quinque autem ſtellæ eundem orbem tenentes, aliæ propius à terris, aliæ remotius, ab eiſdem principijs, diſparibus temporibus eadem ſpatia conficiunt. Nunquid tale Epicure uidiſti? Ne ſit igitur ſol, ne luna, ne ſtellæ, quoniam nihil eſſe poteſt, niſi quod attigimus aut uidimus. Quid deum ipſum númne uidiſti? Cur igitur credis eſſe? Omnia tollamus ergo, quæ aut hiſtoria nobis aut ratio noua affert: ita ſit ut mediterranei mare eſſe non credant. Quę ſunt tãtæ animi anguſtiæ, ut ſi Seri

phi natus eſſe,nec unq̃ egreſſus ex inſula,in qua lepuſculos uulpeculasq́ſæpe uidiſſes,non crederes leones & pantheras eſſe,quum tibi quales eſſent, dicerentur? Si uero de elephanto quis diceret,etiam rideri te putares? Et tu quidẽ Vellei non ueſtro more,ſed dialecticorũ,quę funditus gens ueſtra nõ nouit, argumenti ſententiam concluſiſti,Beatos eſſe deos, ſumpſiſti, concedimus: beatum autẽ ſine uirtute neminẽ eſſe poſſe,id quoq; damus,& libẽter quidẽ: uirtutem autem ſine ratione conſtare non poſſe,conueniat id quoq; neceſſe eſt.Adiungis nec rationem eſſe niſi in hominis figura. Quẽ tibi hoc daturũ putas? Si enim ita eſſet,quid opus erat te gradatim iſtuc peruenire? Quod autem eſt iſtuc gradatim,ſumpſiſſes tuo iure.Nam à beatis ad uirtutem,à uirtute ad rationem uideo te ueniſſe gradibus:à ratione ad humanã figuram, quo modo accedis:præcipitare iſtuc quidem eſt,non deſcendere.Nec uero intelligo,cur maluerit Epicurus deos hominum ſimiles dicere,quàm homines deorum.Quæres quid interſit.Si enim hoc illi ſimile ſit,eſſe illud huic uideo.Sed hoc dico,nõ ab hominibus formę figuram ueniſſe ad deos:dij enim ſi ſemper fuerunt,nati nunquam ſunt, ſi quidem æterni ſunt futuri: at homines nati, ante igitur humana forma quàm homines,ea qua erãt forma dij immortales. Nõ ergo illorum humana forma,ſed noſtra diuina dicenda eſt. Verum hoc quidem ut uoletis. Illud quæro quæ fuerit tanta fortuna.Nihil enim ratione in rerum natura factum eſſe uultis.Sed tamen quis iſte tantus caſus,unde tam felix concurſus atomorum,ut repente homines deorum forma naſcerentur? Semina deorum decidiſſe de cœlo putamus in terras,& ſic homines patrũ ſimiles extitiſſe? Vellem diceretis,deorum cognationẽ agnoſcerẽ non inuitus. Nihil tale dicitis,ſed caſu eſſe factum ut eſſemus ſimiles deorum.Et nũc argumenta quærenda ſunt,quibus hoc refellatur. Vtinã tã facile uera inuenire poſſim, q̃ falſa conuincere.Etenĩ enumeraſti memoriter & copioſe,ut mihi quidem admirari liberet in homine eſſe Romano tantã ſcientiam,uſq; à Thale Mileſio de deorum natura philoſophorum ſententias.Omnes ne tibi illi delirare uiſi ſunt,qui ſine manibus & pedibus conſtare deum poſſe decreuerunt? Ne hoc quidem uos mouet conſiderantes quæ ſit utilitas, quæq́ opportunitas in homine membrorum,ut iudicetis membris humanis deos non egere? Quid enim pedibus opus eſt ſine ingreſſu? quid manibus ſi nihil comprehẽdendum eſt? Quid reliqua deſcriptione omnium corporis partium,in qua nihil inane,nihil ſine cauſa,nihil ſuperuacaneũ eſt? Itaq; nulla ars imitari naturæ ſolertiã poteſt.Habebit igitur linguam deus,& nõ loquetur? dentes, palatum,fauces,nullum ad uſum? quæq́ procreationis cauſa natura corpori affinxit,ea fruſtra habebit deus? Nec extrema magis q̃ interiora.Cor, pulmones, iecur,ceteraq́ detracta utilitate quid habent uenuſtatis? quando quidẽ hæc eſſe in deo propter pulchritudinem uultis. Iſti'ſne fidentes ſomnijs,nõ modo Epicurus,& Metrodorus,& Hermachus,contra Pythagoram Platonem Empedoclemq́ dixerunt,ſed meretricula etiam Leontium cõtra Theophraſtum ſcribere auſa ſit? ſcito illa quidem ſermone & Attico. Sed tamẽ tantum Epicuri hortus habuit licentię,& ſoletis queri Zeno quidem etiam litigabat, Quid dicam Albutium? Nam Phædro nihil elegãtius,nihil humanius. Sed ſtomachabatur ſenex ſi quid aſperius dixeram,quum Epicurus Ariſtotelem uexarit contumelioſiſſime: Phędoni Socratico turpiſſime maledixerit: Me-

trodori ſodalis ſui fratrem Timocratem,quia neſcio quid in philoſophia diſ ſentiret,totis uoluminibus conciderit,in Democritum ipſum quem ſecutus eſt,fuerit ingratus. Nauſiphanem magiſtrũ ſuũ àquo nihil didicerat,tã male acceperit.Zeno quidem non eos ſolum qui tum erant, Apollodorum Syllum,ceteros figebat maledictis,ſed Socratem ipſum parentem philoſophię, Latino uerbo utens ſcurram Atticum fuiſſe dicebat.Chryſippum nunquam niſi Cheſippum uocabat.Tu ipſe pauloãte,quum tanquam Senatum philoſophorum recitares,ſummos uiros deſipere,delirare, dementes eſſe dicebas: quorum ſi nemo uerum uidit de natura deorum,uerẽdum eſt ne nulla ſit omnino.Nam iſta,quæ uos dicitis,ſunt tota commentitia,uix digna lucubratione anicularum.Nõ enim ſentitis quàm multa uobis ſuſcipienda ſint,ſi impetraritis ut concedamus eandem hominum eſſe & deorum figurã : omnis cultus & curatio corporis erit eadem adhibenda deo quæ adhibetur homini,ingreſſus,curſus,accubitio,inclinatio,ſeſſio,comprehenſio,ad extremum etiam ſermo & oratio.Nam quòd & mares deos & fœminas eẽ dicitis, quid ſequatur uidetis.Equidem mirari ſatis non poſſum,unde ad iſtas opiniones ueſter ille princeps uenerit.Sed clamare non deſinitis retinendum hoc eſſe, deus ut beatus immortalisꝗ́ ſit. Quid autem obſtat quo minus ſit beatus,ſi non ſit bipes? Aut iſta ſiue beatitas,ſiue beatitudo dicenda eſt (utrunque omnino durum,ſed uſu mollienda nobis uerba ſunt.) Verum ea quæcunque eſt, cur aut in ſolem illum,aut in hunc mundum,aut in aliquam mentem æternam figura membrisꝗ́ corporis uacuam cadere non poteſt? Nihil aliud dicis, niſi nunquam uidi ſolem, aut mundum beatum.Quid? mundum præter hunc unquam ne uidiſti? Negabis. Cur igitur non ſexcenta milia eſſe mundorum, ſed innumerabilia auſus es dicere? Ratio docuit.Ergo hoc te ratio non docebit,quum præſtantiſſima natura quæratur,eaꝗ́ beata & æterna,quæ ſola diuina natura ſunt,ut immortalitate uincamur ab ea natura.ſic animi pręſtantia uinci:atque ut animi,item corporis? Cur igitur quum ceteris rebus inferiores ſimus,forma pares ſumus? Ad ſimilitudinem enim deo propius accedebat humana uirtus quàm figura. An quidquam tam puerile dici poteſt (ut eundem locum diutius urgeam) quàm ſi ea genera beluarum, quæ in rubro mari,Indiáue gignantur,nulla eſſe dicamus? Atqui ne curioſiſſimi quidem homines exquirendo audire tam multa poſſunt,quàm ſunt multa,quæ terra, mari,paludibus,fluminibus exiſtũt,quæ negemus eſſe,quia nunquam uidimus. Ipſa uero quam nihil ad rem pertinet,quæ uos delectat maxime ſimilitudo? Quid canis,nónne ſimilis lupo?

Atqui ut Ennius,

Simia quam ſimilis turpiſſima beſtia nobis?

At mores in utroque diſpares.Elephanto beluarum nulla prudentior, at figura quę uaſtior? De beſtijs loquor, quid inter ipſos homines? nónne & ſimillimis formis diſpares mores,& moribus figura diſſimilis? Et enim ſi ſemel Vellei ſuſcipimus genus hoc argumenti,attende quò ſerpat. Tu enim ſumebas,niſi in hominis figura,rationem ineſſe non poſſe: ſumet alius niſi in terreſtri,niſi in eo qui natus ſit,niſi in eo qui adoleuerit,niſi in eo qui didicerit,niſi in eo qui ex animo conſtet & corpore caduco & infirmo, poſtremo niſi in homine atque mortali.Quod ſi in omnibus his rebus obſiſtis,quid eſt

quod

quod te forma una conturbet? His enim omnibus quæ propoſui adiunctis, rationem in homine eſſe, & mentem uidebas: quibus detractis, deum tamen noſſe te dicis, modo lineamenta maneant. Hoc eſt non conſiderare, ſed quaſi ſortiri quid loquare. Niſi forte ne hoc quidem attẽdis, non modo in homine, ſed etiam in arbore quidquid ſuperuacaneum ſit, aut uſum non habeat, obſtare. Quam moleſtum eſt uno digito plus habere? quid ita? quia nec ſpeciem, nec uſum alium quinq; deſiderant. Tuus autem deus non digito uno redundat, ſed capite, collo, ceruicibus, lateribus, aluo, tergo, poplitibus, manibus, pedibus, fœminibus, cruribus. Si ut immortalis ſit, quid hæc ad uitam membra pertinent? quid ipſa facies? magis illa, cerebrum, cor, pulmones, iecur. Hæc enim ſunt domicilia uitæ. Oris quidem habitus ad uitæ firmitatem nihil pertinet, & eos uituperabas qui ex operibus magnificis atque præclaris, quum ipſum mundum, quum eius membra, cœlum, terras, maria, quumq; horum inſignia ſolem, lunam, ſtellasq; uidiſſent, quumq; temporum maturitates, mutationes uiciſſitudinesq; cognouiſſent, ſuſpicati eſſent aliquam excellentem eſſe præſtantemq; naturam, quæ hæc feciſſet moueret regeret gubernaret. Qui etiam ſi aberrant à coniectura, uideo tamen quid ſequantur. Tu quod opus tandem magnum & egregium habes, quod effectum diuina mente uideatur, ex quo eſſe deos ſuſpicere? Habebam, inquis, in animo inſitam informationem quandã dei, & barbati quidem Iouis, galeatæ Mineruæ. Num igitur eſſe tales putas? Quanto melius hæc uulgus imperitorum, qui non membra ſolum hominis deo tribuant, ſed uſum etiam membrorum? Dant enim arcum, ſagittas, haſtam, clypeum, fuſcinam, fulmen. Et ſi actiones quæ ſint deorum non uident, nihil agẽtem tamen deum non queunt cogitare. Ipſi qui irridentur Aegyptij nullam beluam, niſi ob aliquam utilitatem quam ex ea caperent, conſecrauerunt. Velut Ibes maximam uim ſerpentum conficiunt, quum ſint aues excelſæ, cruribus rigidis, corneo proceroq; roſtro, auertunt peſtem ab Aegypto, quum uolucris anguis, ex uaſtitate Libyæ uento Africo inuectas, interficiunt atque conſumunt. Ex quo fit, ut illæ nec morſu uiuæ noceant, nec odore mortuæ. Poſſum de Ichneumonum utilitate, de crocodilorum, de felium dicere, ſed nolo eſſe longus. Ita concludam tamen, beluas à barbaris propter beneficium conſecratas: ueſtrorum deorum non modo beneficium nullum extare, ſed ne factum quidem omnino. Nihil habet, inquit, negotij, profecto Epicurus quaſi pueri delicati nihil ceſſatione melius exiſtimat. At ipſi tamen pueri, etiam quum ceſſant, exercitatione aliqua ludicra delectantur. Deum ſic feriatum uolumus ceſſatione torpere, ut ſi ſe commouerit, uereamur ne beatus eſſe non poſſit? Hæc oratio, non modo deos ſpoliat motu, & actione diuina, ſed etiam homines inertes efficit: ſi quidem agens aliquid ne deus quidem eſſe beatus poteſt. Verum ſit ſanè ut uultis deus effigies hominis & imago, quod eius eſt domicilium? quæ ſedes? qui locus? quæ deinde actio uitæ? quibus rebus (id quod uultis) beatus eſt? Vtatur enim ſuis bonis oportet, fruatur, qui beatus futurus eſt. Nam locus quidem ijs etiam naturis quæ ſine animis ſunt, ſuus eſt cuique proprius, ut terra infimum teneat, hanc inundet aqua, ſuperior æther, ignibus altiſſima ora reddatur. Beſtiarum autem terrenæ ſunt aliæ, partim aquatiles, aliæ quaſi ancipites,

in utraqꝫ ſede uiuentes. Sunt quædam etiam quæ igne naſci putentur, appareantqꝫ in ardentibus fornacibus ſæpe uolitantes. Quæro igitur ueſter deus primum ubi habitet. Deinde quæ cauſa eum loco moueat, ſi modo mouetur aliquando. Poſtremo quum hoc proprium ſit animantium, ut aliquid appetant quod ſit naturæ accommodatum, deus quid appetat, ad quam denique rem motu mentis ac rationis utatur. Poſtremo quomodo beatus ſit, quomodo æternus. Quidquid enim horum attigerit, ulcus eſt: ita male inſtituta ratio exitum reperire non poteſt. Sic enim dicebas, ſpeciem dei percipi cogitatione, non ſenſu, nec eſſe in ea ullam ſoliditatem, neqꝫ eandem ad numerum permanere: eamqꝫ eſſe eius uiſionem ut ſimilitudine & tranſitione cernatur, neqꝫ deficiat unquam ex infinitis corporibus ſimilium acceſſio: ex eoqꝫ fieri, ut in hęc intenta mens noſtra beatam illam naturam & ſempiternam putet. Hoc per ipſos deos de quibus loquimur, quale tãdem eſt? Nam ſi tantummodo ad cogitationem ualent, nec habent ullam ſoliditatem, nec eminentiam, quid intereſt utrum de Hippocentauro an de deo cogitemus? Omnem enim talem confirmationem animi ceteri philoſophi motum inanem uocant: uos autem aduentũ in animos, & introitum imaginum dicitis. Vt igitur T. Gracchum quum uideor concionantem in capitolio uidere de M. Octauio deferẽtem ſitellam, tum eum motum animi dico eſſe inanem: tu autem & Gracchi & Octauij imagines remanere: quæ in Capitolium quum peruenerint, tum ad animum meum referantur: hoc idem fieri in deo, cuius crebra facie pellantur animi, ex quo eſſe beati atque ęterni intelligantur. Fac imagines eſſe quibus pulſentur animi, ſpecies duntaxat obijcitur quædam: num etiam cur ea beata ſit, cur æterna? Quæ autem iſtæ imagines ueſtræ, aut unde à Democrito omnino hæc licẽtia? Sed & ille reprehenſus à multis eſt, nec uos exitum reperitis, totaqꝫ res uacillat & claudicat. Nã quid eſt quod minus probari poſſit, q̃ omnium in me ĩcidere imagines, Homeri, Archilochi, Romuli, Numæ, Pythagoræ, Platonis, nec ex forma qua illi fuerunt? Quomodo illi ergo, & quorum imagines? Orpheum poetam docet Ariſtoteles nunquam fuiſſe, & hoc Orphicum carmen Pythagorei ferunt cuiuſdam fuiſſe Cercopis. At Orpheus id eſt imago eius, ut uos uultis, in animum meum ſæpe incurrit. Quid quòd eiuſdẽ hominis in meũ aliæ, aliæ in tuũ? Quid quòd earum rerũ quæ nũquam omnino fuerant neqꝫ eſſe potuerant, ut Scyllæ, ut Chimæræ? Quid quòd hominũ, locorum, urbium earum quas nũquam uidimus? Quid quòd ſimul ac mihi collibitum eſt, præſtò eſt imago? Quid quòd etiam ad dormientem ueniunt inuocatæ? Tota res Vellei nugatoria eſt, uos autem non modo oculis imagines, ſed etiam animis inculcatis. tanta eſt impunitas garriendi, at quam licenter fluentium frequenter trãſitio fit uiſionum, ut è multis una uideatur. Puderet me dicere non intelligere, ſi uos ipſi intelligeretis qui iſta defenditis. Quo modo enim probas continenter imagines ferri? aut ſi continenter, quo modo ęternę? Innumerabilitas (Inquit) ſuppeditat atomorum. Num eadẽ ergo iſta faciẽt, ut ſint omnia ſempiterna? Cõfugis ad ęquilibritatẽ: ſic enim ἰσονομίαν (ſi placet) appellemus. Et ais quoniã ſit mortalis natura, immortalẽ etiã eſſe oportere. Iſto modo quoniã homines mortales ſũt, ſint aliqui immortales: & quoniã naſcũtur in terra, naſcantur & in aqua: & quia ſunt quæ interimant, ſint quæ cõſeruẽt. Sint ſanè, ſed ea conſeruent quæ ſunt.

Deos

Deos iſtos eſſe non ſentio: omnis tamen iſta rerũ effigies, ex indiuiduis quo modo corporibus oritur? Quæ etiã ſi eſſent, quæ nulla ſunt, pellere ſe ipſa & agitari inter ſe, cõcurſu fortaſſe poſſent, formare, figurare, colorare, animare nõ poſſent. Nullo igitur modo ĩmortalẽ deũ efficitis. Videamus nũc de beato, ſine uirtute certe nullo modo. Virtus autem actuoſa, & deus ueſter nihil agẽs, expers uirtutis igitur, ita, ne beatus quidem. Quæ ergo uita? Suppeditatio, inquis, bonorum nullo malorum interuentu. Quorum tandẽ bonorum? Voluptatum credo, nempe ad corpus pertinẽtium. Nullã enim nouiſtis, niſi profectam à corpore, & redeuntem ad corpus animi uoluptatẽ. Nõ arbitror te Vellei ſimilẽ eſſe Epicureorum reliquorum, quos pudeat earum Epicuri uocum, quibus ille teſtatur ſe ne intelligere quidẽ ullum bonũ quod ſit ſeiunctum à delicatis & obſcœnis uoluptatibus: quas quidem non erubeſcens perſequitur omnes nominatim. Quẽ cibum igitur, aut quas potiones, aut quas uocum aut florũ uarietates, aut quos tactus, quos odores adhibebis ad deos, ut eos perfundas uoluptatibus? At poetæ quidem nectar ambroſiámque epulas comparant, & aut Iuuentatem, aut Ganymedem pocula miniſtrãtem. Tu autem Epicure quid facies? Neq; enim unde habeat iſta deus tuus uideo, nec quo modo utatur. Locupletior igitur hominũ natura ad beate uiuendum eſt q̃ deorum, quod pluribus generibus fruitur uoluptatum. At has leuiores ducis uoluptates, quibus quaſi titillatio (Epicuri enim hoc uerbum eſt) adhibetur ſenſibus. Quouſq; ludis? nam etiam Philo noſter ferre non poterat aſpernari Epicureos molles, & delicatas uoluptates. Summa enim memoria pronunciabat plurimas Epicuri ſentẽtias his ipſis uerbis quibus erãt ſcriptæ. Metrodori uero, qui eſt Epicuri Collega ſapiẽtiæ, multa impudẽtiora recitabat. Accuſat enim Timocratẽ fratrem ſuum Metrodorus, quod dubitet omnia quæ ad beatam uitam pertineant, uentre metiri: neque id ſemel dicit, ſed ſæpius. Annuere te uideo, nota enim tibi ſunt. Proferrem libros, ſi negares. Neque nunc reprehendo, quod ad uoluptatem omnia referantur, alia eſt ea quæſtio, ſed doceo deos ueſtros eſſe uoluptatis expertes, ita ueſtro iudicio ne beatos quidem. At dolore uacant. Satin eſt id ad illam abundantem bonis uitam beatiſſimam? Cogitat, inquiunt, aſſidue beatum eſſe ſe: habet enim nihil aliud quod agitet in mente. Comprehende igitur animo, & propone ante oculos deum nihil aliud in omni ęternitate, niſi mihi pulchre eſt, & ego beatus ſum, cogitantem. Nec tamen uideo quomodo non uereatur iſte deus beatus, ne intereat, quum ſine ulla intermiſſione pulſetur agiteturq; atomorum incurſione ſempiterna, quumq; ex ipſo imagines ſemper affluant: ita nec beatus eſt ueſter deus, nec æternus. At etiam de ſanctitate, de pietate aduerſus deos libros ſcripſit Epicurus. At quomodo in his loquitur? Vt Coruncanum aut Scæuolam Pontifices maximos te audire dicas, non eum qui ſuſtulerit omnem funditus religionem, nec manibus ut Xerſes, ſed rationibus deorum immortalium templa & aras euerterit. Quid eſt enim cur deos ab hominibus colendos dicas, quum dij non modo homines non colant, ſed omnino nihil curent, nihil agant? At eſt eorum eximia quædam præſtanſq; natura, ut ea debeat ipſa per ſe ad ſe colendam elicere ſapientem. An quidquam eximium poteſt eſſe in ea natura, quæ ſua uoluptate lætans nihil nec actura ſit unquam, neq; agat, neq; egerit? Quę porrò pietas ei debetur,

à quo nihil acceperis? Aut quid omnino, cuius nullum meritum ſit ei deberi poteſt? Eſt enim pietas iuſtitia aduerſum deos. Cum quibus quid poteſt nobis eſſe iuris, quum homini nulla cum deo ſit communitas? Sanctitas autem eſt ſcientia colendorum deorum. Qui quamobrem colendi ſunt non intelligo, nullo nec accepto ab ijs, nec ſperato bono. Quid eſt autem quod deos ueneremur propter admirationem eius naturæ, in qua egregium nihil uidemus? Nam ſuperſtitione, quod gloriari ſoletis, facile eſt liberari, quum ſuſtuleris omnem uim deorum. Niſi forte Diagoram aut Theodorum, qui omnino deos eſſe negabant, cenſes ſuperſtitioſos eſſe potuiſſe. Ego ne Protagoram quidem, cui neutrum liquerit, nec eſſe deos, nec non eſſe. Horum enim ſententiæ omnium non modo ſuperſtitionem tollunt, in qua ineſt timor inanis deorum, ſed etiam religionem, quæ deorum cultu pio continetur. Quid ij qui dixerunt totam de dijs immortalibus opinionem fictam eſſe ab hominibus ſapientibus R.P. cauſa, ut quos ratio non poſſet, eos ad officium religio duceret, nónne omnem religionem funditus ſuſtulerunt? Quid Prodicus Cius, qui ea quæ prodeſſent hominum uitæ, deorum in numero habita eſſe dixit, quam tandem religionē reliquit? Quid qui aut fortes, aut claros, aut potentes uiros tradūt poſt mortem ad deos perueniſſe, eosq́ eſſe ipſos, quos nos colere precari uenerariq́ ſoleamus, nónne expertes ſunt religionum omnium? Quæ ratio maxime tractata ab Euhemero eſt, quem noſter & interpretatus, & ſequutus eſt pręter ceteros Ennius. Ab Euhemero autem & mortes, & ſepulturæ demonſtrantur deorum. Vtrum igitur hic confirmaſſe uidetur religionem, an penitus totam ſuſtuliſſe? Omitto Eleuſinen ſanctam illam & auguſtam,

Vbi initiantur gentes orarum ultimæ.

Prætereo Samothraciam, eaq́ quæ Lemni nocturno aditu occulta coluntur ſylueſtribus ſepibus denſa: quibus explicatis ad rationemq́ reuocatis, rerum magis natura cognoſcitur q̄ deorum. Mihi quidem etiā Democritus uir magnus in primis, cuius fontibus Epicurus hortulos ſuos irrigauit, nutare uidetur in natura deorum. Tum enim cenſet imagines diuinitate præditas ineſſe in uniuerſitate rerum, tum principia mentesq́ quæ ſunt in eodem uniuerſo, deos eſſe dicit, tum animantes imagines quę uel prodeſſe nobis ſolent, uel nocere: tum ingentes quaſdam imagines, tantasq́ ut uniuerſum mundum complectantur extrinſecus. Quæ quidē omnia ſunt patria Democriti q̄ Democrito digniora. Quis enim iſtas imagines cōprehendere animo poteſt? quis admirari? quis aut cultu aut religione dignas iudicare? Epicurus uero ex animis hominum extraxit radicitus religionem, quum dijs immortalibus & opem, & gratiam ſuſtulit. Quum enim optimam & præſtantiſſimam naturam dei dicat eſſe, negat idem eſſe in deo gratiam, tollit id quod maxime proprium eſt optimæ præſtantiſſimæq́ naturæ. Quid enim melius, aut quid præſtantius bonitate & beneficentia? qua quum carere deum uult, neminem deo nec deū, nec hominem charum, neminem ab eo amari, neminem diligi uultis. Ita fit ut non modo homines à deis, ſed ipſi dei inter ſe ab alijs alij negligantur. Quāto Stoici melius, qui à uobis reprehendūtur, cenſent autem ſapientes ſapientibus etiā ignotis eē amicos? Nihil eſt enim uirtute amabilius, q̄ qui adeptus erit ubicunq́ erit gētium, à nobis diligetur. Vos autem quid mali datis,

quum imbecillitatem,gratificationem & beneuolentiam ponitis? Vt enim
omittam uim & naturam deorum,ne homines quidem cenſetis niſi imbecilli
eſſent futuros beneficos & benignos fuiſſe.Nulla eſt caritas naturalis ĩter bo
nos? Charum ipſum uerbum eſt amoris,ex quo amicitię nomen eſt ductum:
quam ſi ad fructum noſtrum referemus,non ad illius commoda quem diligi
mus,non erit iſta amicitia ſed mercatura quædam utilitatum ſuarum. Prata,
& arua,& pecudum greges diliguntur iſto modo,quod fructus ex his capiũ
tur:hominum caritas & amicitia gratuita eſt.Quanto igitur magis deorum,
qui nulla re egentes ſunt,& inter ſe diligunt,& hominibus conſulunt? Quod
ni ita ſit,quid ueneramur,quid precamur deos? Cur ſacris Pontifices,cur au-
ſpicijs augures præſũt? Quid optamus à dijs immortalibus? quid uouemus?
At etiam liber eſt Epicuri de ſanctitate.Ludimur ab homine non tam faceto
q̃ ad ſcribendi licentiam libero.Quæ enim poteſt eſſe ſanctitas, ſi dij huma-
na non curant? Quæ autem animans natura nihil curans? Verius eſt igitur
nimirum illud,quod familiaris omnium noſtrum Poſidonius diſſeruit in li-
bro quinto de natura deorum, nullos eſſe deos Epicuro uideri: quæq; is de
dijs immortalibus dixerit,inuidię deteſtandæ gratia dixiſſe.Neq; enim tam
deſipiens fuiſſet,ut homunculi ſimilem deum fingeret lineamentis duntaxat
extremis,non habitu ſolido,membris hominis pręditum omnibus,uſu mem
brorum ne minimo quidem , exilem quendam atque perlucidum , nihil
cuiq̃ tribuentem,nihil gratificantem omnino,nihil curantem,nihil agentem.
Quæ natura primum nulla eſſe poteſt,idq; uidẽs Epicurus re tollit,oratione
relinquit deos.Deinde ſi maxime talis eſt deus,ut nulla gratia,nulla hominũ
caritate teneatur, ualeat. Quid enĩ dicã propitius ſit? Eſſe enim propitius po
teſt nemini,quoniã, ut dicitis,omnis in imbecillitate eſt & gratia & caritas.

MARCI TVLLII CICERONIS DE NATVRA DEORVM AD M. BRVTVM LIBER SECVNDVS.

QVAE quum Cotta dixiſſet, tum Velleius.Næ ego,in-
quit,incautus,qui cum Academico & eodem rhetore cõ
gredi conatus ſum. Nam neq; indiſertum Academicũ
pertimuiſſem, nec ſine iſta philoſophia rhetorem quã-
uis eloquentem.Neq; enim flumine conturbor inanium
uerborum,nec ſubtilitate ſentẽtiarum,ſi orationis eſt ſic
citas. Tu autem Cotta utraq; re ualuiſti,corona tibi &
iudices defuerunt, ſed ad iſta aliàs. Nunc Lucilium ſi
ipſi commodum eſt,audiamus.Tum Balbus.Eundem equidem,mallem au-
dire Cottam,dum qua eloquentia falſos deos ſuſtulit,eadem ueros inducat.
Eſt enim & philoſophi & Pontificis & Cottæ,de dijs immortalibus habere
non errantem & uagam,ut Academici,ſed ut noſtri ſtabilem certamq; ſentẽ
tiam.Nam contra Epicurum ſatis ſuperq; dictum eſt:ſed aueo audire,tu ipſe
Cotta q̄d ſentias. An,inquit,oblitus es quod initio dixerim, facilius me tali-
bus preſertim de rebus quid nõ ſentirẽ,q̃ quid ſentirem poſſe dicere? Quod

ſi haberem aliquid quod liqueret, tamen te uiciſſim audire uellem quum ipſe tam multa dixiſſem. Tum Balbus, Gerã tibi morẽ, & agam q̃ breuiſſime potero. Etenim cõuictis Epicuri erroribus, longa de mea diſputatione detracta oratio eſt. Omnino diuidũt noſtri totã iſtam de dijs immortalibus quæſtionẽ in partes quatuor. Primũ docẽt eſſe deos: deinde quales ſint: tum mundũ ab his adminiſtrari: poſtremo cõſulere eos rebus humanis. Nos autẽ hoc ſermone quæ priora duo ſunt ſumamus: tertium & quartum, quia maiora ſunt, puto eſſe in aliud tẽpus differenda. Minime uero, inquit, Cotta, nã & otioſi ſumus, & ijs de rebus agimus quæ ſunt etiam negotijs anteponendæ. Tum Lucilius, Ne egere quidem uidetur, inquit, oratione prima pars. Quid enim poteſt eſſe tam apertum tamq́ perſpicuum, quum cœlum ſuſpeximus, cœleſtiaq́ contemplati ſumus, q̃ eſſe aliquod numen præſtantiſſimæ mentis, quo hæc regantur? Quod ni ita eſſet, qui potuiſſet aſſenſu omniũ dicere Ennius?

Aſpice hoc ſublime candens, quem inuocant omnes Iouem.

Illum uero & Iouem, & dominatorem rerum, & omnia motu regentem, & ut idem Ennius,

Patrem diuûmq́ hominumq́.

Et præſentẽ ac præpotẽtem deum, quod qui dubitet haud ſane intelligo cur non idem ſol ſit, an nullus ſit dubitare poſſit. Quid enim eſt hoc illo euidentius? Quod niſi cognitum comprehenſumq́ animis haberemus, non tam ſtabilis opinio permaneret, nec cõfirmaretur diuturnitate temporis, nec unà cũ ſeculis ætatibusq́ hominũ inueterare potuiſſet. Etenim uidemus ceteras opiniones fictas atq; uanas diuturnitate extabuiſſe. Quis enim Hippocentaurũ fuiſſe, aut Chimæram putat? quæue anus tam excors inueniri poteſt, quæ illa quæ quondam credebantur apud inferos, portenta extimeſcat? Opinionum enim commenta delet dies, naturæ iudicia cõfirmat. Itaq; & in noſtro populo, & in ceteris deorum cultus religionumq́ ſanctitates exiſtunt in dies maiores atq; meliores: idq́ euenit non temere nec caſu, ſed quod & præſentiam ſæpe diui ſuam declarant, ut & apud Regillũ bello Latinorum, quum A. Poſthumius Dictator cum Octauio Mamillio Tuſculano prælio dimicaret: ĩ noſtra acie Caſtor & Pollux, ex equis pugnare uiſi ſunt: & recẽtiore memoria ijdem Tyndaridæ Perſem uictum nunciauerunt, P. enim Vatienus auus huius adoleſcentis, quum è Præfectura Reatina Romam uenienti noctu duo iuuenes cum equis albis dixiſſent, Regem Perſem illo die captum, Senatui nunciauit. Et primo quaſi temere de rep. locutus in carcerem coniectus eſt. Poſt à Paulo literis allatis, quum idem dies conſtitiſſet, & agro à Senatu & uacatione donatus eſt. Atq; etiam quum ad fluuium Sagram Crotoniatas Locri maximo prælio deuiciſſent, eo ipſo die auditam eſſe eam pugnã ludis Olympiæ memoriæ proditum eſt. Sæpe Faunorum uoces exauditæ, ſæpe uiſæ formæ deorum, quemuis aut non hebetem aut impium deos præſentes eſſe confiteri coegerunt. Prædictiones uero & præſenſiones rerum futurarum, quid aliud declarant, niſi hominibus ea quæ ſint oſtendi, monſtrari, portendi, prædici, ex quo illa oſtenta, monſtra, portenta, prodigia dicuntur? Quod ſi ea ficta credimus licentia fabularum, Mopſum, Tireſiam, Amphiaraum, Calchãtem, Helenum, quos tamen augures, ne ipſæ quidem fabulæ aſciuiſſent, ſi res oĩno repudiarent, ne domeſticis quidẽ exẽplis docti numen deorũ cõprobabimus?

bimus? Nihil nos P. Claudij bello Punico primo temeritas mouebit? qui etiam per iocum deos irridens quũ cauea liberati pulli nõ paſcerẽtur, mergi eos in aquam iuſſit ut biberent, quoniã eſſe nollẽt: qui riſus claſſe deuicta multas ipſi lacrymas, magnam populo R. cladem attulit. Quid collega eius Iunius eodem bello, nónne tempeſtate claſſem amiſit, quum auſpicijs nõ paruiſſet? Itaq; Claudius à populo condemnatus eſt, Iunius necem ſibi ipſe conſciuit. C. Flaminium Cælius religione neglecta cecidiſſe apud Thraſimenum ſcribit cum magno R. P. uulnere. Quorum exitio ĩtelligi poteſt, eorum imperijs remp. amplificatam, qui religionibus paruiſſent. Et ſi cõferre uolumus noſtra cum externis, ceteris rebus aut pares, aut etiam inferiores reperiemur, religione, id eſt cultu deorum multo ſuperiores. An Attij Nauij lituus iſte, quo ad inueſtigandum ſuem regiones uineæ terminauit, contemnendus eſt? Crederem, niſi eius Augurio Rex Hoſtilius maxima bella geſſiſſet. Sed negligentia nobilitatis augurij diſciplina omiſſa, ueritas auſpiciorum ſpreta eſt, ſpecies tantũ retẽta. Itaq; maximæ Reip. partes in ijs bella quibus Reip. ſalus continetur, nullis auſpicijs adminiſtrãtur, nulla perennia ſaluantur, nulla ex acuminibus, nulli uiri uocantur, ex quo in procinctu teſtamenta perierunt. Tum enim bella gerere noſtri duces incipiunt, quum auſpicia poſuerũt. At uero apud maiores tãta religionis uis fuit, ut quidam Imperatores etiam ſeipſos dijs ĩmortalibus, capite uelato, uerbis certis pro Rep. deuouerẽt. Multa ex Sibyllinis uaticinationibus, multa ex aruſpicum reſponſis cõmemorare poſſum, quibus ea confirmentur, quæ dubia nemini debent eſſe. Atqui & noſtrorum augurum, & Hetruſcorum, & aruſpicum diſciplinam P. Scipione, C. Figulo COSS. res ipſa probauit, quos quum T. Gracchus COSS. iterũ recrearet, primus rogatorum, ut eos retulit, ibidem eſt repẽte mortuus. Gracchus quum comitia nihilominus peregiſſet, remq; illam in religionẽ populo ueniſſe ſentiret, ad Senatum retulit, Senatus quos ad ſoleret referendum cenſuit. Aruſpices introducti reſponderunt, non fuiſſe iuſtum comitiorum rogatorem. Tum Gracchus, ut è patre audiebam, incenſus ira. Ita ne uero ego non iuſtus, qui & Conſul rogaui, & augur, & auſpicato? An uos Tuſci ac barbari, auſpiciorum Populi R. ius tenetis, & ĩterpretes eſſe comitiorum poteſtis? Itaq; tum illos exire iuſſit, poſt autẽ è prouincia literas ad collegium miſit, ſe quum legeret libros, recordatum eſſe uitio ſibi tabernaculũ captũ fuiſſe ĩ hortos Scipionis: quod quum pomœrium poſtea intraſſet habendi Senatus cauſa, in redeundo, quum idẽ pomœrium tranſiret, auſpicari eſſet oblitus. Itaq; uitio creatos COSS. eſſe Augures rem ad Senatum, Senatus ut abdicarent Cõſules, abdicauerũt. Quæ quærimus exẽpla maiora? Vir ſapiẽtiſſimus atq; haud ſcio an omniũ præſtãtiſſimus, peccatum ſuũ quod cęlari poſſet, confiteri maluit, q̃ hærere in Rep. religionẽ. Cõſules ſummum imperium ſtatim deponere, q̃ id tenere punctũ tẽporis contra religionẽ. Magna augurũ authoritas: quid aruſpicum ars? nónne diuina? Hęc innumerabilia ex eodem genere qui uideat, nónne cogatur cõfiteri deos eſſe? Quorum enim interpretes ſunt, eos ipſos eſſe certe neceſſe eſt. Deorũ autẽ interpretes ſũt, deos igitur eſſe fateamur. At fortaſſe nõ omnia eueniũt quæ prædicta ſunt: ne ægri quidẽ quia nõ omnes conualeſcunt, idcirco ars nulla medicina eſt. Signa oſtenduntur à dijs rerum futurarũ. In his ſi qui errauerũt, non deorum natura, ſed hominũ

coniectura peccauit. Itaq; inter omnes omnium gentium conſtat. Omnibus enim innatum eſt, & in animo quaſi inſculptum, eſſe deos. Quales ſint, uariũ eſt, eſſe nemo negat. Cleanthes quidem noſter quatuor de cauſis dixit in animis hominum informatas deorum eſſe notiones. Primam poſuit eam de qua modo dixi, quæ orta eſſet ex pręſenſione rerum futurarum. Alteram, quam ceperimus ex magnitudine commodorum, quæ percipiuntur cœli temperatione, fœcunditate terrarum, aliarumq; commoditatum complurium copia. Tertiam, quæ terreret animos fulminibus, tempeſtatibus, nimbis, niuibus, grandinibus, uaſtitate, peſtilentia, terræmotibus, & ſępe fremitibus, lapideisq; imbribus, & guttis imbrium quaſi cruentis, tum lapidibus, aut repentinis terrarum hiatibus, tum præter naturam hominum pecudumq; portentis, tum facibus uiſis cœleſtibus, tum ſtellis his, quas Græci Cometas, noſtri cincinnatas uocant, quæ nuper bello octauiano magnarum fuerunt calamitatũ prænuncię: tum ſole geminato, quod ut è patre audiui, Tuditano & Aquilio COSS. euenerat, quo quidem anno P. Aphricanus ſol alter extinctus eſt, quibus exterriti homines uim quandam eſſe cœleſtem & diuinam ſuſpicati ſunt. Quartam cauſam eſſe, eamq; uel maximam, æquabilitatem motus, conuerſionem cœli, ſolis, lunæ, ſyderumq; omnium diſtinctionem, utilitatem, pulchritudinem, ordinem: quarum rerum aſpectus ipſe ſatis indicaret non eſſe ea fortuita. Vt ſi quis in domum aliquam, aut in gymnaſium, aut in forum uenerit, quum uideat omnium rerum rationem, modum, diſciplinam, nõ poſſit ea ſine cauſa fieri iudicare, ſed eſſe aliquem intelligat, qui præſit, & cui pareatur, multo magis in tantis motionibus, tantisq; uiciſſitudinibus, tam multarum rerum atq; tantarum ordinibus, in quibus nihil unq̃ immenſa & infinita uetuſtas mentita ſit, ſtatuat neceſſe eſt ab aliqua mente tantos naturæ motus gubernari. Chryſippus quidẽ q̃q̃ eſt acerrimo ingenio, tamen ea dicit, ut ab ipſa natura didiciſſe, non ut ipſe reperiſſe uideatur. Si enim, inquit, eſt aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod uis, quod poteſtas humana efficere non poſſit, eſt certe id quod illud efficit homine melius. Atqui res cœleſtes, omnesq; hæ quarum eſt ordo ſempiternus, ab homine cõfici nõ poſſunt. Eſt igitur id quo illa conficiuntur homine melius. id autem quid potius dixeris q̃ deum? Etenim ſi dij non ſunt, quid eſſe poteſt in rerum natura homine melius? in eo enim ſolo eſt ratio, qua nihil poteſt eſſe præſtantius. Eſſe autem hominem qui nihil in omni mundo melius eſſe q̃ ſe putet, deſipiẽtis arrogantię eſt. Ergo eſt aliquid melius. Eſt igitur profecto deus. An uero ſi domum magnam pulchramq; uideris, non poſſis adduci, ut, etiamſi dominum non uideas, muribus illam & muſtelis ędificatam putes. Tãtum uero ornatum mundi, tantam uarietatem pulchritudinemq; rerum cœleſtium, tantã uim & magnitudinem maris atq; terrarum, ſi tuum ac non deorum immortalium domicilium putes, nónne plane deſipere uideare? An ne hoc quidem intelligimus, omnia ſupera eſſe meliora? terram autem eſſe infimam, quam craſſiſſimus circũfundat aer, ut ob eam ipſam cauſam, quod etiam quibuſdam regionibus atq; urbibus contingere uidemus, hebetiora ut ſint hominum ingenia propter cœli pleniorẽ naturam, hoc idem generi humano éuenerit, quod in terra, hoc eſt in craſſiſſima regione mundi collocati ſint, & tamen ex ipſa hominum ſolertia eſſe aliquam mentem: & eam quidem acriorem & diuinã

exiſtimare

exiſtimare debemus. Vnde enim hāc homo arripuit? ut ait apud Xenophō-tem Socrates. Quin & humorem & calorem qui eſt fuſus in corpore, & terrenam ipſam uiſcerum ſoliditatem, animum deniq; illum ſpirabilem, ſi quis quærat unde habemus, apparet quod aliud a terra ſumpſimus, aliud ab humore, aliud ab igni, aliud ab aere eo, quem ſpiritum dicimus. Illud autē quod uincit hæc omnia, rationem dico, & ſi placet pluribus uerbis, mentem, conſilium, cogitationem, prudentiam, ubi inuenimus? unde ſuſtulimus? An cetera mundus habebit omnia, hoc unum quod plurimum eſt non habebit? Atqui certe nihil omnium rerum melius eſt mundo, nihil prǽſtabilius, nihil pulchrius: nec ſolum nihil eſt, ſed ne cogitari quidē quidq̄ melius poteſt. Et ſi ratione & ſapiētia nihil eſt melius, neceſſe eſt hec ineſſe in eo, quod optimum eſſe concedimus. Quid uero tanta rerum conſentiens, conſpirans, continuata cognatio, quem non coget ea quæ dicuntur a me comprobare? Poſſet ne uno tēpore florere, dein uiciſſim horrere terra, aut tot rebus ipſis ſe immutantibus ſolis acceſſus diſceſſusq́; ſolſtitijs brumisq́; cognoſci, aut æſtus maritimi fretorumq́; anguſtiæ, ortu aut obitu lunæ commoueri, aut una totius cœli cōuerſione curſus aſtrorum diſpares conſeruari? Hæc ita fieri omnibus inter ſe concinentibus mundi partibus profecto non poſſent, niſi ea uno diuino & continuato ſpiritu continerentur. Atque hæc quum uberius diſputant & fuſius, ut mihi eſt in animo facere, facilius effugiunt Academicorum calumniam. Cum autem, ut Zeno ſolebat, breuius anguſtiusq́; concludūtur, tum apertiora ſunt ad reprehendendum. Nam ut profluens amnis aut uix aut nullo modo, concluſa autem aqua facile corrumpitur, ſic orationis flumine reprehenſoris uitia diluuntur. Anguſtia autem concluſæ orationis non facile ſeipſa tutatur. Hæc enim quę dilatantur a nobis, Zeno ſic premebat. Quod ratione utitur, id melius eſt q̄ id quod ratione non utitur: nihil autem mundo melius, ratione igitur mundus utitur. Similiter effici poteſt ſapientē eſſe mundum, ſimiliter beatum, ſimiliter æternum. Omnia enim hæc meliora ſunt, q̄ ea quæ ſunt his carētia, nec mundo quidquam melius, ex quo efficietur eſſe mundū deum. Idemq́; hoc modo. Nullius ſenſu carentis pars aliqua poteſt eſſe ſentiens, mundi autem partes ſentientes ſunt, non igitur caret ſenſu mundus. Pergit idem & urget anguſtius. Nihil, inquit, quod animi, quodq́; rationis eſt expers, id generare ex ſe poteſt animantem compotemq́; rationis: mundus autē generat animantes compotesq́; rationis, animans eſt igitur mundus, composq́; rationis. Idemq́; ſimilitudine ut ſæpe ſolet rationē concluſit hoc modo. Si ex oliua modulate canentes tibiæ naſcerentur, num dubitares quin ineſſet in oliua tibicini quædam ſcientia? Quid ſi platani fidiculas ferrent numeroſe ſonantes? idē ſcilicet cenſeres in platanis ineſſe muſicam. Cur igitur mundus non animans ſapiensq́; iudicetur, quū ex ſe procreet animantes atq; ſapientes? Sed quoniā cœpi ſecus agere atq; initio dixeram: negaram enim hanc primam partē egere oratione, quod eſſet omnibus perſpicuum deos eſſe: tamen idipſum rationibus phyſicis, id eſt naturalibus cōfirmari uolo. Sic enim res ſe habet, ut omnia quę alantur, & quæ creſcant, contineant in ſe uim caloris, ſine qua neq; ali poſſent nec creſcere. Nam omne quod eſt calidum & igneū, cietur & agitur motu ſuo: quod autem alitur & creſcit, motu quodam utitur certo & æquabili. Qui quamdiu remanet in nobis, tamdiu ſenſus & uita remanet: refrigera-

to autem & extincto calore occidimus ipſi & extinguimur. Quod quidem Cleãthes his etiam argumentis docet, quanta uis inſit caloris in omni corpore. Negat enim ullũ eſſe cibum tam grauem, qn is nocte & die concoquatur, cuius etiam in reliquis ineſt calor, his quas natura reſpuerit. Iam uero uenæ & arteriæ micare non deſinũt, quaſi quodam igneo motu: animaduerſumq́ ſæpe eſt, quum cor animãtis alicuius euulſum, ita mobiliter palpitaret, ut imitaretur igneam celeritatem. Omne igitur quod uiuit, ſiue animal, ſiue terra editum, id uiuit propter incluſum ĩeo calorẽ: ex quo intelligi debet eam caloris naturam uim habere in ſe uitalem per omnem mundum pertinentẽ. Atq; id facilius cernemus toto genere hoc igneo, quod omnia tranat, ſubtilius explicato. Omnes igitur partes mundi (tangam autem maximas) calore fultæ ſuſtinentur, quod primum in terrena natura perſpici poteſt. Nam & lapidũ conflictu atq; tritu elici ignem uidemus & recenti foſſione

Terram fumare calentem.

Atq; etiam ex puteis iugibus, aquam calidam trahi, & id maxime fieri tẽporibus hybernis, quod magna uis, terræ cauernis, contineatur caloris, eaq́ hyeme ſit denſior, ob eamq́ cauſam calorẽ inſitum in terris cõtineat arctius. Longa eſt oratio, multæq́ rationes, quibus doceri poſſit omnia quæ terra cõcipiat ſemina, quæq́ ipſa ex ſe generata, ſtirpibus infixa contineat, ea tẽperatione caloris & oriri & augeſcere. Atque aquę etiã admixtũ eſſe calorem, primum ipſe liquor aquæ declarat effuſæ: quæ neq; conglaciaret frigoribus, neq; niue pruinaq́ concreſceret, niſi eadẽ ſe admixto calore liquefacta & dilapſa diffunderet. Itaq; & aquilonibus reliquiſq́ frigoribus adiectis dureſcit humor, & idẽ uiciſſim mollitur tepefactus, & tabeſcit calore. Atq; etiã maria agitata uẽtis ita tepeſcũt, ut intelligi facile poſſit in tantis illis humoribus eſſe incluſũ calorẽ. Nec enim ille externus & aduentitius habendus eſt tepor, ſed ex intimis maris partibus agitatione excitatus: quod noſtris quoq; corporibus contingit, cũ motu atq; exercitatione recaleſcunt. Ipſe uero aer qui natura eſt maxime frigidus, minime eſt expers caloris. Ille uero & multo quidem calore admixtus eſt. Ipſe enim oritur ex reſpiratione aquarũ. Earum enim quaſi uapor quidam aer habendus eſt. Is autem exiſtit motu eius caloris qui aquis continetur: quam ſimilitudinem cernere poſſumus in his aquis, quę efferueſcunt ſubitis ignibus. Iam uero reliqua quarta pars mundi, ea & ipſa tota natura feruida eſt, & ceteris naturis omnibus ſalutarẽ impertit & uitalem calorem. Ex quo cõcluditur, quum omnes mũdi partes ſuſtineantur calore, mundum etiã ipſum ſimili pariq́ natura in tanta diuturnitate ſeruari: eoq́ magis quod intelligi debet, calidum illud atq; igneum ita in omni fuſum eſſe natura, ut in eo inſit procreandi uis, & cauſa gignendi, à quo & animantia omnia, & ea quorum ſtirpes terra continentur, & naſci ſit neceſſe, & augeſcere. Natura eſt igitur quæ contineat mundum omnem, eumq́ tueatur, & ea quidem nõ ſine ſenſu atq; ratione. Omnem enim naturam neceſſe eſt, quæ non ſolitaria ſit neque ſimplex, ſed cum alio iuncta atq; connexa, habere aliquem in ſe principatũ, ut in homine mentem, in belua quiddam ſimile mentis, unde oriantur rerum appetitus. In arborũ autem & earum rerum quæ gignuntur è terra, radicibus ineſſe principatus putatur. Principatum autem id dico, quod Græci ἡγεμονικὸν uocant, quo nihil in quoq; genere nec poteſt nec debet eſſe pręſtantius. Itaq;

neceſſe

neceſſe eſt illud etiam in quo ſit totius naturæ principatus, eſſe omnium optimum, omniumq́ꝫ rerum poteſtate dominatuq́ꝫ digniſſimum. Videmus autem in partibus mundi(nihil eſt enim in omni mundo, quod non pars uniuerſi ſit)ineſſe ſenſum atqꝫ rationem. In ea parte igitur, in qua mũdi ineſt prĩcipatus, hæc ineſſe neceſſe eſt, & acriora quidem atqꝫ maiora: quocirca ſapiẽtem eſſe mundum neceſſe eſt, naturamq́ꝫ eam quæ res omnes complexa teneat, perfectiõe rationis excellere, eoq́ꝫ deũ eſſe mundum, omnemq́ꝫ uim mundi diuina natura contineri. Atqꝫ etiam mundi ille feruor, purior perlucidior mobiliorq́ꝫ multo, ob easq́ꝫ cauſas aptior ad ſenſus cõmouẽdos, quàm hic noſter calor, quo hæc quæ nota nobis ſunt retinentur & uigent. Abſurdum igitur eſt dicere, quum homines beſtiæq́ꝫ hoc calore teneantur, & propterea moueantur ac ſentiant, mundum eſſe ſine ſenſu, qui integro & libero & puro, eodemq́ꝫ acerrimo & mobiliſſimo ardore teneatur. Præſertim quum is ardor qui eſt mundi, non agitatus ab alio, neqꝫ externo pulſu, ſed per ſe ipſe ac ſua ſponte moueatur. Nam quid poteſt eſſe mundo ualentius, quod pellat atque moueat calorem eum, quo ille teneatur? Audiamus enim Platonem quaſi quendam deum philoſophorum, cui duo placet eſſe motus, unum ſuum, alterum externum: eſſe autem diuinius quod ipſum ex ſe ſua ſponte moueatur, q̃ quod pulſu agitetur alieno. Hunc autem motum in ſolis animis eſſe ponit, ab hisq́ꝫ principium motus eſſe ductum putat. Quapropter quoniam ex mundi ardore motus omnis oritur, is autem ardor non alieno impulſu, ſed ſua ſponte mouetur, animus ſit neceſſe eſt, ex quo efficitur animantem eſſe mundum.

Atque ex hoc quoqꝫ intelligi poterit in eo ineſſe intelligentiã, quod certe eſt mũdus melior quàm ulla natura. Vt enim nulla pars eſt corporis noſtri, quæ non minor ſit q̃ noſmetipſi ſumus: ſic mundum uniuerſum pluris eſſe neceſſe eſt, quàm partem aliquam uniuerſi. Quod ſi ita eſt, ſapiẽs ſit mundus neceſſe eſt, nam ni ita eſſet, hominem qui eſſet mundi pars, quoniam rationis eſt particeps, pluris eſſe q̃ mundũ omnem oporteret. Atqꝫ etiam ſi à primis inchoatisq́ꝫ naturis ad ultimas perfectasq́ꝫ uolumus procedere, ad deorum naturam perueniamus neceſſe eſt. Primo enim animaduertimus à natura ſuſtineri ea quæ gignantur è terra, quibus natura nihil tribuit amplius, q̃ ut ea alẽdo atqꝫ augendo tueretur. Beſtijs autem ſenſum & motum dedit, & cum quodam appetitu acceſſum ad res ſalutares, à peſtiferis receſſum: hoc homini amplius, quod addidit rationem qua regerentur animi appetitus, qui tum remitterentur, tum continerentur. Quartus autem eſt gradus & altiſſimus eorum, qui natura boni ſapientesq́ꝫ gignuntur, quibus à principio innaſcitur ratio recta conſtanſq́ꝫ, quæ ſupra hominem putanda eſt, deoq́ꝫ tribuenda, id eſt mundo, in quo neceſſe eſt perfectam illam atqꝫ abſolutam ineſſe rationem. Neqꝫ enĩ dici poteſt in nulla rerum inſtitutione eſſe aliquid extremum atqꝫ perfectum. Vt enim in uite, ut in pecude(niſi quæ uis obſtitit)uidemus naturã ſuo quodam itinere ad ultimum peruenire, atqꝫ ut pictura & fabrica ceteræq́ꝫ artes habent quẽdam abſoluti operis effectum: ſic in omni natura ac multo etiam magis neceſſe eſt abſolui aliquid ac perfici. Etenim ceteris naturis multa externa quo minus perficiuntur poſſunt obſiſtere, uniuerſam autem naturam nulla res poteſt impedire, propterea quòd omnes naturas ipſa cohibet & continet. Quocirca neceſſe eſt eſſe quartum illum & altiſſimum gradum, quo nul

la uis poſſit accidere. Is autem eſt gradus, in quo rerum omnium natura ponitur. Quæ quoniam talis eſt, ut & præſit omnibus, & eam nulla res poſſit impedire, neceſſe eſt intelligentem eſſe mundum, & quidem etiam ſapientem. Quid autem eſt inſcitius, q̃ eam naturam quæ omnes res ſit complexa, non optimam dici? aut quum ſit optima, non primum animantem eſſe? deinde rationis & conſilij compotem, poſtremo ſapientem? Qui enim poteſt aliter eſſe optima? Neq; enim ſi ſtirpium ſimilis ſit, aut etiam beſtiarum, optima putanda ſit potius q̃ deterrima. Nec uero ſi rationis particeps ſit, nec ſit tamen à principio ſapiens, non ſit deterior mundi potius q̃ humana conditio. Homo enim ſapiens fieri poteſt, mundus autem ſi in æterno præteriti temporis ſpatio fuit inſipiens, nunquam profecto ſapientiam conſequetur: ita erit homine deterior. Quid quoniam abſurdum eſt, & ſapiens à principio mundus, & deus habendus eſt. Neque enim eſt quidquam aliud præter mũdum, cui nihil abſit, quodq́; undique aptum atque perfectum expletumq́; ſit omnibus ſuis numeris & partibus. Scite enim Chryſippus. Vt clypei cauſa inuolucrum, uaginam autem gladij, ſic præter mundum cetera omnia aliorum cauſa eſſe generata, ut eas fruges atque fructus quos terra gignit animantium cauſa, animantes autem hominum, ut equum uehendi cauſa, arandi bouem, uenandi & cuſtodiendi canem. Ipſe autem homo ortus eſt ad mundum contemplandum, & imitandum: nullo modo perfectus, ſed eſt quædam particula perfecti. Sed mundus quoniam omnia complexus eſt, neque eſt quidquam quod non inſit in eo, perfectus undique eſt. Quid igitur poteſt ei deeſſe quod eſt optimum? Nihil autem eſt mente & ratione melius, ergo hæc mundo deeſſe non poſſunt. Bene igitur idem Chryſippus, qui ſimilitudines adiungens omnia in perfectis & maturis docet eſſe meliora, ut in equo quàm in equulo, in cane quàm in catulo, in uiro quàm in puero. Item quod in omni mundo optimum ſit, id in perfecto aliquo atque abſoluto eſſe debere. Eſt autem nihil mundo perfectius, nihil uirtute melius: igitur mundi eſt propria uirtus. Nec uero hominis natura perfecta eſt, & efficitur tamen in homine uirtus. Quanto igitur in mundo facilius? Eſt ergo in eo uirtus, ſapiens igitur eſt, & propterea deus. Atque hac mũdi diuinitate perſpecta, tribuenda eſt ſyderibus eadẽ diuinitas, quę ex mobiliſſima puriſſimaq́; ætheris parte gignuntur. Neque ulla præterea ſunt admixta natura, totaq́; ſunt calida atque perlucida, ut ea quoque rectiſſime & animantia eſſe, & ſentire atque intelligere dicantur. Atque ea quidem tota eſſe ignea duorum ſenſuum teſtimonio confirmari Cleanthes putat, tactus & oculorum. Nam ſolis calor et candor illuſtrior eſt quàm ullius ignis, quippe qui immenſo mundo tam longe lateq́; colluceat: & is eius tactus eſt, ut non tepefaciat ſolum, ſed etiam ſæpe comburat: quorum neutrum faceret niſi eſſet igneus. Ergo, inquit, quum ſol igneus ſit. Oceaniq́; alatur, humoribus, quia nullus ignis ſine paſtu aliquo poſſit permanere, neceſſe eſt aut ei ſimilis ſit igni quem adhibemus ad uſum atq; uictum, aut ei qui corporibus animantium continetur. Atque hic noſter ignis quem uſus uitæ requirit, confector eſt & conſumptor omniũ: idemq́; quocũque inuaſit, cuncta diſturbat ac diſſipat. Contra ille corporeus uitalis & ſalutaris, omnia conſeruat, alit, auget, ſuſtinet, ſenſuq́; afficit. Negat ergo eſſe dubium, horum ignium ſol utri ſimilis ſit, quum is quoq; efficiat ut

omnia floreant & in ſuo quæque genere pubeſcant. Quare quum ſolis ignis ſimilis eorum ignium ſit, qui ſunt in corporibus animantium, ſolem quoque animantem eſſe oportet, & quidem reliqua aſtra, quæ oriantur in ardore cœleſti, qui æther uel cœlum nominatur. Quum igitur aliorum animantium ortus in terra ſit, aliorum in aqua, in aere aliorum, abſurdum eſſe Ariſtoteli uidetur, in ea parte quæ ſit ad gignenda animantia aptiſſima, animal gigni nullum putare. Sydera autem ęthereum locum obtinent: qui quoniam tenuiſſimus eſt, & ſemper agitatur & uiget, neceſſe eſt quòd animal in eo gignatur, id & ſenſu acerrimo & mobilitate celerrima eſſe. Quare quum in æthere aſtra gignantur, conſentaneum eſt, in his ſenſum ineſſe & intelligentiam, ex quo efficitur in deorum numero aſtra eſſe ducenda. Etenim licet uidere acutiora ingenia, & ad intelligendum aptiora eorum qui terras incolant eas, in quibus aer ſit purus ac tenuis, quàm illorum qui utantur craſſo cœlo atque concreto. Quinetiam cibo quo utare intereſſe aliquid ad mentis aciem putant. Probabile eſt igitur præſtantem intelligentiam in ſyderibus eſſe, quæ & ætheream partem mundi incolant, & marinis terenisq́ humoribus longo interuallo extenuatis alantur. Senſum autem aſtrorum atque intelligentiam, maxime declarat ordo eorum atque conſtantia. Nihil eſt enim quod ratione & numero moueri poſſit ſine conſilio, in quo nihil eſt temerarium, nihil uarium, nihil fortuitum. Ordo autem ſyderum, & in omni æternitate conſtantia, neque naturam ſignificat, eſt enim plena rationis: neq́ fortunam, quæ amica uarietati, conſtantiam reſpuit. Sequitur ergo ut ipſa ſua ſponte, ſuo ſenſu, ac diuinitate moueantur. Nec uero Ariſtoteles non laudandus in eo, quod omnia quę mouentur aut natura moueri cenſuit, aut ui, aut uoluntate. Moueri autem ſolem & lunam & ſydera omnia. Quæ autem natura mouerentur, hæc aut pondere deorſum, aut leuitate in ſublime ferri: quorum neutrum aſtris contingeret, propterea quòd eorum motus in orbem circumq́ ferretur. Nec uero dici poteſt ui quadam maiore fieri, ut contra naturam aſtra moueantur. Quæ enim poteſt maior eſſe? Reſtat igitur ut motus aſtrorum ſit uoluntarius. Quæ qui uideat, non indocte ſolum, uerum etiam impie faciat, ſi deos eſſe neget. Nec ſanè multum intereſt, utrum id neget, an eos omni procuratione atque actione priuet. Mihi enim qui nihil agit, eſſe omnino non uidetur. Eſſe igitur deos ita perſpicuum eſt, ut id qui neget uix eum ſanæ mentis exiſtimem. reſtat, ut qualis eorum natura ſit conſideremus: in quo nihil eſt difficilius, quàm à conſuetudine oculorum aciem mentis abducere. Ea difficultas induxit, & uulgo imperitos, & ſimiles philoſophos imperitorum, ut niſi figuris hominum conſtitutis, nihil poſſent de dijs immortalibus cogitare. Cuius opinionis leuitas confutata à Cotta, non deſiderat orationem meam. Sed quum talem eſſe deum certa notione animi præſentiamus, primum ut ſit animans, deinde ut in omni natura nihil eo ſit præſtantius, ad hanc præſenſionem notionemq́ noſtram nihil uideo quod potius accommodem, quàm ut primum hunc ipſum mundum, quo nihil excellentius fieri poteſt, animantem eſſe & deum iudicem. Hic quàm uolet Epicurus iocetur, homo non aptiſſimus ad iocandum, minimeq́ reſpiciens patriam, & dicat ſe non poſſe intelligere qualis ſit uolubilis & rotundus deus, tamen ex hoc quod etiam ipſe probat, nunquam me mouebit. Placet

enim illi eſſe deos, quia neceſſe ſit præſtantem eſſe aliquam naturam, qua nihil ſit melius: mũdo autem certe nihil eſt melius. Nec dubium quin quod animans ſit, habeatq́ ſenſum & rationem, & mẽtem, id ſit melius quàm id quod ijs careat. Ita efficitur animantem ſenſus, mentis, rationis, mundum eſſe compotem: qua ratione deum eſſe mundum concluditur. Sed hæc paulo poſt facilius cognoſcentur ex his rebus ipſis, quas mundus efficit. Interea Vellei noli quæſo præ te ferre, uos planè expertes eſſe doctrinæ. Conum tibi ais & cylindrum, & py amidem pulchriorem quàm ſphæram uideri, nouum etiam oculorum iudicium habetis. Sed ſint iſta pulchriora duntaxat aſpectu, quod mihi tamen ipſum non uidetur. Quid enim pulchrius ea figura, quæ ſola omnes alias figuras complexa cõtinet? quæq́ nihil aſperitatis habere, nihil offenſionis poteſt, nihil inciſum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunoſum? Quumq́ duę formę pręſtantes ſint, ex ſolidis globus (ſic enim ſphæram interpretari placet) ex planis autem circulus aut orbis, qui κύκλοσ græce dicitur, his duabus formis contingit ſolis, ut omnes earum partes ſint inter ſe ſimillimæ, à medioq́ tantum abſit extremum, quantum idem à ſummo, quo nihil fieri poteſt aptius. Sed ſi hæc non uidetis, quia nunq̃ eruditum illum puluerem attigiſtis, ne hoc quidem phyſici intelligere potuiſtis. hanc æqualitatem motus conſtantiamq́ ordinum in alia figura nõ potuiſſe ſeruari. Itaq́ nihil poteſt eſſe indoctius, q̃ quod à uobis affirmari ſolet. Nec enim hunc ipſum mundum pro certo rotundum eſſe dicitis. Nam poſſe fieri ut ſit alia figura, innumerabilesq́ mundos, alios aliarum eſſe formarum: quæ ſi bis bina quid eſſent didiciſſet Epicurus, certe non diceret. Sed dum palato quid ſit optimum iudicat, cœli palatum (ut ait Ennius) non ſuſpexit. Nam quum duo ſint genera ſyderum, quorum alterum ſpatijs immutabilibus ab ortu ad occaſum commeans, nullum unq̃ curſus ſui ueſtigium ĩflectat: alterum autem continuas conuerſiones duas, ijſdem ſpatijs curſibusq́ conficiat, ex utraq́ re & mundi uolubilitas, quæ niſi in globoſa forma eſſe non poſſet, & ſtellarum rotundi ambitus cognoſcuntur: primusq́ ſol qui aſtrorum tenet principatum, ita mouetur, ut quum terras larga luce compleuerit, eaſdem modo his, modo illis ex partibus opacet. Ipſa enim umbra terræ ſoli officiens, noctem efficit. Nocturnorum autem ſpaciorum eadem eſt æquabilitas quæ diurnorum. Eiuſdemq́ ſolis tum acceſſus modici tum receſſus, & frigoris & caloris modum temperant. Circuitus enim ſolis orbium V defectibus LX & CCC quarta ferè diei parte addita, conuerſionem conficiunt annuam. Inflectens autem ſol curſum, cum ad ſeptẽtriones, tum ad meridiem, æſtates & hyemes efficit: & ea duo tempora, quorum alterum hyemi ſeneſcenti adiunctum eſt, alterum æſtati. Ita ex quatuor temporum mutationibus, omnium, quæ terra mariq́ gignuntur, initia cauſęq́ ducuntur. Iam ſolis annos curſus ſpatijs menſtruis luna conſequitur, cuius tenuiſſimum lumen facit proximus acceſſus ad ſolem, digreſſus autem longiſſimus quiſq́ pleniſſimum. Neque ſolũ eius ſpecies ac forma mutatur, tum creſcendo, tum defectibus in initia recurrendo: ſed etiam regio, quæ tum eſt aquilonaris, tum auſtralis. In lunæ quoque curſu eſt & brumæ quædam & ſolſtitij ſimilitudo, multaq́ ab ea manãt & fluunt, quibus & animantes alantur augeſcantq́ & pubeſcant, maturitatemq́ aſſequãtur, quæ oriuntur è terra. Maxime uero ſunt admirabiles mo-

tus

tus earum quinq; ſtellarum, quæ falſo uocantur errantes. Nihil enim errat, quod in omni æternitate conſeruat progreſſus & regreſſus, reliquosq; motus conſtantes & ratos. Quod eo eſt admirabilius in his ſtellis quas dicimus, quia tum occultantur, tum rurſus aperiuntur, tum abeunt, tum recedunt, tum antecedunt, tum autem ſubſequuntur, tum celerius mouentur, tum tardius, tum omnino ne mouentur quidem, ſed ad quoddam tempus inſiſtunt: quarum ex diſparibus motionibus magnum annum mathematici nominauerunt, qui tum efficitur, quum ſolis & lunę & quinq; errantium ad eandem inter ſe cōparationem confectis omnium ſpatijs eſt facta conuerſio. Quæ q̃ longa ſit, magna quæſtio eſt, eſſe uero certam & definitam neceſſe eſt. Nã ea quę Saturni ſtella dicitur, φαίνωνq; à Græcis nominatur: quæ à terra abeſt, plurimum xxx ferè annis curſum ſuum conficit. In quo curſu multa mirabiliter efficiens, tum antecedendo, tum retardãdo, tum ueſpertinis temporibus delitiſcẽdo, tum matutinis rurſum ſe aperiẽdo, nihil immutat ſempiternis ſeculorum ætatibus, quin eadem ijſdem tẽporibus efficiat. Infra autem hãc propius à terra Iouis ſtella fertur, quæ φαέθων dicitur, eaq; eũdem.xii.ſignorum orbem annis xii cõficit, eaſdemq; quas Saturni ſtella efficit in curſu uarietates. Huic autem proximum inferiorem orbem tenet πυρόεις, quę ſtella Martis appellatur, eaq; quatuor & xx menſibus, ſex, ut opinor, diebus minus, eũdem luſtrat orbem, quem duæ ſuperiores. Infra autem hanc ſtella Mercurij eſt, ea στίλβων appellatur à Græcis, quæ anno ferè uertente, ſigniferum luſtrat orbem: neq; à ſole longius unquã unius ſigni interuallo diſcedit, tum anteuertẽs tum ſubſequens. Infima eſt quinq; errantium terręq; proxima, ſtella Veneris, quę φωσφόρος græce, Lucifer latine dicitur, cum antegreditur ſolẽ: quum ſubſequitr̃ autem Heſperos. Ea curſum anno conficit, & latitudinem luſtrans ſigniferi orbis & lõgitudinẽ, quod idem faciunt ſtellæ ſuperiores: neq; unquã à ſole duorum ſignorũ interuallo longius diſcedit, tum antecedẽs, tum ſubſequens. Hãc igitur in ſtellis conſtantiam, hanc tantam, tam uarijs curſibus in omni æternitate cõuenientiam tẽporum non poſſum intelligere ſine mente, ratione, conſilio. Quæ quum in ſyderibus ineſſe uideamus, non poſſumus ea ipſa non in deorũ numero reponere. Nec uero eæ ſtellæ quæ inerrantes uocantur, nõ ſignificant eandem mentem atq; prudentiã, quarũ eſt cotidiana conueniẽs conſtansq; conuerſio. Nec habent æthereos curſus, neq; cœlo inhærentes, ut pleriq; dicunt phyſicæ rationis ignari. Non eſt enim ætheris ea natura, ut ui ſua ſtellas cõplexa contorqueat. Nam tenuis ac perlucens & ęquabili calore ſuffuſus æther non ſatis aptus ad ſtellas continendas uidetur. Habẽt igitur ſuam ſphæram ſtellæ inerrantes ab ętherea coniunctione ſecretam & liberam. Earum autem perennes curſus atq; perpetui cũ admirabili incredibiliq; conſtãtia, declarant in his uim & mẽtem eſſe diuinã: ut hęc ipſa qui non ſentiat, deorum uim habere, is nihil omnino ſenſurus eſſe uideatur. Nulla igitur in cœlo nec fortuna, nec temeritas, nec erratio, nec uanitas ineſt: cõtraq; omnis ordo, ueritas, ratio, conſtantia. Quæq; his uacãt, ementita, & falſa, plenaq; erroris, ea circum terras infra lunam, quæ omnium ultima eſt, in terriſq; uerſatur. Cœleſtem ergo admirabilem ordinem incredibilemq; conſtantiam, ex qua conſeruatio & ſalus omnium omnis oritur, qui uacare mente putat, is ipſe mentis expers habendus eſt. Haud ergo (ut opinor) errauero, ſi à principe

inueſtigandæ ueritatis huius diſputationis principium duxero. Zeno igitur naturam ita definit, ut eam dicat ignem eſſe artificioſum ad gignendum progredientem uia. Cenſet enim artis maxime proprium eſſe creare & gignere: quodque in operibus noſtrarum artium manus efficiat, id multo artificioſius naturam efficere, id eſt, ut dixi ignem artificioſum magiſtrum artium reliquarum. Atque hac quidem ratione omnis natura artificioſa eſt, quòd habet quaſi uiam quandam & ſectam quam ſequatur. Ipſius uero mundi, qui omnia complexu ſuo coercet & continet, natura non artificioſa ſolum, ſed plane artifex ab eodem Zenone dicitur, cõſultrix & prouida utilitatum opportunitatũque omnium. Atque ut ceteræ naturę ſuis ſeminibus quęque gignuntur, augeſcunt. continentur, ſic natura mundi omnes motus habet uoluntarios: conatusque & appetitiones quas ὁρμὰς Gręci uocant, his conſentaneas actiones ſic adhibet, ut noſmetipſi, qui animis mouemur & ſenſibus. Talis igitur mẽs mundi quũ ſit, ob eãque cauſam uel prudentia, uel prouidentia appellari recte poſſit, Græce enim πρόνοια dicitur, hæc potiſſimum prouidet, & in his maxime eſt occupata. Primum ut mundus q̃ aptiſſimus ſit ad permanendum. Deinde ut nulla re egeat. Maxime autem ut in eo eximia pulchritudo ſit, atque omnis ornatus. Dictum eſt de uniuerſo mundo, dictum etiam eſt de ſyderibus, ut iam propemodum appareat multitudo non ceſſantium deorum, nec ea quæ agant molientium cũ labore operoſo ac moleſto. Non enim uenis & neruis & oſſibus continentur: nec his eſcis, aut potionibus ueſcuntur, ut aut nimis acres, aut nimis concretos humores colligant: nec his corporibus ſunt, ut caſus aut ictus extimeſcant, aut morbos metuant ex defatigatione mẽbrorum. Quæ uerens Epicurus, monogrãmos deos & nihil agẽtes commentus eſt. Illi autem pulcherrima forma præditi, puriſſimaque in regione cœli collocati, ita feruntur moderanturque curſus, ut ad omnia conſeruanda & tuenda conſenſiſſe uideantur. Multæ autem aliæ naturæ deorum ex magnis beneficijs eorum non ſine cauſa, & à Græciæ ſapientiſſimis, & à maioribus noſtris conſtitutæ nominatęque ſunt. Quidquid enim magnam utilitatem generi afferret humano, id non ſine diuina bonitate erga homines fieri arbitrabantur. Itaque tum illud quod erat à deo natum, nomine ipſius dei nuncupabant. Vt quum fruges Cererem appellamus, uinum autem Liberum. Ex quo illud Terentij,

Sine Cerere & Libero friget Venus.

Tum autem res ipſa in qua uis ineſt maior aliqua, ſic appellatur, ut ea ipſa nominetur deus, ut fides, ut mens, quas in Capitolio dedicatas uidemus proxime à M. Aemilio Scauro, ante autem ab Atilio Calatino erat Fides conſecrata. Vides Virtutis templum, uides honoris à M. Marcello renouatum, quod multis ante annis erat bello Liguſtico à Q. Maximo dedicatum. Quid Opis? Quid Salutis? Quid concordiæ, Libertatis, Victoriæ? Quarũ omnium rerum quia uis erat tanta ut ſine deo regi non poſſet, ipſa res deorũ nomen obtinuit. Quo ex genere Cupidinis, & uoluptatis, & Lubentinę Veneris uocabula conſecrata ſunt, uitioſarum rerum neque naturalium, q̃q̃ Velleius aliter exiſtimat, ſed tamen ea ipſa uitia naturam uehementius ſępe pulſant. Vtilitatum igitur magnitudine conſtituti ſunt ei dij, qui utilitates quaſque gignebant. Atque his quidẽ nominibus quę pauloante dicta ſunt, quę uis ſit, in quoque declaratur deo. Suſcepit autẽ uita hominũ, cõſuetudoque cõmunis,

ut

ut beneficijs excellẽtes uiros in cœlum fama ac uoluntate tollerent. Hinc Hercules, hinc Caſtor & Pollux, hinc Aeſculapius, hinc Liber etiam. Hunc dico Liberum Semele natum, non eum quem noſtri maiores auguſte ſancteq́ Liberum cum Cerere & Libera conſecrauerunt: quod quale ſit ex myſterijs intelligi poteſt. Sed quod ex nobis natos liberos appellamus, idcirco Cerere nati nominati ſunt Liber & Libera, quod in Libera ſeruant, in Libero non item. Hinc etiã Romulũ, quem quidam eũdẽ eſſe Quirinũ putãt. Quorum quum remanerent animi atq; æternitate fruerentur, rite dij ſunt habiti, quum & optimi eſſent & æterni. Alia quoq; è ratione & quidẽ phyſica magna fluxit multitudo deorum, qui inducti ſpecie humana, fabulas poetis ſuppeditauerunt, hominum autem uitam ſuperſtitione omni referſerunt. Atq; hic locus à Zenone tractatus poſt à Cleanthe & Chryſippo pluribus uerbis explicatus eſt. Nam uetus hæc opinio Græciam oppleuit, ſcilicet exectum Cœlum à filio Saturno, uinctum autem Saturnum ipſum a filio Ioue: Phyſica ratio non inelegans incluſa eſt in impias fabulas. Cœleſtem enim altiſſimã æthereamq́ naturã, ideſt igneã, quæ per ſeſe omnia gigneret, uacare uoluerũt ea parte corporis, quæ coniunctione alterius egeret ad procreandũ. Saturnum autem eũ eſſe uoluerunt, qui curſum & conuerſionem ſpaciorum ac temporum contineret, qui deus Græce id ipſum nomen habet, Κρόνος enim dicitur, qui eſt idẽ χρόνος. ideſt ſpatium tẽporis. Saturnus autem eſt appellatus, quod ſaturaretur annis. Ex ſe enim natos comeſſe fingitur ſolitus, quia conſumit ætas temporũ ſpatia, annisq́ præteritis, inſaturabiliter expletur. Vinctus autem a Ioue ne immoderatos curſus haberet, atq; ut eum ſyderum uinclis alligaret. Sed ipſe Iuppiter, id eſt iuuans pater, quem conuerſis caſibus appellamus à iuuando Iouem, à poetis Pater diuumq́ hominumq́ dicitur, à maioribus autem noſtris Optimus Maximus, & quidem ante optimus, id eſt beneficentiſſimus, q̃ maximus: quia maius eſt certeq́ gratius prodeſſe omnibus, q̃ opes magnas habere. Hunc igitur Ennius (ut ſupra dixi) nuncupat ita dicens,

Aſpice hoc ſublime candens, quem inuocant omnes Iouem.

Planius quam alio loco idem,

Cui quod in me eſt, execrabor hoc, quo lucet quidquid eſt.

Hunc etiam Augures noſtri quum dicunt Ioue, fulgente, tonante, dicunt enim cœlo fulgente, tonante. Euripides autem ut multa præclare, ſic hoc breuiter.

Vides ſublime fuſum immoderatum æthera,
Qui terram tenero circuniectu amplectitur?
Hunc ſummum habeto diuum, hunc perhibeto Iouem.

Aer autem (ut Stoici diſputant) interiectus inter mare & cœlum Iunonis nomine conſecratur, quæ eſt ſoror & coniunx Iouis, quod & ſimilitudo eſt ætheris, & cum eo ſumma coniunctio. Effœminarunt autem eum, Iunoniq́ tribuerunt, quod nihil eo mollius. Sed Iunonem à iuuando credo nominatã. Aqua reſtabat & terra, ut eſſent ex fabulis tria regna diuiſa. Datum eſt igitur Neptuno, alterum Iouis ut uolunt fratri, maritimũ omne regnũ, nomẽq́ productum, ut Portunus à portu, ſic Neptunus à nando, paulum primis literis immutatis. Terrena autẽ uis omnis atq; natura Diti patri dedicata eſt, qui diues ut apud Græcos πλούτων, quia & recidant omnia in terras, & oriantur è

*terris. Cui Proſerpinam, quod grecorũ nomen eſt, ea enim eſt, quę περσεφόνη græce nominatur, quam frugum ſemen eſſe uolunt, abſconditamq́ quæri à matre fingunt. Mater autem eſt à gerendis frugibus Ceres tanq̃ geres, caſuq́ prima litera itidem immutata ut à Græcis. Nam ab illis quoq; δημήτηρ quaſi γημήτηρ nominata eſt. Iam qui magna uerteret Mauors. Minerua autem quę uel minueret, uel minaretur. Quumq́ in omnibus rebus uim haberent maximã prima & extrema, principem in ſacrificando Ianum eſſe uoluerunt, quod ab eundo nomen eſt ductum: ex quo trãſitiones peruiæ Iani, foresq́ in liminibus prophanarum ædium ianuę nominantur. Nam Veſtę nomẽ à Grecis: ea eſt enim quæ ab illis ἑστία dicitur. Vis autem eius ad aras & focos pertinet. Itaq; in ea dea, quod eſt rerum cuſtos intimarum, omnis & precatio & ſacrificatio extrema eſt. Nec longe abſunt ab hac ui dij Penates, ſiue à penu ducto nomine (eſt enim omne quo ueſcuntur homines penus) ſiue ab eo quod penitus inſident, ex quo etiam Penetrales à poetis uocantur. Iam Apollinis nomen eſt Græcum, quem ſolem eſſe uolunt. Dianam autem & Lunam eãdem eſſe putant: quum ſol dictus ſit, uel quia ſolus ex omnibus ſyderibus eſt tãtus: uel quia quum eſt exortus, obſcuratis omnibus ſolus apparet. Luna à lucẽdo nominata ſit, eadem eſt enim Lucina. Itaq;, ut apud Grecos Dianam, eamq́ luciferam, ſic apud noſtros Iunonem Lucinam in pariendo inuocant: quę eadem Diana omniuaga dicitur, non à uenando, ſed quòd in ſeptem numeratur tanq̃ uagantibus. Diana dicta quia noctu quaſi diem efficeret. Adhibetur autem ad partus, quod ij matureſcunt, aut ſeptem nonnunq̃, aut, ut plerunq; nouem lunæ curſibus, qui quia menſa ſpatia conficiunt Menſes nominantur. Cõcinneq́, ut multa Timeus, qui quum in hiſtoria dixiſſet, qua nocte natus Alexander eſſet, eadem Dianę Epheſię templum deflagrauiſſe, adiunxit, Minime id eſſe mirandum, quod Diana quum in partu Olympiadis adeſſe uoluiſſet, abfuiſſet domo. Quę autem dea ad res omnes ueniret, Venerem noſtri nominauerunt, atq; ex ea potius uenuſtas q̃ Venus ex uenuſtate. Videtis ne igitur ut à phyſicis rebus bene atq; utiliter iuentis, tracta ratio ſit ad commẽtitios & fictos deos? Quę res genuit falſas opiniones erroresq́ turbulẽtos, & ſuperſtitiones penè aniles. Et formę enim nobis deorum, & ætates, & ueſtitus ornatusq́ noti ſunt. Genera præterea, coniugia, cognationes, omniaq́ traducta ad ſimilitudinem imbecillitatis humanę. Nam & perturbatis animis inducuntur. Accipimus enim deorum cupiditates, ægritudines, iracundias. Nec uero ut fabulę ferunt, bellis prælijsq́ caruerunt; nec ſolum, ut apud Homerum quum duo exercitus contrarios alij dei ex alia parte defenderent, ſed etiam ut cum Titanis, ut cũ Gigantibus, ſua propria bella geſſerunt. Hæc & dicuntur & creduntur ſtultiſſime, & plena ſunt futilitatis ſummæq́ leuitatis. Sed tamen his fabulis ſpretis ac repudiatis, deus pertinens per naturam cuiusq; rei, per terras Ceres, per maria Neptunus, alij per alia poterunt intelligi: qui qualesq́ ſunt, quoq́ eos nomine conſuetudo nuncupauerit, quos deos & uenerari & colere debemus. Cultus autem deorum eſt optimus, idemq́ caſtiſſimus atque ſanctiſſimus, pleniſſimusq́ pietatis, ut eos ſemper pura integra incorrupta & mente & uoce ueneremur. Non enim philoſophi ſolum, uerumetiam maiores noſtri ſuperſtitionem à religione ſeparauerunt. Nam qui totos dies precabãtur, & immolabant, ut ſibi ſui liberi ſuperſtites eſſent,

ſuperſtitioſi

ſuperſtitioſi ſunt appellati, quod nomen patuit poſtea latius. Qui autem omnia quæ ad cultum deorum pertinerent diligenter retractarent, & tanquam relegerēt, ſunt dicti religioſi ex relegendo, ut eligentes ex eligendo, tanquam à deligēdo diligentes, ex intelligendo intelligentes. His enim in uerbis omnibus ineſt uis legendi eadem quę in religioſo. Ita factum eſt in ſuperſtitioſo & religioſo, alterum uitiј nomē, alterum laudis. Ac mihi uideor ſatis, & eſſe deos, & quales eſſent, oſtendiſſe. Proximum eſt, ut doceam deorum prouidentia mundum adminiſtrari. Magnus ſanè locus eſt, & à ueſtris Cotta uexatus, ac nimirum uobiſcum omne certamen eſt. Nam uobis Vellei minus notum eſt, quemadmodum quidq; dicatur. Veſtra enim ſolū legitis, ueſtra amatis, ceteros cauſa incognita condemnatis, uelut à teipſo heſterno die dictum eſt, anum fatidicam Pronœam à Stoicis induci, ideſt, prouidentiam. Quod eo errore dixiſti, quia exiſtimas ab his prouidētiam fingi, quaſi quandam deam ſingularem, quæ mundum omnem gubernet & regat: ſed id præciſe dicitur, ut ſi quis dicat Athenienſium remp. conſilio regi, deſit illud Ariopagi: ſic quum dicimus prouidentia mundum adminiſtrari, deeſſe arbitrator deorum: plene autem & perfecte ſic dici exiſtimato, prouidentia deorum mūdum adminiſtrari. Ita ſalem iſtum quo caret ueſtra natio, in irridendis nobis nolitote conſumere. Et mehercule ſi me audiatis, ne experiamini quidem, non decet, non datum eſt, non poteſtis. Nec uero hoc in te uno conuenit moribus domeſticis ac noſtrorum hominum urbanitate limato, ſed cum in reliquos ueſtros tum in eum maxime, qui iſta peperit, hominem ſine arte, ſine literis, inſultantem in omnes, ſine acumine ullo, ſine authoritate, ſine lepore. Dico igitur prouidentia deorum, mundum & omnes mundi partes, & initio conſtitutas eſſe, & omni tempore adminiſtrari, eamq; diſputationem tres in partes noſtri ferè diuidunt. Quarum prima pars eſt, quæ ducitur ab ea ratione quæ docet eſſe deos: quo conceſſo confitendum eſt eorum conſilio mundum adminiſtrari. Secunda eſt autem quæ docet omnes res ſubiectas eſſe naturæ ſentienti, ab eaq; omnia pulcherrime geri: quo conſtituto ſequitur ab animātibus principiјs eam eſſe generatam. Tertius eſt locus, qui ducitur ex admiratione rerum cœleſtium atq; terreſtrium. Primum igitur aut negandum eſt eſſe deos, quod & Democritus ſimulacra, & Epicurus imagines inducēs quodam pacto negat, aut qui deos eſſe cōcedant, his fatendum eſt eos aliquid agere, idq; præclarum. Nihil eſt autem præclarius mundi adminiſtratione: deorum igitur conſilio adminiſtratur. Quod ſi aliter eſt, aliquid profecto ſit neceſſe eſt melius & maiore ui præditum q̄ deos, quale id cūq; eſt, ſiue inanima natura, ſiue neceſſitas ui magna incitata, hæc pulcherrima opera efficiens quę uidemus. Non eſt igitur natura deorū prępotens neq; excellens, ſi quidem ea ſubiecta eſt ei uel neceſſitati, uel naturæ, qua cœlum, maria, terræ regantur. Nihil eſt autem præſtantius deo, ab eo igitur mundum neceſſe eſt regi. Nulli igitur eſt naturæ obediens aut ſubiectus deus, omnem ergo regit ipſe naturam. Etenim ſi concedimus intelligentes eſſe deos, concedimus etiam prouidentes, & rerum quidem maximarum. Ergo utrum ignorant quæ res maximæ ſint, quoq; eę modo tractandę & tuendæ, an uim non habent, qua tantas res ſuſtineant & gerant? At & ignoratio rerum aliena naturę deorum eſt, & ſuſtinendi muneris propter imbecillitatem difficultas minime cadit in maie-

ſtatem deorum: ex quo efficitur id quod uolumus, deorum prouidentia mun dum ad miniſtrari. Atqui neceſſe eſt quum ſint Dij, ſi modo ſint, ut profecto ſunt, animantes eſſe, nec ſolum animantes, ſed etiam rationis compotes, inter ſeq; quaſi ciuili conciliatione & ſocietate coniunctos, unum mundum ut communem remp. atq; urbem aliquam regentes. Sequitur ut eadem ſit in ijs quę humano in genere ratio, eadem ueritas utrobiq; ſit, eademq; lex, quæ eſt recti præceptio, prauiq; depulſio. Ex quo intelligitur prudentiã quoq; & mētem à deis ad homines perueniſſe, ob eamq; cauſam maiorũ inſtitutis, mens, fides, uirtus, concordia, conſecratæ & publice dedicatæ ſunt. Quæ qui conuenit penes deos eſſe negare, quum eorum auguſta & ſancta ſimulacra ueneremur? Quod ſi ineſt in hominum genere mens, fides, uirtus, concordia, unde hæc in terram niſi à ſuperis defluere potuerunt? Cumq; ſint in nobis, conſilium, ratio, prudentia, neceſſe eſt deos hæc ipſa habere maiora: nec habere ſolum, ſed etiam his uti in maximis & optimis rebus. Nihil autem nec maius nec melius mundo. neceſſe eſt ergo eum deorum conſilio & prouidentia administrari. Poſtremo quum ſatis docuerimus hos eſſe deos, quorum inſignē uim & illuſtrem faciem uideremus, ſolem dico, & lunam, & uagas ſtellas, & inerrantes, & cœlum & mundum ipſum, & earum rerum uim, quæ ineſſent in omni mundo cum magno uſu & commoditate generis humani, efficitur omnia regi diuina mente atque prudentia. Ac de prima quidem parte ſatis dictum eſt. Sequitur ut doceam omnia ſubiecta eſſe naturæ, eaq; ab ea pulcherrime geri. Sed quid ſit ipſa natura, explicandum eſt ante breuiter, quo facilius id quod docere uolimus, intelligi poſſit. Namq; alij naturã eſſe cēſent, uim quandam ſine ratione cientem motus in corporibus neceſſarios. Alij autem uim participem rationis atq; ordinis tanquam uia progredientem, declarantemq; quid cuiuſq; rei cauſa efficiat, quid ſequatur: cuius ſolertiam nulla ars, nulla manus, nemo opifex conſequi poſſit imitando. Seminis enim uim eſſe tantam, ut id q̃q̃ ſit perexiguum, tamen ſi inciderit in concipientem comprehendentemq; naturam, nactumq; ſit materiam, qua ali augeriq; poſſit, ita fingat & efficiat in ſuo quidq; genere, partim ut tantummodo per ſtirpes alantur ſuas, partim ut moueri etiam & ſentire & appetere poſſint, & ex ſeſe ſimilia ſui gignere. Sunt autem qui omnia naturæ nomine appellēt, ut Epicurus, qui ita diuidit, omniũ quæ ſint naturam eſſe corpora & inane, quæq; his accidant. Sed nos quum dicimus natura conſtare, adminiſtrariq; mundum, nō ita dicimus ut glebam, aut fragmentum lapidis, aut aliquid eiuſmodi, nulla cohærendi natura, ſed ut arborem, ut animal, in quibus nulla temeritas ſed ordo apparet, & artis quædam ſimilitudo. Quod ſi ea quæ à terra ſtirpibus cōtinentur, arte naturæ uiuunt & uigent, profecto ipſa terra eadem ui continetur arte naturæ: quippe quæ grauidata ſeminibus omnia pariat & fundat ex ſeſe, ſtirpes amplexa alat & augeat, ipſaq; alatur uiciſſim à ſuperis externiſq; naturis: eiuſdemq; expirationibus aer alitur & æther, & omnia ſupera. Ita ſi terra natura tenetur & uiget: eadē ratio in reliquo mundo eſt: ſtirpes enim terræ inhærent, animantes autem aſpiratione aeris ſuſtinentur, ipſæq; aer nobiſcum uidet, nobiſcum audit, nobiſcum ſonat. Nihil enim eorum ſine eo fieri poteſt. Quinetiam mouetur nobiſcum. Quacunq; enim imus, quacunq; mouemur, uidetur quaſi locum dare & cedere: queq; in medium locum mundi,

qui

qui eſt infimus,& quæ a medio in ſuperum,quæq́ conuerſione rotunda circum medium feruntur,ea continentem mundi efficiunt unamq́ naturam. Et quum quatuor genera ſint corporum,uiciſſitudine eorum mundi natura eſt continuata. Nam ex terra aqua,ex aqua oritur aer,ex aere æther,deinde retrorſum uiciſſim ex æthere aer, inde aqua, ex aqua terra infima.Sic naturis his ex quibus omnia conſtant ſurſum,deorſum,ultro citroq́ commeantibus, mundi partium coniunctio continetur,quæ aut ſempiterna ſit neceſſe eſt hoc eodem ornatu quem uidemus,aut certe perdiuturna permanens ad longinquum & immenſum penè tempus: quorum utrumuis ut ſit, ſequitur natura mundum adminiſtrari.Quæ enim claſſiū nauigatio,aut quæ inſtructio exercitus:aut rurſus(ut ea quæ natura efficit,conſeramus)quæ procreatio uitis, aut arboris,quæ porro animantis figura, conformatioq́ membrorum tantam naturæ ſolertiam ſignificat,quantam ipſe mundus? Aut igitur nihil eſt quod ſentiente natura regatur, aut mundum regi confitendum eſt. Etenim qui reliquas naturas omnes earumq́ ſemina contineat,qui poteſt ipſe non natura adminiſtrari?ut ſi qui dentes & pubertatem natura dicat exiſtere,ipſum aūt hominem cui ea exiſtant non conſtare natura,non intelligat,ea quæ efferant aliquid ex ſeſe, perfectiores habere naturas,quàm ea quę ex ijs efferantur. Omnium autem rerum quæ natura adminiſtrantur ſeminator, & ſator,& parens,ut ita dicam,atq́ educator & altor eſt mundus, omniaq́ ſicut membra & partes ſuas nutricatur & continet.Quòd ſi mundi partes natura adminiſtrantur, neceſſe eſt mundum ipſum natura adminiſtrari. Cuius quidem adminiſtratio nihil habet in ſe quod reprehendi poſſit. Ex ijs enim naturis quę erant,quod effici optimum potuit,effectum eſt.Doceat ergo aliquis potuiſſe melius,ſed nemo unquam docebit:& ſi quis corrigere aliquid uolet,aut deterius faciet:aut id quod fieri non potuerit, deſiderabit. Quod ſi omnes mundi partes ita conſtitutę ſunt,ut neq́ ad uſum meliores potuerint eſſe,neq́ ad ſpeciem pulchriores,uideamus utrum ea fortuita ne ſint,an eo ſtatu, quo cohærere nullo modo potuerint niſi ſenſu moderante, diuinaq́ prouidentia. Si igitur meliora ſunt ea quæ natura,q̄ illa quę arte perfecta ſunt, nec ars efficit quidq̄ ſine rationeq́, ne natura quidem rationis expers eſt habenda.Qui igitur conuenit ſignum aut tabulam pictam quum aſpexeris, ſcire adhibitam eſſe artem:quumq́ procul curſum nauigij uideris,non dubitare quin id ratione atq́ arte moueatur;aut quū ſolariū,uel deſcriptum,aut ex aqua contemplare,intelligere declarari horas arte non caſu,mundum autem, qui & has ipſas artes, & earum artifices, & cuncta complectatur, conſilij & rationis eſſe expertem putare? Quod ſi in Scythiam aut in Britanniam ſpheram aliquis tulerit, hanc quam nuper familiaris noſter effecit Poſidonius, cuius ſingulę conuerſiones idem efficiunt in ſole & in luna & in quinque ſtellis errantibus, quod efficitur in cœlo ſingulis diebus & noctibus, quis in illa barbarie dubitet quin ea sphera ſit perfecta ratione? Hi autem dubitant de mundo,ex quo & oriūtur & fiunt omnia caſu ne ipſe ſit effectus, aut neceſſitate aliqua,an ratione,ac mente diuina:& Archimedem arbitrantur plus ualuiſſe in imitandis ſphærę conuerſionibus, quàm naturam in efficiendis,preſertim quū multis partibus ſint illa perfecta,quàm hęc ſimulata ſolertius. Atque ille apud Accium paſtor qui nauem nunquam ante uidiſſet,ut

procul diuinum & nouum uehiculum Argonautarum è monte conſpexit, primo admirans & perterritus hoc modo loquitur.

Tanta moles labitur
Fremebunda ex alto ingenti ſonitu & ſtrepitu,
Pre ſe undas uoluit, uertices ui ſuſcitat,
Ruit prolapſa, pelagus reſpergit, profluit,
Ita dum interruptum credas nimbum uoluier,
Dum quod ſublime uentis expulſum rapi
Saxum aut procellis, uel globoſos turbines
Exiſtere ictos undis concurſantibus.
Niſi quas terreſtres pontus ſtrages conciet,
Aut forte Triton fuſcina euertens ſpecus,
Subter radices penitus undanti in freto
Molem ex profundo ſaxeam, ad cœlum eruit.

Dubitat primo quæ ſit ea natura quam cernit ignotam, idemq́ iuuenibus uiſis auditoq́ nautico cantu:

Sicut inciti atq alacres roſtris perfremunt Delphini.
Item alia multa. Syluani melo
Conſimilem ad aures cantum & auditum refert.

Ergo ut hic primo aſpectu inanimum quiddã, ſenſuq́ uacuũ ſe putat cernere, poſt autẽ ſignis certioribus quale ſit id de quo dubitauerat, incipit ſuſpicari: ſic philoſophi debuerũt, ſi forte eos primus aſpectus mundi cõturbauerat, poſtea quum uidiſſent motus eius finitos & æquabiles, omniaq́ ratis ordinibus moderata, immutabiliq́ cõſtantia, intelligere ineſſe aliquẽ non ſolũ habitatorẽ in hac cœleſti ac diuina domo, ſed etiam rectorem & moderatorem & tanq̃ architectũ tanti operis, tantiq́ muneris. Nunc autẽ mihi uidentur ne ſuſpicari quidẽ quãta ſit admirabilitas cœleſtium rerum atq terreſtrium. Principio enim terra ſita in media parte mundi circũfuſa undiq eſt hac animabili ſpirabiliq́ natura, cui nomen eſt Aer. Græcũ illud quidẽ, ſed perceptũ iam tamen uſu à noſtris, tritum eſt enim pro latino. Hunc rurſus amplectitur immẽſus æther, qui conſtat ex altiſſimis ignibus. Mutuemur hoc quoq uerbum, dicaturq́ tam æther latine, q̃ dicitur aer, & ſi interpretatur Pacuuius.

Hoc quod memoro noſtri cœlum, Graij perhibent æthera.

Quaſi uero non Graius hoc dicat. At latine loquitur, ſi quidem nos non quaſi græce loquentem audiamus. Docet idem alio loco,

Graiugena de iſto aperit ipſa oratio.

Sed ad maiora redeamus. Ex æthere igitur innumerabiles flammæ ſyderũ exiſtunt, quorum eſt princeps Sol, omnia clariſſima luce colluſtrans, multis partibus maior atque amplior q̃ terra uniuerſa: deinde reliqua ſydera magnitudinibus immenſis. Atque hi tanti ignes tãq multi non modo nihil nocent terris, rebusq́ terreſtribus, ſed ita proſunt, ut ſi mota loco ſint, conflagrare terras neceſſe ſit, à tantis ardoribus moderatione & temperatione ſublata. Hic ego nõ mirer eſſe quenq̃, qui ſibi perſuadeat corpora quædã ſolida atq indiuidua ui & grauitate ferri, mũdumq́ effici ornatiſſimũ & pulcherrimum ex eorum corporum concurſione fortuita? Hoc qui exiſtimat fieri potuiſſe, non intelligo cur non idem putet, ſi innumerabiles unius & uiginti formæ litera-

rum,uel aureæ,uel quales libet aliquo conijciantur,poſſe ex his in terram ex‑cuſſis annales Ennij ut deinceps legi poſſint effici: quod neſcio an ne in uno quidem uerſu poſſit tantum ualere ſortuna. Iſti autem quemadmodum aſſe‑uerant,ex corpuſculis non colore,non qualitate aliqua,quam ποιότητα Græci uocant,non ſenſu præditis,ſed concurrentibus temere atq; caſu mundum eſ‑ſe perſectum,uel innumerabiles potius in omni puncto temporis alios naſci, alios interire? Quod ſi mundum efficere poteſt cõcurſus atomorum,cur por‑ticum,cur templum,cur domum,cur urbem non poteſt, quæ ſunt minus ope‑roſa,& multo quidem faciliora? Certe ita temere de mundo effutiunt,ut mihi quidem nunquam hunc admirabilem cœli ornatũ,qui locus eſt proximus,ſu

» ſpexiſſe uideantur. Præclare ergo Ariſtoteles. Si eſſent,inquit, qui ſub terra
» ſemper habitauiſſent bonis & illuſtribus domicilijs, quæ eſſent ornata ſi‑
» gnis atq; picturis,inſtructaq́; rebus his omnibus,quibus abũdãt hi,qui bea‑
» ti putantur,nec tamen exiſſent unq̃ ſupra terrã,accepiſſent autem fama & au
» ditione eſſe quoddam numen & uim deorum: deinde aliquo tẽpore patefa‑
» ctis terræ faucibus ex illis abditis ſedibus euadere in hæc loca quæ nos incoli
» mus,atq; exire potuiſſent,quum repente terram & maria cœlumq́; uidiſſent,
» nubiũ magnitudinẽ,uentorumq́; uim cognouiſſent,aſpexiſſentq́; ſolẽ,eiusq́;
» cũ magnitudinẽ pulchritudinemq́;,tum etiam efficientiã cognouiſſent,quòd
» is diem efficeret,toto cœlo luce diffuſa,quum autẽ terras nox opacaſſet,tũ cœ
» lum totum cernerẽt aſtris diſtinctum & ornatũ,lunæq́; luminũ uarietatem,
» cum creſcentis,tum ſeneſcẽtis,eorumq́; omnium ortus & occaſus,atq; in om‑
» ni æternitate ratos immutabilesq́; curſus. Hæc quum uiderent profecto & eſ‑
» ſe deos,& hæc tanta opera deorum eſſe arbitrarentur. Atq; hæc quidem ille.

Nos autem tenebras cogitemus tãtas, quantę quodã eruptione Aetnęorum ignium finitimas regiones obſcurauiſſe dicuntur,ut per biduum nemo homi nem homo agnoſceret: quum autem tertio die ſol illuxiſſet,tum ut reuixiſſe ſi bi uiderẽtur. Quod ſi hoc idem ex æternis tenebris contingeret,ut ſubito lucẽ aſpiceremus,quænam ſpecies cœli uideretur? Sed aſſiduitate cotidiana,& cõ ſuetudine oculorum aſſueſcunt animi,neq; admirantur,neq; requirunt ratio‑nes earum rerum,quas ſemper uident,proinde quaſi nouitas nos magis q̃ ma gnitudo rerum debeat ad exquirendas cauſas excitare. Quis enim hunc homi nem dixerit,qui quum tam certos cœli motus, tam ratos aſtrorum ordines, tãq; inter ſe omnia connexa & apta uiderit,neget in his ullam ineſſe rationẽ, eaq; caſu fieri dicat, quæ quanto conſilio gerantur,nullo cõſilio aſſequi poſſu mus? An cum machinatione quadã moueri aliquid uidemus,ut ſphæram, ut horas,ut alia permulta,nõ dubitamus quin illa opera ſint rationis,quum au‑tem impetum cœli cũ admirabili celeritate moueri uertiq́; uideamus,conſtã‑tiſſime conficientem uiciſſitudines anniuerſarias,cum ſumma ſalute & conſer uatione rerum omniũ,dubitamus quin ea nõ ſolum ratione fiant,ſed etiã ex‑cellenti diuinaq́; ratione? Licet enim iam remota ſubtilitate diſputandi,ocu‑lis quodammodo contẽplari pulchritudinem rerum earum,quas diuina pro‑uidẽtia dicimus cõſtitutas. Ac principio terra uniuerſa cernatur locata in me‑dia ſede mundi,ſolida & globoſa,& undique ipſa in ſeſe nutibus ſuis conglo bata,ueſtita floribus,herbis,arboribus,frugibus. Quorum omnium incredi‑bilis multitudo inſatiabili uarietate diſtinguitur. Adde huc fontium geli‑

das perennitates, liquores perlucidos amnium, riparum ueſtitus uiridiſſimos, ſpeluncarum concauas altitudines, ſaxorum aſperitates, impendentium montium altitudines, immenſitatesq́ camporũ. Adde etiam recõditas auri argentiq́ uenas, infinitamq́ uim marmoris. Quæ uero & quàm uaria genera beſtiarum uel cicurum uel ferarum? qui uolucrum lapſus atque cantus? qui pecudum paſtus? quæ uita ſylueſtrium? Quid iam de hominum genere dicam, qui quaſi cultores terræ conſtituti non patiuntur eam nec immanitate beluarum efferari, nec ſtirpium aſperitate uaſtari, quorumq́ operibus, agri, inſulę, littoraq́ collucent diſtincta tectis & urbibus? Quę ſi ut animis, ſic oculis uidere poſſemus, nemo cunctam intuens terram de diuina ratione dubitaret. At uero quanta maris eſt pulchritudo? quæ ſpecies uniuerſi? quæ multitudo & uarietas inſularum? quæ amœnitates orarum ac littorum? quot genera q̃q́ diſparia partim ſubmerſarum, partim fluitantium & innantium beluarum, partim ad ſaxa natiuis teſtis inhęrentium? Ipſum autem mare ſic terram appetens littoribus cludit, ut una ex duabus naturis conflata uideatur. Exin mari finitimus aer die & nocte diſtinguitur. Isq́ tum fuſus & extenuatus ſublime fertur, tum autem cõcretus in nubes cogitur, humoremq́ colligens terram auget imbribus, tum effluens huc & illuc, uentos efficit. Idem annuas frigorum & calorum facit uarietates. Idemq́ & uolatus alitum ſuſtinet, & ſpiritus ductus alit & ſuſtentat animantes. Reſtat ultimus, & à domicilijs noſtris altiſſimus, omnia cingens & coercens cœli complexus, qui idem Aether uocatur, extrema ora & determinatio mundi: in quo cum admirabilitate maxima igneæ formæ curſus ordinatos definiunt. E quibus ſol cuius magnitudine multis partibus terra ſuperatur, circum eam ipſam uoluitur, isq́ oriens & occidens diem noctemq́ conficit. Et modo accedens, tum autem recedens binas in ſingulis annis reuerſiones ab extremo cõtrarias facit: quarum in interuallo, tum quaſi triſtitia quadam contrahit terram, tum uiciſſim lætificat, ut cum cœlo hilarata uideatur. Luna autem quę eſt (ut oſtẽdunt mathematici) maior q̃ dimidia pars terrę, iiſdem ſpatijs uagatur quibus ſol: ſed tum cõgrediens cum ſole, tum digrediens, & eam lucem quam à ſole accepit, mittit in terras, & uarias ipſa lucis mutationes habet. Atq́ etiam tum ſubiecta atq́ oppoſita ſoli, radios eius & lumen obſcurat, tum ipſa incidens in umbrã terrę, quum eſt è regione ſolis, interpoſitu interiectuq́ terrę, repente deficit. Iiſdemq́ ſpatijs eę ſtellæ quas uagas dicimus, circum terram feruntur, eodemq́ modo oriuntur & occidunt: quarum motus tum incitantur, tum retardãtur, ſępe etiam inſiſtunt: quo ſpectaculo nihil poteſt admirabilius eſſe, nihil pulchrius. Sequitur ſtellarum inerrantium maxima multitudo, quarum ita deſcripta diſtinctio eſt, ut ex notarum figurarum ſimilitudine nomina inuenerint. Atque hoc loco me intuens, Vtar, inquit, carminibus Arati, eis quæ à te admodum adoleſcentulo conuerſa, ita me delectant quia latina ſunt, ut multa ex iis memoria teneam. Ergo ut oculis aſſidue uidemus, ſine ulla mutatione aut uarietate

Cetera labuntur celeri cœleſtia motu,
Cum cœloq́ ſimul noctesq́ diesq́ feruntur.

Quorum contemplatione nullius expleri poteſt animus naturæ conſtantiam uidere cupientis.

Extremusq́

Extremuſq; adeo duplici de cardine uertex **Dicitur eſſe Polus,**

Hunc circum ἄρκτοι duæ feruntur, nunꝗ occidentes.

Ex his altera apud Graios Cynoſura uocatur,

Altera dicitur eſſe Helice.

Cuius quidem clariſſimas ſtellas, totis noctibus cernimus

Quas noſtri ſeptem ſoliti uocitare triones.

Paribuſq; ſtellis ſimiliter diſtinctis eundem cœli uerticem luſtrat parua Cynoſura.

Hac fidunt duce nocturna Phœnices in alto,

Sed prior illa magis ſtellis diſtincta refulget,

Et late prima confeſtim à nocte uidetur.

Hæc uero parua eſt, ſed nautis uſus in hac eſt,

Nam curſu interiore breui conuertitur orbe.

Et quo ſit earum ſtellarum admirabilior aſpectus.

Has inter ueluti rapido cum gurgite flumen

Toruus Draco ſerpit ſubter ſuperaq; reuoluens

Seſe, conficienſq; ſinus è corpore flexos.

Eius cum totius eſt præclara ſpecies, in primis aſpicienda eſt figura capitis atque ardor oculorum.

Huic non una modo caput ornans ſtella relucet,

Verum tempora ſunt duplici fulgore notata.

E trucibuſq; oculis duo feruida lumina flagrant.

Atq; uno mentum radianti ſydere lucet,

Obſtipum caput & tereti ceruice reflexum,

Obtutum in cauda maioris figere dicas.

Et reliquum quidem corpus Draconis totis noctibus cernimus,

Hoc caput hic paulum ſeſe ſubitoq; recondit,

Ortus ubi atq; obitus partim admiſcetur in una. **Id autem caput**

Attingens deſeſſa uelut mœrentis imago **Vertitur.**

Quam quidem Greci

Engonaſin uocitant, genibus quia nixa feratur.

Hic illa eximio poſita eſt fulgore Corona.

Atq; hæc quidem à tergo, propter caput autem Anguitenens,

Quem claro perhibent ὀφιοῦχον nomine Graij.

Hic preſſu duplici palmarum continet anguem,

Eius & ipſe manet religatus corpore torto.

Nanq; uirum medium ſerpens ſub pectora cingit.

Ille tamen nitens grauiter ueſtigia ponit,

Atq; oculos urget pedibus, pectuſq; Nepai.

Septentriones autem ſequitur

Arctophylax uulgo qui dicitur eſſe Bootes,

Quod quaſi temone adiunctam præ ſe quatit arctum.

Dein quæ ſequuntur. Huic enim Booti **Subter præcordia fixa uidetur**

Stella micans radijs Arcturus nomine claro. **Cuius ſubiecta fertur,**

Spicum illuſtre tenens ſplendenti corpore Virgo.

Atq; ita demetata ſigna ſunt, ut in tantis deſcriptionibus diuina ſolertia appareat.

Et natos geminos inuiſes ſub caput arcti,
Subiectus media eſt cancer,pedibusq́ꝫ tenetur
Magnu' Leo tremulam quatiẽs e corpore flammam,
Auriga,
Sub læua Geminorum obductus parte feretur.
Aduerſum caput huic Helice truculenta tuetur,
At capra læuum humerum claro obtinet,
Tum quæ ſequuntur,
Verum hæc eſt magno atqꝫ illuſtri prædita ſigno.
Contra Hœdi exiguum iaciunt mortalibus ignem,
Cuius ſub pedibus
Corniger eſt ualido connexus corpore Taurus.

Eius caput ſtellis conſperſum eſt frequentibus,
Has Græci ſtellas Hyadas uocitare ſuerunt,

à pluẽdo: ὕειν enim eſt pluere: noſtri imperite Suculas: quaſi à ſuibus eſſent non ab imbribus nominatæ. Minorem autem ſeptentrionem Cepheus paſſis palmis terga ſubſequitur,

Nanqꝫ ipſum ad tergum Cynoſuræ uertitur arcti.
Hunc antecedit

Obſcura ſpecie ſtellarum Caſſiepia,
Hanc autem illuſtri uerſatur corpore propter.
Andromeda aufugiens aſpectum mœſta parentis,
Huic Equus ille iubam quatiens fulgore micanti
Summum contingit caput aluo,ſtellaq́ꝫ iungens
Vna,tenet duplices communi lumine formas.
Aeternum ex aſtris cupiens connectere nodum,
Quem propter,
Exin contortis Aries cum cornibus heret,
Piſces,quorum alter paulum prælabitur ante,
Et magis horriferis aquilonis tangitur auris.

Ad pedes Andromedæ Perſeus deſcribitur,
Quem ſumma ab regione aquilonis flamina pulſant,
At propter leuum genus omni ex parte locatas
Paruas Vergilias tenui cum luce uidebis,
Inde Fides leuiter poſita & connexa uidetur,
Inde eſt ales auis lato ſub tegmine cœli,

Capiti autẽ Equi proximat Aquarij dextra,totusq́ꝫ deinceps aquarius,
Tum gelidum ualido de pectore frigus anhelans
Corpore ſemifero magno Capricornus in orbe,
Quem quum perpetuo ueſtiuit lumine Titan
Brumali flectens contorquet tempore currum

Hinc autem aſpicitur,
Vt ſeſe oſtendens emergit Scorpius alte,
Poſteriore trahens flexum ui corporis arcum,
Quem propter nitens pennis conuoluitur ales.
At propter ſe Aquila ardenti cum corpore portat

Deinde Delphinus,
Exinde Orion obliquo corpore nitens,

Quem ſubſequens
Feruidus ille canis ſtellarum luce refulget.

Poſt Lepus ſubſequitur
Curriculum nunq̃ defeſſo corpore ſedans.

At Canis ad caudam ſerpens prolabitur Argo.
Hanc Aries tegit & ſquamoſo corpore Piſces,
Fluminis illuſtri tangentem corpore ripas.
Quam longe ſerpentem & manantem
Aſpicies,proceraq́ȝ uincla uidebis
Quæ retinent Piſces caudarum à parte locata.
Inde Nepæ cernes propter fulgentis acumen
Aram,quam flatu permulcet ſpiritus auſtri.
Propter quæ Centaurus
Cedit Equi partis properans ſubmergere Chelis.
Hic dextram porgens,quadrupes qua uaſta tenetur,
Tendit,& illuſtrem truculentus cædit ad aram.
Hic ſeſe infernis è partibus erigit hydra,
Cuius longe corpus eſt fuſum.
In medioq́ȝ ſinu fulgens cratera relucet.
Extremam nitens plumato corpore coruus,
Roſtro tundit & hic,geminis eſt ille ſub ipſis
Ante canem,Procyon Graio qui nomine fertur.

Hæc omnis deſcriptio ſyderum, atqȝ hic tantus cœli ornatus, ex corporibus huc & illuc caſu & temere curſantibus,potuiſſe effici cuiquam ſano uideri poteſt? Aut uero alia quæ natura mentis & rationis expers hæc efficere potuit, quæ non modo ut fierent, ratione eguerunt, ſed intelligi qualia ſint ſine ſumma ratione non poſſunt? Nec uero hæc ſolum admirabilia: ſed nihil maius,quàm quod ita ſtabilis eſt mũdus, atque ita cohæret ad permanendũ, ut nihil ne excogitari quidem poſſit aptius. Omnes enim partes eius undiqȝ medium locum capeſſentes nituntur æqualiter. Maxime autem corpora inter ſe iuncta permanent, quum quaſi quodam uinculo circundato colligantur: quod facit ea natura,quæ per omnem mundum omnia mente & ratione conficiens funditur,& ad medium rapit, & conuertit extrema. Quocirca ſi mundus globoſus eſt,ob eamq́ȝ cauſam omnes eius partes undiqȝ æquabiles ipſæ per ſe atque inter ſe continẽtur,contingere idem terræ neceſſe eſt,ut omnibus eius partibus in medium uergentibus (Id autem medium infimum in ſphæra eſt) nihil interrumpat,quo labefactari poſſit tanta contentio grauitatis & ponderum. Eademq́ȝ ratione mare quum ſupra terram ſit, medium tamen terræ locum expetens, conglobatur undiqȝ æquabiliter, neqȝ redundat unquam,neque effunditur. Huic autem continens aer fertur ille quidem leuitate ſublimi,ſed tamen in omnes parte ſe ipſe fundit. Itaqȝ & mari continuatus & iunctus eſt,& natura fertur ad cœlum,cuius tenuitate & calore temperatus uitalem & ſalutarem ſpiritum præbet animantibus. Quem complexa ſũma pars cœli quę Aethra dicitur,& ſuũ retinet ardorẽ tenuem,& nulla admixtione cõcretũ,& cum aeris extremitate coniũgitur. In ęthere autem aſtra uoluuntur,quę ſe & nixu ſuo globata cõtinent,& forma ipſa figuraq́ȝ ſua momẽta ſuſtẽtant. Sunt enim rotũda: quibus formis ut ante dixiſſe uideor, minime noceri poteſt. Sunt aũt ſtellæ natura flãmeæ, quocirca terræ, maris, aquarũ uaporibus alũtur his,qui à ſole ex agris tepefactis,& ex aquis excitantur, q̃bus altæ renouatæq́ȝ ſtellæ atqȝ oĩs ęther refundũt eadẽ,& rurſũ trahũt in-

didem,nihil ut ferè intereat,aut admodum paulum, quod áſtrorum ignis & ætheris flamma conſumat.Ex quo euenturum noſtri putãt id, de quo Panętium addubitare dicebant,ut ad extremum omnis mundus igneſceret,quum humore conſũpto,neq; terra ali poſſet,nec remearet aer,cuius ortus aqua omni exhauſta eſſe non poſſet: ita relinqui nihil preter ignem: à quo rurſum animante,ac deo renouatio mũdi fieret,atq; idem ornatus oriretur. Nolo in ſtellarum ratione multus uobis uideri, maximeq; earum quæ errare dicuntur, quarum tantus eſt cõcentus ex diſſimillimis motibus,ut quũ ſumma Saturni refrigeret,media Martis incendat,his interiecta Iouis illuſtret & temperet, infraq; Martem duæ Soli obediãt, ipſe Sol mundum omnẽ ſua luce compleat,ab eoq; luna illuminata grauiditates & partus afferat,maturitatesq; gignẽdi. Quæ copulatio rerum,& quaſi conſentiens ad mundi incolumitatem, coagmentatio naturæ,quem non mouet, hũc horum nihil unq̃ reputauiſſe certo ſcio. Age ut à cœleſtibus rebus ad terreſtres ueniamus,quid eſt in his, in quo non naturæ ratio intelligentis appareat? Principio eorum quæ gignuntur è terra ſtirpes & ſtabilitatem dant ijs quæ ſuſtinentur,& è terra ſucũ trahunt,quo alãtur ea,quæ radicibus continentur,obducunturq; libro aut cortice trunci,quo ſint à frigoribus,& caloribus tutiores. Iam uero uites ſic clauiculis adminicula tanquam manibus apprehendunt,atq; ſe ita erigunt ut animantes: quinetiam à caulibus braſſicis ſi propter ſati ſint,ut à peſtiferis & nocentibus refugere dicuntur,nec eos ulla ex parte contingere. Animantium uero quanta uarietas eſt? quanta ad eam rem uis,ut in ſuo quæq; genere permaneant? Quarũ alię corijs tectæ ſunt,aliæ uillis ueſtitæ,alię ſpinis hirſutę: pluma alias,alias ſquama uidemus obductas,alias eẽ cornibus armatas,alias habere effugia pennarum. Paſtum autem animantibus large & copioſe natura eum qui cuiq; aptus erat comparauit. Enumerare poſſum ad eum paſtum capeſſendũ conficiendumq; quę ſit in figuris animantium,& q̃ ſolers ſubtilisq; deſcriptio partium,q̃q; admirabilis fabrica membrorum. Omnia enim,quę quidem intus incluſa ſunt,ita nata atq; ita locata ſunt,ut nihil eorum ſuperuacaneum ſit,nihil ad uitam detinendam non neceſſarium. Dedit autem eadem natura beluis & ſenſum & appetitum,ut altero conatum haberent ad naturales paſtus capeſſendos,altero ſecernerẽt peſtifera à ſalutaribus. Iam uero alia animalia gradiẽdo,alia ſerpẽdo ad paſtũ accedunt,alia uolando, alia nando: cibumq; partim oris hiatu & dentibus ipſis capeſſunt,partim unguium tenacitate arripiunt,partim aduncitate roſtrorũ: alia ſugunt,alia carpunt,alia uorant,alia mandunt. Atq; etiam aliorum ea eſt humilitas,ut cibum terreſtrem roſtris facile contingant: quę autem altiora ſunt,ut anſeres,ut cygni,ut grues, ut cameli,adiuuantur proceritate collorum. Manus etiã data elephanto, quia propter magnitudinem corporis difficiles aditus habebat ad paſtum. At quibus beſtijs erat is cibus,ut alius generis eſcis ueſcerẽtur,aut uires natura dedit, aut celeritatẽ: data eſt quibuſdã etiam machinatio quędam atq; ſolertia,ut in araneolis,alię quaſi rete texunt,ut ſi quid inhęſerit conficiant,alię autem ut ex inopinato obſeruant,& ſi quid incidit arripiunt,idq; conſumunt. Pina uero (ſic enim gręce dicitur) duabus grandibus patula conchis cum parua ſquilla quaſi ſocietatem coit comparandi cibi. Itaque quum piſciculi parui in concham hiantem innatauerint,tum admonita à ſquilla Pina morſu cõprimit cõ

chas

chas: ſic diſſimillimis beſtiolis communiter cibus quæritur. In quo admirandum eſt, congreſſúne aliquo inter ſe, an iam inde ab ortu naturæ ipſe congregatæ ſint. Eſt etiam admiratio nõnulla in beſtijs aquatilibus, his quæ gignũtur in terra, ueluti crocodili, fluuiatilesq́ teſtudines, quædamq́ ſerpentes ortæ extra aquam, ſimulac primum niti poſſunt, aquam perſequuntur. Quinetiam anatum oua gallinis ſæpe ſupponimus, é quibus pulli orti primo aluntur ab ijs ut à matribus, à quibus excluſi fotiq́ ſunt: deinde eas relinquunt, & eſfugiunt, ſequentes cum primum aquã, quaſi naturalem domũ uidere potuerunt: tantam ingenuit animantibus conſeruandi ſui natura cuſtodiam. Legi etiam ſcriptum eſſe auem quandam, quæ Platalea nominaretur, eam ſibi cibum quærere aduolantem ad eas aues: quæ in mari mergerent, quæ quum emerſiſſent, piſcemq́ cepiſſent, uſq́ eo' premere earum capita mordicus, dum illæ captum amitterent, id quod ipſa inuaderet. Eademq́ hęc auis ſcribitur cõchis ſe ſolere complere, easq́ quum ſtomachi calore concoxerit euomere, atq́ ita eligere ex ijs quæ ſunt eſculenta. Ranę autem marinæ dicuntur obruere ſeſe arena ſolere, & moueri prope aquam: ad quas quaſi ad eſcam piſces quum acceſſerint, confici à ranis atq́ conſumi. Miluo eſt quoddam bellum quaſi naturale cum coruo. Ergo alter alterius ubicunq́ nactus eſt oua, frãgit. Illud uero ab Ariſtotele animaduerſum, à quo pleraq́, quis poteſt non mirari? Grues quum loca calidiora petentes maria tranſmittant, trianguli efficere formam: eius autem ſummo angulo aer ab ijs aduerſus pellitur: deinde ſenſim ab utroq́ latere tanquam remis, ita pennis curſus auium leuatur. Baſis autem trianguli, quam efficiunt grues, ea tanquam à puppi uentis adiuuatur, eæq́ in tergo præuolantium colla & capita reponunt. Quod quia ipſe dux facere non poteſt, quia non habet ubi nitatur, reuolat ut ipſe quoq́ quieſcat. In eius locum ſuccedit ex ijs quæ adquierunt, eaq́ uiciſſitudo in omni curſu conſeruatur. Multa eiuſmodi proferre poſſum, ſed genus ipſum uidetis. Iam uero illa etiam notiora, quanto ſe opere cuſtodiant beſtiæ, ut in paſtu circunſpectẽt, ut in cubilibus delitéſcãt. Atque illa mirabilia, quid ea quæ nuper, ideſt paucis ante ſeculis medicorum ingenijs reperta ſunt, uomitione ca*nes, purgante autem aluos ibes Aegyptiæ curant. Auditum eſt pantheras, quę in barbaria uenenata carne caperentur, remedium quoddam habere, quo cum eſſent uſę non morerentur. Capras autem in Creta feras quum eſſent cõfixę uenenatis ſagittis, herbam quærere quę Dictamnus uocaretur, quam quum guſtauiſſent, ſagittas excidere dicũt é corpore. Ceruęq́ pauló ante partum perpurgant ſe quadam herbula, quæ Seſelis dicitur. Iam illa cernimus, ut contra uim & metum ſuis ſe armis quęq́ defendat, cornibus tauri, apri dentibus, morſu leones: alię fuga ſe, alię occultatione tutantur, atramenti effuſione ſepię, torpore torpedines: multę etiam inſectantes odoris intolerabili fœditate depellunt. Vt uero perpetuus mundi eſſet ornatus, magna adhibita cura eſt à prouidentia deorum, ut ſemper eſſent & beſtiarum genera & arborum, omniumq́ rerum quę altę aut radicibus à terra, aut ſtirpibus continerentur. Quę quidem omnia eam uim ſeminis habent in ſe, ut ex uno plura generentur: idq́ ſemen incluſum eſt in intima parte earum baccarum quæ ex quaque ſtirpe funduntur, ijſdemq́ ſeminibus & homines aſſatim ueſcuntur, & terrę eiuſdem generis ſtirpium renouatione complentur.

Quid loquar quanta ratio in beſtijs ad perpetuam conſeruationem earum generis appareat? Nam primum, aliæ mares, aliæ fœminæ ſunt, quod perpetuitatis cauſa machinata natura eſt. Deinde partes corporis & ad procreandum, & ad concipiendum aptiſſimę, & in mare & in fœmina commiſcendorum corporum mirę libidines. Quum autem in locis ſemen inſedit, rapit omnem ferè cibum ad ſeſe, eoq́ꝫ ſeptum fingit animal. Quod quum ex utero elapſum excidit, in ijs animãtibus quę lacte aluntur, omnis ferè cibus matrum lacteſcere incipit: eaq́ꝫ quæ pauloante nata ſunt, ſine magiſtro duce natura mãmas appetunt, earumq́ꝫ ubertate ſaturantur. Atqꝫ ut intelligamus nihil horum eſſe fortuitum, & hæc omnia eſſe opera prouidæ ſolertisq́ꝫ naturæ, quæ multiplices fœtus procreant, ut ſues, ut canes, his mammarum data eſt multitudo, quas eaſdem paucas habent hæ beſtiæ, quæ pauca gignunt. Quid dicã quantus amor beſtiarum ſit in educandis cuſtodiendisq́ꝫ ijs quæ procreauerunt, uſqꝫ ad eum finem, dum poſſint ſe ipſa defendere? Et ſi piſces ut aiunt, oua quum genuerunt relinquunt. Facile enim illa aqua & ſuſtinentur, & fœtum fundunt. Teſtudines autem & crocodilos dicunt, quum in terra partum ediderint, obruere oua, deinde diſcedere: ita & naſcuntur & educantur ipſa per ſeſe. Iam gallinæ auesq́ꝫ reliquæ & quietum requirunt ad pariendum locum, & cubilia ſibi nidosq́ꝫ conſtruunt, eosq́ꝫ q̃ poſſunt molliſſime ſubſternunt, ut q̃ facillime oua ſeruentur: è quibus pullos quum excuderint, ita tuentur, ut & pennis foueant, ne frigore lædantur, & ſi eſt calor à ſole, ſe opponãt. Quum autem pulli pennulis uti poſſunt, tum uolatus eorum matres proſequuntur, reliqua cura liberantur. Accedit etiam ad nonnullorum animantiũ, & earum rerum quas terra gignit conſeruationem, & ſalutem, hominum etiam ſolertia & diligentia. Nam multæ & pecudes & ſtirpes ſunt, quæ ſine procuratione hominum, ſaluæ eſſe non poſſunt. Magnæ etiam opportunitates ad cultum hominum atqꝫ abundantiam, aliæ alijs in locis reperiuntur.

Aegyptum Nilus irrigat, & quum tota æſtate obrutã oppletamq́ꝫ tenuit, tũ recedit, mollitosq́ꝫ & oblimatos agros ad ſerendum relinquit. Meſopotamiam fertilem efficit Euphrates, in quam quotannos quaſi nouos agros inuehit. Indus uero, qui eſt omnium fluminum maximus, non aqua ſolum agros lętificat & mitigat, ſed eos etiam conſerit. Magnam enim uim ſeminum ſecum frumenti ſimilium dicitur deportare. Multaq́ꝫ alia in alijs locis commemorabilia proferre poſſum, multos fertiles agros, alios aliorum fructuum. Sed illa quanta benignitas naturæ, quód tam multa ad ueſcẽdum, tam uaria, & tam iucunda gignit? neqꝫ ea uno tẽpore anni, ut ſemper & nouitate delectemur & copia. Qꝫ tempeſtiuos autem dedit, q̃ ſalutares nõ modo hominum, ſed etiam pecudum generi: ijs deniqꝫ omnibus quæ oriuntur è terra, uentos Eteſias, quorum flatu nimij temperantur calores, ab ijſdem etiam maritimi curſus celeres & certi diriguntur. Multa prætereunda ſunt, & tamen multa dicuntur. Enumerari enim non poſſunt fluminum opportunitates, æſtus maritimi multum accedentes & recedentes: montes ueſtiti atqꝫ ſyluestres: ſalinæ ab ora maritima remotiſſimę: medicamentorum ſalutariũ pleniſſimæ terræ: artes deniqꝫ innumerabiles ad uictum & ad uitam neceſſariæ. Iã diei noctisq́ꝫ uiciſſitudo conſeruat animãtes, tribuens aliud agendi tẽpus, aliud quieſcendi. Sic undiqꝫ omni ratione concluditur, mente conſilioq́ꝫ,

diuino

diuino omnia in hoc mundo,ad ſalutem omnium conſeruationemq́ admira-
biliter adminiſtrari. Sin quærat quiſpiam,cuiuſnam cauſa tantarum rerum
molitio facta ſit,arborúmne & hęrbarum,quæ quanquam ſine ſenſu ſunt,ta-
men à natura ſuſtinentur? At id quidem abſurdum eſt. An beſtiarum? Nihi
lo probabilius,deos mutarum & nihil intelligentium cauſa tãtum laboraſſe.
Quorum igitur cauſa quis dixerit effectum eſſe mundum? Eorum ſcilicet ani
mantium,quæ ratione utuntur. Hi ſunt dij & homines, quibus profecto ni-
hil eſt melius. Ratio eſt enim quę pręſtet omnibus. Itaq; fit credibile, deorũ
& hominum cauſa factum eſſe mundum,quęq́ in eo mundo ſint omnia. Faci
liusq́ intelligitur,à dijs immortalibus hominibus eſſe prouiſum,ſi erit tota
hominis fabricatio pſpecta,omnisq́ humanæ naturæ figura atq; perfectio.
Nam quum tribus rebus animantium uita teneatur,cibo,potione,ſpiritu, ad
hæc omnia percipienda os eſt aptiſſimum,quod adiunctis naribus ſpiritu au-
getur. Dentibus autem in ore conſtructis mãditur,atq; ab his extenuatur &
mollitur cibus. Eorum aduerſi acuti morſu diuidunt eſcas,intimi autem confi
ciunt,qui Genuini uocantur: quæ confectio etiam à lingua adiuuari uidetur.
Linguam autem ad radices eius hærens excipit ſtomachus,quo primũ illa-
buntur ea quę accepta ſunt: oris utraq; ex parte tonſillas attingens,palato ex
tremo atq; intimo terminatur. Atq; is agitatione & motibus linguę quũ de-
pulſum & quaſi detruſum cibum accepit,depellit. Ipſius autem partes eæ quę
ſunt infra id quod deuoratur,dilatantur,quę autem ſupra,contrahuntur. Sed
quum aſpera arteria(ſic enim à medicis appellatur) oſtium habeat adiũctũ
linguæ radicibus,paulò ſupra quàm ad linguam ſtomachus annectitur, eaq́
ad pulmones uſque pertineat,excipiátque animam,eam,quę ducta ſit ſpiritu
eandẽq́ à pulmonibus reſpiret & reddat, tegitur quodam quaſi operculo:
quod ob quam cauſam datum eſt,ne ſiquid in eam cibi forte incidiſſet, ſpiri-
tus impediretur. Sed quum alui natura ſubiecta ſtomacho,cibi & potionis
ſit receptaculum,pulmones autem & cor extrinſecus ſpiritum ducant,in aluo
multa ſunt mirabiliter effecta,quæ conſtãt ferè è neruis. Eſt autem multiplex
& tortuoſa, arcetq́ & continet,ſiue illud aridum eſt ſiue humidum,quod re-
cipit,ut id mutari & concoqui poſſit: eáque tum aſtringitur,tum relaxatur,
atque omne quod accipit,cogit & confundit,ut facile & calore quem multũ
habet exterendo cibo,& præterea ſpiritu omnia cocta atq; confecta,in reli
quum corpus diuidantur. In pulmonibus autem ineſt raritas quædam & aſſi
milis ſpongijs mollitudo,ad hauriendum ſpiritum aptiſſima: qui tum ſe con-
trahunt aſpirantes, tum in reſpiritu dilatant,ut frequenter ducatur cibus ani
malis,quo maxime aluntur animantes. Ex inteſtinis autem & aluo ſecretus à
reliquo cibo ſucus is quo alimur,permanat ad iecur per quaſdam à medio in-
teſtino uſque ad portas iecoris (ſic enim appellant) ductas & directas uias,
quæ pertinẽt ad iecur,eiq́ adhærent. Atq; inde alię pertinẽtes ſunt, per quas
cadit cibus à iecore delapſus. Ab eo cibo quum eſt ſecreta bilis, ijq́ humores
qui è renibus profunduntur,reliqua ſe in ſanguinẽ uertunt,ad eaſdemq́ por-
tas iecoris confluunt,ad quas oẽs eius uiæ pertinent: per quas lapſus cibus ex
hoc ipſo loco in eam uenam quæ Caua appellatur,confunditur,perq́ eam ad
cor confectus iam coactusq́ perlabitur. À corde autem in totum corpus di-
ſtribuitur per uenas admodum multas,in omnes partes corporis pertinen-

tes. Quemadmodum autem reliquiæ cibi depellantur, tum aſtringentibus ſe inteſtinis, tum relaxantibus, haud ſanè difficile dictu eſt: ſed tamen præter-
eundum eſt, ne quid habeat iniucunditatis oratio. Illa potius explicetur incre
dibilis fabrica naturæ. Nam quæ ſpiritu in pulmones anima ducitur, ea cale-
ſcit primum ipſo ab ſpiritu, deinde contagione pulmonum, ex eaꝗ pars red-
ditur reſpirando, pars concipitur cordis parte quadam, quam Ventriculum
cordis appellant. Cui ſimilis alter adiunctus eſt, in quem ſanguis à iecore per
uenā illā cauā influit, eoꝗ modo ex his partibus & ſanguis per uenas in oē cor
pus diffundit, & ſpiritus per arterias. Vtraꝗ autē crebræ multæꝗ toto cor-
pore intextæ uim quandā incredibilem artificioſi operis diuiniꝗ teſtantur.
Quid dicam de oſſibus, quæ ſubiecta corpori mirabiles commiſſuras habēt,
& ad ſtabilitatem aptas, & ad artus finiendos accommodatas, & ad motum,
& ad omnem corporis actionem? Huc adde neruos, à quibus artus continen
tur, eorumꝗ implicationem corpore toto pertinentem: qui ſicut uenæ & ar-
teriæ à corde tractæ & profectæ in corpus omne ducuntur. Ad hanc proui-
dentiam naturæ tam diligentem, tamꝗ ſolertem, adiungi multa poſſunt, e
quibus intelligatur quātæ res hominibus à dijs, quamꝗ eximiæ tributæ ſint.
Quæ primum eos humo excitatos, celſos & erectos cōſtituit, ut deorum co-
gnitionem cœlum intuentes capere poſſent. Sunt enim ex terra homines, nō
ut incolæ atque habitatores, ſed quaſi ſpectatores ſuperarum rerum atꝗ cœ-
leſtium, quarum ſpectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet.
Senſus autem interpretes ac nuncij rerum, in capite tanquam in arce mirifice
ad uſus neceſſarios & facti & collocati ſunt. Nam oculi tanquam ſpeculato-
res altiſſimum locum obtinent, ex quo plurima conſpicientes, fungantur ſuo
munere. Et aures quum ſonum percipere debeāt, qui natura in ſublime fertur,
recte in altis corporum partibus collocatæ ſunt. Itemꝗ nares, & quod om-
nis odor ad ſupera fertur, recte ſurſum ſunt: & quòd cibi & potionis iudici-
um magnum earum eſt, non ſine cauſa uicinitatem oris ſecutæ ſunt. Iam guſta
tus qui ſentire eorum quibus ueſcimur genera deberet, habitat in ea parte
oris, qua eſculentis & potulentis iter natura pateſecit. Tactus autem toto cor
pore æquabiliter fuſus eſt, ut omnes ictus, omnesꝗ nimios & frigoris & calo
ris appulſus ſentire poſſimus. Atꝗ ut in ędificijs architecti auertunt ab oculis
naribusꝗ dominorum ea quæ profluentia neceſſario tetri eſſent aliquid ha-
bitura, ſic natura res ſimiles procul amandauit à ſenſibus. Quis uero opifex
præter naturam, qua nihil poteſt eſſe callidius, tantam ſolertiam perſequi po
tuiſſet in ſenſibus? quæ primum oculos membranis tenuiſſimis ueſtiuit & ſe-
pſit, quas primum perlucidas fecit, ut per eas cerni poſſet: firmas autem, ut cō
tinerentur. Sed lubricos oculos fecit & mobiles, ut & declinarent, ſi quid no-
ceret, & aſpectum quo uellent facile conuerterent. Aciesꝗ ipſa qua cernimus,
quæ pupula uocatur, ita parua eſt, ut ea quæ nocere poſſint facile uitet: palpe
bræꝗ quæ ſunt tegmenta oculorū molliſſimæ tactu ne læderent aciem aptiſ
ſime factæ, & ad claudēdas pupulas, nequid incideret, & ad aperiendas: idꝗ
prouidit ut idētidem fieri poſſet cum maxima celeritate. Munitæꝗ ſunt pal
pebræ tanquam uallo pilorum, quibus & apertis oculis ſi quid incideret re-
pelleretur, & ſomno conniuentibus, quum oculis ad cernendum non egere-
mus, ut qui tanquam inuoluti quieſcerent. Latent præterea utiliter, excelſis

undiꝗ

undiq; partibus ſepiũtur. Primũ enĩ ſuperiora ſupercilijs obducta ſudorẽ à capite & à fronte defluentem repellunt. Genæ deinde ab inferiore parte tutantur ſubiectæ, leuiterq; eminentes. Naſusq; ita locatus eſt, ut quaſi murus oculis interiectus eſſe uideatur. Auditus autem ſemper patet: eius enim ſenſu etiam dormientes egemus, à quo quum ſonus eſt acceptus, etiam è ſomno excitamur. Flexuoſum iter habet ne quid intrare poſſit, ſi ſimplex & directũ pateret. Prouiſum etiam, ut ſi qua minima beſtiola conaretur irrumpere, in ſordibus aurium tanquam in uiſco inhęreſceret. Extra autem eminent quæ appellantur aures, & tegendi cauſa factæ tutandiq; ſenſus, & ne adiectæ uoces laberentur atque errarent, prius quàm ſenſus ab his pulſus eſſet. Sed duros & quaſi corneolos habent introitus, multisq; cum flexibus, quod his naturis relatus amplificatur ſonus. Quocirca & in fidibus teſtudine reſonatur, aut cornu, & ex tortuoſis locis & incluſis referuntur ampliores. Similiter nares, quæ ſemper propter neceſſarias utilitates patent, cõtractiores habent introitus, ne quid in eas quod noceat poſſit peruadere, humoremq; ſemper habent ad puluerem, multaq; alia depellenda non inutilem. Guſtatus præclare ſeptus eſt: ore enim continetur, & ad uſum apte, & ad incolumitatis cuſtodiam. Omnisq; ſenſus hominum multo antecellit ſenſibus beſtiarum. Primum enim oculi in his artibus quarum iudicium eſt oculorum, in pictis, fictis cælatisq; formis, in corporum etiam motione atq; geſtu multa cernunt ſubtilius: colorum etiam & figurarum tum uenuſtatem atque ordinem, & (ut ita dicam) decentiam oculi iudicant, atque etiam alia maiora. Nam & uirtutes & uitia cognoſcunt, iratum, propitium, lætantem, dolentem, fortem, ignauum, audacem, timidumq; cognoſcunt. Auriumq; item eſt admirabile quoddam artificioſumq; iudicium, quo iudicatur & in uocis & in tibiarum neruorumq; cantibus uarietas ſonorum, interualla, diſtinctio, & uocis genera permulta, canorum fuſcum, leue aſperum, graue acutum, flexibile durum, quæ hominum ſolum auribus iudicantur. Nariumq; item & guſtandi, & arte tangendi magna iudicia ſunt, ad quos ſenſus capiendos & perfruendos plures etiam quàm uellem artes repertæ ſunt. Perſpicuum eſt enim quò compoſitiones unguentorum, quò ciborum cõditiones, quò corporum lenocinia proceſſerint. Iam uero animum ipſum, mentemq; hominis, rationem, conſilium, prudentiam, qui non diuina cura perfecta eſſe perſpicit, his ipſis rebus mihi uidetur carere, de quo dum diſputarem, tuam mihi dari uelim Cotta eloquentiam. Quo enim tu illa modo diceres? quanta primum intelligentia, deinde conſequentium rerum cum primis coniunctio & comprehenſio eſſet in nobis, ex quo uidelicet quid ex quibuſq; rebus efficiatur, idq; ratione concludimus, ſingulasq; res definimus, circunſcripteq; complectimur. Ex quo ſcientia intelligitur quam uim habeat, qualis ſit, qua ne in deo quidem eſt res ulla præſtantior. Quanta uero illa ſunt, quæ uos Academici infirmatis & tollitis, quod & ſenſibus & animo, ea quæ extra ſunt percipimus atq; comprehendimus? Ex quibus collatis inter ſe & cõparatis artes quoq; efficimus partim ad uſum uitæ, partim ad oblectationem neceſſarias. Iam uerò domina rerum (ut uos ſoletis dicere) eloquendi uis quàm eſt pręclara, quàmq; diuina? quę primum efficit, ut & ea, quæ ignoramus diſcere, & ea quæ ſcimus alios docere poſſimus. Deinde hac cohortamur, hac perſuademus, hac conſolamur afflictos,

hac deducimus perterritos à timore, hac geſtientes comprimimus, hac cupiditates iracundiasq́ reſtinguimus: hęc nos iuris, legum, urbium ſocietate deuinxit, hæc à uita immani & fera ſegregauit. At uſum autem orationis incredibile eſt, niſi diligenter attenderis, quanta opera machinata natura ſit. Primum enim à pulmonibus arteria uſq; ad os intimum pertinet, per quam uox principium à mente ducens, percipitur & funditur. Deinde in ore ſita lingua eſt finita dentibus, & ea uocem ĩmoderate profuſam fingit & terminat, quæ ſonos uocis diſtinctos & preſſos efficit, quum & ad dentes & ad alias partes pellit oris. Itaq; plectri ſimilem linguam noſtri ſolent dicere, chordarum dẽtes, nares cornibus his, qui ad neruos reſonant in cantibus. Q; uero aptas, quamq́ multarum artium miniſtras manus, natura homini dedit? Digitorum enim contractio facilis, facilisq́ porrectio propter molles commiſſuras, & artus nullo in motu laborat. Itaq; ad pingendum, fingendum, ad ſcalpendum, ad neruorum eliciendos ſonos, ad tibiarum, apta manus eſt admonitione digitorum. Atq; hęc oblectationis, illa neceſſitatis: cultus dico agrorum, extructionesq́ tectorum, tegumenta corporum, uel texta, uel ſuta, omnemq́ fabricam æris & ferri. Ex quo intelligitur adinuenta animo, percepta ſenſibus, adhibitis opificũ manibus omnia nos conſecutos, ut tecti, ut ueſtiti, ut ſalui eſſe poſſimus, urbes, muros, domicilia, delubra haberemus. Iam uero operibus hominum, id eſt manibus cibi etiam uarietas inuenitur & copia. Nam & agri multa ferunt manu quæſita, quæ uel ſtatim conſumantur uel mandentur condita uetuſtati: & præterea ueſcimur beſtijs & terrenis, & aquatilibus, & uolantibus, partim capiendo, partim alendo. Efficimus etiam domitu noſtro quadrupedum uectiones, quorũ celeritas, atq; uis nobis ipſis affert uim & celeritatem. Nos onera quibuſdam beſtijs, nos iuga imponimus, nos elephantorum acutiſſimis ſenſibus, nos ſagacitate canum ad utilitatem noſtram abutimur. Nos ex terrę cauernis ferrum elicimus, rem ad colendos agros neceſſariã. Nos æris, argenti, auri uenas penitus abditas inuenimus, & ad uſum aptas, & ad ornatum decoras. Arborum autem confectione, omniq́ materia, & culta & ſyluestri, partim ad calfaciendum corpus igni adhibito, & ad mitigandum cibum utimur, partim ad ædificandum, ut tectis ſepti frigora caloresq́ pellamus. Magnos uero uſus affert ad nauigia facienda, quorum curſibus ſuppeditantur omnes undiq; ad uitam copiæ: quasq́ res uiolentiſſimas natura genuit, earum moderationem nos ſoli habemus maris atq; uentorum propter nauticarũ rerum ſcientiam, plurimisq́ maritimis rebus fruimur atq; utimur. Terrenorum item commodorum omnis eſt in homine dominatus. Nos campis, nos montibus fruimur: noſtri ſunt amnes, noſtri lacus: nos fruges ſerimus, nos arbores, nos aquarum inductionibus terris fœcunditatem damus, nos flumina arcemus, dirigimus, auertimus: noſtris deniq; manibus in rerum natura, quaſi alteram naturam efficere conamur. Quid uero hominum ratio? non in cœlũ uſq; penetrauit? Soli enim ex animantibus nos, aſtrorum ortus, obitus, curſusq́ cognouimus. Ab hominum genere finitus eſt dies, menſis, annus, defectiones Solis & Lunæ cognitæ, prædicatæq́ in omne poſterum tempus, quæ, quantæ, quando futuræ ſint. Quæ contuens animus accipit ad cognitionem deorum, e qua oritur pietas, cui coniuncta iuſtitia eſt: reliquæq́ uirtutes, e quibus uita beata exiſtit, par & ſimilis deorũ, nulla

alia

alia re, niſi immortalitate: quæ nihil ad bene uiuendum pertinet, cedens cœleſtibus. Quibus rebus expoſitis, ſatis docuiſſe uideor, hominis natura quãto omnes anteiret animantes. Ex quo debet intelligi, nec figuram ſitúmq; membrorum, nec ingenij mentisq; uim talem effici potuiſſe fortuna. Reſtat ut doceam, atq; aliquando perorem, omnia quæ ſint in hoc mundo, quibus utantur homines, hominum cauſa facta eſſe, & parata. Principio ipſe mundus deorum hominumq; cauſa factus eſt, quæq; in eo ſunt, ea parata ad fructum hominum & inuenta ſunt. Eſt enim mundus quaſi communis deorum atque hominum domus aut urbs utrorumq;. Soli enim ratione utentes iure ac lege uiuunt. Vt igitur Athenas & Lacedæmonem Athenienſium Lacedemoniorúmque cauſa putandum eſt conditas eſſe, omniáq; quæ ſint in his urbibus eorum populorum recte eſſe dicuntur, ſic quęcunque ſunt in omni mũdo, deorum atque hominum putanda ſunt. Iam uero circuitus Solis & Lunę, reliquorumq; ſyderũ, quãquam etiam ad mundi cohęrentiam pertinent. tamen & ſpectaculum hominibus præbent. nulla eſt enim inſatiabilior ſpecies nulla pulchrior, & ad rationem ſolertiamq; præſtantior. Eorum enim curſus dimetati, maturitates temporum & uarietates mutatiões q; cognouimus: quæ ſi hominibus ſolis nota ſunt, hominum facta eſſe cauſa iudicandum eſt. Terra uero fœta frugibus, & uario leguminum genere, quæ cum maxima largitate ſundit, ea ferarúmne an hominum cauſa gignere uidetur? Quid de uitibus oliuetisq; dicam? quarum uberrimi lætiſſimiq; fructus, nihil omnino ad beſtias pertinent. Neque enim ſerendi, neque colendi, nec tempeſtiue demetendi percipiendiq; fructus, neque condendi, ac reponendi ulla pecudum ſcientia eſt: earumq; omnium rerum, hominum eſt & uſus & cura. Vt fides igitur & tibias eorum cauſa factas dicendum eſt, qui illis uti poſſent, ſic ea quę dixi, ijs ſolis confitendum eſt eſſe parata qui utuntur. Nec ſi quæ beſtiæ furantur aliquid ex his aut rapiunt, illarum quoq; cauſa ea nata eſſe dicimus. Neq; enim homines murium aut formicarum cauſa frumentum condunt, ſed coniugum, & liberorum, & familiarum ſuarum. Itaque beſtiæ furtim ut dixi fruuntur, domini palàm & libere: hominum igitur cauſa eas rerum copias comparatas fatendum eſt. Ni forte tanta ubertas, & uarietas pomorum, eorumq; iucundus non guſtatus ſolum, ſed odoratus etiam & aſpectus, dubitationem affert, quin hominibus ſolis ea natura donauerit, tantumq; abeſt ut hæc beſtiarum etiam cauſa parata ſint, ut ipſas beſtias hominum gratia generatas eſſe uideamus. Quid enim oues aliud afferunt, niſi ut earum uillis confectis atque contextis, homines ueſtiantur? quę quidem neque ali, neque ſuſtẽtari, neque ullum fructum edere ex ſe ſine cultu hominum & curatione potuiſſent. Canum uero tam fida cuſtodia, tamq; amans dominorum adulatio, tantumq; odium in externos, & tam incredibilis ad inueſtigandum ſagacitas narium, tanta alacritas in uenando, quid ſignificat aliud, niſi ſe ad hominum commoditates eſſe generatos? Quid de bubus loquar? quorum ipſa terga declarant non eſſe ſe ad onus accipiendum figurata, ceruices autem natæ ad iugum, tum uires humerorum & latitudines ad aratra extrahenda: quibus quum terræ ſubigerentur fiſſione glebarum ab illo aureo genere, ut poetæ loquuntur, uis nulla unquam afferebatur.

Ferrea tum uerò proles exorta repente eſt,

Auſaq; funeſtum prima eſt fabricarier enſem,
Et guſtare manu iunctum domitumq; iuuencum.

Tanta putabatur utilitas percipi è bubus, ut eorum uiſceribus ueſci ſcelus haberetur. Longum eſt Si mulorum perſequar utilitates & aſinorũ, quę certe ad hominum uſum paratę ſunt. Sus uero quid habet præter eſcam? cui quidem ne puteſceret, animam ipſam pro ſale datam dicit eſſe Chryſippus. Qua pecude quod erat ad ueſcendum hominibus apta, nihil genuit natura fœcundius. Quid multitudinem ſuauitatemq; piſcium dicam? quid auium? ex quibus tanta percipitur uoluptas, ut interdum Pronœa noſtra Epicurea fuiſſe uideatur. Atque hæ ne caperentur quidem niſi hominum ratione atq; ſolertia. quanq̃ aues quaſdam, & alites, & oſcines, ut noſtri augures appellant, rerum augurandarum cauſa natas eſſe putamus. Iam uero immanes & feras beluas nanciſcimur uenando, ut & ueſcamur his, & exerceamur in uenando ad ſimilitudinem bellicæ diſciplinæ, & utamur domitis & condocefactis, ut elephantis, multaq; ex earum corporibus remedia morbis & uulneribus eligamus: ſicut ex quibuſdam ſtirpibus & herbis, quarum utilitates longinqui tẽporis uſu & periclitatione percepimus. Totam licet animis tanquam oculis luſtrare terram, mariaq; omnia, cernes iam ſpatia frugifera atq; immenſa cãporum, ueſtitusq; dẽſiſſimos montium, pecudum paſtus, tum incredibili curſus maritimos celeritate. Nec uero tantum ſupra terram, ſed etiam in intimis eius tenebris plurimarum rerum latet utilitas, quæ ad uſum hominum orta, ab hominibus ſolis inuenitur. Illud uero quod uterq; ueſtrum arripiet fortaſſe ad reprehendendum: Cotta, quia Carneades libenter in Stoicos inuehebatur: Velleius, quia nihil tam irridet Epicurus, q̃ prædicationem rerum futurarum: mihi uidetur uel maxime cõfirmare, deorum prouidentia conſuli rebus humanis. Eſt enim profecto diuinatio, quæ multis locis, rebus, temporibus apparet, cũ in priuatis, tũ maxime publicis. Multa cernũt aruſpices, multa augures prouidẽt, multa oraculis declarãtur, multa uaticinationibus, multa ſomnijs, multa portẽtis: quibus cognitis, multæ ſæpe res hominũ ſententia atque utilitate partæ, multa etiã pericula depulſa ſunt. Hęc igitur ſiue uis, ſiue ars, ſiue natura, ad ſcientiam rerum futurarum homini profecto eſt, nec ab alio alicui, q̃ à dijs immortalibus data. Quæ ſi ſingula uos forte non mouent, uniuerſa certe tamen inter ſe connexa atq; coniuncta mouere debebunt. Nec uero uniuerſo generi hominũ ſolũ, ſed etiam ſingulis à dijs immortalibus cõſuli & prouideri ſolet: licet enim cõtrahere uniuerſitatẽ generis humani, eamq; gradatim ad pauciores, poſtremo deducere ad ſingulos. Nã ſi omnibus hominibus qui ubiq; ſunt, quacunq; in ora ac parte terrarũ ab huiuſce terrę quã nos incolimus continuatione diſtantium, deos conſulere cenſemus ob has cauſas quas ante diximus, his quoque hominibus conſulunt, qui has nobiſcum terras ab oriente ad occidentem colunt. Sin autem conſulunt, qui quaſi magnam quandam inſulam incolunt, quam nos orbem terrę uocamus, etiam illis conſulunt, qui partes eius inſulæ tenent, Europam, Aſiam, Aphricam. Ergo & earum partes diligunt, ut Romam, Athenas, Spartam, Rhodum, & earum urbium ſeparatim ab uniuerſis ſingulos diligunt, ut Pyrrhi bello Curium, Fabricium, Corũcanum, primo Punico Calatinum, Duelliũ, Metellũ, Luctatiũ: ſecundo Maximũ, Marcellum, Aphricanũ: poſt hos Paulũ Grac

chum,

chum,Catonem: patrúmue memoria,Scipionem,Lælium: multosq́ pręterea & noſtra ciuitas & Græcia tulit ſingulares uiros,quorum neminem niſi iuuante deo talem fuiſſe credendum eſt. Quæ ratio poetas,maximeq́ Homerum impulit,ut principibus heroum Vlyſſi,Diomedi,Agamemnoni,Achilli certos deos diſcriminum & periculorum comites adiungeret. Præterea ipſorum deorum ſæpe præſentiæ,quales ſupra commemoraui,declarant ab his & ciuitatibus & ſingulis hominibus conſuli. Quod quidem intelligitur etiã ſignificationibus rerum futurarum,quæ cum dormientibus, tum uigilantibus portenduntur. Multa præterea oſtentis,multa in extis admonemur,multisq́ rebus alijs,quas diuturnus uſus ita notauit,ut artem diuinationis efficeret. Nemo igitur uir magnus ſine aliquo afflatu diuino unq̃ fuit. Nec uero ita refellendum eſt,ut ſi ſegetibus aut uinetis cuiuſpiam,tempeſtas nocuerit. aut ſi quid è uitæ commodis caſus abſtulerit,eum cui quid horum acciderit, aut inuiſum deo,aut neglectum à deo iudicemus. Magna dij curant,parua neglig ũt,magnis autem uiris proſpere ſemper omnes res: ſi quidem ſatis à noſtris, & à principe philoſophiæ Socrate dictum eſt,de ubertatibus uirtutis & copijs. Hęc mihi ferê in mentem ueniebant,quę dicenda putarem de natura deorum. Tu autem Cotta,ſi me audias,eandem cauſam agas,teq́ & principem ciuem putes,& Pontificem eſſe cogites. Et quoniam in utranq́ partem uobis licet diſputare,hanc potius ſumas,eamq́ facultatem diſſerẽdi quam tibi à rhetoricis exercitationibus acceptam amplificauit Academia,potius huc conferas. Mala enim & impia conſuetudo eſt contra deos diſputandi,ſiue ex animo id fit,ſiue ſimulate.

MARCI TVLLII CICERONIS DE NATVRA DEORVM AD M. BRVTVM LIBER TERTIVS.

QVAE quum Balbus dixiſſet, tum arridens Cotta, Sero,inquit,mihi Balbe,pręcipis quid defendam. Ego enĩ te diſputante quid contra dicerem mecum ipſe meditabar,neque tam refellendi tui cauſa,q̃ ea quæ minus intelligebam requirendi. Quum autem ſuo cuique iudicio ſit utendum,difficile factu eſt me id ſentire quod tu uelis. Hic Velleius. Neſcis,inquit,quanta cum expectatione Cotta ſim te auditurus. Iocũdus enim Balbo noſtro ſermo tuus contra Epicurum fuit. Præbebo igitur ego me tibi uiciſſim attentum contra Stoicos auditorem. Spero enim te ut ſoles,bene paratum uenire. Tum Cotta. Si me hercule,inquit, Vellei: neque enim mihi par ratio cum Lucilio eſt ac tecum fuit. Qui tandem? inquit ille. Quia mihi uidetur Epicurus ueſter de dijs immortalibus non magnopere pugnare,tantummodo negare deos eſſe non audet, nequid inuidiæ ſubeat aut criminis. Quũ uero deos nihil agere,nihil curare confirmat,membrisq́ humanis eſſe præditos,ſed eorum membrorum uſum nullum habere, ludere uidetur,ſatisq́ pu-

tare ſi dixerit eſſe quandam beatam naturam & ęternam. A Balbo autem animaduertiſti credo q̃ multa dicta ſint, quamq́ etiam ſi minus uera, tamē apta inter ſe & cohærentia. Itaq; cogito ut dixi, non tam refellere eius orationem, q̃ ea quæ minus intellexi requirere. Quare Balbe tibi permitto, reſpondere ne mihi malis de ſingulis rebus quærēti ex te ea quæ parum accepi, an uniuerſam audire orationem meam. Tum Balbus. Ego uero ſi quid tibi explanari uoles, reſpondere malo. Sin me interrogare non tam intelligendi cauſa, q̃ refellendi, utrum uoles faciam: uel ad ſingula quæ requiris ſtatim reſpondebo uel quum peroraris ad omnia. Tum Cotta, Optime, inquit, quamobrem ſic agamus, ut nos ipſa ducit oratio. Sed antequam de re, pauca de me. Non enim mediocriter moueor authoritate tua Balbe, orationeq́; ea, quæ me in perorādo cohortabatur, ut meminiſſem me & Cottam eſſe & Pontificem. Quod eo credo ualebat, ut opiniones quas à maioribus accepimus de dijs immortalibus, ſacra, cerimonias, religionesq́; defenderem. Ego uero eas defendam ſemper, ſemperq́; defendi. nec me ex ea opinione, quam à maioribus accepi de cultu deorum immortalium, ullius unquam oratio aut docti aut indocti mouebit. Sed quum de religione agitur, T. Coruncanium, P. Scipionem, P. Scæuolam Pontifices maximos, non Zenonem, aut Cleanthem, aut Chryſippū ſequor, habeoq́; C. Lælium Augurem eundemq́; ſapientem, quem potius audiam dicentē de religione in illa oratione nobili, q̃ quenq̃ principē Stoicorū. Quumq́; omnis populi R. religio in ſacra & in auſpicia diuiſa ſit, tertiū adiūctum ſit, ſi quid prædictionis cauſa ex portētis & monſtris Sibyllæ interpretes, aruſpiceſue monuerunt. Harum ergo religionum nullam unquam contemnendam putaui, mihiq́; ita perſuaſi, Romulum auſpicijs, Numam ſacris conſtitutis fundamenta ieciſſe noſtræ ciuitatis: quæ nunquam profecto ſine ſumma placatione deorum immortalium tanta eſſe potuiſſent. Habes Balbe quid Cotta, quid Pōtifex ſentiat. Fac nūc ergo ītelligā tu quid ſentias: à te enī philoſopho rationem accipere debeo religionis, maioribus autē noſtris etiā nulla ratione reddita credere. Tum Balbus. Quam igitur à me rationem, inquit Cotta, deſideras? Et ille, Quadripertita, īquit, fuit diuiſio tua. Primum, ut uelles docere deos eſſe. Deinde, quales eſſent. Tum, ab his mundū regi. Poſtremo, conſulere eos rebus humanis. Hæc, ſi recte memini partitio, fuit. Rectiſſime, inquit Balbus, ſed expecto quid requiras. Tum Cotta, Primum quidq; uideamus, inquit, & ſi id eſt primum quod inter omnes niſi admodum impios conuenit, mihi quidem ex animo exuri non poteſt eſſe deos. Id tamen ipſum quod mihi perſuaſum eſt, authoritate maiorum, cur ita ſit nihil tu me doces. Quid eſt, inquit Balbus, ſi tibi perſuaſum eſt, cur à me uelis diſcere? Tum Cotta. Quia ſic aggredior, inquit, ad hanc diſputationem, quaſi nihil unquam audierim de dijs immortalibus, nihil cogitauerim. Rudem me & integrum diſcipulū accipe, & ea quę requiro doce. Dic igitur, īquit, quid requiras. Egóne? primū illud. Cur quod perſpicuū in iſtam partē ne egere quidem oratione dixiſſes, quod eſſet perſpicuum & inter omnes conſtaret, de eo ipſo tam multa dixeris? Quia te quoq;, inquit, animaduerti Cotta ſæpe quum in foro diceres, q̃plurimis poſſis argumentis onerare iudicem, ſi modo eam facultatem tibi daret cauſa: atque hoc idem & philoſophi faciunt, & ego ut potui feci. Tu autem qui id quæris, ſimiliter facis, ac ſi me ro-

ges cur te duobus contuear oculis,& non altero contuear,quum idem uno aſſequi poſſim. Tum Cotta. Quã ſimile iſtud ſit,inquit,tu uideris. Nam ego neque in cauſis,ſi quid eſt euidens de quo inter omnes conueniat, argumentari ſoleo:perſpicuitas enim argumentatione eleuatur:nec ſi id facerem in cauſis forenſibus,idem facerem in hac ſubtilitate ſermonis. Cur contuerere autem altero oculo cauſa non eſſet,quum idem obtutus eſſet amborum,& quum rerum natura,quam tu ſapientem eſſe uis,duo lumina ab animo ad oculos perforata nos habere uoluiſſet. Sed quia non confidebas tam eſſe id perſpicuum q̃ tu uelis,propterea multis argumentis deos eſſe docere uoluiſti. Mihi enim unum ſat erat,ita nobis maiores noſtros tradidiſſe. Sed tu auctoritates contemnis,ratione pugnas. Patere igitur rationem meam cum tua ratione contẽdere. Affers hæc omnia argumenta cur dij ſint, remq́ mea ſententia minime dubiam,argumentando dubiam facis. Mandaui enim memoriæ non numerum ſolum,ſed etiam ordinem argumentorum tuorum. Primum fuit, quum cœlum ſuſpexiſſemus,ſtatim nos intelligere eſſe aliquod numen,quo hæc regantur. Ex hoc illud etiam.

Aſpice hoc ſublime candens,quem inuocant omnes Iouem.

Quaſi uero quiſquã noſtrum iſtum potius q̃ Capitolinum, Iouem appellet:aut hoc perſpicuum ſit,cõſtetq́ inter omnes,eos eſſe deos,quos tibi Velleius multiq́ præterea ne animantes quidẽ eſſe concedant. Graue etiam argumentum tibi uidebatur,quod opinio de dijs immortalibus & omnium eſſet, & quotidie creſceret. Placet igitur tantas res opinione ſtultorum iudicari,uobis preſertim qui illos inſanos eſſe dicatis? At enim pręſenteis uidemus deos, ut apud Regillum Poſthumius,in Salaria Vatienus,neſcio quid etiã de Locrorum apud Sagrã pręlio. Quos igitur tu Tyndaridas appellabas,id eſt homines homine natos,& quos Homerus qui recẽs ab illorũ ętate fuit,ſepultos dicit Lacedæmone,eos tu cãterijs albis nullis calonibus obuiam Vatieno ueniſſe exiſtimas,& uictoriam Populi R. Vatieno potius homini ruſtico q̃ M. Catoni qui tum erat princeps nunciauiſſe. Ergo & illud in ſilice,quod hodie apparet apud Regillum,tanquã ueſtigium ungulæ Caſtoris equi credis eſſe. Nónne mauis illud credere,quod probari poteſt,animos præclarorũ hominũ,quales iſti Tyndaridæ fuerũt,diuinos eſſe & æternos,q̃ eos qui ſemel cremati eſſent,equitare,& in acie pugnare potuiſſe? Aut ſi hoc fieri potuiſſe dicis,doceas oportet quomodo,nec fabellas aniles proferas. Tũ Lucilius. An tibi,inquit,fabellæ uidẽtur? Nónne Aulo Poſthumio ædem Caſtori & Polluci in foro dedicatã? nónne. S.C. de Vatieno uides? Nam de Sagra, Græcorum etiã eſt uulgare prouerbium:qui quæ affirmant,certiora eſſe dicunt q̃ illa que apud Sagrã. His igitur authoribus nónne debes moueri? Tum Cótta. Rumoribus,inquit,mecum pugnas Balbe,ego autem à te rationes reqro.

Multa deſiderantur

Sequũtur quæ futura ſunt:effugere enim nemo id poteſt,quod futurum eſt. Sępe autem ne utile quidẽ eſt ſcire quid futurum ſit. Miſerum eſt enim nihil proficientem angi,nec habere ne ſpei quidem extremum,& tamen cõmune ſolatiũ:preſertim quum uos ijdem fato fieri dicatis omnia. Quod autẽ ſemper ex omni æternitate uerũ fuerit,id eſſe fatũ. Quid igitur iuuat, aut quid affert ad cauẽdũ,ſcire aliqd futurũ,quũ id certe futurũ ſit? Vnde porro iſta diuinatio?

quis inuenit fiſſum iecoris? quis cornicis cantum notauit? quis ſortes? Quibus ego credo, nec poſſum Attij Nauij, quem cõmemorabas, lituum contemnere. Sed qui iſta ĩtellecta ſunt, à philoſophis debeo diſcere, preſertim quum plurimis de rebus iſti diuinis mẽtiuntur. At medici quoq;, ita enim dicebas, ſæpe falluntur. Quid ſimile medicina cuius ego rationem uideo, & diuinatio quæ unde oriatur nõ intelligo? Tu autẽ etiã Deciorũ deuotionibus placatos deos eſſe cenſes. Quæ fuit tanta eorum iniquitas, ut placari Populo R. non poſſent, niſi uiri tales occidiſſent? Conſilium illud imperatorium fuit, quod Græci στρατήγημα appellant, ſed eorum Imperatorum, qui patriæ conſulerent, uitæ non parcerent. Rebantur enim fore, ut exercitus Imperatorem equo incitato ſe in hoſtem immittẽtem perſequeretur, id quod euenit. Nã Fauni uocem equidẽ nunq̃ audiui, tibi ſi audiuiſſe te dicis credam, & ſi Faunus omnino quid ſit neſcio. Non igitur adhuc quantum quidem in te eſt Balbe intelligo deos eſſe: quos equidem credo eſſe, ſed nihil docent Stoici. Nam Cleanthes, ut dicebas, quatuor modis formatas in animis hominum putat deorum eſſe notiones. Vnus is modus eſt de quo ſatis dixi, qui eſt ſuſceptus ex præſenſione rerũ futurarũ. Alter ex perturbationibus tẽpeſtatum, & reliquis motibus. Tertius ex cõmoditate rerum quas percepimus & copia. Quartus ex aſtrorum ordine cœliq; conſtãtia. De præſenſione diximus: de perturbationibus cœleſtibus, & maritimis, & terrenis, nõ poſſumus dicere quũ ea fiant, nõ eſſe multos qui illa metuant, & à dijs immortalibus fieri exiſtiment. Sed non id quæritur, ſint ne aliqui qui deos eſſe putent: dij utrum ſint nec ne ſint, quæritur. Nam reliquæ cauſæ quas Cleanthes affert, quarum una eſt de cõmodorum quæ capimus copia, altera de temporum ordine cœliq; conſtantia, tum tractabuntur à nobis, quum diſputabimus de prouidẽtia deorũ, de qua plurima à te Balbe dicta ſunt, eodemq; illa etiam differemus, quod Chryſippũ dicere aiebas, quoniam eſſet aliquid in rerum natura quod ab homine effici nõ poſſet, eſſe aliquid homine melius: quæ in domo pulchra cum pulchritudine mundi comparabas, & quum totius mundi conuenientiam conſenſumq; afferebas. Zenoniſq; breues & acutulas concluſiones in eam partem ſermonis, quam modo dixi, differemus. Eodemq; tempore illa omnia quæ à te phyſice dicta ſunt de ui ignea, deq; eo calore ex quo omnia generari dicebas, loco ſuo quærẽtur, omniaq; quæ è te nudiuſtertius dicta ſunt, quum docere uelles deos eſſe: quare & mundus uniuerſus, & ſol, & luna, & ſtellæ ſenſum ac mentẽ haberent, in idem tẽpus reſeruabo. A te autẽ idẽ illud etiam atq; etiã quæram, quibus rationibus tibi perſuadeas deos eſſe. Tum Balbus. Equidem attuliſſe rationes mihi uideor: ſed eas tu ita refellis, ut quum me interrogaturus eſſe uideare, & ego me ad reſpõdendũ cõpararim, repente auertas orationẽ, nec des reſpõdendi locum. Itaq; maximæ res tacite præterierũt de diuinatione, de fato: quibus de quæſtionibus tu quidẽ ſtrictim, noſtri autem multa ſolẽt dicere, ſed ab hac quæſtione quæ nunc in manibus eſt ſeparãtur. Quare ſi uidetur noli agere cõfuſe, ut hoc explicemus hac ea diſputatione quod quæritur. Optime, inquit Cotta. Itaq; quoniam quatuor in partes totam quæſtionem diuiſiſti, de primaq; diximus, conſideremus ſecundam, quæ talis mihi uidetur fuiſſe, ut quum oſtendere uelles quales dij eſſent, ut oſtenderes nullos eſſe. A conſuetudine enim oculorum animum abducere difficillimũ dicebas:

ſed

ſed quum deo nihil præſtantius eſſet, non dubitabas quin mundus eſſet deus, quo nihil in rerum natura melius eſſet, modo poſſemus eum animãtem cogitare, uel potius ut cetera oculis, ſic animo hoc cernere. Sed quum mundo negas quidquam eſſe melius, quid dicis melius? Si pulchrius, aſſentior: ſi aptius ad utilitates noſtras, id quoq; aſſentior: ſin autem id dicis, nihil eſſe mundo ſapientius, nullo modo prorſus aſſentior. Nõ quòd difficile ſit mentem ab oculis ſeuocare, ſed quo magis ſeuoco, eo minus id quod tu uis poſſum mente cõprehendere. Nihil eſt mundo melius in rerum natura, ne in terris quidẽ urbe noſtra: num igitur idcirco in urbe eſſe rationem, cogitationem, mentem putas? aut quoniã non ſit, num idcirco exiſtimas formicã anteponendã eſſe huic pulcherrimæ urbi, quod in urbe ſenſus ſit nullus, in formica non modo ſenſus ſed etiam mens, ratio, memoria? Videre oportet Balbe, quid tibi cõcedatur, non teipſum quod uelis ſumere. Iſtum enim locum totum illa uetus Zenonis breuis, & ut tibi uidebatur acuta cõcluſio dilatauit. Zeno enim ita concludit. Quod ratione utitur id melius eſt q̃ id quod ratione non utitur, nihil autem mundo melius, ratione igitur mundus utitur. Hoc ſi placet, iam efficies ut mũdus optime librum legere uideatur. Zenonis enim ueſtigijs hoc modo rationem poteris concludere. Quod literatum eſt, id eſt melius q̃ quod nõ eſt literatum, nihil autem mundo melius, literatus igitur eſt mundus. Iſto modo etiam diſertus, & quidẽ mathematicus, muſicus, omni deniq; doctrina eruditus, poſtremo philoſophus. Sæpe dixi nihil fieri ſine deo, nec ullam uim eſſe naturæ, ut ſui diſſimilia poſſit effingere. Concedam non modo animantem & ſapientem eſſe mũdum, ſed fidicinem etiam & tibicinem, quoniam earũ quoq; artium homines ex eo procreantur. Nihil igitur affert pater iſte Stoicorum, quare mundum ratione uti putemus, nec cur animantem quidem eſſe. Non eſt igitur mundus deus, & tamen nihil eſt eo melius: nihil eſt enim eo pulchrius, nihil eſt ſalutarius, nihil nobis ornatius aſpectu, motuq; cõſtãtius. Quod ſi mundus uniuerſus non eſt deus, ne ſtellæ quidem, quas tu innumerabiles in deorum numero reponebas, quarum te curſus æquabiles, æterniq; delectabant, nec mehercule iniuria. Sunt enim admirabili incredibiliq; conſtantia. Sed non omnia Balbe quæ curſus certos & conſtantes habent, ea deo potius tribuẽda ſunt quàm naturæ. Quid Chalcidico Euripo in motu identidem reciprocando putas fieri poſſe conſtantius? Quid freto Siciliẽſi? Quid Oceani feruore illis in locis.

Europam Libyamq; rapax ubi diuidit unda?

Quid æſtus maritimi uel Hiſpanienſes, uel Britannici, eorumq; certis temporibus, uel acceſſus uel receſſus, ſine deo fieri nónne poſſunt? Vide quæſo, ſi omnis motus, omniaq; quæ certis temporibus ordinem ſuum cõſeruant, diuina dicimus, ne tertianas quidem febres & quartanas diuinas eſſe dicendum ſit, quarum reuerſione & motu quid poteſt eſſe conſtantius? Sed omnium talium rerum ratio reddenda eſt: quod uos quum facere nõ poteſtis, tanquã in aram confugiſtis ad deum. Et Chryſippus tibi acute dicere uidebatur, homo ſine dubio uerſutus & callidus. Verſutos eos appello quorum celeriter mens uerſatur. Callidos autem quorũ tanq̃ manus opere, ſic animus uſu concalluit. Is igitur, ſi aliquid eſt, inquit, quod homo efficere nõ poſſit, qui id efficit melior eſt homine: homo autem hæc quæ in mundo ſunt,

efficere non poteſt:qui potuit igitur,is præſtat homini. Homini autem præſtare quis poſſit niſi deus? Eſt igitur deus. Hæc omnia in eodem, quo illa Zenonis,errore uerſantur. Quid enim ſit melius,quid præſtabilius, quid inter naturam & rationem interſit,non diſtinguitur. Idemq́ ſi dei non ſint, negat eſſe in omni natura quidq̃ homine melius:id autem putare quenq̃ hominem, nihil homine eſſe melius: ſummę arrogantię cenſet eſſe. Sit ſané arrogantis, pluris ſe putare q̃ mundū:at illud non modo nō arrogantis,ſed potius prudētis,intelligere ſe habere ſenſum,& rationem:hęc eadem & caniculam non habere. Et ſi domus pulchra ſit,intelligamus eam dominis,inquit,ędificatā eſſe non muribus,ſic igitur mundum deorum domum exiſtimare debemus. Ita prorſus exiſtimarem,ſi illum ędificatum,non quemadmodum docebo,à natura conformatum putarem. At enim quęrit apud Xenophontem Socrates, unde animam arripuerimus,ſi nullus fuerit in mūdo. Et ego quęro unde orationem,unde numeros,unde cātus. Niſi uero loqui ſolem cum luna putamus quum propius acceſſerit,aut ad harmoniam canere mundum,ut Pythagoras exiſtimat. Naturę iſta ſunt Balbe,naturę non artificioſe ambulātis,ut ait Zeno,quod quidē quale ſit iā uidebimus,ſed omnia cietis & agitātis motibus & mutationibus ſuis. Itaq́ illa mihi placebat oratio de conuenientia conſenſuq́ naturæ,quam quaſi cognatione continuatam conſpirare dicebas. Illud non probabam,quod negabas id accidere potuiſſe,niſi ea uno diuino ſpiritu continerentur. Illa uero cohęret & permanet naturę uiribus non deorum, eſtq́ in ea iſte quaſi conſenſus,quam συμπάθειαν Gręci uocant. Sed ea quo ſua ſpōte maior eſt,eo minus diuina ratione fieri exiſtimanda eſt. Illa autem quę Carneades afferebat,quemadmodum diſſoluitis? Si nullum corpus immortale ſit, nullum eſſe corpus ſempiternum:corpus autem immortale nullum eſſe, ne indiuiduum quidem,nec quod dirimi diſtrahi'ue nō poſſit. Quumq́ omne animal patibilem naturam habeat,nullum eſt eorum quod effugiat accipiendi aliquid extrinſecus,id quaſi ferendi & patiendi neceſſitatem. Et ſi omne animal mortale eſt,immortale nullum eſt. Ergo itidem,ſi omne animal ſecari ac diuidi poteſt,nullum eſt eorum indiuiduum,nullum æternum. Atqui omne animal ad accipiendam uim externā & ferendā paratum eſt, mortale igitur omne animal & diſſolubile & diuiduum ſit neceſſe eſt. Vt enim ſi omnis cera commutabilis eſſet,nihil eſſet cereum quod commutari non poſſet,item nihil argenteum,nihil æneum,ſi commutabilis eſſet natura argenti & æris;ſimiliter igitur ſi omnia quę ſunt è quibus cuncta conſtant,mutabilia ſunt,nullum corpus eſſe poteſt non mutabile. Mutablia autem ſunt illa è quibus omnia conſtant ut uobis uidetur:omne igitur corpus mutabile eſt. At ſi eſſet corpus aliquod īmortale,non eſſet omne mutabile. Ita efficitur ut omne corpus mortale ſit. Etenim oē corpus, aut aqua,aut aer,aut ignis,aut terra eſt, aut id quod eſt concretū ex his,aut ex aliqua parte eorꝫ,horū autē nihil eſt quin intereat. Nā & terrenum omne diuiditur,& humor ita mollis eſt, ut facile premi collidiq́ poſſit:ignis uero & aer omni impulſu facillime pellitur,naturaq́ cedens eſt maxime & diſſipabilis. Pręterea q́ omnia hęc tum intereunt quum in naturam aliam conuertuntur: quod fit quum terra in aquā ſe uertit,& quū ex aqua oritur aer,& ex aere æther,quumq́ eadem uiciſſim retro commeant. Quod ſi ea intereant è quibus cōſtet omne animal,nullum eſt animal ſempiternum.

ternum. Et ut hęc omittamus, tamen animal nullũ inueniri poteſt, quod neq; natum unq̃ ſit, & ſemper ſit futurum. Omne enim animal ſenſus habet, ſentit igitur & callida & frigida, & dulcia & amara. Nec poteſt ullo ſenſu iucunda accipere, & non accipere contraria. Si igitur uoluptatis ſenſum capit, doloris etiam capit. Quod autem dolorem accipit, id accipiat etiam interitum neceſſe eſt. Omne igitur animal confitendum eſt eſſe mortale. Pręterea ſi quid eſt quod nec uoluptatem ſentiat, nec dolorem, id animal eſſe non poteſt. Sin autem quod animal eſt, id illa neceſſe eſt ſentiat, & quod ea ſentiat non poteſt eſſe æternum: & omne animal ſentit, nullum igitur animal ęternum eſt. Pręterea nullum poteſt eſſe animal, in quo non & appetitio ſit & declinatio naturalis. Appetũtur autem quę ſecundum naturam ſunt, declinantur contraria: & omne animal appetit quędam & fugit à quibuſdam. Quod autem refugit id contra naturam eſt, & quod eſt contra naturam, id habet uim interimẽdi, omne ergo animal intereat neceſſe eſt. Innumerabilia ſunt ex quibus effici cogiq; poſſit, nihil eſſe quod ſẽſum habeat quin id intereat. Etenim ea ipſa quę ſentiuntur, ut frigus, ut calor, ut uoluptas, ut dolor, ut cetera, quũ amplificata ſunt interimunt, nec ullum animal eſt ſine ſenſu, nullum igitur animal eſt æternum. Etenim aut ſimplex eſt natura animantis, ut uel terrena ſit, uel ignea, uel animalis, uel humida, quod quale ſit ne intelligi quidem poteſt: aut concretũ ex pluribus naturis, quarum ſuum quæq; locum habeat quo naturæ ui efferatur, alia infimum, alia ſummum, alia medium. Hæc ad quoddam tempus cohęrere poſſunt, ſemper autem nullo modo poſſunt. Neceſſe eſt enim in ſuum quæq; locum natura rapiatur. Nullum igitur animal eſt ſempiternum. Sed omnia ueſtri Balbe ſolent ad igneam uim referre, Heraclitum, ut opinor ſequentes, quem ipſum non omnes interpretantur uno modo: quem quoniam quid diceret intelligi noluit, omittamus. Vos autem ita dicitis, omnem uim eſſe ignem. Itaq; & animantis quum calor defecerit, tum interire, & in omni natura rerum id uiuere, id uigere, quod caleat. Ego autem non intelligo, quo modo calore extincto corpora intereant, non intereant humore aut ſpiritu amiſſo, preſertim quum intereant etiam nimio calore. Quamobrem id quidem commune eſt de calido, ueruntamen uideamus exitum. Ita uultis opinor nihil eſſe animal extrinſecus in natura atq; mundo præter ignem: qui magis q̃ præter animam, unde animantium quoq; conſtet animus, ex quo anima dicitur? Quomodo autem hoc quaſi concedatur ſumitis, nihil eſſe animum niſi ignem? Probabilius enim uidetur tale quiddam eſſe animum, ut ſit ex igni atq; anima temperatum. Quod ſi ignis ex ſeſe ipſe animal eſt, nulla ſe alia admiſcente natura, quoniam is quum ineſt in corporibus noſtris efficit ut ſentiamus, nõ poteſt ipſe eſſe ſine ſenſu, rurſus eadem dici poſſũt. Quidquid eſt enĩ quod ſenſum habeat, id neceſſe eſt ſentiat & uoluptatem & dolorem: ad quẽ autem dolor ueniat, ad eundem etiam ĩteritum uenire. Ita fit ut ne ignem quidem efficere poſſitis æternum. Quid enim non eiſdem uobis placet omnem ignem paſtus indigere, nec permanere ullo modo poſſe niſi alatur? Alij autẽ ſolem, lunam, reliqua aſtra, aquis alia dulcibus, alia marinis? Eamq; cauſam Cleanthes affert, cur ſe ſol referat, nec longius progrediatur, ſolſtitiali orbi, itemq; brumali, ne longius diſcedat à cibo. Hoc totum quale ſit, mox. Nũc autem concludatur illud, quod interire poſſit, id ęternum non eſſe natura; ignẽ

autem interiturum,eſſe niſi alatur,non eſſe igitur natura ignem ſempiternum. Qualẽ autem deum intelligere nos poſſumus,nulla uirtute præditum? Quid enim prudentiam ne deo tribuemus,quæ conſtat ex ſcientia rerum bonarum & malarum,& nec bonarum nec malarum,cui mali nihil eſt nec eſſe poteſt? Quid huic opus eſt delectu bonorum & malorum? quid autẽ ratione? quid intelligentia? quibus utimur ad eam rem,ut apertis obſcura aſſequamur. At obſcurum deo nihil poteſt eſſe. Nam iuſtitia quæ ſuum cuiq; diſtribuit,quid pertinet ad deos? hominum enim ſocietas & communitas,ut uos dicitis,iuſtitiam procreauit. Temperantia autem conſtat ex prætermittendis uoluptatibus corporis: cui ſi locus in cœlo eſt,eſt etiam uoluptatibus. Nam fortis deus intelligi qui poteſt? in dolore,an in labore? an in periculo? quorum deum nihil attingit. Nec ratione igitur utentem,nec uirtute ulla prędítum deum intelligere qui poſſumus? Nec uero uulgi atq; imperitorum inſcitiã deſpicere poſſum, quum ea conſidero quæ dicuntur à Stoicis. Sunt enim illa imperitorũ. Piſcem Syrij uenerantur. Omne ferè genus beſtiarum Aegyptij conſecrauerunt. Iam uero in Græcia multos habent ex hominibus deos, Alabandũ Alabandi, Tenedi Tenem: Leucotheam quæ fuit Inò,& eius Palæmonem filiũ, cuncta Græcia, Herculem, Aeſculapium, Tyndaridas: Romulum noſtri, aliosq; complures,quos quaſi nouos & aſcriptitios ciues in cœlum receptos putant. Hæc igitur indocti. Quid uos philoſophi,qui meliora? Omitto illa, ſũt enim præclara,ſit ſanè deus ipſe mundus. Hoc credo illud eſſe
Sublime candens,quem inuocant omnes Iouem.
Quare igitur plures adiungimus deos? quanta autem eſt eorum multitudo? Mihi quidem ſanè multi uidentur: ſingulas enim ſtellas numeras deos,eosq; aut beluarum nomine appellas,ut capram,ut lupã,ut taurum,ut leonem: aut rerum inanimarum,ut Argò,ut aram,ut coronam. Sed ut hęc concedantur, reliqua qui tãdem non modo concedi,ſed omnino intelligi poſſunt? Quum fruges Cererem,uinum Liberum dicimus,genere nos quidem ſermonis utimur uſitato: ſed ecquem tam amẽtem eſſe putas,qui illud quo ueſcatur deum credat eſſe? Nam quos ab hominibus perueniſſe dicis ad deos,tu reddes rationem quemadmodum idem fieri potuerit,aut cur fieri deſierit,& ego diſcã libenter. Quo modo nunc quidem eſt,non uideo quo pacto ille cui in monte œtęo illatę lampades fuerint,ut ait Accius, in domum æternam patris ex illo ardore peruenerit,quẽ tamen Homerus apud inferos conueniri facit ab Vlyſſe,ſicut ceteros qui exceſſerant uita. Quanq̃ quem potiſſimum Herculem colamus,ſcire ſanè uelim. Plures enim tradunt nobis ij qui interiores ſcrutantur & reconditas literas,antiquiſſimum Ioue natum,ſed item Ioue antiquiſſimo. Nam Ioues quoq; plures in priſcis Gręcorum literis inuenimus. Ex eo igitur & Liſyto eſt is Hercules quem concertauiſſe cum Apolline de tripode accepimus. Alter traditur Nilo natus Aegyptius,quem aiunt Phrygias literas conſcripſiſſe. Tertius eſt ex Idæis digitis,cui inferias afferunt. Quartus Iouis eſt, Aſterię Latonę ſororis, qui Tyri maxime colitur, cuius Carthaginem filiam ferunt. Quintus in India qui Belus dicitur. Sextus hic ex Alcumena, quem Iuppiter genuit: ſed tertius Iuppiter,quoniam ut iam docebo, plures Ioues etiam accepimus. Quando enim me in hunc locum deduxit oratio,docebo meliora me didiciſſe de colendis dijs immortalibus iure pontificio &

more

more maiorum,capedunculis quas Numa nobis reliquit,de quibus in illa aureola oratiuncula dicit Lęlius,quàm rationibus Stoicorum.Si enim uos ſequar, dic quid ei reſpondeam,qui me ſic roget. Si dŋ ſunt,ſúntne etiã nymphę deę? ſi nymphę, Paniſci etiam & Satyri.Hi autem non ſunt,ne nymphę deę quidem igitur. At earum templa ſunt publice uota & dedicata. Quid igitur? ne ceteri quidem ergo dŋ,quorum templa ſunt dedicata? Age porrò Iouem & Neptunum deum numeras?ergo etiam Orcus frater eorum deus, & illi qui fluere apud inferos dicuntur,Acheron, Cocytus, Pyriphlegeton,tum Charon,tum Cerberus dŋ putandi.Ad id quidem repudiandum ne Orcus quidem igitur. Quid dicitis ergo de fratribus? Hęc Carneades agebat,nõ ut deos tolleret:quid enim philoſopho minus conueniens? ſed ut Stoicos nihil de dŋs explicare conuinceret.Itaq; inſequebatur.Quid enim,aiebat,ſi ŋ fratres ſunt in numero deorum,num de patre eorum Saturno negari poteſt,quẽ uulgo maxime colunt ad occidentem? Qui ſi eſt deus,patrem quoq; eius Cœlũ eſſe deum confitendum eſt.Quod ſi ita eſt,Cœli quoq; parentes dŋ habendi ſunt ęther & dies,eorumq́; fratres & ſorores,qui à genealogis antiquis ſic nominantur,amor,dolus,metus,labor inuidentia, fatum ſenectus, mors tenebræ,miſeria querela,gratia fraus,pertinacia,Parcę,Heſperides,ſomnia,quos omnes Erebo & Nocte natos ferunt. Aut igitur hęc monſtra probanda ſũt, aut prima illa tollenda.Quid Apollinem, Vulcanum,Mercurium, ceteros, deos eſſe dices? de Hercule, Aeſculapio, Libero,Caſtore,Polluce dubitabis? At hi quidem coluntur æque atq; illi,apud quoſdam etiam multo magis:ergo hi dei ſunt habendi,mortalibus nati matribus. Quid Ariſtæus qui oliuæ dicitur inuentor, Apollinis filius,Theſeus qui Neptuni,reliqui quorum patres dŋ ſunt,non erunt in deorum numero? Quid quorum matres? opinor etiam magis. Vt enim in iure ciuili,qui eſt matre libera liber eſt:item iure naturæ,qui dea matre eſt,deus ſit neceſſe eſt.Itaq; Achillem Aſtypalinſes inſulani ſanctiſſimum colunt:qui ſi deus eſt,& Orpheus,& Rheſus dŋ ſunt, Muſa matre nati, niſi forte maritimæ nuptiæ terrenis anteponuntur.Si hi dŋ nõ ſunt,quia nuſquam coluntur,quo modo illi ſunt? Vide igitur ne uirtutibus hominum iſti honores habeantur,nõ immortalitatibus: quod tu quoq; Balbe uiſus es dicere.Quo modo autem potes ſi Latonam deam putes, Hecaten non putare,quæ matre Aſteria eſt ſorore Latonæ? An hæc quoq; dea eſt? uidimus enim eius aras delubraq́; in Græcia.Sin hæc dea eſt,cur non Eumenides? Quæ ſi deæ ſunt,quarum & Athenis fanum eſt,& apud nos,ut ego interpretor lucus Furinæ,Furiæ deæ ſunt,ſpeculatrices,credo,& uindices & facinorum & ſceleris.Quod ſi tales dŋ ſunt ut rebus humanis interſint, Natio quoq; dea putanda eſt,cui quum fana circuimus in agro Ardeati rem diuinã facere ſolemus,quę quia partus matronarum tueatur,à naſcẽtibus Natio nominata eſt.Ea ſi dea eſt,dŋ omnes illi qui commemorabantur à te,honos, fides,mens,concordia:ergo etiam ſpes,moneta , omniaq́; quę cogitatione nobiſmetipſis poſſumus fingere.Quod ſi ueriſimile nõ eſt,ne illud quidem eſt, hęc unde fluxere.Quid autem dicis? ſi dŋ ſũt illi quos colimus & accepimus, cur non eodem in genere Serapim Iſimq́; numeremus? Quod ſi facimus,cur Barbarorum deos repudiemus? Boues igitur & equos,ibes, accipitres, aſpidas,crocodilos,piſces,canes, lupos,feles,multas præterea beluas in deorum

numerum reponemus. quæ ſi reĳciamus, illa quoq; unde hæc nata ſunt, reĳcie mus. Quid deinde Ino dea dicetur, & Leucothea à Græcis, à nobis Matuta dicetur, quum ſit Cadmi filia? Circe autē & Paſiphae, & Aee è Perſide Oceani filia natæ, patre Sole, in deorum numero non habebuntur? Quanq̄ Circen quoq; coloni noſtri Circeienſes religioſe colunt. Ergo hanc deam dicis? Quid Medeæ reſpondebis quę duobus auis, Sole & Oceano, Aeeta patre, matre Idyia procreata eſt? Quid huius Abſyrto fratri qui eſt apud Pacuuiū Egialeus? Sed illud nomen ueterum literis uſitatius. Qui ſi dĳ non ſunt uereor quid agat Ino. Hæc enim omnia ex eodem fonte fluxerunt. An Amphiaraus erit deus & Trophonius? Noſtri quidem Publicani, quum eſſent agri in Bœotia deorum immortalium excepti lege Cenſoria, negabant immortales eſſe ullos, qui aliquando homines fuiſſent. Sed ſi ſunt hi dĳ, eſt certe Erechtheus, cuius Athenis & delubrum uidimus & ſacerdotem. Quem ſi deum facimus, quid aut de Codro dubitare poſſumus, aut de ceteris, qui pugnantes pro patriæ libertate ceciderunt? Quod ſi probabile non eſt, ne illa quidem ſuperiora, unde hæc manant, probanda ſunt. Atq; in pleriſq; ciuitatibus intelligi poteſt, augendæ uirtutis gratia quo libentius reip. cauſa periculum adiret optimus quiſq;, uirorum fortium memoriam honore deorum immortalium eſſe conſecratam. Ob eam enim ipſam cauſam Erechtheus Athenis filiæq; eius in numero deorum ſunt. Itemq; Leonaticum eſt delubrum Athenis, quod Leocorion nominatur. Alabandenſes quidem ſanctius Alabādum colunt, à quo eſt urbs illa condita, q̄ quēquam nobilium deorum: apud quos non inurbane Stratonicus, ut multa, quum quidam ei moleſtius Alabandum deum eſſe confirmaret, Herculem negaret, Ergo, inquit, mihi Alabandus, tibi Hercules ſit iratus. Illa autem Balbe quæ tu à cœlo aſtriſq; ducebas, q̄ longe ſerpant non uides? Solem deum eſſe lunamq;, quorum alterum Apollinē Græci, alteram Dianam putant. Quod ſi luna dea eſt, ergo etiam lucifer, ceteræq; errantes numerum deorum obtinebunt. Igitur etiam inerrantes. Cur autem arqui ſpecies non in deorum numero reponatur? Eſt enim pulcher, & ob eam ſpeciem, quia cauſam habeat admirabilem, Thaumante dicitur eſſe nata. Cuius ſi diuina natura eſt, quid facies nubibus? Arcus enim ipſe è nubibus efficitur, quodam modo coloratus: quarum una etiam Centauros peperiſſe dicitur. Quod ſi nubes retuleris in deos, referendę certe erunt tempeſtates, quæ Populi R. ritibus conſecratæ ſunt. Ergo imbres, nimbi, procellæ, turbines dei putandi. Noſtri quidem duces mare ingredientes, immolare hoſtiam fluctibus conſueuerunt. Iam ſi eſt Ceres à gerendo, ita enim dicebas, terra ipſa dea eſt, & ita habetur: quæ eſt enim alia Tellus? Sin terra, mare etiā, quē Neptunum eſſe dicebas. Ergo & flumina & fontes. Itaq; & fontis delubrum Marſo ex Corſica dedicauit: & in Augurum precatione, Tiberinum, Spinonem, Anemonem, Nodinum, alia propinquorum fluminum nomina uidemus. Ergo hoc aut in immenſum ſerpet, aut nihil horum recipiemus, nec illa infinita ratio ſuperſtitionis probabitur. Nihil ergo probandum horum eſt. Dicamus igitur, Balbe oportet contra illos etiam, qui hos deos ex hominum genere in cœlum tranſlatos, non re ſed opinione eſſe dicunt, quos auguſte omnes ſanctéq; ueneramur. Principio Ioues tres numerant ĳ qui theologi nominantur, ex quibus primum & ſecundum natos in Arcadia: alterum patre

Aethere

Aethere,ex quo etiam Proſerpinam natam ferunt,& Liberum. Alterum pa
tre Cœlo,qui genuiſſe Mineruam dicitur,quam principē & inuentricem bel
li ferunt. Tertiū Cretenſem Saturni filium,cuius in illa inſula ſepulchrū oſten
ditur. Διόσκουροι etiam apud Graios multis modis nominantur. Primi tres qui
appellantur Anaces, Athenis ex Rege Ioue antiquiſſimo & Proſerpina na-
ti, Tritopatreus, Eubuleus, Dionyſius. Secundi, Ioue tertio nati ex Leda, Ca
ſtor & Pollux. Tertij dicuntur à nonnullis Aleo & Melampus, Emolus,
Atrei filij,qui Pelope natus fuit. Iam Muſæ primæ quatuor natæ Ioue alte-
ro Thelxiope Acœde Arche Melete. Secūdę Ioue tertio,& Mnemoſyne pro
creatæ nouem, Tertiæ Ioue tertio Pierio natæ & Antiopa,quas Pieridas &
Pierias ſolent poetę appellare,ijſdem nominibus.eodem numero quo proxi
mæ ſuperiores. Quumq́ tu Solem quia ſolus eſſet,appellatum eſſe dicas, So
les ipſi quàm multi à theologis proferuntur? Vnus eorum Ioue natus, nepos
Aetheris: alter Hyperione. tertius Vulcano Nili filio,cuius urbem Agyptij
uolunt eſſe eam,quæ Heliopolis appellatur. Quartus is quem heroicis tem-
poribus Acantho Rhodi peperiſſe dicitur, Ialyſum, Camirū, Lindum. Quī-
tus qui Colchis fertur Aeetam & Circen procreauiſſe. Vulcani item complu
res, Primus Cœlo natus,ex quo & Minerua Apollinem eum,cuius in tute-
la Athenas antiqui hiſtorici eſſe uoluerunt. Secundus in Nilo natus Opas, ut
Aegyptij appellant,quem cuſtodem eſſe Aegypti uolunt. Tertius è tertio
Ioue & Iunone,qui Lemni fabricæ traditur præfuiſſe. Quartus Menalio na
tus,qui tenuit inſulas propter Siciliam,quæ Vulcaniæ nominabantur. Mer-
curius unus Cœlo patre Die matre natus,cuius obſcœnius excitata natura tra
ditur,quod aſpectu Proſerpinæ commotus ſit. Alter Valētis & Phoronidis
filius,is qui ſub terris habetur,idem Throphonius. Tertius Ioue tertio natus
& Maia,ex quo & Penelopa Pana natum ferunt. Quartus Nilo patre, quē
Aegyptij nephas habent nominare. Quintus quem colunt Pheneatę,qui &
Argum dicitur interemiſſe,ob eamq́ cauſam Aegypto præfuiſſe,atq́ Aegy
ptijs leges & literas tradidiſſe. Hunc Aegyptij Theyn appellant, eodemq́
nomine anni primus menſis apud eos uocatur. Aeſculapiorū primus Apol
linis,quem Arcades colunt,qui ſpecillum inueniſſe,primusq́ uulnus dicitur
obligauiſſe. Secundus ſecundi Mercurij frater,is fulmine percuſſus dicitur
humatus eſſe Cynoſuris. Tertius Arſippi & Arſinoę,qui primus purgatio-
nem alui,dentisq́ euulſionem,ut ferunt inuenit: cuius in Arcadia non longe
à Luſio flumine,ſepulchrum & lucus oſtenditur. Apollinum antiquiſſimus
is,quem pauloante è Vulcano natum eſſe dixi,cuſtodem Athenarum. Alter
Corybantis filius natus in Creta,cuius de illa inſula cum Ioue ipſo certamen
fuiſſe traditur. Tertius Ioue tertio natus & Latona, quem ex Hyperboreis
Delphos ferunt aduenïſſe. Quartus in Arcadia,quem Arcades Nomionem
appellant,quod ab eo ſe leges ferunt accepiſſe. Dianæ item plures. Prima Io
uis & Proſerpinę,quę pinnatū Cupidinem genuiſſe dicitur. Secunda notior,
quā Ioue tertio & Latona natā accepimus. Tertia patre Vpi tradit̄,Glauca
matre,eam ſępe Gręci Vpim paterno nomine appellant. Dionyſios multos
habemus, Primum Ioue & Proſerpina natum. Secundum Nilo, qui Nyſam
dicitur interemiſſe. Tertium Caprio patre,eumq́ Regem Aſiæ pręfuiſſe di-
cunt. Cuius Abazea ſunt inſtituta. Quartum, Ioue & Luna,cui ſacra Orphi-

ca putantur confici. Quintum Niſo natum & Thione, à quo trieterides conſtitutę putãtur. Venus prima Cœlo & Die nata, cuius Eli delubrũ uidemus. Altera ſpuma procreata, ex qua & Mercurio Cupidinem ſecundum natum accepimus. Tertia Ioue nata & Diona, quę nupſit Vulcano: ſed ex ea & Marte natus Anteros dicitur. Quarta Syria Tyroq́ concepta, quę Aſtarte uocatur, quam Adonidi nupſiſſe proditum eſt. Minerua prima quam Apollinis matrem ſupra diximus. Secunda orta Nilo, quam Aegyptij Saitę colũt. Tertia illa quam à Ioue generatam ſupra diximus. Quarta Ioue nata & Coryphe Oceani filia, quam Arcades Coriam nominant, & quadrigarum inuẽtricem ferunt. Quinta, Pallantis quę patrem dicitur interemiſſe uirginitatẽ ſuam uiolare conantem, cui pinnarum talaria affigunt. Cupido primus Mercurio & Diana prima natus dicitur. Secundus Mercurio & Venere ſecunda. Tertius quidem eſt Anteros Marte & Venere tertia. Atq; hęc quidem, & eiuſmodi ex uetere Gręcię fama collecta ſunt, quibus intelligis reſiſtendum eſſe ne perturbentur religiones. Veſtri autem non modo hęc non refellunt uerumetiam confirmant, interpretando quorſum quidq; pertineat. Sed eó iã unde huc digreſſi ſumus reuertamur. Nũ cenſes igitur ſubtiliore ratione opus eſſe ad hęc refellenda? Nã mẽtẽ, fidem, ſpem, uirtutem, honorem, uictoriam, ſalutem, concordiam ceteraq́ huiuſmodi, rerum uim habere uidemus nõ deorum. Aut enim in nobiſmet inſunt ipſis, ut mens, ut ſpes, ut fides, ut uirtus, ut concordia: aut optandæ nobis ſunt, ut honos, ut ſalus, ut uictoria, quarum rerum utilitatem uideo, uideo etiam conſecrata ſimulacra. Quare autem in his uis deorũ inſit tum intelligam quum cognouero. Quo in genere uel maxime eſt fortuna numeranda, quam nemo ab inconſtantia & temeritate ſeiunget, quæ digna certe non ſunt deo. Iam uero quid uos illa delectat explicatio fabularum, & enodatio nominum, exectum à filio Cœlum, uinctum itidem à filio Saturnum? Hęc & alia generis eiuſdem ita defenditis, ut ij qui iſta finxerunt non modo non inſani, ſed etiam fuiſſe ſapientes uideantur. In enodandis autẽ nominibus, quod miſerandũ ſit, laboratis. Saturnus quia ſe ſaturat annis. Mauors quia magna uertit. Minerua quia minuit, aut quia minatur. Venus quia uenit ad omnia. Ceres à gerendo. Quã periculoſa conſuetudo? In multis enim nominibus hęrebitis. Quid Veioui facies? quid Vulcano? quanq̃ quoniam Neptunum à nando appellatum putas, nullum erit nomen quod non poſſis una litera explicare unde ductum ſit. In quo quidem magis tu mihi natare uiſus es, q̃ ipſe Neptunus. Magnam moleſtiam ſuſcepit & minime neceſſariam primus Zeno, poſt Cleanthes, deinde Chryſippus, commentitiarum fabularum reddere rationem, uocabulorum cur quidq; ita appellatum ſit, cauſas explicare. Quod quum facitis, illud profecto confitemini, longe aliter ſe rem habere, atq; hominum opinio ſit. Eos enim qui dij appellantur, rerum naturas eſſe non figuras deorum. Qui tantus error fuit, ut pernicioſis etiam rebus nõ nomen deorum tribueretur, ſed etiam ſacra conſtituerentur. Febris enim fanum in palatio, & ædem Larum, & aram malæ Fortunæ Exquilijs conſecratam uidemus. Omnis igitur talis à philoſophia pellatur error, ut quum de dijs immortalibus diſputemus, dicamus digna dijs immortalibus, de quibus habeo ipſe quid ſentiam, non habeo autem quid tibi aſſentiar. Neptunum eſſe dicis animum cum intelligentia per mare pertinentem, idem de Cerere.

rere. Iſtam autem intelligentiam aut maris aut terræ non modo comprendere animo, ſed ne ſuſpitione quidem poſſum attingere. Itaque aliunde mihi quærendum eſt, ut & eſſe deos, & quales ſint dij diſcere poſſim, quàm qualeis tu eos eſſe uelis. Videamus ea quæ ſequuntur. Primum deorúmne prouidentia mundus regatur: deinde conſuláńtne dij rebus humanis. Hæc enim mihi ex tua partitione reſtant duo, de quibus ſi uobis uidetur, accuratius diſſerendum puto. Mihi uero, inquit Velleius, ualde uidetur: nam & maiora expecto, & his quæ dicta ſunt uehementer aſſentior. Tum Balbus: Interpellare te, inquit, Cotta, nolo, ſed ſumemus tempus aliud, efficiam profecto ut fateare. Sed.

Multa deſiderantur.

nequaq̃ iſtuc iſtac ibit, magna ineſt certatio.
Nam ut ego illis ſupplicarem tanta blandiloquentia?

Niobe parúmne ratiocinari uidetur, & ſibi ipſa nefariam peſtem machinari? Illud uero q̃ callida ratione?

Qui uolt quod uolt, ita dat ſe res ut operam dabit.

Qui eſt uerſus omnium ſeminator malorum.

Ille trauerſa mente mihi hodie tradidit repagula,
Quibus ego iram omnem recludam, atq; illi perniciem dabo,
Mihi mœrores, illi luctum: exitium illi, exilium mihi.

Hanc uidelicet rationem quam uos diuino beneficio homini ſolum tributam dicitis, beſtiæ non habẽt. Vidésne igitur quanto munere deorum ſimus affecti. Atq; eadem Medea patrem patriámq; fugiens,

Poſtq̃ pater appropinquat, iámq; penè ut comprehendatur parat,
Puerum interea obtruncat: membráq; articulatim diuidit,
Pérq; agros paſſim diſpergit corpus: id ea gratia,
Vt dum nati diſſipatos artus captaret parens,
Ipſa interea effugeret, illum ut mœror tardaret ſequi,
Sibi ſalutem ut familiari pareret parricidio.

Huic ut ſcelus, ſic ne ratio quidem defuit. Quid ille funeſtas epulas fratri comparans, nónne uerſat huc & illuc cogitatione rationem?

Maior mihi moles, maius miſcendum eſt malum,
Qui illius acerbum cor contundam & comprimam.

Nec tamen ille ipſe eſt prætereundus, qui non ſat habuit coniugem illexe in ſtuprum, de quo recte & uerißime loquitur Atreus,

Quod re in ſumma ſummum eſſe arbitror
Periculum, matres coinquinari regias,
Contaminari ſtirpem, admiſceri genus.

Ad id ipſum q̃ callide qui regnum adulterio quæret?

Addo, inquit, huc quod mihi portento cœleſtũm pater
Prodigium miſit, regni ſtabilimen mei.
Agnum inter pecudes aurea clarum coma,

Auertas aliquod nomen, aut per ſeruolum
Percutias pauidum. Poſtremo à parco patre
Quod ſumas, quanto diſſipas libentius?

Idemq́ facilem & liberalem patrem incommodum eſſe amanti filio diſpu tat: quem,

Neque quo pacto fallam, nec quid inde auferam,
Nec quem dolum ad eum aut machinam commoliar,
Scio quidq̃, ita omnes meos dolos, fallacias,
Præſtigias præſtrinxit commoditas patris.

Quid ergo iſti doli, quid machinæ, quid fallaciæ, prȩſtigiæq́, num ſine ra tione eſſe potuerunt?

O præclarum munus deorum, ut Phormio poſſit dicere,
Cedo ſenem, iam inſtructa ſunt mihi in corde conſilia omnia.

Sed exeamus è theatro, ueniamus in forum, ſeſſum ite precor. quid? ut iudi cetur qui tabularium incenderit. Quod facinus occultius? at ſe Q. Soſius ſplẽ didus Eques R. ex agro Piceno, feciſſe confeſſus eſt. Qui tranſcripſerit tabu las publicas. Id quoq́ L. Alenus fecit, quum chirographum ſex primorũ imi tatus eſt. Quid hoc homine ſolertius? Cognoſce alias quæſtiones, auri Tolo ſani, cõiurationis Iugurthinæ. Repete ſuperiora Tubuli de pecunia capta ob rem iudicandam. Poſteriora de inceſtu rogatione Peducea. Tum hȩc cotidia na, ſicæ, uenena, peculatus, teſtamentorum etiam lege noua quæſtiones. Inde illa actio. Ope conſilioq́ tuo furtum aio factum eſſe. Inde tot iudicia de fide mala, tutelæ, mandati, pro ſocio, fiduciæ, reliqua, quæ exempto, aut uendito aut conducto, aut locato contra fidẽ fiunt. Inde iudiciũ publicũ rei priuatæ le ge Laetoria. Inde euerriculũ malitiarũ omniũ, iudicium de dolo malo, quod C. Aquilius familiaris noſter protulit: quem dolum idem Aquilius tum tene ri putat, quum aliud ſit ſimulatum, aliud actum. Hanc igitur tantam à dijs im mortalibus arbitramur malorum ſemẽtim eſſe factam? Si enim rationem ho minibus dij dederunt, malitiam dederunt. Eſt enim malitia, uerſuta & fallax ratio nocendi. Iidem etiam dij fraudem dederunt, facinus, ceteraq́, quorum nihil nec ſuſcipi ſine ratione, nec effici poteſt. Vtinam igitur ut il la anus optat,

Ne in nemore Pelio ſecuribus
Cæſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes.

Sic iſtã calliditatẽ hominibus dij ne dediſſent, qua perpauci bene utuntur, qui tamen ipſi ſæpe à male utentibus opprimuntur. Innumerabiles autem im probe utuntur, ut donum hoc diuinum rationis & conſilij ad fraudem homi nibus non ad bonitatem impartitum eſſe uideatur. Sed urgetis identidem, hominum eſſe iſtam culpam non deorum: ut ſi medicus grauitatẽ morbi, gu bernator uim tempeſtatis accuſet: & ſi hi quidem homunculi, ſed tamen ridi culi. Quis enim te adhibuiſſet, dixerit quiſpiam, ſi iſta nõ eſſent? Contra deũ licet diſputare liberius. In hominũ uitijs ais eſſe culpam, eam dediſſes homini bus rationẽ, quæ uitia culpãq́ excluderet. Vbi igitur locus fuit errori deorũ? nã patrimonia ſpe bene tradẽdi relinquimus: qua poſſumus falli, deus falli q potuit? An ut Sol in currum quum Phaethontem filium ſuſtulit? aut Neptu

nus quum Theſeus Hippolytum perdidit, quum ter optandi à Neptuno patre habuiſſet poteſtatem? Poetarum iſta ſunt, nos autem Philoſophi eſſe uolumus, rerum auctores non fabularum. Atque ij tamen ipſi dij poetici, ſi ſciſſent pernicioſa fore illa filijs, peccaſſe in beneficio putarentur. Et ſi uerum eſt quod Ariſto Chius dicere ſolebat. Nocere audientibus philoſophos, iis qui bene dicta, male interpretarẽtur: poſſe enim aſotos ex Ariſtippi, acerbos ex Zenonis ſchola exire: prorſus ſi qui audierunt, uitioſi eſſent diſceſſuri, quòd peruerſe philoſophorum diſputationes interpretarentur, tacere præſtaret philoſophis, quàm his qui ſe audiſſent nocere. Sic ſi homines rationem bono conſilio à dijs immortalibus datam, in fraudem malitiamq́ conuertunt, non dari illam, quàm dari humano generi melius fuit. Vt ſi medicus ſciat eũ ægrotum qui iuſſus ſit uinum ſumere, meracius ſumpturum, ſtatimq́ periturum; magna ſit in culpa, ſic ueſtra iſta prouidentia reprehendenda, quæ rationem dederit iis, quos ſcierit ea peruerſe & improbe uſuros. Niſi forte dicitis eam neſciſſe: utinam quidem, ſed non audebitis. Non enim ignoro quanti eius nomen putetis. Sed hic quidem locus concludi iam poteſt. Nam ſi ſtultitia conſenſu omnium philoſophorum maius eſt malum, quàm ſi omnia mala & fortunæ & corporis ex altera parte ponantur, ſapientiam autem nemo aſſequitur, in ſummis malis omnes ſumus, quibus uos optime conſultũ à dijs immortalibus dicitis. Nam ut nihil intereſt utrum nemo ualeat, an nemo poſſit ualere, ſic nõ intelligo quid interſit, utrum nemo ſit ſapiens, an nemo eſſe poſſit. Ac nos quidem nimis multa de re apertiſſima. Telamo autẽ uno curſu locum totum conficit, cur dij homines negligant,

Nam ſi curent, bene bonis ſit, male malis, quod nunc abeſt.

Debebãt illi quidem, omnes bonos efficere, ſi quidem hominum generi cõſulebant: ſin id minus, bonis quidem certe conſulere debebãt. Cur igitur duos Scipiones fortiſſimos & optimos uiros in Hiſpania Pœnus oppreſſit? Cur Maximus extulit filium Conſularem? Cur Marcellum Annibal interemit? Cur Paulum Cannę ſuſtulerunt? Cur Pœnorum crudelitati Reguli corpus eſt præbitum? Cur Aphricanum domeſtici parietes non texerunt? Sed hæc uetera, & alia permulta, propiora uideamus. Cur auunculus meus uir innocentiſſimus, idemq́ doctiſſimus P. Rutilius in exilio eſt? Cur ſodalis meus interfectus domi ſuæ Druſus? Cur temperantiæ prudentiæq́ ſpecimen, ante ſimulacrum Veſtæ Pontifex maximus eſt Q. Scæuola trucidatus? Cur ante etiam tot ciuitatis principes à Cinna interempti? Cur omnium perfidioſiſſimus C. Marius Q. Catulum præſtantiſſima dignitate uirum mori potuit iubere? Dies deficiat, ſi uelim numerare, quibus bonis male euenerit; nec minus ſi commemorem quibus improbis optime. Cur enim Marius tam feliciter ſeptimum Conſul domi ſuæ ſenex eſt mortuus? Cur omnium crudeliſſimus tãdiu Cinna regnauit? At dedit pœnas: prohiberi melius fuit impedirią́ ne tot ſummos uiros interficeret, q̃ ipſum aliquãdo pœnas dare. Summo cruciatu ſupplicioq́ Q. Varius homo importuniſſimus perijt. Sed quia Druſum ferro, Metellum ueneno ſuſtulerat: illos conſeruari melius fuit, quàm pœnas ſceleris Varium pendere. Duodequadraginta Dionyſius tyrannus annos fuit opulentiſſimæ & beatiſſimæ ciuitatis. Quàmmultas

tas ante hunc in ipſo Græciæ flore Piſiſtratus, at Phalaris, at Apollodorus pœnas ſuſtulit, multis quidem ante cruciatis & necatis. Et prædones multi ſæpe pœnas dant, nec tamen poſſumus dicere non plures captiuos acerbe q̃ prædones necatos. Anaxarchum Democriteum à Cyprio tyranno excarnificatum accepimus. Zenonem Eleæ in tormentis necatum. Quid dicam de Socrate? cuius morti illacrymari ſoleo Platonem legens. Vides ne igitur deorum iudicio ſi uident res humanas, diſcrimen eſſe ſublatum? Diogenes quidem Cynicus dicere ſolebat, Harpalum, qui temporibus illis prædo felix habebatur, contra deos teſtimonium dicere, quod in illa fortuna tãdiu uiueret. Dionyſius de quo ante dixi, quum fanum Proſerpinę Locris expilauiſſet, nauigabat Syracuſas: iſq; quum ſecundiſſimo uento curſum teneret, ridens. Videtis ne, inquit, amici quàm bona à dijs immortalibus nauigatio ſacrilegis detur? Atq; homo acutus, quum bene planeq; percepiſſet, in eadem ſententia perſeuerabat: qui quum ad Peloponneſum claſſem appuliſſet, & in fanum ueniſſet Iouis Olympij, aureum ei detraxit amiculum grandi pondere, quo Iouem ornarat ex manubijs Carthaginienſium tyrannus Gelo, atque in eo etiam cauillatus eſt, æſtate grauem eſſe aureum amiculum, hyeme frigidum, eiq; laneum pallium iniecit, quum id eſſe ad omne anni tempus diceret. Idemq; Aeſculapij Epidauri barbam aureã demi iuſſit. Neque enim conuenire barbatum eſſe filium, quum in omnibus fanis pater imberbis eſſet. Iam menſas argẽteas de omnibus delubris iuſſit auferri: in quibus quod more ueteris Græciæ inſcriptum eſſet, Bonorum deorum, uti ſe eorum bonitate uelle dicebat. Idem uictoriolas aureas, & pateras, coronasq;, quæ ſimulacrorum porrectis manibus ſuſtinebantur, ſine dubitatione tollebat: eaq; ſe accipere, non auferre dicebat. Eſſe enim ſtultitiam à quibus bona precaremur, ab ijs porrigentibus & dantibus nolle ſumere. Eundemq; ferunt hęc quæ dixi ſublata de fanis in forum protuliſſe, & per præconem uendidiſſe, exactaq; pecunia edixiſſe, ut quod quiſq; ſacri haberet, id ante diem certam in ſuũ quidq; fanum referret. Ita ab impia temeritate in deos, in homines iniunxit iniuriã. Hunc igitur nec Olympius Iuppiter fulmine percuſſit, nec Aeſculapius miſero diuturnoq; morbo tabeſcentem interemit, atque in ſuo lectulo mortuus in tyrannidis rogum illatus eſt, eamq; poteſtatem quam ipſe per ſcelus erat nactus, quaſi iuſtam & legitimam, hæreditatis loco filio tradidit. Inuita in hoc loco uerſatur oratio. Videtur enim authoritatem afferre peccandi, recte uideretur, niſi & uirtutis & uitiorum ſine ulla diuina ratione graue ipſius conſcientiæ pondus eſſet, qua ſublata iacent omnia. Vt enim nec domus, nec reſp. ratione quadam & diſciplina deſignata uideatur, ſi in ea nec recte factis præmia extent ulla, nec ſupplicia peccatis: ſic mundi diuina in homines moderatio profecto nulla eſt, ſi in ea diſcrimen nullum eſt bonorũ & malorum. At enim minora dij negligunt, neq; agellos ſingulorum, nec uiticulas perſequuntur, nec ſi uredo aut grando cuipiã nocuit, id Ioui animaduertendum fuit. Ne in regnis quidem Reges omnia minima curant. Sic enim dicitis, quaſi ego pauloante de fundo Formiano P. Rutilij ſim queſtus, non de amiſſa ſalute. Atque hoc quidem omnes mortales ſic habẽt, externas cõmoditates, uineta, ſegetes, oliueta, ubertatem frugum & fructuũ omnem

deniq; commoditatem proſperitatemq; uitę à dijs ſe habere. Virtutem autem nemo unquam acceptam deo retulit: nimirum recte, propter uirtutem enim iure laudamur, & in uirtute recte gloriamur, quod non contingeret ſi id donum à deo non à nobis haberemus. At uero aut honoribus aucti, aut re familiari, aut ſi aliud quippiam nacti ſumus fortuiti boni, aut depulimus mali, tum dijs gratias agimus, tum nihil noſtræ laudi aſſumptum arbitramur. Num quis quod bonus uir eſſet, gratias dijs egit unquam? At quòd diues, quòd honoratus, quòd incolumis. Iouemq; optimum & Maximum ob eas res appellant, non quòd nos iuſtos, temperatos, ſapiētes efficiat ſed quòd ſaluos, incolumes, opulentos, copioſos. Neq; Herculi quiſquam decumam uouit unquam, ſi ſapiēs factus eſſet. q̄q̄ Pythagoras, quum in Geometria quiddam noui inueniſſet, Muſis bouem immolauiſſe dicitur. Sed id quidem non credo, quoniam ille ne Apollini quidem Delio hoſtiam immolare uoluit, ne aram ſanguine aſpergeret. Ad rem autem ut redeam, iudicium hoc omnium mortalium eſt, fortunam à deo petendam, à ſeipſo ſumendam eſſe ſapientiam. Quāuis menti delubra & uirtuti & fidei conſecremus, tamen hæc in nobis ipſis ita uidemus, ſpei, ſalutis, opis, uictoriæ, facultas à dijs expetenda eſt. Improborum igitur proſperitates ſecundæq; res redarguunt, ut Diogenes dicebat, uim omnem deorum ac poteſtatem. At nonnunquam bonos exitus habent boni: eos quidem arripimus attribuimusq; ſine ulla ratione dijs immortalibus. At Diagoras quum Samothraciam ueniſſet, Atheos ille qui dicitur, atque ei quidā amicus. Tu qui deos putas humana negligere, nónne animaduertis ex tot tabulis pictis quàm multi uotis uim tempeſtatis effugerint, in portumq; ſalui peruenerint? Ita fit, inquit. Illi enim nuſquam picti ſunt, qui naufragium fecerunt, in mariq; perierunt. Idemq; quum ei nauigāti uectores aduerſa tempeſtate timidi & perterriti dicerent, non iniuria ſibi illud accidere, qui illum in eandem nauem recepiſſent, oſtendit eis in eodem curſu multas alias laborantes, quæſiuitq; num etiam in ijs nauibus Diagoram uehi crederent. Sic enim res ſe habet, ut ad proſperam aduerſámue fortunam qualis ſis, aut quemadmodum uixeris, nihil interſit. Non animaduertunt, inquit, omnia dij, ne Reges quidem. Quid eſt ſimile? Reges enim ſi ſcientes prætermittunt, magna culpa eſt. At deo ne excuſatio quidem eſt inſcientiæ, quem uos præclare defenditis, quum dicitis eam uim deorum eſſe, ut etiam ſi quis morte pœnas ſceleris effugerit, expetantur eæ pœnę à liberis, ac nepotibus ac poſteris. O miram æquitatem deorum. Ferret ne ciuitas ulla latorem iſtiuſmodi legis, ut condemnaretur filius aut nepos, ſi pater aut auus deliquiſſet? Quinam Tantalidarum internecioni modus paretur? aut quænam unquam ob mortem Myrtili pœnis luendis dabitur ſatietas ſupplicij? Vtrum poetæ Stoicos deprauarint, an Stoici poetis dederint auctoritatem, non facile dixerim. Portenta enim ab utriſq; & flagitia dicuntur. Neque enim quem Hipponactis iambus læſerat, aut qui erat Archilochi uerſu uulneratus, à deo immiſſum dolorem non conceptum à ſeipſo continebat. Nec quum Aegiſthi libidinem, aut cum Paridis uidemus, à deo cauſam requirimus, quum culpę pene uocem audiamus. Nec ego multorum ægrorum ſalutem non ab Hippocrate potius: quàm ab Aeſculapio datam iudico: nec Lacedæmoniorum diſci

plinam

plinam dicã unquam ab Apolline potius Spartæ,quàm à Lycurgo datam. Critolaus inquam euertit Corinthum,Carthaginem Haſdrubal. Hi duo illos oculos oræ maritimæ effoderunt.Non iratus alicui,quem omnino iraſci poſſe negatis deum:at ſubuenire certe potuit,& conſeruare urbes tantas atque tales. Vos enim ipſi dicere ſoletis, nihil eſſe quod deus efficere non poſſit,& quidem ſine labore ullo. Vt enim hominum membra nulla contentione,mente ipſa ac uoluntate moueantur,ſic numine deorum omnia fingi, moueri,mutariq́ poſſe.Neq́ id dicitis ſuperſtitioſe atque aniliter,ſed phyſica cõſtantiq́ ratione.Materiam enim rerum ex qua & in qua omnia ſint,totam eſſe flexibilem & commutabilem,ut nihil ſit quod non ex ea quãuis ſubito fingi cõuertiq́ poſſit.Eius autem uniuerſæ fictricem & moderatricem diuinam eſſe prouidentiam. Hanc igitur quocunq́ ſe moueat efficere poſſe quidquid uelit.Itaque aut neſcit quid poſſit,aut negligit res humanas,aut quid ſit optimum non poteſt iudicare.Non curat ſingulos homines, non mirum,ne ciuitates quidem.non eas? ne nationes quidem & gentes. Quod ſi has etiam cõtemnet,quid mirum eſt omne ab ea genus humanum eſſe contemptum? Sed quo modo ijdem dicitis,non omnia deos perſequi? ijdem uultis à dijs immortalibus hominibus diſpartiri ac diuidi ſomnia.Idcirco hæc tecum quia ueſtra eſt de ſomniorum ueritate ſententia,atq́ ijdem etiam uota ſuſcipi dicitis oportere.Nempe ſinguli uouent.Audit igitur mens diuina etiam de ſingulis. Videtis ergo non eſſe eam tam occupatam quàm putabatis? Fac eſſe diſtentam, cœlum uerſantem,terrã tuentẽ,maria moderantẽ,cur tam multos deos nihil agere & ceſſare patitur? Cur non rebus humanis aliquos otioſos deos præficit? qui à te Balbe innumerabiles explicati ſunt. Hęc ferè dicere habui de natura deorum,non ut eam tollerem,ſed ut intelligeretis quàm eſſet obſcura,& quàm difficiles explicatus haberet.Quæ quum dixiſſet Cotta,finem fecit.Lucilius autem. Vehementius,inquit,Cotta tu quidem inuectus es in eam Stoicorum rationem,quæ de prouidentia deorum ab illis ſanctiſſime & prouidentiſſime conſtituta eſt. Sed quoniam adueſperaſcit, dabis nobis diem aliquem ut contra iſta dicamus.Eſt enim mihi tecum pro aris & focis certamen, & pro deorum templis atque delubris,proq́ urbis muris,quos uos Pontifices ſanctos eſſe dicitis,diligentiusq́ urbem religione,q̃ ipſis mœnibus cingitis,quæ deſeri à me dum quidem ſpirare potero nefas iudico. Tum Cotta: Ego uero & opto redargui me Balbe,& ea quę diſputaui diſſerere maluí quàm iudicare,& facile me à te uinci poſſe certo ſcio. Quippe, inquit Velleius,qui etiam ſomnia putet ad nos mitti ab Ioue:quæ ipſa tamen tam leuia non ſunt,q̃ eſt Stoicorum de natura deorum oratio.Hæc quum eſſent dicta,ita diſceſſimus, ut Velleio Cottę diſputatio uerior, mihi Balbi ad ueritatis ſimilitudinem uideretur eſſe propenſior.

MARCI TVLLII CICERONIS DE DIVINATIONE LIBER PRIMVS.

VETVS opinio eſt iam uſq; ab heroicis ducta temporibus, eaq; & Populi R. & omnium gentium firmata cōſenſu, uerſari quandam inter homines diuinationem, quam Græci μαντικὴν appellant, id eſt præſenſionem & ſcientiam rerum futurarum. Magnifica quædam res & ſalutaris, ſi modo eſt ulla, quęq; proxima ad deorum uim natura mortali poſſit accedere. Itaq; ut alia nos melius multa quam Græci, ſic huic pręſtamtiſſimæ rei, nomen noſtri a' diuis, Græci (ut Plato interpretatur) à furore duxerunt. Gentem quidem nullam uideo, neque tam humanam atque doctam, neque tam immanem tamq; barbaram, quæ non ſignificari futura, & à quibuſdam intelligi, prædiciq; poſſe cenſeat. Principio Aſſyrij, ut ab ultimis auctoritatē repetam, propter planitiem magnitudinemq; regionum, quas incolebant, quum cœlum ex omni parte patens atq; apertū intuerentur, traiectiones motuſq; ſtellarum obſeruauerunt, quibus notatis quid cuiq; ſignificaretur memoriæ prodiderunt. Qua in natione Chaldęi non ex artis ſed ex gentis uocabulo nominati, diuturna obſeruatione ſyderum, ſcientiam putantur effeciſſe, ut prędici poſſet quid cuiq; euenturum, & quo quiſq; fato natus eſſet. Eandē artem etiam Aegyptij longinquitate temporum innumerabilibus penè ſeculis conſecuti putantur. Cilicum autem & Piſidarum gens, & his finitima Pāphylia, quibus nationibus præfuimus ipſi, uolatibus auium, cantibuſq; certiſſimis ſignis, declarari res futuras putant. Quam uero Græcia coloniam miſit in Aetoliam, Ioniam, Aſiam, Siciliam, Italiam, ſine Pythio aut Dodonęo, aut Hammonis oraculo? aut quod bellum ſuſceptum ab ea ſine conſilio deorum eſt? Nec unum genus eſt diuinationis publice priuatimq; celebratū. Nā ut omittam ceteros populos, noſter q̄ multa genera complexus eſt? Prīcipio huius urbis parens Romulus, non ſolum auſpicato urbem condidiſſe, ſed ipſe etiā optimus Augur fuiſſe traditur. Deinde Auguribus & reliqui Reges uſi, & exactis Regibus nihil publice ſine auſpicijs nec domi nec militię gerebatur. Quumq; magna uis uideretur eſſe & ī impetrādis conſulendiſq; rebus, & in monſtris interpretandis ac procurandis, in aruſpicum diſciplina, omnē hanc ex etruria ſcientiam adhibebāt, ne genus eſſet ullum diuinationis, quod neglectum ab ijs uideretur. Et quum duobus modis animi ſine ratione & ſcientia motu ipſi ſuo ſoluto & libero incitarentur, uno furente, altero ſomniante, furoris diuinationem Sibyllinis maxime uerſibus contineri arbitrati, eorum decem interpretes delectos ex ciuitate eſſe uoluerunt. Ex quo genere ſæpe ariolorum etiam & uatum furibundas prædictiones, ut Octauiano bello Cornelij Culleoli audiendas putauerunt. Nec uero ſomnia grauiora, ſi quæ ad remp. pertinere uiſa ſunt, à ſummo cōſilio neglecta ſunt: quinetiam memoria noſtra templum Iunonis Soſpitæ, L. Iulius, qui cum P. Rutilio Cos. fuit, de Senatus ſententia refecit, ex Cæciliæ Balearici filiæ ſomnio. Atque hæc, ut ego arbitror, ueteres rerum magis euentis moniti, q̄ ratione docti probaue-

runt

runt.Philoſophorum uero exquiſita quædam argumenta,cur eſſet uera diuinatio,collecta ſunt.Ex quibus,ut de antiquiſſimis loquar,Colophonius Xenophanes,unus qui deos eſſe diceret,diuinationem funditus ſuſtulit. Reliqui uero omnes præter Epicurum balbutientē de natura deorũ,diuinationē probauerũt,ſed non uno modo.Nã quum Socrates,omnesq; Socratici, Zenoq; & ij qui ab eo eſſent profecti,manerent in antiquorum philoſophorũ ſententia,uetere Academia,& Peripateticis cõſentiētibus:quumq; huic rei magnã auctoritatem Pythagoras iam ante tribuiſſet, qui etiã ipſe Augur uellet eſſe, plurimiſq; locis grauis aucthor Democritus præſenſionē rerũ futurarum cõprobaret,Dicæarchus Peripateticus cetera diuinationis genera ſuſtulit,ſomniorũ & furoris reliquit.Cratippuſq; familiaris noſter,quē ego parē ſummis Peripateticis iudico,ijſdem rebus fidē tribuit,reliqua diuinationis genera reiecit.Sed quum Stoici omnia ferè illa defenderēt,quòd & Zeno in ſuis commētariis quaſi ſemina quędã ſparſiſſet,& ea Cleãthes paulo uberiora feciſſet, acceſſit acerrimo uir ingenio Chryſippus,qui totam de diuinatione duobus libris explicauit ſententiã,uno præterea de oraclis,uno de ſomnijs:quē ſubſequens,unũ librũ Babylonius Diogenes edidit,eius auditor,duo Antipater, quinq; noſter Poſidonius.Sed à Stoicis uel principibus eius diſciplinæ Poſidonij doctor, diſcipulus Antipatri degenerauit Panætius: nec tamen auſus eſt negare uim eſſe diuinãdi,ſed dubitare ſe dixit.Quod illi in aliqua re inuitiſſimis Stoicis Stoico facere licuit,id nos ut ĩ reliquis rebus faciamus,à Stoicis nõ cõcedetur?preſertim quum id de quo Panętio nõ liquet,reliquis eiuſdē diſciplinæ Solis luce uideatur clarius.Sed hæc quidē laus Academiæ,præſtãtiſſimi philoſophi iudicio & teſtimonio cõprobata eſt.Etenim nobiſmetipſis quærētibus quid ſit de diuinatione iudicandũ, quòd à Carneade multa acute & copioſe contra Stoicos diſputata ſint,uerētibuſq; ne timere uel falſæ rei,uel non ſatis cognitæ aſſentiamur,faciēdũ uidetur ut diligēter etiam atq; etiã argumenta cũ argumētis cõparemus,ut fecimus in his tribus libris,quos de natura deorũ ſcripſimus.Nã quum omnibus in rebus temeritas in aſſentiēdo errorq; turpis eſt,tũ in eo loco maxime,in quo iudicãdũ eſt quantũ auſpicijs rebuſq; diuinis,religioniq; tribuamus. Eſt enim periculũ,ne aut neglectis his,impia fraude,aut ſuſceptis,anili ſuperſtitione obligemur. Quibus de rebus & aliàs ſæpe,& paulo accuratius nuper,quum eſſem cũ Quinto fratrè in Tuſculano,diſputatũ eſt.Nã quum ambulãdi cauſa ĩ Lyceum ueniſſemus (id enim ſuperiori gymnaſio nomē eſt)perlegi,ille inquit, tuum paulo ante tertium de natura deorũ,in quo diſputatio Cottæ q̃q̃ labefactauit ſententiam meã,non funditus tamē ſuſtulit.Optime uero inquam: etenim ipſe Cotta ſic diſputat,ut Stoicorũ magis argumēta cõfutet,q̃ hominum deleat religionē. Tum Quintus.Dicitur quidem iſtuc,inquit à Cotta,& uero ſepius,credo ne cõmuni iure migrare uideatur:ſed ſtudio cõtra Stoicos diſſerendi,deos mihi uidetur funditus tollere.Eius orationi nõ ſanè deſidero quid reſpondeam.Satis enim defenſa religio eſt in ſecũdo libro à Lucilio,cuius diſputatio tibiipſi, ut in extremo tertio ſcribis,ad ueritatē,eſt uiſa propēſior:ſed quod prætermiſſum eſt in illis libris,credo quia cõmodius arbitratus es ſeparatim id quæri, deq; eo diſſeri,id eſt de diuinatione,quæ eſt earum rerũ quę fortuitæ putãtur prædictio atq; præſenſio,id ſi placet uideamus quam habeat uim,& quale ſit.

Ego enim ſic exiſtimo: ſi ſint ea genera diuinandi uera, de quibus accepimus, quæq́ colimus, eſſe deos, uiciſſimq́ ſi dij ſint, eſſe qui diuinẽt. Arcẽ tu quidẽ Stoicorũ inquã Quinte defendis, ſi quidẽ iſta ſic reciprocãtur, ut & ſi diuinatio ſit, dij ſint, & ſi dij ſint, ſit diuinatio: quorũ neutrũ tam facile q̃ tu arbitraris cõceditur: nã & natura ſignificari futura ſine deo poſſũt: & ut ſint dij, poteſt fieri ut nulla ab ijs diuinatio generi humano tributa ſit. Atq́ ille mihi uero inquit, ſatis eſt argumẽti, & eſſe deos, & eos cõſulere rebus humanis, quod eſſe clara & perſpicua diuinationis genera iudico. De quibus quid ipſe ſentiã, ſi placet, exponã: ita tamẽ ſi uacas animo, neq́ habes aliquid quod huic ſermoni prçuertẽdũ putes. Ego uero inquã philoſophiæ Quinte ſemper uaco: hoc autẽ tẽpore, quũ ſit nihil aliud quod libenter agere poſſim, multo magis aueo audirç de diuinatione quid ſentias. Nihil, inquit, equidẽ noui, nec quod p̃ter ceteros ipſe ſentiã: nã cum antiquiſſimã ſententiã, tum omnium populorũ & gentiũ cõſenſu cõprobatã ſequor. Duo ſunt enim diuinãdi genera, quorũ alterũ artis eſt, alterum naturæ. Quæ eſt autẽ gens, aut quæ ciuitas, quæ nõ aut extis pecudũ, aut monſtra, aut fulgura interpretãtium, aut augurũ, aut aſtrologorũ, aut ſortiũ: ea enim ferè artis ſunt, aut ſomniorũ, aut uaticinationũ, hçc enim duo naturalia putantur, prçdictione moueatur? Quarum quidem rerũ euenta magis arbitror q̃ cauſas quçri oportere. Eſt enim uis & natura quçdã, quç tum obſeruatis longo tempore ſignificationibus, tum aliquo inſtinctu inflatuq́ diuino futura prçnunciat. Quare omittat urgere Carneades, quod faciebat etiam Panętius, requirens Iuppiter ne cornicẽ à lçua, coruum à dextra canere iuſſiſſet. Obſeruata ſunt hçc tempore immenſo, & in ſignificatione euentus animaduerſa & notata. Nihil eſt autem quod non longinquitas temporum, excipiente memoria prodẽdisq́ monumẽtis efficere atq́ aſſequi poſſit. Mirari licet quæ ſint animaduerſa à medicis herbarum genera, quæ radicum ad morſus beſtiarum, ad oculorũ morbos, ad uulnera, quorum uim atq́ naturam ratio nunq̃ explicauit, utilitate & ars eſt & inuentor probatus. Age ea quæ q̃q̃ ex alio genere ſunt, tamen diuinationi ſunt ſimiliora, uideamus.

Atq́ etiam uentos præmonſtrat ſæpe futuros
Inflatum mare, quum ſubito penitusq́ tumeſcit.
Saxaq́ cana ſalis niueo ſpumata liquore
Triſtificas certant Neptuno reddere uoces,
Aut denſus ſtridor quum celſo è uertice montis
Ortus adaugeſcit ſcopulorum ſæpe repulſus.

Atq́ his rerum præſenſionibus prognoſtica tua referta ſũt. Quis *igitur* elicere cauſas præſenſionum poteſt? & ſi uide Boethum Stoicum eſſe conatum: qui hactenus aliquid egit, ut earum rationem rerum explicaret, quæ in mari cœlóue fierent. Illa uero cur eueniant quis probabiliter dixerit?

Cana fulix itidem fugiens è gurgite ponti,
Nunciat horribiles clamans inſtare procellas,
Haud modicos tremulo fundens è gutture cantus:
Sæpe etiam pertriſtè canit de pectore carmen,
Et matutinis acredula uocibus inſtat.
Vocibus inſtat, & aſſiduas iacit ore querelas,
Quum primum gelidos rores aurora remittit,

Fuſcaq́ꝫ nonnunq̃ curſans per littora cornix
Demerſit caput,& fluctum ceruice recepit.

Videmus hæc ſigna nõnunq̃ ferè emẽtientia,nec tamẽ cur ita fiat uidemus.

Vos quoqꝫ ſigna uidetis aquai dulcis alumnæ,
Quum clamore paratis inanes ſundere uoces,
Abſurdoq́ꝫ ſono fontes & ſtagna cietis.

Quis eſt qui ranunculos hoc uidere ſuſpicari poſſit? Sed ineſt mire & ranunculis natura quædam ſignificans aliquid per ſeipſa ſatis certa,cognitioni autem hominum obſcurior.

Mollipedesq́ꝫ boues ſpectantes lumina cœli
Naribus humiferum duxere ex aere ſucum.

Non quæro cur,quoniam quid eueniat intelligo.

Iam uero ſemper uiridis ſemperq́ꝫ grauata
Lentiſcus triplici ſolita grandeſcere fœtu,
Ter fruges ſundens tria tempora monſtrat arandi.

Nec hoc quidem quæro cur hæc arbor una ter floreat,aut cur arandi maturitatem ad ſignum floris accommodet.Hoc ſum contentus,quod etiam ſi quo quidq; fiat ignorem, quid fiat intelligo. Pro omni igitur diuinatione,idem quod pro rebus ijs quas commemoraui,reſpondebo.Quid Scamonęe radix ad purgandum, quid Ariſtolochia ad morſus ſerpentium poſſit, quæ nomen ex inuentore reperit, rem ipſam inuentor ex ſomnio: poſſe uideo, quod ſatis eſt,cur poſſit neſcio.Sic uentorum & imbrium ſigna quæ dixi,rationem quam habeant non ſatis perſpicio,uim & euentum agnoſco,ſcio, approbo. Similiter quid fiſſum in extis, quid fibra ualeat accipio, quæ cauſa ſit neſcio.Atque horum quidem plena uita eſt, extis enim omnes ferè utuntur.Quid de fulgurum ui? dubitare num poſſumus? Nónne quum multa alia mirabilia,tum illud in primis:quum Summanus in faſtigio Iouis optimi maximi,qui tum erat fictilis è cœlo ictus eſſet,nec uſquã eius ſimulacri caput inueniretur,aruſpices in Tiberim id depulſum eſſe dixerunt, idq́ꝫ inuentum eſt eo loco,qui eſt ab aruſpicibus demonſtratus. Sed quo potius utar aut auctore,aut teſte q̃ te? cuius edidici etiã uerſus,& lubenter quidem,quos in ſecundo conſulatu Vrania muſa pronunciat.

Principio æthereo flammatus Iuppiter igni
Vertitur,& totum colluſtrat lumine mundum,
Menteq́ꝫ diuina cœlum terraſq́ꝫ peteſſit.
Quæ penitus ſenſus hominum uitaſq́ꝫ retentat
Aetheris æterni ſepta atqꝫ incluſa cauernis.
Et ſi ſtellarum motus curſuſq́ꝫ uagantes
Noſſe uelis,quæ ſint ſignorum in ſede locatę,
Quæ uerbo & falſis Graiorum uocibus errant.
Re uera certo lapſu ſpatioq́ꝫ feruntur,
Omnia iam cernes diuina mente notata.
Nam primum aſtrorum uolucreis te Cõſule motus,
Concurſuſq́ꝫ grauis ſtellarum ardore micantes,
Tu quoqꝫ quum tumulos Albano in monte niuales
Luſtraſti,& læto mactaſti lacte Latinas,

Vidiſti,& claro tremulos ardore cometas,
Multaq́ miſceri nocturna ſtrage putaſti.
Quod ferme dirum in tempus cecinere Latinæ,
Quum claram ſpeciem concreto lumine luna
Abdidit,& ſubito ſtellanti nocte perempta eſt.
Quid uero Phœbi fax triſtis nuncia belli,
Quæ magnũ ad columẽ flãmato ardore uolabat
Præcipites cœli partes,obitusq́ peteſſit.
Aut quum terribili perculſus fulmine ciuis,
Luce ſerenanti uitalia lumina liquit.
Aut quum ſe grauido tremefecit corpore tellus.
Iam uero uariæ nocturno tempore uiſæ
Terribiles formæ,bellum motusq́ monebant,
Multaq́ per terras uates oracla furenti,
Pectore fundebant triſtis minitantia caſus.
Atq; ea quæ lapſu tandem cecidere uetuſto,
Hæc fore perpetuis ſignis clarisq́ frequentans,
Ipſe deûm genitor cœlo terrisq́ canebat.
Nũc ea Torquato quæ quõdã & Cõſule Cotta,
Lydius ediderat Tyrrhenę gentis aruſpex,
Omnia fixa tuus glomerans determinat annus.
Nam pater altitonans ſtellanti nixus olympo,
Ipſe ſuos quondam tumulos ac templa petiuit,
Et capitolinis iniecit ſedibus ignes,
Tum ſpecies ex ęre uetus,generataq́ Nattę
Concidit,elapſæq́ uetuſtæ numine leges,
Et diuûm ſimulacra peremit fulminis ardor.
Hic ſyluestris erat Romani nominis altrix
Martia,quæ paruos Mauortis ſemine natos
Vberibus grauidis uitali rore rigabat.
Quę tum cum pueris flammato fulminis ictu
Concidit,atq; auulſa pedum ueſtigia liquit.
Tum quis nõ artis ſcripta,ac monumẽta uolutãs,
Voces triſtificas chartis promebat etruſcis?
Omnes ciuili generoſam ſtirpe profectam.
Vel legum exitium conſtanti uoce ferebant,
Vitare ingentem cladem,peſtemq́ monebant,
Templa deûmq́ adeo flamis urbesq́ iubebant
Eripere,& ſtragem horribilem cædemq́ uereri,
Atq; hæc fixa graui fato ac fundata teneri,
Ni poſt exciſum ad columen formata decore
Sancta Iouis ſpecies claros ſpectaret in ortus,
Tum fore,ut occultos populus,ſanctusq́ Senatus
Cernere conatus poſſet,ſi ſolis ad ortum
Conuerſa inde patrum ſedes populiq́ uideret.
Hæc tardata diu ſpecies multumq́ morata

Conſule

Conſule te tandem celſa eſt in ſede locata,
Atque una fixi ac ſignati temporis hora
Iuppiter excelſa clarabat ſceptra columna.
At clades patriæ flamma ferroq; parata,
Vocibus Allobrogum patribus populoq; patebat.
Rite igitur ueteres, quorum monumenta tenetis,
Qui populos urbeisq; modo ac uirtute regebant,
Rite etiam ueſtri, quorum pietasq; fidesq;
Præſtitit, & longe uicit ſapientia cunctos,
Præcipue coluere uigenti nomine diuos.
Hæc adeo penitus cura uidere ſagaci,
Otia qui ſtudijs læti tenuere decoris,
Inq; Academia umbrifera, nitidoq; Lyceo
Fuderunt claras fœcundi pectoris artes.
E quibus ereptum primo iam à flore iuuentæ,
Te patria in media uirtutum mole locauit.
Tu tamen anxiferas curas requiete relaxas,
Quod patriæ uocis ſtudijs nobisq; ſacraſti.

Tu igitur animum poteris inducere contra ea quæ à me diſputantur, & de diuinatione dicere, qui & geſſeris ea quæ geſſiſti, & ea quæ pronunciaui accuratiſſime ſcripſeris? Quid quæris Carneades, cur hæc ita fiant, aut qua arte perſpici poſſint? neſcire me fateor, euenire autem te ipſum dico uidere. Caſu inquis. Ita ne uero quicq̃ poteſt caſu eſſe factum, quod omnes habet in ſe numeros ueritatis? Quatuor tali iacti caſu, uenereum efficiunt. Num etiam centum uenereos ſi CCCC talos ieceris caſu futuros putas? Aſperſa temere pigmenta in tabula, oris lineamenta efficere poſſunt. Num etiam Veneris Coę pulchritudinem effici poſſe aſperſiōe fortuita putas? Sus roſtro ſi humi, A, literã impreſſerit, num propterea ſuſpicari poteris Andromacham Ennij ab ea poſſe deſcribi? Fingebat Carneades in Chiorum lapicidinis, ſaxo diffiſſo caput extitiſſe Paniſci. Credo aliquam non diſſimilem figuram, ſed certe non talem ut eam factam à Scopa diceres. Sic enim ſe profecto res habet, ut nunquam perfecte ueritatem caſus imitetur. At nonnunquam ea quæ prædicta ſunt, minus eueniunt. Quæ tandem id ars non habet? earum dico artium, quæ coniectura continentur, & ſunt opinabiles. An medicina ars non putanda eſt: quam tamen multa fallunt. Quid gubernatores, nónne falluntur? An Achiuorum exercitus, & tot nauium rectores, non ita profecti ſunt ab Ilio, ut profectione læti piſcium laſciuiam intuerentur, ut ait Pacuuius, nec tuendi ſatietas capere poſſet?

Interea prope iam occidente ſole, inhorreſcit mare,
Tenebræ conduplicantur, noctisq; & nimbûm occæcat nigror.

Num igitur tot clariſſimorum ducum regumq; naufragium ſuſtulit artem gubernandi? Aut num Imperatorum ſcientia nihil eſt, quia ſummus Imperator nuper fugit amiſſo exercitu? Aut num propterea nulla eſt reip. gerendæ ratio atque prudentia, quia multa Cn. Pompeium, quædam M. Catonem, nonnulla etiam te ipſum fefellerunt? Similis eſt aruſpicũ reſpõſio, omniſq; opinabilis diuinatio. Cõiectura enim nititur, ultra quã progredi nõ po

teſt. Ea fallit fortaſſe nõnunq̃, ſed tamen ad ueritatem ſæpiſſime dirigit. Eſt enim ab omni æternitate repetita: in qua quum penè innumerabiles res eodẽ modo euenirent, ijſdem ſignis antegreſſis, ars eſt effecta, eadẽ ſæpe animaduertendo ac notando. Auſpicia uero ueſtra q̃ conſtãt? quæ quidẽ nunc à Romanis Auguribus ignorantur, bona hoc tua uenia dixerim, à Cilicibus, Pamphylijs, Piſidis, Lycijs tenentur. Nam quid ego hoſpitem noſtrũ clariſſimũ atq; optimum uirum Deiotarum regem commemorem, qui nihil unquam niſi auſpicato gerit? qui quum ex itinere quodã propoſito, & conſtituto reuertiſſet, aquilæ admonitus uolatu, conclaue illud ubi erat manſurus ſi ire perrexiſſet, proxima nocte corruit. Itaq; ut ex ipſo audiebam, perſæpe reuertit ex itinere, quum iam progreſſus eſſet multorum dierum uiam. Cuius quidẽ hoc præclariſſimum eſt, quod poſtea quam à Cæſare tetrarchiæ regno, pecuniaq; multatus, negat ſe tamen eorum auſpiciorum, quæ ſibi ad Pompeium proficiſcenti, ſecunda euenerint pœnitere. Senatus enim auctoritatem & Populi R. libertatem atq; imperij dignitatẽ, ſuis armis eſſe defenſam, ſibiq; eas aues, quibus auctoribus officium & fidem ſecutus eſſet, bene conſuluiſſe: antiquiorem enim ſibi fuiſſe poſſeſſionibus ſuis gloriam. Ille mihi uidetur igitur uere augurari: nam noſtri quidem magiſtratus auſpicijs utuntur coactis. Neceſſe enim ẽ offa obiecta cadere fruſtũ ex pulli ore, quum paſcitur. Quod autẽ ſcriptum habetis, aut tripudiũ fieri ſi ex ea quid in ſolidum ceciderit, hoc quoq; quod dixi coactum tripudium ſoliſtimum dicitis. Itaq; multa auguria, multa auſpicia, quod Cato ille ſapiẽs queritur, negligentia collegij amiſſa plane & deſerta ſunt. Nihil ferè quondam maioris rei, niſi auſpicato, ne priuatim quidẽ gerebatur: quod etiã nũc nuptiarũ auſpicijs declarant, qui re omiſſa nomen tantũ tenent. Nã ut nunc extis, q̃q̃ id ipſum aliquãto minus q̃ olim, ſic tunc auibus magnæ res impartiri ſolebant. Itaq; ſiniſtra dum non exquirimus, in dira & in uitioſa ĩcurrimus, ut P. Claudius Appij Cæci F. eiusq; Collega L. Iunius claſſes maximas perdiderunt, quum uitio nauigaſſent. Quod eodem modo euenit Agamennoni, qui quum Achiui cœpiſſent.

Inter ſe ſtrepere, aperteq; artem obterere, extiſpicum
Soluere imperat, ſecundo rumore aduerſaq; auí.

Sed quid uetera? M. Craſſo quid acciderit uidemus, dirarũ obnunciatione neglecta. In quo Appius Collega tuus bonus Augur, ut ex te audire ſoleo, nõ ſatis ſcienter uirũ bonum, & ciuem egregium Cenſor C. Aetheium notauit, quòd ementitum auſpicia ſubſcriberet. Eſto, fuerit hoc Cenſoris, ſi iudicabat emẽtitum: at illud minime Auguris, quod aſcripſit ob eam cauſam Populũ R. calamitatẽ maximã cepiſſe. Si enim ea cauſa calamitatis fuit, nõ in eo eſt culpa, qui obnũciauit, ſed in eo qui nõ paruit. Verã enim fuiſſe obnũciationẽ, ut ait idem Augur & Cẽſor, exitus approbauit, quæ ſi falſa fuiſſent, nullam afferre potuiſſent cauſam calamitatis. Etenĩ dira ſicut & cetera auſpicia, ut omina, ut ſigna, nõ cauſas afferunt cur quid eueniat, ſed nunciãt euentura, niſi prouideris. Non igitur obnunciatio Aethei cauſam finxit calamitatis, ſed ſigno obiecto monuit Craſſum quid euenturum eſſet niſi cauiſſet. Ita aut illa obnũciatio nihil ualuit, aut ſi (ut Appius iudicat) ualuit, id ualuit ut peccatum hæreat non in eo qui monuerit, ſed in eo qui non obtemperarit. Quid lituus iſte ueſter, quod clariſſimũ eſt ĩſigne auguratus, unde uobis eſt traditus? nẽpe eo

Romulus regiones direxit tum quum urbem condidit. Qui quidem Romu-
li lituus, id eſt incuruum, & leuiter à ſummo inflexũ bacillum, quod ab eius li-
tui quo canitur ſimilitudine nomen inuenit, quum ſitus eſſet in curia Salio-
rum, quæ eſt in palatio, eaq; deflagrauiſſet, inuentus eſt integer. Quid mul-
tis annis poſt Romulum Priſco regnante Tarquinio? Quis ueterum ſcripto
rum non loquitur quæ ſit ab Attio Nauio per lituum regionum facta deſcri
ptio? qui quum propter paupertatem ſues puer paſceret, una ex his amiſſa uo
uiſſe dicitur, ſi recuperaſſet, uuam ſe deo daturum, quę maxima eſſet in uinea.
Itaque ſue inuenta ad meridiem ſpectans, in uinea media dicitur conſtitiſſe.
Quumq; in quatuor partes uineam diuiſiſſet, triſq; partes aues abdixiſſent,
quarta parte quæ erat reliqua in regione diſtributa, mirabili magnitudine
uuam, ut ſcriptum uidemus, inuenit. Qua re celebrata, quum uicini omnes ad
eum de rebus ſuis referrent, erat in magno nomine & gloria. Ex quo factum
eſt, ut eum ad ſe Rex Priſcus arceſſeret: cuius quum tentaret ſcientiam augu-
ratus, dixit ei cogitare ſe quiddam, id poſſet ne fieri cõſuluit. Ille augurio acto
poſſe reſpondit. Tarquinius autem dixit ſe cogitaſſe, cotem nouacula poſſe
præcidi, tum Attium iuſſiſſe experiri. Ita cotem in comitium allatam, inſpe-
ctãte & Rege, & populo, nouacula eſſe diſciſſam. Ex eo euenit, ut & Tarqui-
nius Augure Attio Nauio uteretur, & populus de ſuis rebus ad eum referret.
Cotem autem illam & nouaculam defoſſam in comitio, ſupraq; poſitũ pu-
teal accepimus. Negemus omnia, comburamus annales, ficta hæc eſſe dica-
mus, quiduis deniq; potius, q̃ deos res humanas curare fateamur. quid quod
apud te ſcriptum eſt de Tiberio Graccho nónne & augurum & aruſpicum
comprobat diſciplinam? qui quum tabernaculum uitio cepiſſet imprudens,
quod inauſpicato pomœrium tranſgreſſus eſſet, comitia Conſulibus rogan-
dis habuit. Nota res eſt, & à te ipſo mandata monumẽtis. Sed & ipſe Augur
Ti. Gracchus auſpiciorum auctoritatẽ cõfeſſione errati ſui comprobauit, &
aruſpicũ diſciplinæ magna acceſſit auctoritas: qui recentibus comitijs in Se-
natũ introducti, negauerũt iuſtum comitiorum rogatorẽ fuiſſe. Iis igitur aſ-
ſentior, qui duo genera diuinationum eſſe dixerũt. Vnum quod particeps eſ-
ſet artis, alterũ quod arte careret. Eſt enim ars in ijs qui nouas res coniectura
perſequuntur, ueteres obſeruatione didicerunt. Carẽt autem arte ij, qui nõ ra-
tione aut cõiectura obſeruatis ac notatis ſignis, ſed concitatione quadam ani-
mi, aut ſoluto liberoq; motu futura pręſentiunt. Quod & ſomniantibus ſæpe
contigit, & nõnunq̃ uaticinãtibus per furorem, ut Bacis Bœotius, & Epime-
nides Cres, ut Sibylla Erythræa. Cuius generis oracula etiam habenda ſunt,
non ea quæ æquatis ſortibus ducuntur, ſed illa quæ inſtinctu diuino afflatuq;
fundũtur: & ſi ipſa ſors contẽnenda non eſt, ſi & auctoritatem habet uetuſta-
tis, ut hæ ſunt ſortes, quas è terra editas accepimus: quæ tamen ductæ, ut in rẽ
apte cadant, fieri credo poſſe diuinitus. Quorũ omnium interpretes, ut gram
matici poetarũ, proxime ad eorum quos interpretantur diuinationem uiden
tur accedere. Quæ eſt igitur iſta calliditas, res uetuſtate robuſtas calum-
niãdo uelle peruertere? Non reperio cauſam, latet fortaſſe obſcuritate inuolu
ta naturæ. Nõ enim me deus iſta ſcire, ſed his tãtummodo uti uoluit. Vtar igi
tur, nec abducar ut rear aut in extis totam Etruriam delirare, aut eandem gen
tem in fulguribus errare, aut fallaciter portenta interpretari, quum terræ

ſæpe fremitus, ſæpe mugitus, ſæpe motus, multa noſtræ reip, multa ceteris ciuitatibus grauia & uera prædixerint. Quid qui irridetur partus hic mulæ, nonne quia fœtus extitit in ſterilitate naturæ, prædictus eſt ab aruſpicibus incredibilis partus malorum? Quid Tib. Gracchus. P. F. qui bis Conſul & Cenſor fuit, idemq́ & ſummus Augur, & uir ſapiẽs, ciuisq́ præſtans, nónne ut C. Gracchus filius eius ſcriptũ reliquit, duobus anguibus domi comprehẽſis aruſpices conuocauit? Qui quum reſpõdiſſent, ſi marem emiſiſſet, uxori breui tẽpore eſſe moriẽdum, ſi fœminã ipſi, æquius eſſe cenſuit ſe maturam oppetere mortẽ, q̃ P. Aphricani filiã adoleſcentem: fœminã emiſit, ipſe paucis poſt diebus eſt mortuus. Irrideamus aruſpices, uanos, futiles eſſe dicamus, quorumq́ diſciplinam & ſapiẽtiſſimus uir, & euentus ac res cõprobauit. Cõtẽnamus etiã Babylonios, & eos qui è Caucaſo cœli ſigna ſeruantes, numeris & motibus, ſtellarum curſus perſequũtur. Condẽnemus inquam hos aut ſtultitiæ, aut uanitatis, aut imprudẽtiæ, qui CCCCLXX milia annorum, ut ipſi dicunt, monumẽtis cõprehenſa continent, & mentiri iudicemus, nec ſeculorũ reliquorum iudicium quod de ipſis futurũ ſit pertimeſcere. Age Barbari uani atq́ fallaces, num etiam Graiorũ hiſtoria mentita eſt? quæ Crœſo Pythius Apollo, ut de naturali diuinatione dicã, quæ Athenienſibus, quæ Lacedæmonijs, quæ Taygetis, quæ Argiuis, quæ Corinthijs reſpõderit, q̃s ignorat? Collegit innumerabilia oracula Chryſippus, nec ullum ſine locuplete auctore atq́ teſte, quæ quia nota tibi ſunt, relinquo. Defendo unũ hoc, nunq̃ illud oraculũ Delphis tam celebre & tam clarũ fuiſſet, neq́ tãtis donis refertũ omniũ populorũ atq́ regum, niſi omnis ætas oraculorũ illorũ ueritatẽ eſſet experta. Idẽ iádiu non facit. Vt igitur nunc minore gloria eſt, quia minus oraculorũ ueritas excellit, ſic tunc niſi ſumma ueritate in tanta gloria non fuiſſet. Poteſt autẽ uis illa terræ quæ mẽtẽ Pythiæ diuino afflatu cõcitabat, euanuiſſe uetuſtate, ut quoſdã euanuiſſe & exaruiſſe amnes, aut in alium curſum contortos & deflexos uidemus. Sed ut uis acciderit, magna enim quæſtio eſt, modo maneat id quod negari nõ poteſt niſi omnẽ hiſtoriã peruerterimus, multis ſeclis uerax fuiſſe id oraculũ. Sed omittamus oracula, ueniamus ad ſomnia, de quibus diſputãs Chryſippus, multis & minutis ſomnijs colligendis, facit idẽ quod Antipater, ea cõquirens quæ Antiphontis interpretatione explicata, declarant illa quidẽ acumen interpretis, ſed exẽplis grãdioribus decuit uti. Dionyſii mater eius qui Syracuſiorum tyrãnus fuit, ut ſcriptũ apud Philiſtũ eſt, & doctum hominẽ, & diligẽtem, & æqualem tẽporũ illorum, quum prægnans hunc ipſum Dionyſium aluo contineret, ſomniauit ſe peperiſſe Satyriſcum. Huic interpretes portẽtorum, qui Galeotæ tum in Sicilia nominabãtur, reſpõderunt, ut ait Philiſtus, eum quem illa peperiſſet, clariſſimum Græciæ diuturna cum fortuna fore. Num te ad fabulas reuoco, uel noſtrorum, uel Græcorum poetarum? Narrat enim & apud Ennium Veſtalis illa,

Excita cum tremulis anus attulit artubu' lumen
Talia commemorat lacrimans, exterrita ſomno,
Eurydica prognata, pater quam noſter amauit.
Vires uita meum corpus nunc deſerit omne,
Nam me uiſus homo pulcher per amœna ſalicta,
Et ripas raptare, locosq́ nouos ita ſola

Poſtilla

Poſtilla germana ſoror errare uidebar,
Tardaq; ueſtigare & quærere te,neq; poſſe
Corde capeſſere.ſemita nulla pedem ſtabilibat.
Exin compellare pater me uoce uidetur
His uerbis:cognata tibi ſunt ante gerendæ
Hæc effatu' pater,germana repente receſſit,
Aerumnę, poſt ex fluuio fortuna reſiſtet.
Nec ſeſe dedit in conſpectū corde cupitus.
Qũ q̃ multa manus ad cœli cœrula templa
Tendebam lacrimans,& blanda uoce uocabam.
Vix ægro tum corde meo me ſomnus reliquit.

Hæc etiam ſi ficta ſunt à poeta,non abſunt tamen à conſuetudine ſomniorum.Sit ſanè etiam illud cōmentitium,quo Priamus eſt conturbatus.

Quia mater grauida parere ſeſe ardentem facem,
Viſa eſt in ſomnis Hecuba:quo facto pater
Rex ipſe Priamus,ſomnio mentis metu
Perculſus,curis ſumptis ſuſpirantibus
Exſacrificabat hoſtijs balantibus.
Tum coniectorem poſtulat pacem petens,
Vt ſe edoceret obſecrans Apollinem,
Quo ſeſe uertant tantæ ſortes ſomniūm.
Ibi ex oraclo uoce diuina edidit
Apollo,puerum,primus Priamo qui foret
Poſtilla natus,temperaret tollere
Eum eſſe exitium Troiæ,peſtem Pergamo.

Sint hæc ut dixi ſomnia fabularum, hisq; adiungatur etiam Aeneæ ſomnium,quod innumerum Fabij Pictoris Græcis annalibus eiuſmodi eſt,ut omnia quæ ab Aenea geſta ſunt,quæq; illi acciderunt,ea fuerint quæ ei ſecundum quietem uiſa ſunt.Sed propiora uideamus, cuiuſnam modi eſt Superbi Tarquinij ſomnium,de quo in Bruto Accius loquitur ipſe.

Quum iam quieti corpus nocturno impetu
Dedi,ſopore placans artus languidos,
Viſus eſt in ſomnis paſtor ad me appellere.
Duos conſanguineos arietes inde eligi,
Pecus lanigerum eximia pulchritudine,
Præclarioremq; alterum immolare me,
Deinde eius germanum cornibus connitier
In me arietare,eoq; ictu me ad caſum dari.
Exin proſtratum terra grauiter ſaucium.
Reſupinum in cœlo contueri maximum
Ac mirificum facinus,dextrorſum orbem flammeum
Radiatum ſolis liquier curſu nouo.

Eius igitur ſomnij à coniectoribus quæ ſit interpretatio facta uideamus.

Res,quæ in uita uſurpant,homines cogitant,curant,uident,
Quæq; agunt uigilantes,agitantq;,ea ſi cui in ſomno accidunt,
Minus mirandum eſt:ſed in re tanta haud temere improuiſo offerunt.

Proin uide ne quem tu eſſe hebetem deputes æque ac pecus,
Is ſapientia munitum pectus egregium gerat,
Teq́ꝫ regno expellat. nam id quod de Sole oſtentum eſt tibi,
Populo commutationem rerum portendit fore.
Per propinqua hæc bene uerruncent populo. nam quod ad dexteram
Cœpit curſum ab læua ſignum præpotens: pulcherrime
Auguratum eſt, rem Romanam publicam ſummam fore.

Age nũc ad externa redeamus. Matrem Phalaridis ſcribit Ponticus Heraclides doctus uir, auditor & diſcipulus Platonis, uiſam eſſe uidere in ſomnijs ſimulacra deorum, quæ ipſa Phalaridis domi conſecrauiſſet. Ex his Mercurium è patera quã dextera manu teneret, ſanguinem uiſum eſſe fundere, qui quum terrã attigiſſet referueſcere uideretur, ſic ut tota domus ſanguine redundaret, quod matris ſomnium immanis filij crudelitas cõprobauit. Quid ego quæ magi Cyro illi principi interpretati ſunt, ex Dionyſii Perſicis libris proferã? Nã quum dormienti ei ſol ad pedes uiſus eſſet, ter eum ſcribit fruſtra appetiuiſſe manibus, quũ ſe conuoluens ſol elaberetur & abiret. Ei magos dixiſſe, quod genus ſapientũ & doctorum habebatur in Perſis, ex triplici appetitione ſolis XXX annos Cyrũ regnaturũ eſſe portẽdi, quod ita contigit. Nã ad ſeptuageſimũ peruenit, quum XL natus annos regnare cœpiſſet. Eſt profecto quiddã etiam in barbaris gentibus præſentiẽs atq́ꝫ diuinans: ſiquidẽ ad mortẽ proficiſcens Calanus Indus, quum aſcẽderet in rogum ardentẽ. O preclarũ diſceſſum, inquit è uita, quum ut Herculi cõtigit mortali corpore cremato in lucẽ animus exceſſerit. Quumq́ꝫ Alexãder eum rogaret, ſi quid uellet ut diceret. Optime, inquit, propediẽ te uidebo. quod ita contigit. Nã Babylone paucis poſt diebus Alexander eſt mortuus. Diſcedo parũper à ſomnijs, atq́ꝫ mox reuertar. Qua nocte tẽplum Epheſię Dianę deflagrauit, eadẽ conſtat ex Olympiade natũ eſſe Alexãdrũ, atq́ꝫ ubi lucere cœpiſſet, clamitaſſe Magos peſtem ac perniciem Aſię proxima nocte natam. Hęc de Indis & Magis, redeamus ad ſomnia. Annibalem Cęlius ſcribit, quum columnã auream quę eſſet in fano Iunonis Lacinię, auferre uellet, dubitaretq́ꝫ utrum ea ſolida eſſet, an extrinſecus inaurata, perterebrauiſſe: quumq́ꝫ ſolidam inueniſſet: ſtatuiſſetq́ꝫ tollere, ei ſecundum quietem uiſam eſſe Iunonẽ predicere, ne id faceret, minariq́ꝫ ſi id feciſſet, ſe curaturam ut eum quoq́ꝫ oculum quo bene uideret, amitteret, idq́ꝫ ab homine acuto non eſſe neglectum. Itaq́ꝫ ex eo auro quod exterebratum eſſet, buculam curaſſe faciendam, & eam in ſumma colũna collocauiſſe. Hoc idem in Sileni, quem Cęlius ſequitur, Gręca hiſtoria eſt. Is autẽ diligentiſſime res Annibalis perſecutus eſt: Annibalem quũ cepiſſet Saguntum, uiſum eſſe in ſomnis à Ioue in deorũ cõcilium uocari: quo quũ ueniſſet, Iouem imperauiſſe, ut Italię bellum inferret, ducemq́ꝫ ei unũ è concilio datũ, quo illum utentẽ cũ exercitu progredi cœpiſſe. Tum ei ducem illũ præcepiſſe ne reſpiceret: illũ autem id diutius facere nõ potuiſſe, elatumq́ꝫ cupiditate reſpexiſſe. Tum uiſam beluam uaſtã & immanem circũplicatam ſerpentibus, quacunq́ꝫ incederet omnia arbuſta, uirgulta, tecta peruertere: & eum admiratũ quæſiſſe de deo, quodnã illud eſſet tale monſtrũ, & deum reſpondiſſe, uaſtitatẽ eſſe Italię, præcepiſſeq́ꝫ ut pergeret protinus, quid retro atq́ꝫ à tergo fieret, ne laboraret. Apud Agathoclem ſcriptũ in hiſtoria eſt, Hamilcarẽ

Carthaginienſem quum oppugnaret Syracuſas uiſum eſſe audire uocē, ſe poſtridie cœnaturū Syracuſis. Quum autem is dies illuxiſſet, magnam ſeditionē in caſtris eius inter Pœnos & Siculos milites eſſe factam: quod quum ſenſiſſent Syracuſani, improuiſo eos in caſtra irrupiſſe, Hamilcaremq́ ab his uiuum eſſe ſublatum. ita res ſomniū comprobauit. Plena exēplorum eſt hiſtoria, tum referta uita communis. At uero P. Decius ille. Q. F. qui primus è Decijs fuit Cōſul, quum eſſet Trib. mil. M. Valerio, A. Cornelio Coss, à Samnitibusq́ premeretur noſter exercitus, quum pericula præliorum iniret audacius, moneretur q́ ut cautior eſſet, dixit quod extat in annalibus, ſibi in ſomnijs uiſum eſſe, quum in medijs hoſtibus uerſaretur, occidere cū magna gloria. Et tum quidē incolumis exercitum obſidione liberauit: poſt triēnium autē quum Conſul eſſet, deuouit ſe, & in aciem Latinorum irrupit armatus, quo eius facto ſuperati ſunt & deleti Latini. Cuius mors ita glorioſa fuit, ut eandē concupiſceret filius. Sed ueniamus nūc ſi placet ad ſomnia philoſophorū. Eſt apud Platonem Socrates, quum eſſet in cuſtodia publica, dicens Critoni ſuo familiari, ſibi poſt tertium diem eſſe moriendum, uidiſſe ſe in ſomnijs pulchritudine eximia fœminam, quæ ſe nomine appellans, diceret Homericum quēdam eiuſmodi uerſum.

Tertia te Phthiæ tempeſtas læta locabit.

Quod ut eſt dictū, ſic ſcribitur cōtigiſſe. Xenophon Socraticus, qui uir & quātus in ea militia qua cum Cyro minore perſunctus eſt, ſua ſcribit ſomnia, quorū euentus mirabiles extiterunt. Mētiri Xenophontem an delirare dicemus? Quid ſingulari uir ingenio Ariſtoteles & pene diuino, ipſe ne errat, an alios uult errare? quum ſcribit Eudemū Cyprium familiarē ſuum, iter in Macedoniā facientē Pheras ueniſſe, quæ erat urbs in Theſſalia, tum admodū nobilis, ab Alexandro autem tyranno, crudeli dominatu tenebatur. In eo igitur oppido ita grauiter ægrū Eudemum fuiſſe, ut omnes medici diffiderēt. Ei uiſum in quiete egregia facie iuuenē dicere, fore ut breui conualeſceret, paucisq́ diebus interiturum Alexandrum tyrannū, ipſum autem Eudemū quinquennio poſt domum eſſe rediturum. Atq́ ita quidem prima ſtatim ſcribit Ariſtoteles cōſecuta, & conualuiſſe Eudemum, & ab uxoris fratribus interfectū tyrānum. Quinto autem anno exeunte, quum eſſet ſpes ex illo ſomnio, in Cyprum illū ex Sicilia eſſe rediturum, præliantē eum ad Syracuſas occidiſſe. Ex quo ita illud ſomnium eſſe interpretatū, ut quum animus Eudemi è corpore exceſſerit, tum domū reuertiſſe uideatur. Adiungamus philoſophis doctiſſimū hominem poetam quidem diuinum Sophoclem, qui quum ex æde Herculis patera aurea grauis ſurrepta eſſet, in ſomnijs uidit ipſum deum dicētem qui id feciſſet. Quod ſemel ille iterumq́ neglexit. Vbi idē ſæpius, aſcendit in Ariūpagum, detulit rem. Ariopagitæ cōprehendi iubent eum, qui à Sophocle erat nominatus. Is quęſtione adhibita confeſſus eſt, paterāq́ retulit. Quo facto fanum illud Indicis Herculis nominatū eſt. Sed quid ego Græcorum? Neſcio quo modo me magis noſtra delectāt, omnes hoc hiſtorici, Fabij, Gellij, ſed proxime Cęlius. Quum bello latino ludi uotiui maximi primū fierent, ciuitas ad arma repente eſt excitata. Itaq́ ludis intermiſſis inſtauratiui conſtituti ſunt: qui anteq̄ fierent, quumq́ iam populus conſediſſet, ſeruus per circū quum uirgis cæderetur furcam ferens ductus eſt. Exin cuidam ruſtico Roma-

no dormienti uiſus eſt uenire qui diceret, præſultorem ſibi non placuiſſe ludis, idq́ ab eodem iuſſum eſſe eum ſenatui nunciare: illum non auſum. Iterũ idẽ eſſe iuſſum, & monitum ne uim ſuam experiri uellet: ne tum quidem eſſe auſum. Exin filium eius eſſe mortuum. Eandem in ſomnijs admonitionem fuiſſe tertiam. Tum illum etiam debilem factum rem ad amicos detuliſſe, quorũ de ſententia Lecticula in curiam eſſe delatũ: quumq́ ſenatui ſomnium enarrauiſſet, pedibus ſuis ſaluum domum reuertiſſe. Itaq́ ſomnio comprobato à Senatu, ludos illos iterum inſtauratos memoriæ proditum eſt. C. uero Gracchus multis dixit, ut ſcriptum apud eundem Cœlium eſt, ſibi in ſomnijs. Quæſturam petenti Ti. fratrem uiſum eſſe dicere. Quãuellet cunctaretur, tamẽ eodem ſibi leto quo ipſe interiſſet eſſe pereundum. Hoc antequam Tr. ple. C. Gracchus factus eſſet, & ſe audiſſe ſcribit Cælius, & dixiſſe multis. Quo ſomnio quid inueniri poteſt certius? Quid illa duo ſomnia, quæ creberrime commemorantur à Stoicis, quis tandem poteſt contemnere? Vnum de Simonide, qui quum ignotum quendam proiectum mortuum uidiſſet, eumq́ humauiſſet, haberetq́ in animo nauem conſcendere, moneri uiſus eſt ne id faceret, ab eo quem ſepultura affecerat: ſi nauigaſſet, eum naufragio eſſe periturum. Itaq́ Simonidem rediſſe, periſſe cæteros qui tum nauigauiſſent. Alterum ita traditum clarum admodum ſomnium. Quum duo quidam Arcades familiares iter unà facerent, & Megaram ueniſſent, alterum ad cauponẽ diuertiſſe, ad hoſpitem alterum: qui ut cenati quieſcerẽt, cõcubia nocte uiſum eſſe in ſomnijs ei qui erat in hoſpitio, illum alterum orare ut ſubueniret, quod ſibi à caupone interitus pararetur. Eum primo perterritum ſomnio ſurrexiſſe: dein quum ſe collegiſſet, idq́ uiſum pro nihilo habendum eſſe duxiſſet, recubuiſſe. Tum ei dormienti eundem illum uiſum eſſe rogare, ut quoniam ſibi uiuo non ſubueniſſet, mortem ſuã ne inultam eſſe pateretur, ſe interfectum in plauſtrum à caupone eſſe coniectum, & ſupra ſtercus iniectum, petere ut mane ad portam adeſſet, priuſquam plauſtrum ex oppido exiret. Hoc uero eum ſomnio cõmotum mane bubulco præſto ad portam fuiſſe, quæſiſſe ex eo quid eſſet in plauſtro, illum perterritum fugiſſe, mortuum erutum eſſe, cauponem re patefacta pœnas dediſſe. Quid hoc ſomnio dici poteſt diuinius? Sed quid aut plura aut uetera quærimus? Sæpe tibi meum narraui, ſæpe ex te audiui tuum ſomnium. Me quum Aſiæ Procos. præeſſem, uidiſſe in quiete, quum tu equo aduectus ad quandam magni fluminis ripam, prouectus ſubito atq́ delapſus in flumen nuſquam apparuiſſes, me contremuiſſe timore perterritum, tum te repente lætum extitiſſe, eodemq́ equo aduerſam aſcẽdiſſe ripam, nosq́ inter nos eſſe complexos. Facilis coniectura huius ſomnij, mihiq́ à peritis in Aſia prædictum eſt, fore eos euentus rerum, qui acciderunt. Venio nunc ad tuum. Audiui equidem ex te ipſo, ſed mihi ſæpius noſter Salluſtius narrauit, quum in illa fuga nobis glorioſa, patriæ calamitoſa, in uilla quadam campi Atinatis maneres, magnamq́ partem noctis uigilaſſes, ad lucem deniq́ arcte & grauiter dormitare cœpiſſe. Itaq́ quãquã iter inſtaret, te tamen ſilentium fieri iuſſiſſe, neque eſſe paſſum te excitari. Quum autem experrectus eſſes hora ſecunda fere, te ſibi ſomniũ narrauiſſe: uiſum tibi eſſe, quum in locis ſolis mœſtus errares, C. Mariũ cum faſcibus laureatis quærere ex te, quid triſtis eſſes? Quumq́ te tua patria ui pulſum eſſe dixiſſes, prehendiſſe eum dextram tuam, & bono

animo te iuſſiſſe eſſe, lictoriq́ proximo tradidiſſe, ut te in monumentum ſuū deduceret, & dixiſſe in eo tibi ſalutem fore. Tum & ſe exclamaſſe, Salluſtius narrat, reditum tibi celerem & glorioſum paratum, & te ipſum uiſum ſomnio delectari. Nam illud mihi ipſi celeriter nūciatum eſt, ut audiuiſſes in monumento Marij de tuo reditu magnificentiſſimum illud S.C. eſſe factum, referente optimo & clariſſimo uiro Conſule, idq́ frequentiſſimo theatro, incredibili clamore & plauſu comprobatum, dixiſſe te nihil illo Atinati ſomnio fieri poſſe diuinius. At multa falſa immo obſcura fortaſſe nobis, ſed ſint falſa quædam, contra uera quid dicimus? quæ quidem multo plura euenirent, ſi ad quietem integri iremus: nunc onuſti cibo & uino, perturbata & confuſa cernimus. Vide quid Socrates in Platonis Politia loquatur. Dicit enim quum dormientibus ea pars animi quæ mentis & rationis ſit particeps, ſopita langueat, illa autem in qua feritas quędam ſit atq; agreſtis immanitas, quum ſit immoderato obſtupefacta potu atq; paſtu, exultare eam in ſomno immoderateq́ iactari. Itaq; huic omnia uiſa obijciuntur à mente ac ratione uacua, ut aut cum matre corpus miſcere uideatur, aut cum quouis alio uel homine uel deo, ſępe belua, atq; etiam trucidare aliquem, & impie cruentari, multaq́ facere impure atq; tetre cum temeritate & impudentia. At qui ſalubri & moderato cultu atq; uictu, quieti ſe tradiderit, ea parte animi quæ mentis & cōſilij eſt agitata & erecta, ſaturataq́ bonarum cogitationum epulis, eaq́ parte animi, quæ uoluptate alitur, nec inopia enecta, nec ſatietate affluenti, quorum utrunq; pręſtringere aciem mentis ſolet: ſiue deeſt naturę quippiam, ſiue abūdat atq; effluit: illa etiam tertia parte animi, in qua irarum exiſtit ardor, ſedata atq; reſtincta, tum eueniet duabus animi temerarijs partibus compreſſis, ut illa tertia pars rationis & mentis eluceat, & ſe uegetam ad ſomniandum acremq́ prębeat, tum ei uiſa quietis occurrent tranquilla atq; ueracia. Hæc uerba ipſa Platonis expreſſi. Epicurū igitur audiemus potius? Namq; Carneades concertationis ſtudio, modo ait hoc, modo illud. At ille quid ſentit? ſentit autem nihil unq̄ elegans, nihil decorum. Hunc ergo antepones Platoni & Socrati? qui ut rationem non redderent, auctoritate tamen hos minutos philoſophos uincerent. Iubet igitur Plato ſic ad ſomnum proficiſci corporibus affectis, ut nihil ſit quod errorem animis perturbationemq́ afferat. Ex quo etiam Pythagoricis interdictum putatur, ne faba ueſcerentur, quod habet inflationem magnam is cibus, tranquillitati mentis quærenti uera cōtrariam. Quum ergo eſt ſomno ſeuocatus animus à ſocietate & à cōtagione corporis, tum meminit præteritorum, præſentia cernit, futura præuidet. Iacet enim corpus dormientis ut mortui, uiget autem & uiuit animus. Quod multo magis faciet poſt mortem, quum omnino corpore exceſſerit. Itaq; appropinquante morte multo eſt diuinior. Nam & id ipſum uident, qui ſunt morbo graui & mortifero affecti, inſtare mortem. Itaque his occurrunt plerunq; imagines mortuorum, tumq́ uel maxime laudi ſtudent, eosq́ qui ſecus q̄ decuit uixerunt, peccatorum ſuorum tum maxime pœnitet. Diuinare autē morientes illo etiam exemplo confirmat Poſidonius, quo affert Rhodium quendam morientem ſex æquales nominaſſe, & dixiſſe qui primus eorum, qui ſecundus, qui deinceps moriturus eſſet. Sed tribus modis cenſet deorum appulſu homines ſomniare. Vno quod præuideat animus ipſe per ſeſe, quippe qui

deorum cognatione teneatur. Altero, quod plenus aer ſit immortalium animorum, in quibus tanq̃ inſignitæ notæ ueritatis appareant. Tertio, quod ipſi dĳ cum dormiẽtibus colloquantur: idq́ꝫ ut modo dixi, facilius eueniet appropinquante morte, ut animi futura augurentur. Ex quo & illud eſt Calani, de quo ante dixi, & Homerici Hectoris, qui moriens propinquam Achilli mortem denunciat. Neqꝫ enim illud uerbum temere conſuetudo approbauiſſet, ſi ea res nulla eſſet omnino,

Præſagibat animus fruſtra me ire, quum exirem domo,

Sagire enim ſentire acute eſt, ex quo ſagæ anus, quia multa ſcire uolunt, & ſagaces dicti canes. Is igitur qui ante ſagit q̃ oblata res eſt, dicitur præſagire, id eſt futura ante ſentire. Ineſt igitur animis preſagitio extrinſecus iniecta, atque ĩcluſa diuinitus. Ea ſi exarſit acrius, furor appellatur, quum a corpore animus abſtractus diuino inſtinctu concitatur.

Sed quid oculis rapere uiſa eſt derepente ardentibus?

Vbi illa paulo ante ſapiens uirginali modeſtia?
Mater optuma, tum multo mulier melior,
Miſſa ſum ſuperſtitioſis ariolationibus,
Neqꝫ me Apollo fatis fandis dementem inuitam ciet.
Virgines uero æquales patris mei meum factum pudet
Optimi uiri: mea mater tui me miſeret, mei piget,
Optumam progeniem Priamo reppeꝛiſti extra me: hoc dolet
Me obeſſe, illos prodeſſe, me obſtare, illos obſequi.

O poema tenerum, & moratum, atque molle. Sed hoc minus ad rem, illud quod uolumus expreſſum eſt, ut uaticinari furor uera ſoleat.

Adeſt adeſt fax obuoluta ſanguine atqꝫ incendio
Multos annos latuit.
Ciues ferte opem, & reſtinguite.

Deus incluſus corpore humano iam non Caſſandra loquitur,

Iamq́ꝫ mari magno claſſis cita
Texitur exitiũm examen rapit,
Aduenit, & fera ueliuolantibus
Nauibu' compleuit manus littora.

Tragœdias loqui uideor, & fabulas, at ex te ipſo non commentitiam rem, ſed factam eiuſdem generis audiui, C. Coponium ad te ueniſſe Dyrrhachio, quum Prætorio imperio claſſi Rhodiæ præeſſet cum primo hominem prudentem atqꝫ doctum, eumq́ꝫ dixiſſe remigem quendam e quinqueremi Rhodiorum uaticinatum, madefactum iri minus XXX diebus Græciam ſanguine, rapinas Dyrrhachĳ, & cõſcenſionem in naues cum fuga: fugientibus miſerabilem reſpectum incendiorum fore, ſed Rhodiorum claſſi propinquũ reditum, ac domum itionem dari. Tum neqꝫ te ipſum non eſſe commotum, M. q́ꝫ Varronem, & M. Catonem, qui tum ibi erant, doctos homines uehementer eſſe perterritos. Paucis ſane poſt diebus ex Pharſalica fuga ueniſſe Labienum, qui quum interitum exercitus nunciauiſſet, reliqua uaticinationis breui eſſe confecta. Nam & ex horreis direptum effuſumq́ꝫ frumentum uias omnes angiportusq́ꝫ conſtrauerat, & naues ſubito perterriti metu conſcendiſtis, & noctu ad oppidum reſpicientes flagrantes onerarias, quas incenderant mi-

lites,quia ſequi noluerant,uidebatis. Poſtremo à Rhodia claſſe deſerti,uerũ
uatẽ fuiſſe ſenſiſtis.Expoſui q̃ breuiſſime potui ſomnij & furoris oracula,quę
carere arte dixeram:quorũ amborũ generum una ratio ẽ, qua Cratippus no-
ſter uti ſolet,animos hominũ quadam ex parte extrinſecus eſſe tractos & hau-
ſtos.Ex quo intelligitur eſſe extra diuinũ animum,humanus unde ducatur.
Humani autem animi eam partem,quæ ſenſum,quæ motum,quæ appetitum
habeat,nõ eſſe ab actione corporis ſeiugatã: quæ autẽ pars animi,rõnis atq;
intelligẽtię ſit particeps,eam maxime uigere, quum plurimũ abſit à corpore.
Itaq; expoſitis exẽplis uerarum uaticinationũ & ſomniorum, Cratippus ſo-
let rationẽ concludere hoc modo.Si ſine oculis nõ poteſt extare officiũ & mu
nus oculorũ,poſſunt tamen aliquando oculi nõ fungi ſuo munere:qui uel ſe-
mel ita eſt uſus oculis ut uera cerneret,is habet ſenſum oculorum uera cernen-
tium.Itẽ igitur ſi ſine diuinatione non poteſt & officium & munus diuinatio
nis extare,poteſt autẽ quis quum diuinationem habeat errare aliquando,nec
uera cernere:ſatis eſt ad confirmandã diuinationem,ſemel aliquid eſſe ita di-
uinatũ,ut nihil ſortuito cecidiſſe uideatur.Sunt autem eius generis innumera-
bilia,eſſe igitur diuinationẽ confitendum eſt. Quæ uero aut cõiectura expli-
cãtur,aut euentis animaduerſa ac notata ſunt,ea genera diuinandi,ut ſupra di
xi,nõ naturalia,ſed artificioſa dicuntur,in quo aruſpices, augures, coniecto-
resq; numerãtur.Hæc improbãtur à Peripateticis,à Stoicis defendunt̃, quo-
rum alia ſunt poſita in monumentis & diſciplina, quod Etruſcorum decla-
rãt & aruſpicini,& fulgurales,& rituales libri,noſtri etiã augurales:alia autẽ
ſubito ex tempore coniectura explicãtur,ut apud Homerum Chalcas, qui ex
paſſerum numero belli Troiani annos auguratus eſt. Et ut in Siſennæ ſcri-
ptũ hiſtoria uidemus,quod te inſpectãte factum eſt,ut quum ille in agro No
lano immolaret ante Prætoriũ,ab infima ara ſubito anguis emergeret,quũ
quidem C. Poſthumius aruſpex oraret illum,ut in expeditionem exercitum
educeret.Id quum Sylla feciſſet,tum ante oppidum Nolam florentiſſima Sã
nitum caſtra cepit.Facta coniectura etiam Dionyſio eſt paulo ante q̃ regna-
re cœpit:qui quum per agrum Leontinum iter faciens,equum ipſe demiſiſſet
in flumen,ſummerſus equus uoraginibus non extitit,quem quum maxima cõ
tentione non potuiſſet extrahere diſceſſit,ut ait Philiſtus, ægre ferens.Quũ
autẽ aliquantũ progreſſus eſſet,ſubito exaudiuit hinnitũ,reſpexitq;,& equũ
alacrem lætus aſpexit,cuius in iuba examen apum cõſederat. Quod oſtẽtum
habuit hãc uim,ut Dionyſius paucis poſt diebus regnare cœperit.Quid La-
cedæmonijs paulo ante Leuctricã calamitatẽ,quę ſignificatio facta eſt, quum
in Herculis fano arma ſonuerũt,Herculiſq; ſimulacrum multo ſudore mana-
uit? Ac eodẽ tẽpore Thebis,ut ait Challiſthenes, in templo Herculis ualuæ
clauſæ repagulis ſubito ſe ipſe aperuerunt,armaq; quæ fixa in parietibus fue
rant,ea ſunt humi inuenta.Quumq; eodem tẽpore apud Lebadiam Tropho
nio res diuina fieret,gallos gallinaceos in eo loco ſic aſſidue canere cœpiſſe,
ut nihil intermitterent.Tum augures dixiſſe Bœotios Thebanorum eſſe ui-
ctoriã,propterea quod auis illa uicta ſilere ſolet,canere ſi uiciſſet.Eademq; tẽ
peſtate multis ſignis Lacedæmonijs Leuctricę pugnę calamitas denunciaba
tur.Namq; & Lyſandri,qui Lacedæmoniorũ clariſſimus fuerat,ſtatua quæ
Delphis ſtabat,in capite corona ſubito extitit ex aſperis herbis & agreſtibus:

ſtellæq; aureæ quæ Delphis erant à Lacedæmonijs poſitæ poſt naualem illã uictoriam Lyſandri,qua Athenienſes conciderunt: qua in pugna quia Caſtor & Pollux cum Lacedæmoniorum claſſe uiſi eſſe dicebantur,eorum inſignia deorum ſtellę aureę quas dixi Delphis poſitę, paulo ante Leuctricam pugnam deciderunt,neq; repertę ſunt.Maximum uero illud portentum ijſdem Spartiatis fuit,quod quum oraculum ab Ioue Dodonęo petiuiſſent, de uictoria ſciſcitantes, Legatiq; illud in quo inerant ſortes collocauiſſent, ſimia quam Rex Moloſſorum in delitijs habebat,& ſortes ipſas & cętera quę erant ad ſortem parata diſturbauit,& aliud alió diſſipauit. Tum ea quę prępoſita erat oraculo ſacerdos dixiſſe dicitur,de ſalute Lacedęmonijs eſſe,nõ de uictoria cogitãdum. Quid bello punico ſecundo,nónne C. Flaminius Cõſul iterum neglexit ſigna rerum futurarũ magna cum clade reip? qui exercitu luſtrato,quum Arretium uerſus caſtra mouiſſet, & contra Annibalem legiones duceret,& ipſe & equus eius ante ſignum Iouis Statoris ſine cauſa repẽte concidit,nec eam rem habuit religioni,obiecto ſigno ut peritis uidebatur,ne committeret prælium. Idem quum tripudio auſpicaretur,pullarius diẽ prælij cõmittendi differebat. Tum Flaminius ex eo quęſiuit,ſi ne poſtea quidem pulli paſcerentur,quid faciendum cenſeret. Quum ille quieſcendum reſpondiſſet. Flaminius. Præclara uero auſpicia, ſi eſurientibus pullis res geri poterit,ſaturis nihil geretur. Itaq; ſigna cõuelli,& ſe ſequi iuſſit. Quo tẽpore quũ ſignifer primi haſtati ſignum non poſſet mouere loco, nec quidq̃ proficeretur,plures quum accederent,Flaminius re nunciata ſuo more neglexit. Itaq; tribus his horis conciſus exercitus, atq; ipſe interfectus eſt. Magnum illud etiam quod addidit Cælius,eo tempore ipſo quum hoc calamitoſum prælium fieret,tantos terræmotus in Liguribus,Gallia,compluribusq; inſulis,totaq; in Italia factos eſſe,ut multa oppida corruerint, multis locis labes factæ ſint, terręq; deſederint,fluminaq; in contrarias partes fluxerint,atq; in amnes mare influxerit. Fiunt certe diuinationum coniecturæ à peritis. Midæ illi Phrygi,quum puer eſſet,dormienti formicæ in os tritici grana congeſſerunt: diuitiſſimum fore prædictum eſt,quod euenit. At Platoni quum in cunis paruulo dormienti apes in labellis conſediſſent,reſponſum eſt ſingulari illum ſuauitate orationis fore: ita futura eloquentia prouiſa in infante eſt. Quid amores ac delitiæ tuæ Roſcius,num aut ipſe aut pro eo Lanuium totum mentiebatur? qui quum eſſet in cunabulis,educareturq; in Selonio, qui eſt cãpus agri Lanuini,noctu lumine appoſito experrecta nutrix animaduertit puerũ dormientem circumplicatum ſerpentis amplexu, quo aſpectu exterrita clamorẽ ſuſtulit: pater autem Roſcij ad aruſpices retulit, qui reſponderunt, nihil illo puero clarius,nihil nobilius fore: atque hanc ſpeciem Praxiteles cœlauit argento, & noſter expreſſit Archias uerſibus. Quid igitur expectamus? an dum in foro nobiſcum dij immortales, dum in uijs uerſentur, dum domi? Qui quidem ipſi ſe nobis non offerunt,uim autem ſuam longe lateq; diffundunt,quam cum terræ cauernis includunt, tum hominum naturis implicant. Nam terræ uis Pythiam Delphis incitabat,naturę Sibyllam. Quid enim nõ uidemus quàm ſint uaria terrarum genera? ex quibus & mortifera quædam pars eſt, ut & Ampſancti in Hirpinis,& in Aſia Plutonia quæ uidemus. Et ſunt partes agrorum aliæ peſtilentes, aliæ ſalubres, aliæ quæ acuta ingenia

gignant,

gignant, aliæ quæ retuſa: quę omnia fiunt & ex cœli uarietate, & ex diſparili aſpiratione terrarum. Fit etiam ſępe ſpecie quadam ſæpe u o cumgrauitate & cãtibus, ut pellãtur animi uehemẽtius, ſępe etiã cura & timore, qualis eſt illa.

Flexa anima tanq̃ lymphata, ut baccha ſacris

Commota in tumulis Teucrum commemorans ſuum.

Atq; etiam illa concitatio declarat uim in animis eſſe diuinam. Negat enim ſine furore Democritus quenquam poetam magnum eſſe poſſe. Quod idem dicit Plato. Quem ſi placet appellet furorẽ, dummodo is furor ita laudetur, ut in Phædro Platonis laudatus eſt. Quid ueſtra oratio in cauſis? Quid ipſa actio? poteſt eſſe uehemens & grauis & copioſa, niſi eſt animus ipſe commotior? Equidem etiam in te ſæpe uidi, & ut ad leuiora ueniamus, in Aeſopo familiari tuo tantum ardorem uultuum atq; motuum, ut eum uis quædam abſtraxiſſe à ſenſu mentis uideretur. Obijciuntur etiam ſæpe formæ, quæ reapſe nullæ ſunt, ſpeciem autem offerunt, quod contigiſſe Brenno dicitur, eiuſq; gallicis copijs, quum fano Apollinis Delphici nefarium bellum intuliſſet. Tum enim ferunt ex oraculo hæc fatam eſſe Pythiam.

Ego prouidebo rem iſtam, & albæ uirgines.

Ex quo factũ ut & uiderentur uirgines ferre arma contra, & niue Gallorum obrueretur exercitus. Ariſtoteles quidẽ eos etiã qui ualetudinis uitio furerẽt, & melãcholici dicerẽtur, cenſebat habere aliquid in animis præſagiens atque diuinũ. Ego aũt haud ſcio an nec cardiacis hoc tribuẽdum ſit, nec phreneticis. Animi enim integri, nõ uitioſi corporis eſt diuinatio. Quã quidem eſſe re uera, hac Stoicorũ ratione concluditur. Si ſunt dij, neque ante declarãt hominibus quæ futura ſunt, aut nõ diligũt homines: aut quid euenturũ ſit ignorant, aut exiſtimãt nihil intereſſe hominũ, ſcire quid ſit futurũ, aut non cenſent eſſe ſuę maieſtatis præſignificare hominibus quæ ſunt futura, aut ea ne ipſi quidẽ dij ſignificare poſſunt. At neq; nõ diligunt nos (ſunt enim benefici, generiq; hominũ amici) neq; ignorãt ea quæ ab ipſis cõſtituta & deſignata ſunt, neq; noſtra nihil intereſt ſcire ea quæ euentura ſunt (Erimus enim cautiores ſi ſciemus) neque hoc alienũ ducunt maieſtate ſua (nihil eſt enim beneficentia præſtantius) neque nõ poſſunt futura prænoſcere. Nõ igitur ſunt dij, nec ſignificãt futura. Sunt autem dij, ſignificant ergo, & ſi non ſignificant, nullas uias dant nobis ad ſignificationis ſcientiã, fruſtra enim ſignificarẽt: nec nõ ſi dãt uias, nõ eſt diuinatio, eſt igitur diuinatio. Hac ratione & Chryſippus, & Diogenes, & Antipater utitur. Quid eſt igitur cur dubitandũ ſit, quin ſint ea quę diſputaui ueriſſima, ſi ratio mecũ facit, ſi eueñta, ſi pop̃uli, ſi nationes, ſi Græci, ſi Barbari, ſi maiores etiã noſtri, ſi deniq; hoc ſemper ita putatũ eſt, ſi ſummi philoſophi, ſi poetæ, ſi ſapiẽtiſſimi uiri, qui reſpublicas conſtituerunt, qui urbes condiderunt? An dum beſtię loquantur expectamus, hominum conſentiente auctoritate contenti non ſumus? Nec uero quidq̃ aliud affertur cur ea quæ dico diuinandi genera nulla ſunt, niſi quod difficile dictu uidetur, quæ cuiuſq; diuinationis ratio, quæ cauſa ſit. Quid enim habet aruſpex, cur pulmo inciſus etiam in bonis extis dirimat tempus, & proferat diem? Quid augur? cur à dextra coruus, à ſiniſtra cornix faciat ratum? Quid aſtrologus, cur ſtella Iouis aut Veneris coniuncta cum luna ad ortus puerorum ſalutaris ſit, Saturni Martis ue contraria? Cur autem deus dormientes nos moneat, uigi-

lantes negligat? Quid deinde cauſę eſt, cur Caſſandra furens futura proſpiciat, Priamus ſapiens hoc idem facere non queat? Cur fiat quidq; quęris, recte omnino, ſed non nunc id agitur: fiat nec ne fiat, id quæritur. Vt ſi magnetem lapidem eſſe dicam qui ferrum ad ſe alliciat & trahat, rationem cur id fiat aſſerre nequeam, fieri omnino neges? Quod idem facis in diuinatione, quã & cernimus ipſi, & audimus, & legimus, & à patribus accepimus, neq; ante philoſophiam patefactam, quæ nuper inuenta eſt, hac de re communis uita dubitauit. Et poſteaq̃ philoſophia proceſſit, nemo aliter philoſophus ſenſit, ĩ quo modo eſſet authoritas. Dixi de Pythagora, de Democrito, de Socrate, excepi de antiquis præter Xenophanem neminem. Adiunxi ueterem Academiam, Peripateticos, Stoicos, unus diſſentit Epicurus. Quid uero hoc turpius, q̃ quod idem nullam cenſet gratuitam eſſe uirtutem? Quis eſt autem, quem non moueat clariſſimis monumentis teſtata conſignataq; antiquitas? Calchantem augurem ſcribit Homerus longe optimum, eumq; ducem claſſium fuiſſe. At illum auſpiciorum credo ſcientia non locorum. Amphilocus & Mopſus Argiuorum Reges fuerunt, ſed ijdem augures, ijq; urbes in ora maritima Ciliciæ Gręcas condiderunt. Atq; etiam ante hos Amphiaraus & Tireſias non humiles & obſcuri, neq; eorum ſimiles, ut apud Ennium eſt,

Qui ſui quæſtus cauſa fictas ſuſcitant ſententias,

Sed clari & præſtantes uiri, qui auibus & ſignis admoniti futura dicebant. Quorum de altero etiam apud inferos Homerus ait ſolũ ſapere, ceteros umbrarum uagari modo. Amphiaraum autem ſic honorauit fama Græciæ, deus ut haberetur, atque ut ab eius ſolo in quo eſt humatus, oracula peterentur. Quid Aſiæ Rex Priamus, nónne & Helenum filium, & Caſſandrã filiam diuinantes habebat, alterum augurijs, alteram mentis incitatione & permotione diuina? Quo in genere Martios quoſdam fratres nobili loco natos, apud maiores noſtros fuiſſe ſcriptum uidemus. Quid Polybum Corinthium, nónne Homerus & alijs multa & filio ad Troiam proficiſcenti mortem prædixiſſe commemorat? Omnino apud ueteres, qui rerum potiebantur, ijdem auguria tenebant. Vt enim ſapere, ſic diuinare regale ducebant, ut teſtis eſt noſtra ciuitas, in qua & Reges augures, & poſtea priuati eodem ſacerdotio præditi Rempub. religionum auctoritate rexerunt. Eaq; diuinationum ratio ne in Barbaris quidem gentibus neglecta eſt. Siquidem & in Gallia Druidę ſunt, è quibus ipſe Diuitiacum Heduum hoſpitem tuum laudatoremq; cognoui, qui & naturæ rationem, quam Phyſiologiam Gręci appellant, notam eſſe ſibi profitebatur, & partim augurijs, partim coniectura, quæ eſſent futura dicebat. Et in Perſis augurantur & diuinant Magi, qui congregantur in fano commentandi cauſa, atq; inter ſe colloquendi. Quod etiam ijdem uos quondam facere Nonis ſolebatis. Nec quiſq̃ Rex Perſarum poteſt eſſe, qui nõ ante Magorum diſciplinã ſcientiamq; perceperit. Licet autem uidere & genera quædam & nationes huic ſcientiæ deditas. Telmeſus in Caria eſt, qua in urbe excellit aruſpicũ diſciplina. Itẽq; Elis in Peloponeſo familias duas certas habet, Ianũdarũ unã, alterã Glutidarũ aruſpicinæ nobilitate pſtãtes. In Syria Chaldæi cognitione aſtrorũ ſolertiaq; ĩgeniorũ antecellũt. Etruria autẽ de cœlo tacta ſciẽtiſſime animaduertit, eadẽq; ĩterpretatur quid quibuſq; oſtendatur monſtris atq; portentis. Quocirca bene apud maiores

noſtros

noſtros Senatus: tum quum florebat imperium, decreuit ut de principum fi-lijs ſex ſingulis etruriæ populis in diſciplinam traderentur, ne ars tanta pro-pter tenuitatẽ hominum à religionis authoritate abduceretur ad mercedem atq; quæſtum. Phryges autem & Piſidæ, & Cilices, & Arabum natio, auiũ ſignificationibus plurimum obtemperant, quod idem factitatum in Vmbria accepimus. At mihi quidem uidentur è locis quoq; ipſis qui à quibuſq; inco lebantur, diuinationũ opportunitates eſſe ductæ. Vt enim Aegyptij, ut Ba-bylonij, in camporum patentium æquoribus habitantes, quum ex terra nihil emineret quod contemplationi cœli officere poſſet, omnem curam in ſyderũ cognitione poſuerũt. etruſci autem quod religione imbuti, ſtudioſius & cre-brius hoſtias immolabant, extorum cognitioni ſe maxime dediderunt: quódq; propter aeris craſſitudinem de cœlo apud eos multa fiebant, & quód ob eandem cauſam multa inuſitata, partim è cœlo, alia ex terra oriebantur, quædam etiam ex hominum pecudúmue conceptu & ſatu, oſtentorum exerci tatiſſimi interpretes extiterunt: quorum quidem uim ut tu ſoles dicere, uerba ipſa prudenter à maioribus poſita declarant. Quia enim oſtendunt, porten dunt, monſtrant, prædicunt, oſtenta, portenta, monſtra prodigia dicuntur. Arabes autem & Phryges, & Cilices, quod paſtu pecudum maxime utun-tur, campos & montes hyeme & æſtate peragrantes, propterea facilius can-tus auium & uolatus notauerunt. Eademq; & Piſidiæ cauſa fuit, & huic no-ſtræ Vmbriæ. Tum Caria tota præcipueq; Telmeſſes quos ante dixi, quód agros uberrimos maximeq; fertiles incolunt, in quibus multa propter fœcun ditatem fingi gigniq; poſſunt. in oſtentis animaduertendis diligentes fuerũt. Quis uero non uidet in optima quaque Rep. plurimum auſpicia & reliqua diuinandi genera ualuiſſe? Quis Rex unquam fuit, quis populus, qui nõ ute retur prædictione diuina? neq; ſolum in pace, ſed in bello multo etiam magis quo maius erat certamen & diſcrimen ſalutis. Omitto noſtros, qui nihil in bello ſine extis agunt, nihil ſine auſpicijs domi habent. Auſpicia externa ui-deamus. Namq; & Athenienſes omnibus ſemper publicis conſilijs diuinos quoſdam ſacerdotes, quos μάντεις uocant, adhibuerunt, & Lacedæmonij Re-gibus ſuis augurem aſſeſſorem dederunt: itemq; ſenibus (ſic enim conſilium publicum appellant) Augurem intereſſe uoluerunt: ijdemq; de rebus maio ribus ſemper aut Delphis oraculum, aut ab Hammone, aut à Dodona pete-bant. Lycurgus quidem qui Lacedæmoniorum Rempub. temperauit, leges ſuas auctoritate Apollinis Delphici confirmauit: quas cum uellet Lyſan-der commutare, eadem eſt prohibitus religione. Atque etiam qui præerant Lacedæmonijs, non contenti uigilantibus curis in Paſiphaæ fano, quod eſt in agro propter urbem, ſomniandi cauſa excubabant, quia uera quietis ora-cula ducebant. Ad noſtra iam redeo. Quoties Senatus X. uiros ad libros ire iuſſit? Nam & quum duo uiſi ſoles eſſent, & quum tres Lunæ, & quum fa-ces, & quum Sol nocte uiſus eſſet, & quum è cœlo fremitus auditus, & quum cœlum diſceſſiſſe uiſum eſt, atq; in eo animaduerſi globi. Delata etiam ad Se-natum labes agri Priuernatis, quum ad infinitam altitudinem terra deſediſ-ſet, Apuliaq; maximis terræmotibus conquaſſata eſſet, quibus portentis ma gna Populo R. bella pernicioſęq; ſeditiones denũciabãtur: inq; his omnibus reſpõſa aruſpicũ cũ Sibyllæ uerſibus congruebãt. Quid quũ Cumis Apollo

ſudauit? Capuæ Victoria? Quid ortus androgyni, non ne fatale quoddam monſtrum fuit? Quid quod fluuius atratus ſanguine fluxit? Quid quum ſæpe lapidum, ſanguinis nonnunquam, terræ interdum, quondam etiam lactis imber defluxit? Quid quum in Capitolio ictus Centaurus è cœlo eſt, in Auẽtino portæ & homines, Tuſculi ædes Caſtoris & pollucis, Romæꝗ Pietatis: nonne & aruſpices ea reſponderunt quæ euenerunt, & in Sibyllæ libris eædem repertæ prædictiones ſunt? Quoties Senatus Deceuiros ad libros ire iuſſit? quantis in rebus, quanquam ſæpe reſponſis aruſpicum paruit, Cęcilię Q.F. ſomnio? Modo Marſico bello templum eſt à Senatu Iunoni Soſpitæ reſtitutum. Quod quidẽ ſomniũ Siſenna quum diſputauiſſet mirifice ad uerbum cũ re conueniſſe, tum inſolenter credo ab Epicureo aliquo inductus diſputat, ſomnijs credi non oportere. Idem contra oſtẽta nihil diſputat, exponitꝗ initio belli Marſici & deorũ ſimulacra ſudauiſſe, & ſanguinẽ fluxiſſe, & diſceſſiſſe cœlũ, & ex occulto auditas eſſe uoces, quæ pericula belli nunciarẽt, & Lanuij clypeos, quod aruſpicibus triſtiſſimũ uiſũ eſſet, à muribus eſſe deroſos. Quid quod in annalibus habemus, Veienti bello quum lacus Albanus præter modũ creuiſſet, Veientẽ quendam ad nos hominẽ nobilẽ perfugiſſe, eũꝗ dixiſſe, ex fatis quæ Veientes ſcripta haberẽt, Veios capi nõ poſſe dũ lacus is redundaret: & ſi lacus emiſſus, lapſu & curſu ſuo ad mare fluxiſſet, pernicioſum Populo R. Sin autem ita eſſet eductus, ut ad mare peruenire nõ poſſet, tũ ſalutaris noſtris fore. Ex quo illa mirabilis à maioribus Albanę aquę facta deductio eſt. Quum autem Veientes bello feſſi Legatos ad Senatũ miſiſſent, tũ ex his quidã dixiſſe dicitur, nõ omnia illũ trãſfugam auſum eſſe Senatui dicere. In ijſdẽ enim fatis ſcriptũ Veientes habere, fore ut breui à Gallis Roma caperetur, quod quidẽ ſexẽnio poſt Veios captos factũ eſſe uidimus. Sæpe etiã & in prelijs Fauni auditi, & in rebus turbidis ueridicæ uoces ex occulto miſſę eſſe dicũtur. Cuius generis duo ſunt ex multis exẽpla, ſed maxima. Nã nõ multo ante urbem captã exaudita uox eſt à luco Veſtæ, qui à Palatij radice in nouã uiã deuexus eſt, ut muri & portæ reficerentur, futurum eſſe niſi prouiſũ eſſet, ut Roma caperetur. Quod neglectũ quũ caueri poterat. poſt acceptã illã maximam cladẽ explicatũ eſt. Ara enim Aio loquenti, quam ſeptã uidemus exaduerſus eũ locũ, cõſecrata eſt. Atꝗ etiã ſcriptũ à multis eſt, quum terræmotus factus eſſet, ut ſue plena procuratio fieret, uocẽ ab æde Iunonis ex arce extitiſſe: quo circa Iunonẽ illam appellatã Monetã. Hæc igitur & à dijs ſignificata, & à noſtris maioribus iudicata contẽnimus? Neꝗ ſolũ deorũ uoces Pythagorei obſeruitauerunt, ſed etiã hominũ quæ uocant omina: quæ maiores noſtri quia ualere cenſebant, idcirco omnibus rebus agendis, quod bonum, fauſtũ, felix, fortunatumꝗ eſſet præfabãtur: rebusꝗ diuinis quæ publice fierent, ut fauerent linguis imperabatur: inꝗ ferijs imperãdis, ut litibus & iurgijs ſe abſtinerẽt. Itemꝗ in luſtranda colonia ab eo qui eam deduceret, & quum imperator exercitum, Cenſor populũ luſtraret, bonis nominibus ꝗ hoſtias ducerent, eligebantur. Quod idẽ in delectu Cõſules obſeruãt, ut primus miles fiat bono nomine: quæ quidem à te ſcis & Conſule & Imperatore ſumma cum religione eſſe ſeruata. Prerogatiuã etiã maiores omnes iuſtorũ comitiorũ eſſe uoluerunt. Atꝗ ego exempla ominum nota proferã. L. Paulus Cos. Iter. quum ei bellũ, ut cũ Rege Perſe gereret obtigiſſet, ut ea ipſa die

domum

domum ad uesperam rediјt,filiolam ſuam Tertiam,quæ tum erat admodum parua oſculans animum aduertit triſticulam. Quid eſt, inquit,mea Tertia? quid triſtis es? Mi pater,inquit,Perſa periit. Tum ille arctius puellam complexus, Accipio omen inquit mea filia:erat autem mortuus catellus eo nomine. L. Flaccum flaminem Martialem ego audiui cũ diceret, Cæciliam Metelli,quum uellet ſororis ſuæ filiam in matrimonium collocare,exiſſe in quoddã ſacellum ominis capiendi cauſa,quod fieri more ueterum ſolebat. Quum uirgo ſtaret,& Cæcilia in ſella ſederet,neq; diu ulla uox extitiſſet,puellam defatigatam petiſſe à matertera,ut ſibi concederet pauliſper,ut in eius ſella requieſceret: illam autem dixiſſe, Vero mea puella tibi concedo meas ſedes: quod omen res conſequuta eſt. ipſa enim breui mortua eſt,uirgo autem nupſit cui Cæcilia nupta fuerat. Hæc poſſe contemni,uel etiam rideri præclare intelligo: ſed id ipſum eſt deos non putare,quæ ab his ſignificantur contemnere. Quid de auguribus loquar? tuæ partes ſunt,tuum inquam auſpiciorum patrocinium debet eſſe. tibi P. Claudius Augur Conſuli nunciauit, addubitato ſalutis augurio,bellum domeſticum triſte ac turbulentum fore: quod paucis poſt menſibus exortum,paucioribus à te eſt diebus oppreſſum. Cui quidem Auguri uehementer aſſentior: ſolus enim multorum annorum memoria, nõ decantandi augurij,ſed diuinandi tenuit diſciplinam: quem irridebant Collegæ tui,eumq; tum Piſidam,tum Soranum Augurem eſſe dicebant. Quibus nulla uidebatur in augurijs aut prǽſenſio,aut ſcientia ueritatis futuræ, ſapienter aiebant ad opinionem imperitorum eſſe fictas religiones: quod longe ſecus eſt. Neque enim in paſtoribus illis,quibus Romulus prǽfuit,nec in ipſo Romulo hǽc calliditas eſſe potuit,ut ad errorem multitudinis,religionis ſimulacra fingerent, ſed difficultas laborq; diſcendi diſertam negligentiam reddidit. Malunt enim diſſerere nihil eſſe in auſpicijs,quàm quid ſit ediſcere. Quid eſt illo auſpicio diuinius,quod apud te in Mario eſt,ut utar potiſſimũ authore te?

Hic Iouis altiſoni ſubitò pinnata ſatelles,
Arboris è trunco ſerpentis ſaucia morſu
Subigit ipſa feris traffigens unguibus anguem,
Semianimum & uaria grauiter ceruice micantem:
Quem ſe intorquentem lanians roſtroq; cruentans,
Iam ſatiata animos,iam duros ulta dolores,
Abijcit efflantem,& laceratum affligit in unda,
Seq; obitu à ſolis nitidos conuertit ad ortus.
Hanc ubi præpetibus pennis lapſuq; uolantem
Conſpexit Marius diuini numinis Augur,
Fauſtaq; ſigna ſuæ laudis reditusq; notauit,
Partibus intonuit cœli pater ipſe ſiniſtris,
Sic aquilæ clarum firmauit Iuppiter omen.

Atq; ille Romuli auguratus paſtoralis non urbanus fuit,nec fictus ad opiniones imperitorum,ſed à certis acceptus,& poſteris traditus. Itaq; Romulus Augur,ut apud Ennium eſt,cum fratre item Augure,

Curantes magna cum cura,concupientes
Regni,dant operam ſimul auſpicio augurioq;

Hic Remus auſpicio ſe deuouet, atq; ſecundam
Solus auem ſeruat: at Romulus pulcher in alto
Quærit Auentino, ſeruat genus altiuolantum.
Certabant urbem Romam Remámne uocarent.
Omnibus cura uiris uter eſſet Induperator,
Expectant ueluti Conſul quum mittere ſignum
Vult, omnes auidi ſpectant ad carceris oras,
Qua mox emittat pictis è faucibus currus.
Sic expectabat populus, atq; ore timebant
Rebus, utri magni uictoria ſit data regni.
Interea ſol albu' receſſit in infera noctis.
Exin candida ſe radijs dedit icta foras lux.
Et ſimul ex alto longe pulcherrima præpes
Læua uolauit auis, ſimul aureus exoritur ſol.
Cedunt de cœlo ter quatuor corpora ſancta,
Auium præpetibus ſeſe, pulchriſq; locis dant.
Conſpicit inde ſibi data Romulus eſſe priora.
Auſpicio regni ſtabilita ſcamna ſolumq;.

Sed unde huc digreſſa ē, eódem redeat oratio. Si nihil queam diſputare quāobrem quidq; fiat, & tantummodo fieri ea quæ commemoraui doceam, parúmne Epicuro Carneadiue reſpondeam? Quid ſi etiam ratio extat artificioſæ præſenſionis facilis, diuinæ autem pauló obſcurior? Quæ enim extis, quæ fulgoribus, quæ portentis, quæ aſtris præſentiuntur, hæc notata ſunt obſeruatione diuturna. Affert autem uetuſtas omnibus in rebus longinqua obſeruatione incredibilem ſcientiam, quæ poteſt eſſe etiam ſine motu atq; impulſu deorum, quum quid ex quoq; eueniat, & quid quanq; rem ſignificet, crebra animaduerſione perſpectum eſt. Altera diuinatio eſt naturalis ut ante dixi, quę phyſica diſputandi ſubtilitate referenda eſt ad naturam deorum, à qua ut doctiſſimis ſapientiſſimiſq; placuit, hauſtos animos & libatos habemus. Quunq; omnia completa & referta ſint æterno ſenſu & mente diuina, neceſſe eſt cognitione diuinorum animorum animos humanos commoueri. Sed uigilantes animi uitæ neceſſitatibus ſeruiunt, dijungūtq; ſe à ſocietate diuina uinclis corporis impediti. Rarum eſt quoddam genus eorum, qui ſe à corpore auocent, & ad diuinarum rerum cognitionem cura omni, ſtudioq; rapiantur. Horum ſunt auguria non diuini impetus, ſed rationis humanæ. Nam & natura futura pręſentiunt, ut aquarum fluxiones, & deflagrationem futuram aliquando cœli atq; terrarum. Alij autem in repub. exercitati, ut de Athenienſi Solone accepimus, orientem tyrānidem multo ante proſpiciunt, quos prudentes poſſumus dicere, id eſt prouidentes, diuinos nullo modo poſſumus, non plus q̄ Mileſium Thalem, qui ut obiurgatores ſuos conuinceret, oſtenderetq; etiam philoſophum, ſi ei commodum eſſet, pecuniam facere poſſe, omnem oleam anteq̄ florere cœpiſſet in agro Mileſio coemiſſe dicitur. Animaduerterat fortaſſe quadam ſcientia, olearum ubertatem fore. Et quidem idem primus defectionem Solis, quæ Aſtyage regnāte facta eſt, prædixiſſe fertur, Multa medici, multa gubernatores, agricolæ etiam multa pręſentiūt, ſed nullam eorum diuinationem uoco, ne illam quidem, qua ab Anaximandro phyſico

ſico moniti Lacedęmonij ſunt ut urbem & tecta linquerent, armatiq́; in agro excubarent, quod terręmotus inſtaret, tũ quum & urbs tota corruit, & in mõte Taygeto, extrema montis quaſi puppis auulſa eſt. Ne Pherecydes quidem ille Pythagoræ magiſter, potius diuinus habebitur quàm phyſicus, qui quũ uidiſſet exhauſtam aquam de iugi puteo, terræmotus dixit inſtare. Nec uero unq̃ animus hominis naturaliter diuinat, niſi quum ita ſolutus eſt & uacuus, ut ei plane nihil ſit cum corpore: quod aut uatibus contingit aut dormientibus. Itaq; ea duo genera à Dicæarcho probantur, & ut dixi, à Cratippo noſtro. Si propterea quod ea proficiſcuntur à natura, ſint ſumma ſanè, modo ne ſola. Sin autem nihil eſſe in obſeruatione putant, multa tollunt quibus uitæ ratio continetur. Sed quoniam dant aliquid, idq́; non paruum, uaticinationes cum ſomnijs, nihil eſt quod cum his magnopere pugnemus, preſertim quum ſint qui omnino nullam diuinationem probent. Ergo & hi quorum animi ſpretis corporibus euolant atque excurrunt foras, ardore aliquo inflammati atque incitati, cernunt illa profecto, quæ uaticinantes pronunciant, multisq́; rebus inflammantur tales animi, qui corporibus non inhęrent, ut hi qui ſono quodam uocũ & Phrygijs cantibus incitantur. Multos nemora ſyluęq́;, multos amnes aut maria commouent, quorum furibunda mens uidet ante multo quæ ſunt futura. Quo de genere illa ſunt,

Eheu uidete, iudicauit inclytum iudicium
Inter deas tris aliquis, quo iudicio Lacedæmonia
Mulier furiarum una adueniet.

Eodem enim modo multa à uaticinãtibus ſępe prædicta ſunt, neq; ſolum uerbis, ſed etiam Verſibu', quos olim Fauni uatesq́; canebant.

Similiter Martius & Publius uates ceciniſſe dicuntur, quo de genere Apollinis operta prolata ſũt. Credo etiam anhelitus quoſdam fuiſſe terrarum, quibus inflatæ mentes oracula funderent. Atq; hæc quidem uatum ratio eſt, nec diſſimilis ſanè ſomniorum. Nam quæ uigilantibus accidunt uatibus, eadẽ nobis dormientibus. Viget enim animus in ſomnijs, liberque ſenſibus ab omni impeditione curarum, iacente & mortuo penè corpore. qui quia uixit ab omni æternitate, uerſatusq́; eſt cum ĩnumerabilibus animis, omnia quæ in natura rerum ſunt, uidet, ſi modo temperatis eſcis modicisq́; potionibus ita eſt affectus, ut ſopito corpore ipſe uigilet. Hæc ſomniantis eſt diuinatio. Hic magna quędam exoritur, neq; ea naturalis, ſed artificioſa ſomniorum Antiphonis interpretatio, eodemq́; modo & oraculorũ & uaticinationum. Sunt enim explanatores, ut grammatici poetarum. Nam ut aurum & argentum, æs, ferrum, fruſtra natura diuina genuiſſet, niſi eadem docuiſſet quemadmodum ad eorum uenas perueniretur: nec fruges terrę bacas'ue arborum cum utilitate ulla generi humano dediſſet, niſi earum cultus & conditiones tradidiſſet, materiaue quid iuuaret, niſi confectionis eius fabricam haberemus? ſic cum omni utilitate, quam dij hominibus dederunt, ars aliqua coniuncta eſt, per quã illa utilitas percipi poſſit. Item igitur ſomnijs, uaticinationibus, oraculis, quod erant multa obſcura, multa ambigua, explanationes adhibitę ſunt interpretum. Quomodo autem aut uates aut ſomniantes ea uideant quę nuſq̃ etiam tunc ſint, magna quęſtio eſt: ſed explorata ſi ſint ea quæ ante quæri debeant, ſint hæc quæ quærimus faciliora. Cõtinet enim totã hanc quęſtionem ea ra-

tio,quæ eſt de natura deorum,quæ à te ſecundo libro eſt explicata dilucide: quam ſi obtinemus,ſtabit illud quod hunc locum cõtinet de quo agimus,eſſe deos,& eorum prouidentia mundum adminiſtrari,eoſdem conſulere rebus humanis,nec ſolum uniuerſis,uerumetiam ſingulis. Hæc ſi tenemus,quæ mihi quidem non uidentur poſſe conuelli,profecto hominibus à dijs futura ſignificari neceſſe eſt. Sed diſtinguendum uidetur quonam modo. Nam non placet Stoicis ſingulis iecorum fiſſis,aut auium cantibus intereſſe deum: neq; enim decorum eſt,nec dijs dignum: nec fieri ullo pacto poteſt: ſed ita à principio inchoatum eſſe mundum,ut certis rebus certa ſigna præcurrerent, alia in extis,alia in auibus,alia in fulguribus,alia in oſtentis,alia in ſtellis,alia in ſomniantium uiſis,alia in furentium uocibus. Ea quibus bene percepta ſunt, hi non ſæpe falluntur. Male coniecta: maleq; interpretata,falſa ſunt,non rerum uitio,ſed interpretum inſciẽtia. Hoc autem poſito atq; cõceſſo, eſſe quãdam uim diuinam hominum uitam continentem, non difficile eſt, quæ fieri certe uidemus,ea qua ratione fiant ſuſpicari. Nam & ad hoſtiam deligendam poteſt dux eſſe uis quædam ſentiens,quę eſt toto confuſa mundo: & tum, ipſam quum immolare uelis,extorum fieri mutatio poteſt,ut aut abſit aliquid aut ſuperſit. Paruis enim momentis multa natura aut affingit,aut mutat, aut detrahit. Quod ne dubitare poſſimus,maximo eſt argumento,quod paulo ante interitum Cæſaris contigit: qui quum immolaret illo die quo primum in ſella aurea ſedit,& cum purpurea ueſte proceſſit,in extis bouis opimi, cor nõ fuit. Num igitur cenſes ullum animal quod ſanguinem habeat,ſine corde eſſe poſſe? Qua ille rei nouitate perculſus,quum Spurinna diceret timendum eſſe ne & conſilium & uita deficeret,earum enim rerum utrunq; à corde proficiſci,poſtero die caput in iecore non fuit: quæ quidem illi portendebantur à dijs immortalibus,ut uideret interitum nõ ut caueret. Quum igitur hæ partes in extis non reperiuntur,ſine quibus uictima illa uiuere nequiſſet, intelligendum eſt in ipſo immolationis tempore,eas partes quæ abſint interiſſe. Eademq; efficit in auibus diuina mens,ut tum huc tum illuc uolent alites. tum in hac,tum in illa parte ſe occultent,tum à dextra,tum à ſiniſtra parte canant oſcines. Nam ſi animal omne ut uult ita utitur motu ſui corporis, prono,obliquo,ſupino,membraq; quocunq; uult flectit,contorquet,porrigit, cõtrahit, eaq; ante efficit pene q̃ cogitat,quanto id deo eſt facilius,cuius numini parent omnia? Idemq; mittit & ſigna nobis eius generis, qualia permulta hiſtoria tradidit,quale ſcriptum illud uidemus,ſi paulo luna ante ſolis ortum defeciſſet in ſigno leonis,fore ut armis Darius & Perſæ,ab Alexandro & Macedonibus prelio uincerentur,Dariusq; moreretur. Et ſi puella nata biceps eſſet, ſeditionem in populo fore,corruptelam & adulterium domi. Et ſi mulier leonem peperiſſe uiſa eſſet,fore,ut ab exteris gentibus uinceretur ea reſp. in qua id contigiſſet. Eiuſdem generis etiam illud eſt,quod ſcribit Herodotus,Crœſi filium quum eſſet infans loquutum: quo oſtento regnum patris & domũ funditus concidiſſe. Caput arſiſſe Seruio Tullio dormienti,quæ hiſtoria nõ prodidit? Vt igitur qui ſe tradet ita quieti præparato animo,quum bonis cogitationibus,tum rebus ad tranquillitatem accommodatis,certa & uera cernit in ſomnijs,ſic caſtus animus purusq; uigilantis & ad aſtrorum,& ad auiũ reliquorumq; ſignorum,& ad extorum ueritatem eſt paratior. Hoc nimirũ

eſt

eſt illud, quod de Socrate accepimus, quodq́ ab ipſo in libris Socraticorum ſæpe dicitur, eſſe diuinum quiddam, quod Dæmonion appellat, cui ſemper ipſe paruerit, nunq̃ impellenti, ſæpe reuocanti. Et Socrates quidem, quo quē auctorem meliorem quærimus? Xenophōti cōſulenti ſequeretúrne Cyrum poſtea q̃ expoſuit quæ ſibi uidebantur. Et noſtrum quidem, inquit, humanum eſt conſilium, ſed de rebus & obſcuris & incertis ad Apollinem cenſeo referendū, ad quem etiam Athenienſes publice de maioribus rebus ſemper retulerunt. Scriptum eſt item, quum Critonis ſui familiaris oculum alligatū uidiſſet, quæſiuiſſe quid eſſet. Quum autem ille reſpondiſſet, in agro ambulanti ramulum adductum ut remiſſus eſſet in oculum ſuum recidiſſe: tum Socrates. Non enim paruiſti mihi reuocanti, quum uterer qua ſoleo præſagitione diuina. Idem etiam Socrates quum apud Delium male pugnatū eſſet Lachete Prætore, fugeretq́ cum ipſo Lachete, ut uentum eſt in triuium eadem qua ceteri fugere noluit. Quibus quærentibus cur non eadem uia pergeret, deterreri ſe à deo dixit. Tum quidem ij qui alia uia fugerant, in oſtium equitatum inciderunt. Permulta conlecta ſunt ab Antipatro, quæ mirabiliter à Socrate diuinata ſunt, quę prætermittam. Tibi enim nota ſunt, mihi ad commemorandum non neceſſaria. Illud tamen eius philoſophi magnificum ac pene diuinum, quod quum impijs ſententijs damnatus eſſet, æquiſſimo animo ſe dixit mori. Necq́ enim domo egredienti, necq́ illud in ſuggeſtum in quo cauſam dixerat aſcendenti, ſignum ſibi ullum quod conſueſſet à deo quaſi mali alicuius impendentis datum. Equidem ſic arbitror, etiam ſi multa fallant eos, qui aut arte aut cōiectura diuinare uideātur, eſſe tamē diuinationē: homines autē ut ī ceteris artibus ſic in hac poſſe falli. Poteſt accidere, ut aliquod ſignū dubie datum, pro certo ſit acceptum: poteſt aliquod latuiſſe, aut ipſum, aut quod eſſet illi contrarium. Mihi autem ad hoc de quo diſputo probandum, ſatis eſt non modo plura, ſed etiam pauciora diuine præſenſa & prædicta reperiri. Quin etiam hoc non dubitans dixerim, ſi unum aliquid ita ſit prædictū præſenſumq́, ut quum euenerit, ita cadat ut prędictum ſit, necq́ in eo quidq̃ caſu & fortuitu factum eſſe appareat, eſſe certe diuinationem, idq́ eſſe omnibus confitendum. Quocirca primum mihi uidetur, ut Poſidonius facit, à deo de quo ſatis dictum eſt, deinde à fato, deinde à natura, uis omnis diuinandi, ratioq́ repetenda. Fieri igitur omnia fato ratio cogit fateri. Fatum autem id appello, quod Greci εἱμαρμένην id eſt, ordinem ſeriemq́ cauſarum, quum cauſæ cauſa nexa rem ex ſe gignat. Ea eſt ex omni ęternitate fluens ueritas ſempiterna. Quod quum ita ſit, nihil eſt factum quod non futurum fuerit: eodemq́ modo nihil eſt futurum, cuius non cauſas id ipſum efficientes natura cōtineat. Ex quo intelligitur, ut fatum ſit non id quod ſuperſtitioſe, ſed id quod phyſice dicitur, cauſa æterna rerum, cur & ea quæ præterierunt facta ſint, & quæ inſtant fiant, & quæ ſequuntur futura ſint. Ita fit ut & obſeruatione notari poſſit, quæ res quamq́ cauſam plerunq́ conſequatur, etiam ſi non ſemper: nam id quidem difficile eſt affirmare. eaſdemq́ cauſas ueriſimiles rerum futurarū cerni ab ijs, qui aut per furorem eas aut in quiete uideant. Prętere a quum fato omnia fiant, id quod alio loco oſtendetur, ſi quis mortalis poſſit eſſe, qui colligationem cauſarum omnium perſpiciat animo, nihil eū profecto fallat. Qui enim teneat cauſas rerum futurarum, idem neceſſe eſt omnia teneat quæ futu-

ra ſint. Quod quum nemo facere niſi deus poſſit, relinquendum eſt homini, ut ſignis quibuſdam conſequentia declarantibus futura præſentiat. Non enī illa quæ futura ſunt ſubito exiſtunt, ſed eſt quaſi rudentis explicatio, ſic traductio temporis nihil noui efficientis, & primum quidq; replicantis. Quod & hi uident quibus naturalis diuinatio data eſt, & hi quibus curſus rerum obſeruando notatus eſt: qui & ſi cauſas ipſas non cernunt, ſigna tamen cauſarum & notas cernunt: ad quas adhibita memoria & diligentia ex monumentis ſuperiorum efficitur ea diuinatio quæ artificioſa dicitur, extorum, fulgurū, oſtētorum, ſignorumq; cœleſtium. Non eſt igitur ut mirandū ſit ea præſentiri à diuinantibus, quæ nuſq̃ ſint. Sunt enim omnia, ſed tempore abſunt. Atq; ut in ſeminibus uis ineſt earum rerum quæ ex his progignuntur, ſic in cauſis cōditæ ſunt res futuræ, quas eſſe futuras, aut cōcitata mens, aut ſoluta ſomno cernit, aut ratio, aut cōiectura pręſentit. Atq; ut hi qui ſolis & lunę, reliquorūq; ſyderum ortus, obitus, motusq; cognorunt, quo quidq; tempore eorum futurum ſit, multo ante pr ędicunt: ſic qui curſum rerum euentorumq; conſequētiam diuturnitate pertractata notauerunt, aut ſemper, aut ſi id difficile eſt plerunq;, quod ſi ne id quidem conceditur: nonnunq̃ certe quid futurum ſit intelligunt. Atq; hæc quidem & quædam eiuſdemmodi argumenta cur ſit diuinatio, ducūtur à fato: à natura autem alia quædam ratio eſt, quæ docet quāta ſit animi uis ſeiuncta à corporis ſenſibus, quod maxime contingit aut dormientibus, aut mente permotis. Vt enim deorum animi ſine oculis, ſine auribus, ſine lingua ſentiunt inter ſe quid quiſq; ſentiat, ex quo fit ut homines etiam quum taciti optent quid, aut uoueant, non dubitent quin dĳ illud exaudiant: ſic animi hominum quum aut ſomno ſoluti uacant corpore, aut mēte permoti per ſe ipſi liberi incitati mouentur, cernunt ea quæ permixti cum corpore animi uidere non poſſunt. Atq; hanc quidem rationem naturæ, difficile eſt fortaſſe traducere ad id genus diuinationis, quod ex arte profectum dicimus, ſed tamen id quoq; rimatur quantum poteſt. Poſidonius eſſe cenſet in natura ſigna quędam rerum futurarum. Vt enim Ceos accepimus ortum caniculæ diligenter quotannis ſolere ſeruare, coniecturamq; capere, ut ſcribit Ponticus Heraclides, ſalubris ne an peſtilens annus futurus ſit. Nam ſi obſcurior quaſi caliginoſa ſtella extiterit, pingue & concretum eſſe cœlum, ut eius aſpiratio grauis & peſtilens futura ſit: ſin illuſtris & perlucida ſtella apparuerit, ſignificari cœlum eſſe tenue purúmque, & propterea ſalubre. Democritus autem cenſet ſapienter inſtituiſſe ueteres, ut hoſtiarum immolatarum inſpicerētur exta: quorum ex habitu atq; ex colore cum ſalubritatis, tum peſtilentię ſigna percipi, nonnunquam etiam quæ ſit uel ſterilitas agrorum, uel fertilitas futura. Quæ ſi à natura profecta obſeruatio atq; uſus agnouit, multa afferre potuit dies, quę animaduertendo notarentur, ut ille Pacuuianus qui in Chryſe phyſicus inducitur, minime naturam rerum cognoſcere uideatur.

Nam iſtis qui linguam auium intelligunt,
Plusq; ex alieno iecore ſapiunt q̃ ex ſuo,
Magis audiendum q̃ auſcultandum cenſeo.

Cur quæſo? quum ipſe paucis interpoſitis uerſibus dicas ſatis luculente:

Quidquid eſt hoc, omnia animat, format, alit, auget, creat,
Sepelit, recipitq; in ſeſe omnia, omniumq; idem eſt pater,

Indidemq;

Indidemq́ eadem quæ oriuntur de integro,atq́ eodem occidunt.

Quid eſt igitur,cur quum domus ſit omnium una eaq́ communis, quumq́ animi hominum ſemper fuerint futuriq́ ſint,cur ij quid ex quoq́ eueniat, & quid quamq́ rem ſignificet perſpicere non poſſunt? Hæc habui,inquit,de diuinatione quæ dicerem, nunc illa teſtabor, non me ſortilegos,neq́ eos qui quæſtus cauſa ariolentur,nec pſychomantia quidem quibus Appius amicus tuus uti ſolebat,agnoſcere.Non habeo deniq́ nauci Marſum Augurem:

Non uicanos aruſpices,non de circo aſtrologos,
Non Iſiacos coniectores,non interpretes ſomniũm.
Non enim ſunt ij aut ſcientia aut arte diuini,
Sed ſuperſtitioſi uates,impudentesq́ arioli,
Aut inertes,aut inſani,aut quibus egeſtas imperat:
Qui ſibi ſemitam non ſapiunt,alteri monſtrant uiam,
Quibus diuitias pollicentur,ab his drachmam ipſi petunt,
De his diuitijs ſibi deducant drachmam,reddant cetera.

Atq́ hæc quidem Ennius,qui paucis ante uerſibus eſſe deos cenſet,ſed eos nõ curare opinatur quid agat humanum genus.Ego autẽ qui & curare arbitror, & monere etiam ac multa prædicere,leuitate,uanitate,malitia,excluſam diuinationẽ probo.Quæ quũ dixiſſet Quĩtus,præclare tu quidẽ inquã paratus

Deeſt non nihil.

MARCI TVLLII CICERONIS DE DIVINATIONE LIBER SECVNDVS.

QVÆRENTI mihi,multumq́ & diu cogitãti,quanam re poſſem prodeſſe quamplurimis,nequando intermitterem conſulere Reip.nulla maior occurrebat,q̃ ſi optimarum artium uias traderẽ meis ciuibus, quod compluribus iam libris me arbitror conſequutum.Nã & cohortati ſumus,ut maxime potuimus,ad philoſophiæ ſtudium eo libro,qui eſt inſcriptus Hortẽſius: & quod genus philoſophandi minime arrogans,maximeq́ & conſtans & elegans arbitraremur,quatuor Academicis libris oſtẽdimus.Quumq́ fundamentum eſſet philoſophiæ poſitum in finibus bonorum & malorum,perpurgatus eſt is locus à nobis quinque libris,ut quid à quoq́,& quid contra quemq́ philoſophum diceretur,intelligi poſſet.Totidem ſubſecuti libri Tuſculanarum diſputationum,res ad beate uiuendũ maxime neceſſarias aperuerunt.Primus enim eſt de contẽnenda morte: ſecundus de tolerando dolore:de ægritudine lenienda tertius:quartus de reliquis animi perturbationibus:quintus eum locum complexus eſt,qui totam philoſophiam maxime illuſtrat:docet enim ad beate uiuendum,uirtutem ſeipſa eſſe contentam.Quibus rebus editis,tres libri perfecti ſunt de natura deorum, in quibus omnis eius loci quæſtio continetur.Quæ ut plene cumulateq́ perfecta,de diuinatione ingreſſi ſumus his libris ſcribere, quibus (ut eſt in animo) de fato ſi adiunxerimus,erit abũde ſatis factũ toti huic quæſtioni. Atq́ his libris annumerandi ſunt ſex de R.P.quos tunc ſcripſimus,quum guber-

nacula Reipu.tenebamus,magnus locus philoſophieq́ proprius.à Platone, Ariſtotele,Theophraſto,totaq́ Peripateticorum familia tractatus uberrime.Nam quid ego de conſolatione dicam? quæ mihi quidem ipſi ſane aliquã tum medetur,ceteris item multum illam profuturam puto. Interiectus eſt etiam nuper liber is,quem ad noſtrum Atticũ de ſenectute miſimus. In primiſq́ quoniam philoſophia uir bonus efficitur & fortis,Cato noſter in horum librorum numero ponendus eſt.Quumq́ Ariſtoteles, itemq́ Theophraſtus excellentes uiri,quum ſubtilitate,cum copia,tum philoſophia, dicẽdi etiam precepta coniunxerunt,noſtri quoq; oratorij libri in eundem librorum numerum referendi uidentur.Ita tres erunt de oratore, quartus Brutus quintus orator.Adhuc hęc erant,ad reliqua alachri tendebamus animo, ſic parati,ut niſi quæ cauſa grauior obſtitiſſet,nullum philoſophiæ locum eſſe pateremur,qui non latinis literis illuſtratus pateret. Quod enĩ munus Reipub.afferre maius meliúsue poſſumus,q̃ ſi docemus atq; erudimus iuuẽtutẽ? his preſertim moribus atq; temporibus,quibus ita prolapſa eſt, ut omnium opibus refrenanda ac coercenda ſit.Nec uero id effici poſſe confido,quod ne poſtulandũ quidem eſt,ut omnes adoleſcentes ſe ad hæc ſtudia conuertãt, pauci utinam,quorum tamẽ in Rempub.late patere poterit induſtria.Equidem ex his etiam fructum capio laboris mei,qui iã ætate prouecti,in noſtris libris acquieſcunt,quorum ſtudio legendi,meum ſcribendi ſtudium uehemẽtius in dies incitatur:quos quidem plures q̃ rebar eſſe cognoui.Magnificum illud etiam,Romaniſq́ hominibus glorioſum,ut Græcis de philoſophia literis non egeant,quod aſſequar profecto ſi inſtituta perfecero.Ac mihi quidem explicandæ philoſophiæ cauſam attulit caſus grauis ciuitatis, quum in armis ciuilibus,nec tueri meo more Rempub. nec nihil agere poteram, nec quid potius,quod quidem me dignum eſſet,agerem reperiebam.Dabunt igitur mihi ueniam mei ciues,uel gratiam potius habebunt,quod quum eſſet in unius poteſtate Reſpub.neq; ego me abdidi,neq; deſerui,neq; afflixi , neq; ita geſſi,quaſi homini aut temporibus iratus:neq; porro ita aut adulatus,aut admiratus fortunam ſum alterius,ut me meæ pœniteret.Id enim ipſum à Platone philoſophiaq́ didiceram,naturales eſſe quaſdam conuerſiones Rerũp. ut eæ tum à principibus tenerentur,tũ à populis,aliquando à ſingulis. Quod quum accidiſſet noſtræ Reipub.tum priſtinis orbati muneribus hæc ſtudia renouare cœpimus,ut & animus moleſtijs hac potiſſimũ re leuaretur, & prodeſſemus ciuibus noſtris,qua re cunq; poſſemus.In libris enim ſententiam dicebamus,concionabamur,philoſophiam nobis pro Reipub. procuratione ſubſtitutam putabamus.Nunc quoniam de Repub.conſuli cœpti ſumus, tribuenda eſt opera Reipub.uel omnis potius in ea cogitatio & cura ponenda. Tantum huic ſtudio relinquendum,quãtum uacabit à publico officio & munere.Sed hæc aliàs pluribus,nunc ad inſtitutam diſputationem reuertamur. Nam quum de diuinatione Quĩtus frater ea diſſeruiſſet,quæ ſuperiori libro ſcripta ſunt,ſatiſq́ ambulatum uideretur,tum in bibliotheca, quę in Lycio eſt,aſſedimus. Atq; ego, Accurate tu quidem inquam Quinte & Stoice,Stoicorum ſententiam defendiſti,quodq́ me maxime delectat, plurimis noſtris exemplis uſus es,& ijs quidem claris & illuſtribus. Dicendum eſt mihi igitur ad ea quæ ſunt à te dicta,ſed ita,nihil ut affirmẽ,quæram omnia, dubitans

plerunq;

plerunq; & mihi ipſe diffidens.ſi enim aliquid certi haberem quod dicerem, ego ipſe diuinarem,qui eſſe diuinationẽ nego.Etenim me mouet illud, quod in primis Carneades quærere ſolebat,quarúmnam rerum diuinatio eſſet,earúmne quæ ſenſibus perciperentur:at eas quidem cernimus,audimus, guſtamus,olfacimus,tangimus.Num quid ergo in his rebus eſt,quod prouiſione aut permotione mentis magis ꝙ natura ipſa ſentiamus?aut num neſcio qui ille diuinus ſi oculis captus ſit,ut Tireſias fuit,poſſit quæ alba ſint,quæ nigra dicere:aut ſi ſurdus ſit,uarietates uocum aut modos noſcere. Ad nullã igitur earum rerum quæ ſenſu accipiuntur,diuinatio adhibetur. Atqui ne in his quidem rebus quæ arte tractantur,diuinatione opus eſt.Etenim ad ægros, non uates aut ariolos,ſed medicos ſolemus adducere:nec uero qui fidibus aut tibijs uti uolunt,ab aruſpicibus accipiunt earum tractationem,ſed à muſicis.Eadem in literis ratio eſt reliquisq; rebus,quarum eſt diſciplina.Num cẽſes eos qui diuinare dicuntur,poſſe reſpondere,ſol maiórne ꝙ terra ſit,an tãtus quãtus uideatur? Lunaq; ſuo lumine an Solis utatur? Sol,Luna, quem motum habeant? quem quinq; ſtellæ quæ errare dicuntur? Nec hæc qui diuini habentur profitentur ſe eſſe dicturos : nec eorum quæ in geometria deſcribuntur, quæ uera quæ falſa ſint.Sunt enim ea mathematicorum,non ariolorum.De illis uero rebus quæ ĩ philoſophia uerſantur,num quid eſt quod quiſꝙ diuinorum,aut reſpondere ſoleat,aut conſuli,quid bonum ſit,quid malum,quid neutrum? Sunt enim hæc propria philoſophorũ.Quid de officio? num quis aruſpicem conſulit quemadmodum ſit cum parentibus,cum fratribus,cum amicis uiuendum? quemadmodum utendum pecunia, quemadmodum honore, quemadmodum imperio? Ad ſapientes hæc,non ad diuinos referri ſolent.

Quid quæ à Dialecticis aut phyſicis tractantur,num quis eorũ diuinare poteſt,unúſne mundus ſit an plures,quæ ſint initia rerum ex quibus naſcuntur omnia? Phyſicorum eſt iſta prudentia. Quomodo aut mentientem, quem ψευδόμενον uocãt diſſoluas? aut quemadmodum Soriti reſiſtas? quem,ſi neceſſe ſit latino uerbo,liceat acerualem appellare.Sed nihil opus. Vt enim ipſa philoſophia,& multa uerba Græcorũ,ſic Sorites ſatis latino ſermone tritus eſt. Ergo hæc quoq; Dialectici dicent non diuini. Quid quum quæritur qui ſit optimus Reipub.ſtatus,quæ leges,qui mores,aut utiles aut ĩutiles,aruſpicéſne ex Etruria arceſſentur? an principes ſtatuent,& delecti uiri periti rerum ciuilium? Quod ſi nec earum rerum quæ ſubiectæ ſenſibus ſunt,ulla diuinatio eſt,nec earum quæ artibus continentur,nec earum quæ in philoſophia diſſerũtur,nec earum quæ in Repub.uerſantur,quarum rerum ſit nihil prorſus intelligo.Nam aut omnium debet eſſe,aut aliqua ei materia dãda eſt,in qua uerſari poſſit.Sed nec omnium diuinatio eſt,ut ratio docuit,nec locus nec materia inuenitur,cui diuinationem præficere poſſimus. Vide igitur ne nulla ſit diuinatio.Eſt quidam Græcus uulgaris in hanc ſententiam uerſus.

Bene qui conijciet uatem hunc perhibebo optimum.

Num igitur aut quæ tẽpeſtas impẽdeat uates melius conijciet ꝙ gubernator? aut morbi naturã acutius ꝙ medicus? aut belli adminiſtrationem prudentius, ꝙ Imperator coniectura aſſequetur? Sed animaduerti Quinte te caute, & ab ijs coniecturis quæ haberent artem atque prudentiam,& ab ijs rebus quæ ſenſibus aut artificijs perciperentur abducere diuinationem, eamq; ita definire;

diuinationem eſſe earum rerum prædictionem & preſenſionem, quæ eſſent fortuitæ. Primum eodem reuolueris: nam & medici, & gubernatoris, & Imperatoris preſenſio eſt rerũ fortuitarum. Num igitur aut aruſpex, aut augur, aut uates quis, aut ſomnians melius coniecerit, aut è morbo euaſurum ægrotum, aut è periculo nauẽ, aut ex inſidĳs exercitum, q̃ medicus, q̃ gubernator, q̃ Imperator? Atqui ne illa quidem diuinantis eſſe dicebas, uentos aut imbres impendentes quibuſdam preſentire ſignis, in quo noſtra quædam Aratea memoriter à te pronunciata ſunt, & ſi hec ipſa fortuita ſunt, plerunque enĩ non ſemper eueniunt. Que eſt igitur, aut ubi uerſatur fortuitarum rerum preſenſio, quam diuinationem uocas? Que enim preſentiri aut arte, aut ratione, aut uſu, aut coniectura poſſunt, ea non diuinis tribuenda putas, ſed peritis. Ita relinquitur, ut ea fortuita diuinari poſſint, quæ nulla nec arte, nec ſapiẽtia prouideri poſſunt. Vt ſi quis M. Marcellum illum qui ter Conſul fuit, multis annis ante dixiſſet naufragio eſſe periturum, diuinaſſet profecto. Nulla enim arte alia id nec ſapientia ſcire potuiſſet. Talium ergo rerum que in fortuna poſitę ſunt preſenſio, diuinatio eſt. Poteſtne igitur earum rerum, que nihil habẽt rationis quare future ſint, eſſe ulla preſenſio? Quid eſt enim aliud ſors, quid fortuna, quid caſus, quid euentus, niſi quum ſic aliquid cecidit, ſic euenit, ut uel non cadere atq; euenire, uel aliter cadere atq; euenire potuerit? Quomõ ergo id quod temere fit cæco caſu & uolubilitate fortunæ, preſentiri & predici poteſt? Medicus morbum ingraueſcentem ratione prouidet, inſidias Imperator, tempeſtates gubernator, & tamen hi ipſi ſæpe falluntur, qui nihil ſine certa ratione opinantur. Vt agricola quum florem oleę uidet, bacam quoq; ſe uiſurum putat, non ſine ratione ille quidem, ſed nonnunquam tamen fallitur. Quod ſi falluntur ĳ, qui nihil ſine aliqua probabili coniectura ac ratione dicunt, quid exiſtimandum eſt de coniectura eorum qui extis, aut auibus, aut oſtentis, aut oraculis, aut ſomnĳs futura preſentiunt? Nondũ dico q̃ hæc ſigna nulla ſint, fiſſum iecoris, corui cantus, uolatus aquilæ, ſtelle traiectio, uoces furentium, ſortes, ſomnia, de quibus ſingulis dicam ſuo loco, nunc de uniuerſis. Qui poteſt prouideri quidq̃ futurum eſſe, quod neq; cauſam habet ullam, neq; notam cur futurum ſit? Solis defectiones, itemq; lunæ prædicuntur in multos annos ab his qui ſyderum motus numeris perſequuntur. Ea predicunt enim que nature neceſſitas perfectura eſt. Vident ex conſtantiſſimo motu lunæ, quando illa è regione ſolis facta incurrat ĩ umbram terre, que eſt meta noctis, ut eam obſcurari neceſſe eſt, quandoq; eadem luna ſubiecta atq; oppoſita ſoli noſtris oculis eius lumen obſcuret, quo in ſigno quæq; errantium ſtellarum quoque tempore futura ſit, qui exortus quoque die ſigni alicuius, aut qui occaſus futurus ſit. Hæc qui ante dicunt, quam rationem ſequantur uides: qui theſaurum inuenturum, aut hæreditatem uenturam dicunt, quid ſequuntur, aut in qua rerum natura ineſt id futurum. Quod ſi hæc eaq; quæ ſunt eiuſdem generis habent aliquam talem neceſſitatẽ, quid eſt tandem quod caſu fieri, aut forte fortuna putemus? Nihil enim eſt tam contrarium rationi & conſtantiæ q̃ fortuna, ut mihi ne in deum quidem cadere uideatur, ut ſciat quid caſu aut fortuito futurum ſit. Si enim ſcit, certe illud eueniet: ſin certe eueniet, nulla fortuna eſt. Eſt autem fortuna, rerum igitur fortuitarum nulla præſenſio eſt. Aut ſi negas eſſe fortunam, &

omnia

omnia quæ fiunt,quæq; futura ſunt,ex omni æternitate definita dicis eſſe fataliter,muta definitionem diuinationis quam dicebas præſenſionem eſſe rerum fortuitarum. Si enim nihil fieri poteſt, nihil accidere,nihil euenire,niſi quod ab omni æternitate certum fuerit eſſe futurum rato tempore, quæ poteſt eſſe fortuna? qua ſublata qui locus eſt diuinationi, quæ à te fortuitarũ rerum eſt dicta præſenſio? quanquam dicebas omnia quæ fierent, futuráue eſſent,fato contineri. Anile ſanè & plenum ſuperſtitionis fati nomen ipſum,ſed tamen apud Stoicos de iſto fato multa dicuntur, de quo aliàs,nunc quod neceſſe eſt. Si omnia fato,quid mihi diuinatio prodeſt? Quod enim is qui diuinat prędicit,id uero futurum eſt,ut ne illud quidem ſciam quale ſit,quod Deiotarum neceſſarium noſtrum ex itinere aquila reuocauit: qui niſi reuertiſſet in eo conclaui ei cubãdum fuiſſet,quod proxima nocte corruit. Ruina igitur oppreſſus eſſet:at id neque ſi fatum fuerat effugiſſet,nec ſi non fuerat in eum caſum incidiſſet. Quid ergo adiuuat diuinatio,aut quid eſt quod me moueãt aut ſortes,aut exta,aut ulla prędictio? Si enim fatum fuit claſſes Populi R. bello punico primo alteram naufragio,alteram à Pœnis depreſſam interire, etiam ſi tripudium ſoliſtimum pulli feciſſent L. Iunio & P. Clodio COSS. claſſes tamen interiſſent. Sin cum auſpicijs obtemperatum eſſet interituræ claſſes non fuerunt,nõ interierunt fato. Vultis autem omnia fato,nulla igitur eſt diuinatio. Quod ſi fatum fuit bello punico ſecundo exercitum Populi R. ad lacum Traſimenum interire, non id uitari potuit ſi Flaminius Conſul his ſignis,hisq; auſpicijs quibus pugnare prohibebatur paruiſſet? Certe potuit. Aut igitur non fato interijt exercitus,mutari enim fata non poſſunt,aut ſi fato,quod certe uobis ita dicendum eſt, etiam ſi obtemperaſſet auſpicijs,idem euenturum fuiſſet. Vbi eſt igitur diuinatio Stoicorum, quæ ſi fato omnia fiunt,nihil nos admonere poteſt ut cautiores ſimus? Quoquo enim modo nos geſſerimus,fiet tamen illud quod futurum eſt. Sin autem id poteſt flecti, nullum eſt fatum,ita ne diuinatio quidem,quoniam ea rerum futurarum eſt. Nihil autem eſt pro certo futurum quod poteſt aliqua procuratione accidere ne fiat. Atque ego ne utilem quidem arbitror eſſe nobis futurarum rerum ſcientiam. Quæ enim uita fuiſſet Priamo,ſi ab adoleſcentia ſciſſet quos euentus ſenectutis eſſet habiturus? Abeamus à fabulis,propiora uideamus. Clariſſimorum hominum noſtræ ciuitatis grauiſſimos exitus in conſolatione collegimus. Quid igitur,ut omittamus ſuperiores,M. ne Craſſo putas utile fuiſſe, tum cum maximis opibus fortuniſq; florebat,ſcire ſibi interfecto P. filio,exercituq; deleto trans Euphratem cum ignominia & dedecore eſſe pereundum? An Cn. Pompeium cenſes, tribus ſuis conſulatibus, tribus triumphis, maximarum rerum gloria lætaturum fuiſſe, ſi ſciret ſe in ſolitudine Aegyptiorum trucidatum iri amiſſo exercitu, poſt mortem uero ea conſecutura, quæ ſine lacrimis non poſſumus dicere? Quid uero Cæſarem putamus ſi diuinaſſet fore ut in eo Senatu quem maiore ex parte ipſe cooptaſſet,in Curia Pompeiana ante ipſius Pompeij ſimulacrum,tot Centurionibus ſuis inſpectantibus,à nobiliſſimis ciuibus,partim etiam à ſe omnibus rebus ornatis trucidatus ita iaceret, ut ad eius corpus non modo amicorum,ſed ne ſeruorum quidem quiſq̃ accederet,quo cruciatu animi uitã acturum fuiſſe? Certe igitur ignoratio futurorum malorum utilior eſt q̃ ſcientia. Nam illud

quidem dici preſertim à Stoicis nullo modo poteſt,Non iſſet ad arma Pompeius,non tranſiſſet Craſſus Euphratem,non ſuſcepiſſet bellum ciuile Cęſar, non igitur fatales exitus habuerunt. Vultis autem euenire omnia fato, nihil ergo illis profuiſſet diuinare,atq; etiam omnem fructum uitę ſuperioris perdidiſſent. Quid enim poſſet iјs eſſe lætum exitus ſuos cogitantibus? Ita quoquo ſeſe uerterint Stoici,iaceat neceſſe eſt omnis eorum ſolertia. Si enim id quod euenturum eſt,uel hoc uel illo modo poteſt euenire,fortuna ualet plurimum: quę autem fortuita ſunt,certa eſſe non poſſunt. Sin autem certum eſt quid quaq; de re quoq; tempore futurum ſit,quid eſt quod me adiuuent aruſpices,quum res triſtiſſimas portendi dixerint? Addunt ad extremum omnia leuius caſura rebus diuinis procuratis. Si enim nihil fit extra fatum, nihil leuari re diuina poteſt. Hoc ſentit Homerus,quum querentem Iouem inducit quod Sarpedonem filium à morte contra fatũ eripere non poſſet. Hoc idẽ ſignificat Græcus ille in eam ſententiam uerſus,

Quod fore paratum eſt,id ſummum exuperat Iouem.

Totum omnino fatum etiam Atellanio uerſu iure mihi eſſe irriſum uidetur, ſed in rebus tam ſeueris non eſt iocandi locus,concludatur igitur ratio. Si enī prouideri nihil poteſt futurum eſſe eorum quæ caſu fiunt,quia eſſe certa non poſſunt,diuinatio nulla eſt. Sin autem idcirco poſſunt prouideri, quia certa ſunt & fatalia,rurſus diuinatio nulla eſt: eam enim tu fortuitarum rerum eſſe dicebas. Sed hæc fuerit nobis tanq̃ leuis armaturę prima orationis excurſio, nũc comminus agamus,experiamurq; ſi poſſimus cornua commouere diſputationis tuæ. Duo enim genera diuinandi eſſe dicebas,unũ artificioſum, alterũ naturale. Artificioſum conſtare partim ex coniectura, partim ex obſeruatione diuturna. Naturale quod animus arriperet,aut exciperet extrinſecus ex diuinitate,unde omnes animos hauſtos aut acceptos,aut libatos haberemus. Artificioſa diuinationis illa ferè genera ponebas extiſpicum,eorumq; qui ex fulguribus oſtentisq; prædicerent,tum augurum eorumq; qui ſignis aut ominibus uterentur,omneq; genus coniecturale in hoc ferè genere ponebas. Illud autem naturale aut concitatione mentis edi,& quaſi fundi uidebatur,aut animo per ſomnium ſenſibus & curis uacuo prouideri. Duxiſti autem diuinationem omnem à tribus rebus,à deo,à fato,à natura: ſed tamen quum explicare nihil poſſes,pugnaſti commentitiorum exemplorum mirifica copia, de quo primum hoc libet dicere. Hoc ego philoſophi non eſſe arbitror, teſtibus uti,qui aut caſu ueri,aut malitia falſi fictiq; eſſe poſſunt. Argumentis & rationibus oportet quare quidq; ita ſit docere,non euentis, his preſertim quibus mihi liceat non credere,ut ordiar ab aruſpicina,quam ego Reipub. cauſa, cõmunisq; religionis colendam cenſeo. Sed ſoli ſumus,licet uerum exquirere ſine inuidia, mihi preſertim de plerisq; dubitanti. Inſpiciamus ſi placet exta primum. Perſuaderi igitur cuiquam poteſt,ea quæ ſignificari dicũtur extis,cognita eſſe ab aruſpicibus obſeruatiõe diuturna? quàm diuturna iſta fuit? aut q̃ longinquo tempore obſeruari potuit? aut quo modo eſt collata inter ipſos,quæ pars inimici,quæ pars familiaris eſſet,quod fiſſum periculũ, quod cõmodum aliquod oſtenderet? An hæc inter ſe aruſpices,Etruſci,Elij,Aegyptij, Pœni contulerunt? Ad id præterquam quod fieri non potuit, ne fingi quidem poteſt. Alios enim alio more uidemus exta interpretari, nec

eſſe unam omnium diſciplinam. Et certe ſi eſt in extis aliqua uis quæ declaret futura, neceſſe eſt eam aut cum rerum natura eſſe coniunctam, aut conformari quodammodo numini deorum. Atqui diuina cum rerum natura tãta tamq́ præclara in omnes partes motusq́ diffuſa, quid habere poteſt commune, nõ dicam gallinaceum fel (Sunt enim qui uel argutiſſima hæc exta eſſe dicant) Sed tauri opimi iecur, aut cor, aut pulmo, quid habet naturale quo declarari poſſit quid futurum ſit? Democritus tamen nõ inſcite nugatur, ut phyſicus, quo genere nihil arrogantius,

Quod eſt ante pedes nemo ſpectat, cœli ſcrutantur plagas.

Verum is tamen habitu extorum & colore declarari cenſet hæc duntaxat, pabuli genus, & earum rerum quas terra procreet, uel ubertatem uel tenuitatẽ, ſalubritatem etiam aut peſtilentiam extis ſignificari putat. O mortalem beatum, cui certo ſcio ludum nunquam defuiſſe. Hunccine hominem tantis delectatum eſſe nugis: ut non uideret tum futurum id uerisimile ſi omnium pecudum exta eodem tempore in eundem habitum ſe coloremq́ conuerterent? Sed ſi eadem hora aliæ pecudis iecur nitidum atq́ plenum eſt, aliæ horridum & exile, quid eſt quod declarari poſſit habitu extorum & colore? An hoc eiuſdem modi eſt, quale Pherecydeum illud quod eſt à te dictum? qui quũ aquam ex puteo uidiſſet hauſtam, terræmotum dixit futurum: parum credo impudenter: quod quum factus eſſet motus dicere audent quæ uis id effecerit? etiam ne futurum eſſe, aquæ iugis colore præſentiunt? Multa iſtiuſmodi dicuntur in ſcholis, ſed credere omnia uide ne non ſit neceſſe. Verum ſint ſane iſta Democritea uera, quãdo ea nos extis exquirimus, aut quando aliquid eiuſmodi ab aruſpice inſpectis extis audiuimus. Ab aqua, aut ab igni pericula monent, tum hæreditates, tum damna denuntiant, fiſſum familiare & uitale tractant, caput iecoris ex omni parte diligentiſſime conſiderant: ſi uero id non eſt inuentum, nihil putant accidere potuiſſe triſtius. Hæc obſeruari certe nõ potuerunt, ut ſupra docui. Sunt igitur artis inuenta, non uetuſtatis, ſi eſt ars ulla rerum incognitarum. Quum rerum autem natura, quam cognationẽ habẽt? quæ ut uno conſenſu iuncta ſit & continens, quod uideo placuiſſe phyſicis, eisq́ maxime qui omne quod eſſet unum eſſe dixerunt, quid habere mũdus poteſt quum theſauri inuentione coniunctum? Si enim extis pecuniæ mihi amplificatio oſtenditur, idq́ fit natura, primum exta ſunt coniuncta mũdo, deinde meum lucrum natura rerum continetur, nónne pudet phyſicos hæc dicere? ut enim iam ſit aliqua in natura rerum contagio, quam eſſe concedo. Multa enim Stoici colligunt. Nam & muſculorum iecuſcula bruma dicũtur augeri, & puleium aridum floreſcere brumali ipſo die, & inflatas rumpi ueſiculas, & ſemina malorum quæ in his medijs incluſa ſint, in contrarias partes ſe uertere. Iam neruos in fidibus alijs pulſis reſonare alios, oſtreisq́ & conchilijs omnibus contingere, ut cum luna pariter creſcant, pariterq́ decreſcant: arboresq́ ut hyemali tempore, cum luna ſimul ſeneſcentes, quia tum exiccatæ ſint, tempeſtiue cædi putentur. Quid de fretis aut de marinis æſtibus plura dicam? quorum acceſſus & receſſus, lunæ motu gubernantur. Sexcenta licet eiuſdemmodi proferri, ut diſtantium rerum cognatio naturalis appareat. Demus hoc, nihil enim huic diſputationi aduerſatur, num etiã ſi fiſſum cuiuſdam modi fuerit in iecore, lucrum oſtẽditur? qua ex coniunctione naturæ, &

quaſi concentu atq; conſenſu, quam συμπάθειαν Græci appellant, cōuenire poteſt aut fiſſum iecoris cum lucello meo, aut meus quæſticulus cum cœlo, terra, rerumq; natura? Concedam hoc ipſum ſi uis, & ſi magnam iacturam cauſæ fecero, ſi ullam eſſe conuenientiam naturæ cum extis conceſſero. Sed tamen eo conceſſo, qui euenit ut is qui impertire uelit conuenientem hoſtiam rebus ſuis immolet? Hoc erat quod ego non rebar poſſe diſſolui: at q̃ feſtiue diſſoluitur? Pudet me non tui quidem, cuius etiam memoriam admiror, ſed Chryſippi, Antipatri, Poſidonij, qui idem iſtuc quidem dicunt, quod eſt dictum àte, ad hoſtiam deligendam ducem eſſe uim quandam ſentientem atque diuinā, quę tota confuſa mundo ſit. Illud uero multo etiam melius, quod & à te uſurpatum eſt, & dicitur ab illis, quum immolare quiſpiam uelit, tum fieri extorum mutationem, ut aut abſit aliquid, aut ſuperſit: deorum enim numini parere omnia. Hæc iam mihi crede ne aniculæ quidem exiſtimant. An cenſes eundem uitulum ſi alius delegerit, ſine capite iecur inuenturum, ſi alius, cum capite? Hæc deceſſio capitis aut acceſſio, ſubitóne fieri poteſt, ut ſe exta ad immolatoris fortunam accommodent? Non perſpicitis aleam quandam eſſe in hoſtijs deligendis, preſertim quum res ipſa doceat? Quum enim triſtiſſima exta ſine capite fuerint, quibus nihil uidetur eſſe dirius, proxima hoſtia litatur ſępe pulcherrime. Vbi igitur illæ minæ ſuperiorum extorum? aut quæ tam ſubito facta eſt deorum tanta placatio? Sed affers in tauri opimi extis immolāte Cæſare cor non fuiſſe: id quia non potuerit accidere, ut ſine corde uictima illa uiueret, iudicandum eſſe tum interijſſe cor quum immolaretur. Qui fit ut alterum intelligas, ſine corde non potuiſſe bouem uiuere: alterum non uideas, cor ſubito non potuiſſe neſcio quò auolare? Ego enim poſſum uel neſcire quæ uis ſit cordis ad uiuēdum, uel ſuſpicari contractum aliquo morbo bouis exile & exiguum & uietum cor, & diſſimile cordis fuiſſe. Tu uero quid habes quare putes, ſi paulo ante cor fuerit in tauro opimo, ſubito id in ipſa immolatione interiſſe? An quod aſpexerit ueſtitu purpureo excordem Cæſarem, ipſe corde priuatus eſt? Vrbem philoſophię mihi crede proditis, dum caſtella defenditis. Nam dum aruſpicinam ueram eſſe uultis, Phyſiologiam totam peruertitis. Caput eſt in iecore, cor in extis: iam abſcedet ſimul ac molam & uinū inſperſeris, deus id eripiet, uis aliqua conficiet aut exedet: non ergo omnium interitus atque obitus natura conficiet, & erit aliquid quod aut ex nihilo oriatur, aut in nihilum ſubito occidat. Quis hoc phyſicus dixit unquam? aruſpices dicunt. His igitur quàm phyſicis credēdum potius exiſtimas? Quid quū pluribus dijs immolatur, qui tandem euenit ut litetur alijs, alijs non litetur? Quæ autem inconſtantia deorum eſt, ut primis minentur extis, bene promittant ſecundis? aut tanta inter eos diſſenſio ſæpe etiā inter proximos, ut Apollinis exta bona ſint, Dianę non bona? Quid eſt tam perſpicuum, q̃ quum fortuito hoſtiæ adducātur, talia cuiq; exta eſſe, qualis cuiq; obtigerit hoſtia? At enim id ipſum habet aliquid diuini, quæ cuiq; hoſtia obtingat, tanq̃ in ſortibus quæ cui ducatur. Mox de ſortibus, quanq̃ tu quidem non hoſtiarum caſum confirmas ſortium ſimilitudine, ſed infirmas ſortes collatione hoſtiarū. An quum in Aequimelium miſimus qui afferat agnum quem immolemus, is mihi agnus affertur, qui habet exta rebus accōmodata, & ad eum agnū nō caſu ſed duce deo, ſeruus deducitur? Nam ſi caſus in eo quoq; eſſe dicis, quaſi

ſortem

ſortem quandam cum deorum uoluntate coniunctam, doleo tantam Stoicos noſtros Epicureis irridendi ſui facultatem dediſſe. Non enim ignoras q̄ iſta derideant: & quidem illi facilius facere poſſunt. Deos enim ipſos iocandi cauſa induxit Epicurus perlucidos & perflabiles, & habitantes tanq̄ inter duos lucos, ſic inter duos mūdos propter metum ruinarum: eoſq; habere putat eadem membra quæ nos, nec uſum ullum habere membrorum. Ergo hic circuitione quadam deos tollens, recte non dubitat diuinationem tollere. Sed non ut hic ſibi conſtat, item Stoici. Illius enim deus nihil habens nec ſui, nec alieni negocij, non poteſt hominibus diuinationem impertiri. Veſter autem deus, poteſt non impertiri, ut nihilominus mundum regat, & hominibus conſulat. Cur igitur uos inducitis in eas captiones, quas nunquam explicetis? Ita enim quum magis properant, concludere ſolent: Si dij ſunt, eſt diuinatio: ſunt autē dij, eſt ergo diuinatio. Multo eſt probabilius, non eſt autem diuinatio, non ſunt ergo dij. Vide quàm temere committant, ut ſi nulla ſit diuinatio, nulli ſint dij. Diuinatio enim perſpicue tollitur, deos eſſe retinendum eſt. Atq; hac extiſpicum diuinatione ſublata, omnis aruſpicina ſublata eſt. Oſtēta enim ſequuntur & fulgura: ualet autem in fulguribus obſeruatio diuturna, in oſtentis ratio, plerūq; coniectura, quæ adhibetur. Quid eſt igitur quod obſeruatū ſit in fulgure? Cœlum in XVI partes diuiſerunt Etruſci: facile id quidem fuit, quatuor quas nos habemus duplicare, poſt idem iterum facere, ut ex eo dicerent fulmen qua ex parte eueniſſet. Primum id quid intereſt? deinde quid ſignificat? Nónne perſpicuum eſt ex prima admiratione hominum, quod tonitrua iactusq; fulminum extimuiſſent, credidiſſe ea efficere rerum omniū præpotentem Iouem? Itaq; in noſtris commentarijs ſcriptum habemus, Ioue tonante, fulgurante, comitia populi habere nefas. Hoc fortaſſe Reip. cauſa conſtitutum eſt. Comitiorum enim non habendorum cauſas eſſe uoluerunt. Itaque comitiorum ſolum uitium eſt fulmen, quod idem omnibus rebus optimū auſpicium habemus ſi ſiniſtrum fuit. Sed de auſpicijs alio loco, nūc de fulguribus, quid igitur minus à phyſicis dici debet, q̄ quidq̄ certi ſignificari rebus incertis? Non enim te puto eſſe eum qui Ioui fulmen fabricatos eſſe Cyclopas ī Aetna putes. Nam eſſet mirabile, quo modo id Iuppiter toties iaceret, quū unum haberet. Nec uero fulminibus homines, quid aut faciēdum eſſet, aut cauendum moneret. Placet enim Stoicis, eos anhelitus terræ qui frigidi ſunt, quū fluere cœperint, uētos eſſe. Quū autē ſe in nubē induerint, eiuſq; tenuiſſimā quāq; partē cœperint diuidere atq; diſrūpere, idq; crebrius facere & uehemētius, tum & fulgores & tonitrua exiſtere: ſi autē nubium cōflictu ardor expreſſus ſe emiſerit, id eſſe fulmen. Quod igitur ui naturæ, nulla cōſtantia, nullo rato tempore uidemus effici, ex eo ſignificationem rerum conſequentium quærimus? Scilicet ſi iſta Iuppiter ſignificaret, tā multa fruſtra fulmina emitteret. Quid enim proficit, quum in medium mare fulmen iecit? Quid quum in altiſſimos montes: quod plerūq; fit? Quid quum in deſertas ſolitudines? Quid quum in earum gentium oras, in quibus hæc ne obſeruantur quidem? At inuentum eſt caput in Tiberi. Quaſi ego artem aliquam iſtorum eſſe negem, diuinationem nego. Cœli enim diſtributio quam ante dixi, & certarū rerum notatio docet unde fulmen uenerit, quò conceſſerit: quid ſignificet autem nulla ratio docet. Sed urges me meis uerſibus.

» Nam pater altitonans ſtellanti nixus olympo,
» Ipſe ſuos quondam tumulos ac templa petiuit,
Et Capitolinis iniecit ſedibus ignes.

Tum ſtatua Nattæ tum & ſimulacra deorum, Romulusq; & Remus cũ altrice belua, ui fulminis icti conciderunt: deq; his rebus aruſpicum extiterunt reſponſa ueriſſima. Mirabile autem illud, quod eo ipſo tempore quo fieret indicium coniurationis in Senatu, ſignum Iouis biennio poſtq̃ erat locatum, in Capitolio collocabatur. Tu igitur animum induces, ſic enim mecum agebas, cauſam iſtam & contra facta tua, & contra ſcripta defendere: frater es, eo uereor. Verum quid tibi hic tandem nocet? résne quæ talis eſt, an ego qui uerũ explicari uolo? Itaq; nihil contradico, à te rationem totius aruſpicinæ peto. Sed te mirificam in latebrã conieciſti. Quod enim intelligeres fore ut premerem te quum ex te cauſas uniuſcuiuſq; diuinationis exquirerem, multa uerba feciſti, te quum res uideres, rationem cauſamq; non quærere, quid fieret non cur fieret ad rem pertinere: quaſi ego aut fieri concederem, aut eſſet philoſophi, cauſam cur quidq; fieret non quærere, & eo quidem loco & prognoſtica noſtra pronuntiabas & genera herbarum Scammoneam Ariſtolochiamq; radicẽ, quarum cauſam ignorares, uim & effectum uideres. Diſſimile totum. Nam & prognoſticorum cauſas perſecuti ſunt, & Boethus Stoicus, qui eſt à te nominatus, & noſter etiam Poſidonius. Et ſi cauſæ non reperiantur iſtarũ rerum, res tamen ipſę obſeruari animaduertiq; potuerunt. Nattæ uero ſtatua aut æra legum de cœlo tacta, quid habent obſeruatum ac uetuſtum? Pinarij Nattæ nobiles, à nobilitate igitur periculum. Hoc tamen callide Iuppiter cogitauit. Romulus lactens fulmine ictus. Vrbi igitur periculum oſtenditur ei quam ille condidit. Q̃ ſcite per notas nos certiores facit Iuppiter? At eodem tempore ſignum Iouis collocabatur quo coniuratio indicabatur: & tu ſcilicet mauis numine deorum id factum q̃ caſu arbitrari: & redemptor qui columnam illam de Cotta & de Torquato conduxerat faciendam, non inertia aut inopia tardior fuit, ſed à dijs immortalibus ad iſtam horã reſeruatus eſt. Nõ equidem planè deſpero iſta eſſe uera, ſed neſcio, & diſcere à te uolo. Nam quũ mihi quædam caſu uiderentur ſic euenire, ut prædicta eſſent à diuinantibus, dixiſti multa de caſu, ut uenereum iaci poſſe caſu quatuor talis iactis, & quadringentis centum uenereos non poſſe caſu cõſiſtere. Primum neſcio cur nõ poſſint, ſed non pugno. Abundas enim ſimilibus. Habes & reſperſionem pigmentorum & roſtrum ſuis, & alia permulta. Idem Carneadem fingere dicis de capite Paniſci, quaſi non potuerit id euenire caſu, & non in omni marmore neceſſe ſit ineſſe uel Praxitelia capita. Illa enĩ ipſa efficiũtur detractione, neq; quidq̃ illuc affertur à Praxitele, ſed quum multa ſunt detracta, & ad lineamenta oris peruentum eſt, tum intelligas aliud quod iam expolitum ſit intus fuiſſę. Poteſt igitur tale aliquid etiam ſua ſpõte in lapicidinis Chiorum extitiſſe. Sed ſit hoc fictum, quid in nubibus? nunq̃ animaduertiſti leonis formam aut Hippocentauri? Poteſt igitur quod modò negabas, ueritatẽ caſus imitari. Sed quoniam de extis & de fulguribus ſatis eſt diſputatum, oſtenta reſtãt, ut tota aruſpicina ſit pertractata. Mulæ partus prolatus eſt à te res mirabilis, propterea quia non ſæpe fit: ſed ſi fieri non potuiſſet, facta non eſſet. Atq; hoc cõtra omnia oſtenta ualeat, nunq̃ quod fieri nõ potuerit, eſſe factũ:

ſin

ſin potuerit,non eſſe mirandum.Cauſarum enim ignoratio in re noua mira‑tionem facit,eadem ignoratio ſi in rebus uſitatis eſt,non miramur. Nam qui mulam peperiſſe miratur,is quomodo equa pariat, aut omnino quæ natura partum animantis faciat ignorat: ſed quod crebro uidet non miratur,etiam ſi cur fiat neſcit: quod ante non uidit,id ſi euenerit,oſtentum eſſe cenſet. Vtrum igitur quum concepit mula,an quum peperit oſtentum eſt? conceptio contra naturam fortaſſe,ſed partus propè neceſſarius. Sed quid plura? Ortum uidea mus aruſpicinæ,ſic facillime quid habeat auctoritatis iudicabimus. Tages quidam dicitur in agro Tarquinienſi quum terra araretur, & ſulcus altius eſ ſet impreſſus,extitiſſe repēte,& eum affatus eſſe,qui arabat. Is autem Tages ut in libris eſt Etruſcorum,puerili ſpecie dicitur uiſus,ſed ſenili fuiſſe pruden‑tia. Eius aſpectu quum obſtupuiſſet bubulcus,clamoremq́ maiorem cum ad miratione edidiſſet,concurſum eſſe factum,totamq́ breui tempore in eum lo cum Etruriam conueniſſe,tum illum plura locutum multis audientibus qui omnia uerba eius exceperint literiſq́ mandauerint. Omnem autem orationē fuiſſe eam qua aruſpicinæ diſciplina contineretur, eam poſtea creuiſſe rebus nouis cognoſcendis,& ad eadem illa principia referendis. Hæc accepimus ab ipſis,hæc ſcripta conſeruant,hunc fontem habent diſciplinę. Num ergo opus eſt ad hæc refellenda Carneade? Num Epicuro? Eſt ne quiſq̄ ita deſipiēs,qui credat exaratum eſſe,deum dicam,an hominem? Si deum,cur ſe contra natu‑ram in terram abdiderit, ut patefactus aratro lucem aſpiceret? Quid,idem nónne poterat deus hominibus diſciplinam ſuperiore è loco tradere? Si autē homo ille Tages fuit,quonā modo potuit terra oppreſſus uiuere? Vnde por rò illa potuit quæ docebat alios,ipſe didiciſſe? Sed ego inſipientior quàm illi ipſi qui iſta credunt,qui quidem contra eos tandiu diſputem. Vetus autem il‑lud Catonis admodum ſcitum eſt,qui mirari ſe aiebat,quòd non rideret aru‑ſpex,aruſpicem quū uidiſſet. Quota enim quæq; res euenit prædicta ab iſtis? aut ſi euenit quippiam,quid afferri poteſt cur non caſu id euenerit? Rex Pru‑ſias quum Annibali apud eum exulanti depugnari placeret, negabat ſe aude‑re,quod exta prohiberent. An tu,inquit,caruncula uitulinæ mauis q̄ Impe‑ratori ueteri credere? Quid ipſe Cæſar,quum à ſummo aruſpice moneretur, ne in Aphricam ante brumam tranſmitteret,nónne tranſmiſit? quod ni feciſ ſet,uno in loco omnes aduerſariorum copiæ conueniſſent. Quid ego aruſpi‑cum reſponſa commemorem? poſſum equidem innumerabilia,quæ aut nul‑los habuerint exitus,aut contrarios. Hoc ciuili bello dij immortales q̄ multa luſerunt? quæ nobis in Græciam Roma reſponſa aruſpicum miſſa ſunt, quæ dicta Pōpeio? Etenim ille admodū extis & oſtētis mouebatur. Non libet cō memorare,nec uero neceſſe eſt,tibi preſertim qui interfuiſti: uides tamen om nia ferè contra ac dicta ſint eueniſſe. Sed hæc hactenus,nunc ad oſtenta uenia mus. Multa me Conſule à me ipſo ſcripta recitaſti,multa ante Marſicum bel lum à Siſenna collecta attuliſti,multa ante Lacedæmoniorum malā pugnam in Leuctris à Calliſthene cōmemorata dixiſti: de quibus dicam equidē ſin‑gulis quoad uidebitur,ſed dicēdum etiā eſt de uniuerſis. Quę eſt enim iſta à deis profecta ſignificatio,& quaſi denunciatio calamitatum? Quid autem ea uolunt dij immortales primum ſignificantes,quę ſine interpretibus non poſ ſumus intelligere,deīde ea quę cauere nequeamus? At hoc ne homines quidē

probi faciunt,ut amicis impendentes calamitates prædicant, quas illi effuge-
re nullo modo poſſint : ut medici, quanq̃ intelligunt ſæpe,tamen nunquam
ægris dicũt illo morbo eos eſſe morituros.Omnis enim prædictio mali tum
probatur,quum ad prædictionẽ cautio adiungitur. Quid igitur aut oſtenta
aut eorũ interpretes uel Lacedæmonios olim uel nuper noſtros adiuuerunt?
Quæ ſi ſigna deorum putanda ſunt,cur tam obſcura fuerunt? Si enim ut intel
ligeremus quid eſſet euenturũ,aperte declarari oportebat,aut ne occulte qui-
dem ſi ea ſciri nolebãt.Iã uero cõiectura omnis,in qua nititur diuinatio,inge-
nĳs hominum in multas aut diuerſas aut etiã contrarias partes ſæpe deducit.
Vt enim in cauſis iudicialibus alia cõiectura eſt accuſatoris,alia defenſoris,&
tamen utriuſq; credibilis,ſic in omnibus his rebus,quæ coniectura inueſtiga
ri uidẽtur,anceps reperitur oratio.Quas autem res tum natura, tum caſus aſ-
fert,nonnunq̃ etiã errorem creat ſimilitudo.Magna ſtultitia eſt,earum rerũ
deos facere effectores,cauſas rerum nõ quærere. Tum uates Bœotios credis
Lebadię uidiſſe ex gallorum gallinaceorum cantu uictoriã eſſe Thebanorũ,
quia galli uicti ſilere ſolerent,canere uictores.Hoc igitur per gallinas Iuppi-
ter tantæ ciuitati ſignũ dabat? An illæ aues niſi quum uicerint canere non ſo-
lent? at tum canebant,nec uicerant.Id enim eſt,inquies oſtentum,magnũ ue-
ro,quaſi piſces non galli cecinerint.Quod autem eſt tempus quo illi non can
tent,uel nocturnum,uel diurnum? Quod ſi uictores alacritate & quaſi læti-
tia ad canendũ excitãtur,potuit accidiſſe alia quoq; lætitia,qua ad cãtũ moue-
rentur.Democritus quidẽ optimis uerbis cauſam explicat,cur ante lucem gal
li canant.Depulſo enim de pectore & in omne corpus diuiſo & mitificato ci-
bo,cantus edere quiete ſatiatos.Qui quidẽ ſilentio noctis:ut ait Ennius,fauẽt
„ faucibus,ruſſis cantu plauſuq; premunt alas. Quum igitur hoc animal tam
„ ſit canorum ſua ſponte,quid in mẽtem uenit Calliſtheni dicere deos gallis ſi-
gnum dediſſe cãtandi,quum id uel natura,uel caſus efficere potuiſſet? Sangui
nẽ pluiſſe Senatui nunciatum eſt,atratum etiã fluuium fluxiſſe ſanguine,deo-
rũ ſudaſſe ſimulacra,num cenſes ĳs nuncĳs Thalem , aut Anaxagoram , aut
quenq̃ phyſicum crediturũ fuiſſe? Nec enim ſanguis nec ſudor niſi è corpore.
Sed & decoloratio quædam ex aliqua cõtagione terrena maxime poteſt ſan
guinis ſimilis eſſe,& humor allapſus extrinſecus,ut in tectorĳs uidemus , au-
ſtro ſudorem uidetur imitari. Atq; hæc in bello plura & maiora uidentur ti-
mentibus,eadem non tam animaduertũtur in pace.Accedit illud etiam,quod
in metu & periculo cum creduntur facilius,tum finguntur impunius.Nos au
tem ita leues atq; inconſiderati ſumus,ut ſi mures corroſerint aliquid, quorũ
eſt opus hoc unum,monſtrũ putemus. Ante uero Marſicum bellũ,quod cly
peos Lanuuĳ,ut à te eſt dictum mures nocte eſſent,maximum id portentum
aruſpices eſſe dixerunt.Quaſi uero quidq̃ interſit,mures diem noctem aliqd
rodẽtes,ſcuta an cribra corroſerint.Nam ſi iſta ſequimur,quod Platonis Po-
litiam nuper apud me mures corroſerunt,de Repub.debui pertimeſcere.Aut
ſi Epicuri de uoluptate liber roſus eſſet,putarẽ annonam in macello cariorem
fore.An uero illa nos terrent,ſi quando aliqua portentoſa,aut ex pecude,aut
ex homine nata dicuntur? Quorum omnium ne ſim longior una ratio eſt.
Quidquid enim oritur qualecunq; eſt,cauſam habeat à natura neceſſe eſt:ut
etiam ſi præter conſuetudinem extiterit, præter naturam tamen non poſſit

exiſtere

exiſtere. Cauſam igitur inueſtigato in re noua atq; admirabili ſi poteris: ſi nullam reperies, illud tamen exploratum habeto, nihil fieri potuiſſe ſine cauſa: eumq; errorem quem tibi rei nouitas attulerit, naturæ ratione depellito. Ita te nec terræ fremitus, nec cœli diſceſſus, nec lapideus aut ſanguineus imber, nec traiectio ſtellæ, nec faces uiſæ terrebunt. Quarum omnium cauſas ſi à Chryſippo quæram, ipſe ille diuinationis author nunq̃ illa dicet facta fortuito, naturalemq; rationem omnium reddet. nihil enim fieri ſine cauſa poteſt, nec quidq̃ fit, quod fieri non poteſt: nec ſi id factum eſt quod potuit fieri, portentum debet uideri. Nulla igitur portenta ſunt. Nam ſi quod raro fit id portentum putandum eſt, ſapientem eſſe, portentum eſt: ſæpius enim mulam peperiſſe arbitror q̃ ſapiẽtem fuiſſe. Illa igitur ratio concluditur, nec id quod nõ potuerit fieri, factum unq̃ eſſe: nec quod potuerit, id portentum eſſe: ita omnino nullũ eſſe portentũ. Quod etiam coniector quidã, & interpres portentorum non inſcite reſpõdiſſe dicitur ei, qui quum ad eum retuliſſet quaſi oſtẽtum, quod anguis domi uectem circũiectus fuiſſet. Tum eſſet, inquit, oſtẽtũ, ſi anguem uectis circũplicauiſſet. Hoc ille reſponſo ſatis aperte declarauit nihil habendũ eſſe, quod fieri poſſet oſtentum C. Gracchus ad M. Pomponiũ ſcripſit duobus anguibus domi comprehenſis, aruſpices à patre conuocatos. Qui magis anguibus q̃ lacertis? q̃ muribus? Quia ſunt hæc cotidiana, angues non item. Quaſi uero referat, quod fieri poteſt q̃ id ſæpe fiat. Ego tamen miror ſi emiſſio fœminæ anguis, mortem afferebat Ti. Graccho, emiſſio autem maris anguis erat mortifera Corneliæ, cur alteramutram emiſit. Nihil enim ſcribit reſpõdiſſe aruſpices, ſi neuter anguis emiſſus eſſet, quid eſſet futurum. At mors inſecuta Gracchum eſt: cauſa quidem credo aliqua morbi grauioris, non emiſſione ſerpẽtis. Neq; enim tanta eſt infelicitas aruſpicum, ut ne caſu quidem nunquam fiat, quod futurum illi eſſe dixerint. Nam illud mirarer ſi crederem quod apud Homerum Calchantem dixiſti ex paſſerum numero belli Troiani annos auguratum. de cuius coniectura ſic apud Homerum, ut nos ocioſi conuertimus, loquitur Agamemnon,

Ferte uiri & duros animo tolerate labores,
Auguris ut noſtri Calchantis fata queamus
Scire, ratos ne habeant an uanos pectoris orſus.
Nanq; omnis memori portentum mente retentant,
Qui non funeſtis liquerunt lumina fatis,
Argolicis primum ut ueſtita eſt claſſibus Aulis,
Quæ Priamo cladem & Troiæ peſtemq; ferebant,
Nos circum latices gelidos fumantibus aris,
Aurigeris diuum placantes numina tauris:
Sub platano umbrifera fons unde emanat aquai,
Vidimus immani ſpecie tortuq; draconem
Terribilem, Iouis ut pulſu penetraret ab ara,
Qui platani in ramo foliorum tegmine ſeptos
Corripuit pullos: quos quum conſumeret octo,
Nona ſuper tremulo genitrix clangore uolabat,
Cui ferus immani laniauit uiſcera morſu.
Hunc ubi tam teneros uolucres matremq; peremit,

Qui luci ediderat genitor Saturnius idem
Abdidit,& duro formauit tegmine ſaxi.
Nos autem timidi ſtantes mirabile monſtrum
Vidimus in medijs diuum uerſarier aris.
Tum Calchas hæc eſt fidenti uoce locutus,
Quidnam torpentes ſubito obſtipuiſtis Achiui?
Nobis hæc portenta deum dedit ipſe creator,
Tarda & ſera nimis,ſed fama ac laude perenni.
Nam quod aues tetro mactatas dente uidetis,
Tot nos ad Troiam belli exanclabimus annos.
Quæ decumo cadet & pœnis ſatiabit Achiuos.
Edidit hæc Calchas,quæ iam matura uidetis,

Quæ tandem iſta auguratio eſt ex paſſeribus annorum potius q̃ aut menſium aut dierum? Cur autem de paſſerculis coniecturam facit,in quibus nullũ erat monſtrum: de dracone ſilet,qui id quod fieri non potuit lapideus dicitur factus? Poſtremo quid ſimile habet paſſer annis? Nam de angue illo,qui Syllæ apparuit immolanti,utrumq; memini,& Syllam quum in expeditionẽ educturus eſſet immolauiſſe,& anguem ab ara extitiſſe,eoq; die rem præclare eſſe geſtã non aruſpicis conſilio,ſed imperatoris. Atq; hæc oſtentorũ genera mirabile nihil habent,quæ quum facta ſunt,tum ad coniecturam aliqua interpretatione reuocantur: ut illa tritici grana in os pueri Midæ congeſta: ut apes, quas dixiſti in labris Platonis conſediſſe pueri,non tam mirabilia ſint q̃ coniecta belle,quæ tamen uel ipſa falſa eſſe,uel ea quæ prædicta ſunt fortuito cecidiſſe potuerunt. De ipſo Roſcio poteſt illud quidem eſſe falſum,ut circũligatus fuerit angui,ſed ut in cunis fuerit anguis,non tam eſt mirum in Solonio preſertim,ubi ad focum angues nundinari ſolent. Nam quod aruſpices reſponderint,nihil illo clarius,nihil nobilius fore,miror deos immortales hiſtrioni futuro claritatem oſtendiſſe,nullam oſtendiſſe Aphricano. Atq; etiã à te Flaminiana oſtenta collecta ſunt,quod ipſe & equus repente conciderit, non ſanè mirabile hoc quidem: quod euelli primi haſtati ſignum non potuerit,timide fortaſſe ſignifer euellebat,quod fidenter infixerat. Nam Dionyſii equus,quid attulit admirationis quod emerſit è flumine,quodq; habuit apes in iuba? Sed quia breui tempore regnare cœpit,quod acciderat caſu uim habuit oſtenti. At Lacedæmonijs in Herculis fano arma ſonuerunt, eiuſdemq; dei Thebis ualuæ clauſæ ſubito ſe aperuerunt,eaq; ſcuta quæ fuerant ſublime fixa,ſunt humi inuenta. Horum quum fieri nihil potuerit ſine aliquo motu, quid eſt cur diuinitus ea potius q̃ caſu facta eſſe dicamus? At in Lyſandri ſtatuæ capite Delphis extitit corona ex aſperis herbis, & quidem ſubita. Ita ne cenſes ante coronam herbæ extitiſſe,q̃ conceptum eſſe ſemen? Herbam autẽ aſperam credo auium congeſtu,non humano ſatu. Iam quidquid in capite eſt,id coronæ ſimile uideri poteſt. Nam quod eodem tempore ſtellas aureas Caſtoris & Pollucis Delphis poſitas decidiſſe,neq; eas uſq̃ repertas eſſe dixiſti, furum id magis factum q̃ deorum uidetur. Simiæ uero Dodoneæ improbitatem hiſtorijs Græcis mandatam eſſe demiror. Quid minus mirum q̃ illam mõſtruoſiſſimã beſtiã urnã euertiſſe,ſortes diſſipaſſe? Et negãt hiſtorici Lacedæmonijs ullum oſtentũ hoc triſtius accidiſſe. Nã illa prædicta Ve-

ientium,

ientium,ſi lacus Albanus redundaſſet,isq́ in mare fluxiſſet, Romam perituram,ſi repreſſus eſſet, Veios:ita aqua Albana deducta ad utilitatē agri ſuburbani non ad arcem urbemq́ retinendā. At paulo poſt audita uox eſt monētis,ut prouiderent ne à Gallis Roma caperetur : ex eo Aio loquenti aram in noua uia conſecratam. Quid ergo Aius iſte loquens,quum eum nemo norat, & aiebat,& loquebatur,& ex eo nomen inuenit: poſteaq̄ & ſedem, & aram, & nomē inuenit,obmutuit? Quod idē dici de Moneta poteſt,à qua præterq̄ de ſue plena quid unq̄ moniti ſumus? Satis multa de oſtentis. Auſpicia reſtāt & ſortes hæ quæ ducuntur,nō illæ quæ uaticinatione fundūtur, quæ oracula uerius dicimus,de quibus tum dicemus,quum ad naturalē diuinationem uenerimus. Reſtat etiā de Chaldæis. Sed primum auſpicia uideamus. Difficilis auguri locus ad contradicendū Marſo fortaſſe. Sed Romano facillimus. Nō enim ſumus ij nos Augures,qui auium reliquorúmue ſignorū obſeruatione, futura dicamus. Et tamen credo Romulum qui urbem auſpicato condidit habuiſſe opinionē,eſſe in prouidendis rebus augurandi ſciētiam. Errabat enim multis in rebus antiquitas,quā uel uſu iam uel doctrina, uel uetuſtate immutatam uidemus. Retinetur autem & ad opinionem uulgi,& ad magnas utilitates reip. mos,religio,diſciplina,ius augurū,collegij auctoritas. Nec uero non omni ſupplicio digni P. Clodius, L. Iunius Coss. qui contra auſpicia nauigauerunt. Parendum enim religioni fuit,nec patrius mos tam contumaciter repudiandus. Iure igitur alter populi iudicio damnatus eſt,alter mortem ſibi ipſe conſciuit. Flaminius non paruit auſpicijs,itaq́ perijt cum exercitu. At anno poſt Paulus paruit,num minus cecidit in Cannenſi pugna cum exercitu? Etenim ut ſint auſpicia,quæ nulla ſunt,hęc certe quibus utimur,ſiue tripudio, ſiue de cœlo,ſimulacra ſūt auſpiciorum,auſpicia nullo modo. Q. Fabi te mihi in auſpicio eſſe uolo: reſpondet audiui. Hic,apud maiores adhibebatur peritus,nunc quilibet. Peritum autem eſſe neceſſe eſt eum, qui ſilentium quid ſit intelligat. Id enim ſilentium dicimus in auſpiciis,quod omni uitio caret. hoc intelligere perfecti auguris eſt. Illi autem qui in auſpicium adhibetur,quum ita imperauit is qui auſpicatur,dicito,ſilentium eſſe uidebitur,nec ſuſpicit,nec circunſpicit,ſtatim reſpondet ſilentium eſſe uideri. Tum ille, dicito ſi paſcuntur, Paſcuntur. Quæ aues,aut ubi? Attulit,inquit,in cauea pullos is qui ex eo ipſo nominatur pullarius. Hæ ſunt igitur aues internunciæ Iouis, quæ paſcantur nec ne quid refert? nihil ad auſpicia: ſed quia quum paſcuntur neceſſe eſt aliquid ex ore cadere,& terram pauire,terripauium primo, poſt terripudium dictum eſt, hoc quidem iam tripudium dicitur. Quum igitur offa cecidit ex ore pulli, tum auſpicanti tripudium ſoliſtimum nunciatur. Ergo hoc auſpicium diuini quidquam babere poteſt, quod tam ſit coactum & expreſſum? quo antiquiſſimos augures non eſſe uſos,argumento eſt, quod decretū collegij uetus habemus,omnem auem tripudiū facere poſſe. Tum igitur eſſet auſpiciū,ſi modo eſſet ei liberū ſe oſtēdiſſe,tum auis illa uideri poſſet interpres & ſatelles Iouis. Nūc uero incluſa in cauea,& fame enecta ſi ī offam pultis inuadit,& ſi aliquid ex eius ore cecidit, hoc tu auſpicium, aut hoc modo Romulum auſpicari ſolitum putas? Iam de cœlo ſeruare non ipſos cenſes ſolitos qui auſpicabantur? nunc imperant pullario,ille renunciat. Fulmen ſiniſtrum auſpicium optimum habemus ad omnes res præter quàm ad comi-

tia: quod quidem inſtitutum reip. cauſa eſt, ut comitiorum uel in iudicijs populi, uel ĩ iure legum, uel in creãdis magiſtratibus principes ciuitatis eſſent interpretes. At Ti. Gracchi literis Scipio & Figulus, quod tum augures iudicaſſent eos uitio creatos eſſe, magiſtratu ſe abdicauerunt. Quis negat Augurum diſciplinam eſſe diuinationem? Nego. At Aruſpices diuini, quos quum Ti. Gracchus propter mortem repentinam eius qui in prærogatiua referenda ſubito concidiſſet, in Senatum introduxiſſet, non iuſtum rogatorem comitiorum fuiſſe dixerunt. Primum uide ne in eum dixerint, qui rogator cẽturiæ fuiſſet. Is enim erat mortuus. Id autem ſine diuinatione coniectura poterat dicere: deinde fortaſſe caſu, qui nullo modo eſt ex hoc genere tollendus. Quid enĩ ſcire Etruſci aruſpices, aut de tabernaculo recte capto, aut de pomerij iure potuerunt? Equidem aſſentior C. Marcello, potius quàm Appio Claudio, qui ambo mei Collegæ fuerunt, exiſtimoq́ ius Augurum, & ſi diuinationis opinione principio conſtitutum ſit, tamen poſtea reip. cauſa conſeruatum ac retentum. Sed de hoc loco plura in alijs, nunc hactenus. Externa enim auguria, quæ ſunt nõ tam artificioſa quàm ſuperſtitioſa, uideamus. Omnibus ferè auibus utunt̃, nos admodũ paucis. Alia illis ſiniſtra ſunt, alia noſtris. Solebat ex me Deiotarus percontari, noſtri augurij diſciplinam, ego ex illo ſui. dij immortales, quantum differebat, ut quædam eſſent etiam contraria: atq; ille his ſemper utebat̃. Nos niſi dum à populo auſpicia accepta habemus, q̃ multum his utimur? Bellicam rem adminiſtrari maiores noſtri niſi auſpicato noluerunt. Quàm multi anni ſunt quum bella à Proconſulibus & Proprætoribus adminiſtrantur, qui auſpicia non habent? Itaque nec amneis tranſeunt auſpicato, nec tripudio auſpicantur: nam ex acuminibus quidem, quod totum auſpicium militare eſt, iàm M. Marcellus ille quĩquies Cõſul totum omiſit, idem Imperator, idem Augur optimus. Vbi ergo auium diuinatio? quæ quoniam ab ijs qui auſpicia nulla habent, bella adminiſtrantur, ab urbanis retenta uidetur, à bellicis eſſe ſublata. Et quidem ille dicebat, ſĩ quando rem agere uellet, ne impediretur auſpicijs, lectica operta facere iter ſe ſolere. Huic ſimile eſt, quod nos Augures præcepimus, ne iuge auſpicium obueniat, ut iumẽta iubeãt diiungere. Quid eſt aliud nolle moneri à Ioue, niſi efficere, ut aut ne fieri poſſit auſpiciũ, aut ſi fiat, uideri? Nam illud admodum ridiculum, quod negas Deiotarum, auſpiciorum quæ ſibi ad Pompeium profiſciſcenti, facta ſunt, non pœnitere, quod fidem ſecutus amicitiamq́ Populi R. functus ſit officio. Antiquiorem enim ſibi fuiſſe laudem & gloriam q̃ regnũ & poſſeſſiões ſuas. Credo id quidẽ, ſed hoc nihil ad auſpicia. Nec enim ei cornix canere potuit recte eũ facere, quod Populi R. libertatem defendere pararet: ipſe hoc ſentiebat ſicuti ſenſit. Aues euẽtus ſignificãt aut aduerſos, aut ſecũdos. Virtutis auſpicijs uideo eſſe uſum Deiotarum, quæ uetat ſpectare fortunã dum præſtetur fides. Aues uero proſperos euentus oſtenderunt, certe fefellerunt. Fugit è prælio cũ Pompeio, graue tempus: diſceſſit ab eo, luctuoſa res: Cæſarem eodẽ tempore hoſtem & hoſpitem uidit. Quid hoc triſtius? Is quũ ei Troginorũ tetrarchiam eripuiſſet, & aſſeculæ ſuo Pergameno, neſcio cui dediſſet, eidemq́ detraxiſſet Armeniã à Senatu datã, quumq́ ab eo magnificentiſſimo hoſpitio acceptus eſſet, ſpoliatum reliquit & hoſpitem & Regem. Sed labor longius, ad propoſitum reuertar. Si euenta quærimus quæ

exquirũtur auibus,nullo modo proſpera Deiotaro:ſin officia,à uirtute ipſius non ab auſpicijs petita ſunt. Omitte igitur lituum Romuli,quem in maximo incendio negas potuiſſe comburi.Contemne cotem Atti Nauij,nihil debet eſſe in philoſophia commentitijs fabellis loci. Illud erat philoſophi totius auguri primum naturam ipſam uidere,deinde inuentionem,deinde conſtãtiam.Quæ eſt igitur natura,quæ uolucres huc & illuc paſſim uagantes efficiat,ut ſignificent aliquid,& tum uetent agere,tum iubeant,aut cantu aut uolatu? Cur autem alijs à læua, alijs à dextra datum eſt auibus, ut ratum aruſpicium facere poſſint? Quomodo autem hæc,aut quando,aut à quibus inuenta dicemus? Etruſci tamen habent exaratum puerum auctorem diſciplinæ ſuæ, nos quem? Attium ne Nauium? at aliquot annis antiquior Romulus & Remus,ambo Augures ut accepimus. An Piſidarum,aut Cilicum,aut Phrygũ iſta inuenta dicemus? Placet igitur humanitatis expertes, habere diuinitatis auctores? At omnes Reges, populi,nationes,utuntur auſpicijs. Quaſi uero quidquam ſit tam ualde ꝗ nihil ſapere uulgare: aut quaſi tibi ipſi in iudicando placeat multitudo. Quotus quiſqꝫ eſt, qui uoluptatem neget eſſe bonum? Pleriqꝫ etiam ſummum bonum dicunt. Num igitur eorum frequentia Stoici de ſententia deterrentur? aut num pleriſqꝫ in rebus ſequitur eorum auctoritatem multitudo? Quid mirum igitur ſi in auſpicijs,& in omni diuinatione imbecilli animi ſuperſtitioſa iſta concipiant? Verum diſpicere nõ poſſint. Quæ autem eſt inter Augures conueniens,& coniuncta conſtantia ad noſtri augurij conſuetudinem? Dixit Ennius.

Quum tonuit læuum bene tempeſtate ſerena.

At Homericus Aiax apud Achillem queręns de ferocitate Troianorum, neſcio quid hoc modo nunciat.

Proſpera Iuppiter his dextris fulgoribus edit.

Ita nobis ſiniſtra uidentur,Graijs & Barbaris dextra meliora. ꝙꝙ haud ignoro quæ bona ſint,ſiniſtra nos dicere,etiam ſi dextra ſint. Sed certe noſtri ſiniſtrum nominauerunt,externiqꝫ dextrum,quia pleruncqꝫ id melius uidebatur. Hæc quanta diſſenſio eſt? Quid quod alijs auibus utuntur,alijs ſignis,aliter obſeruant,alia reſpondent? Non neceſſe eſt fateri partim horum errore ſuſceptum eſſe,partim ſuperſtitione multa fallendo. Atque his ſuperſtitionibus non dubitaſti etiam omina adiũgere, Aemilia Paulo perſam periſſe,quod pater omen accepit. Cæcilia ſororis filiæ ſedes ſuas tradere. Iam illa, Fauete linguis,& prærogatiuum omen comitiorũ: hoc eſt ipſum eſſe contra ſe copioſum & diſertum. Quando enim iſta obſeruans quieto & libero animo eſſe poteris,ut ad rem gerendam non ſuperſtitionem habeas,ſed rationẽ ducem? Ita ne? ſi quis aliquid ex ſua re,atqꝫ ex ſuo ſermone dixerit,& eius uerbum aliquod apte ceciderit ad id quod ages aut cogitabis,ea res tibi aut timorem afferet,aut alacritatẽ? Quum. M. Craſſus exercitum Brundiſii imponeret,quidam in portu caricas Cauno aduectas uendens,Cauneas clamitabat. Dicamus ſi placet monitũ ab eo Craſſum caueret ne iret,non fuiſſe periturũ ſi omini paruiſſet. Quæ ſi ſuſcipiamus,pedis offenſio nobis,& abruptio corrigiæ,& ſternutamẽta erũt obſeruanda. Sortes reſtant & Chaldęi,ut ad uates ueniamus & ad ſomnia. Dicẽdũ igitur putas de ſortibus? Quid enim ſors eſt? Idem propemodũ quod micare,quod talos iacere, quod teſſeras: quibus in

rebus temeritas & caſus, nõ ratio nec cõſilium ualet. Tota res eſt inuenta fallacijs, aut ad quæſtũ, aut ad ſuperſtitionẽ, aut ad errorẽ. Atq; ut in aruſpicina fecimus, ſic uideamus clariſſimarũ ſortium quæ tradatur inuẽtio. Numerium Suffuſtium Prænestinorum monumenta declarant, honeſtum hominem & nobilem ſomnijs crebris ad extremum etiam minacibus, quum iuberetur certo in loco ſilicem cædere, perterritum uiſis, irridentibus ſuis ciuibus id agere cœpiſſe. Itaq; perfracto ſaxo ſortes erupiſſe in robore inſculptis priſcarum literarum notis. Is eſt hodie locus ſeptus religioſe, propter Iouis pueri, qui lactens cum Iunone Fortunę in gremio ſedens mammam appetens, caſtiſſime colitur à matribus. Eodemq; tẽpore in eo loco ubi Fortunæ nũc ſita eſt ædes, mel ex olea fluxiſſe dicũt, aruſpicesq; dixiſſe, ſumma nobilitate illas ſortes futuras, eorumq; iuſſu ex illa olea arcam eſſe factã, eaq; conditas ſortes, quæ hodie Fortunę monitu tolluntur. Quid igitur in ijs eſſe poteſt certi, quæ Fortunę monitu pueri manu miſcentur atq; ducuntur? Quo modo autẽ iſtæ poſitę in illo loco? quis robur illud cecidit, dolauit, ĩſcripſit? Nihil eſt, inquiũt, quod deus efficere nõ poſſit. Vtinã ſapiẽtes Stoicos effeciſſet, ne omnia cũ ſuperſtitioſa ſolicitudine & miſeria crederent. Sed hoc quidem genus diuinationis uita iam communis exploſit. Fani pulchritudo & uetuſtas Prænestinarum etiam num retinet ſortium nomẽ, atq; id in uulgus. Quis enim magiſtratus, aut quis uir illuſtrior utitur ſortibus? Ceteris uero in locis ſortes planè refrixerunt. Quod Carneadem Clitomachus ſcribit dicere ſolitum, nuſquam ſe fortunatiorem q̃ Præneſte uidiſſe Fortunã. Ergo hoc diuinationis genus omittamus. Ad Chaldeorũ monſtra ueniamus, de quibus Eudoxus Platonis auditor, in aſtrologia iudicio doctiſſimorum hominum facile princeps, ſic opinatur, id quod ſcriptum reliquit, Chaldeis in prædictione & in notatione cuiusq; uitæ ex natali die, minime eſſe credendum. Nominat etiam Panætius, qui unus è Stoicis aſtrologorum prædicta reiecit, Anchialum & Caſſandrũ ſummos aſtrologos illius ætatis qua erat ipſe, quum in ceteris aſtrologiæ partibus excellerent, hoc prædictionis genere non uſos. Scylax Halycarnaſſeus familiaris Panætij, excellens in aſtrologia, idemq; in regenda ſua ciuitate princeps, totum hoc Chaldaicum prędicendi genus repudiauit. Sed ut ratione utamur omiſſis teſtibus, ſic iſti diſputant, qui hæc Chaldeorum natalitia prædicta defendunt. Vim quandam eſſe aiunt ſignifero in orbe qui græce ζωδιακὸς dicitur, talem, ut eius orbis unaquæq; pars alia alio modo moueat, immutetq; cœlum, perinde ut quæq; ſtellæ in his finitimiſq; partibus ſint quoque tempore, eamq; uim uarie moueri ab ijs ſyderibus, quæ uocentur errantia. Quum autem in eam ipſam partem orbis uenerint, in qua ſit ortus eius qui naſcatur, aut in eam quæ coniunctum aliquid habeat, aut conſentiens, ea triangula illi & quadrata nominent. Etenim quum tempore anni tempeſtatumq; cœli conuerſiones commutationesq; tantæ fiant acceſſu ſtellarum & receſſu: quumq; ea ui ſolis efficiantur, quæ uidemus, non ueriſimile ſolum, ſed etiam uerum eſſe cenſent, perinde utcunq; temperatus ſit aer, ita pueros orientes animari atq; formari, ex eoq; ingenia, mores, animum corpus, actionem uitæ, caſus cuiusq; euentusq; fingi. O delirationem incredibilem. Non enim omnis error ſtultitia dicenda eſt. Quibus etiam Diogenes Stoicus concedit aliquid, ut prędicere poſſint duntaxat qualis quisq; natura,

tura, & ad quam quiſq; maxime rem aptus futurus ſit. Cetera quæ profitentur, negat ullo modo poſſe ſciri. Etenim geminorum formas eſſe ſimiles, uitã atq; fortunam plerũq; diſparem Proclus & Euriſthenes Lacedæmoniorum Reges gemini fratres fuerunt, at hi nec totidem annos uixerunt. Anno enim Procli uita breuior fuit, multumq; is fratri rerum geſtarum gloria præſtitit. At ego id ipſum quod uir optimus Diogenes, Chaldæis quaſi quadam præuaricatione concedit, nego poſſe intelligi. Etenim cur (ut ipſi dicunt) ortus naſcentium luna moderetur, eaq; animaduertat & notent ſydera natalitia Chaldæi: quæcunq; lunæ iuncta uideantur, oculorum fallaciſſimo ſenſu iudicant ea, quæ ratione atq; animo uidere debebant. Docet enim ratio mathematicorum, quam iſtis notam eſſe oportebat, quanta humilitate luna feratur terram pene contingens, quantum abſit à proxima Mercurij ſtella, multo autem longius à Veneris, deinde alio interuallo diſtet à Sole, cuius lumine colluſtrari putatur. Reliqua uero tria interualla infinita & immenſa à Sole ad Martis, inde à Iouis, ab eo ad Saturni ſtellam: inde ad cœlum ipſum, quod extremũ atq; ultimum mundi eſt. Quæ poteſt igitur contagio ex infinito pene interuallo pertinere ad lunam, uel potius, ad terram? Quid quum dicunt id quod ijs dicere neceſſe eſt, omnes omnium ortus, quicunque gignantur in omni terra quæ incolatur, eoſdem eſſe, eademq; omnibus, qui eodem ſtatu cœli & ſtellarum nati ſint, accidere neceſſe eſſe? Nonne eiuſmodi ſunt, ut ne cœli quidem naturam, interpretes iſtos cœli noſſe appareat? Quum enim illi orbes qui cœlum quaſi medium diuidunt, & aſpectum noſtrum definiunt, qui à Græcis ὁρίζοντες nominantur, à nobis finiẽtes rectiſſime nominari poſſunt, uarietatem maximam habeant, alijq; in alijs locis ſint, neceſſe eſt ortus occaſusq; ſyderum non fieri eodem tempore apud omnes. Quod ſi eorum ui cœlum modo hoc, modo illo modo temperatur, qui poteſt eadem uis eſſe naſcẽtium, quum cœli tanta ſit diſſimilitudo? In his locis quæ nos incolimus, poſt ſolſtitium canicula exoritur, & quidem aliquot diebus: apud Troglodytas, ut ſcribitur, ante ſolſtitium: ut ſi iam cõcedamus aliquid uim cœleſtem ad eos qui in terra gignuntur pertinere, confitendum ſit illis, eos qui naſcuntur eodem tempore poſſe in diſſimiles incidere naturas propter cœli diſſimilitudinem: quod minime illis placet. Volunt enim illi omnes eodem tempore ortos qui ubiq; ſint nati, eadẽ conditione naſci. Sed quæ tãta dementia eſt, ut in maximis motibus mutationibusq; cœli nihil interſit qui uentus, qui imber, quæ tempeſtas ubiq; ſit: quarum rerum in proximis locis tantæ diſſimilitudines ſæpe ſint, ut alia Tuſculi, alia Romæ eueniat ſæpe tempeſtas? Quod qui nauigant, maxime animaduertant: quum in flectendis promontorijs, uentorũ mutationes maximas ſæpe ſentiunt. Hæc igitur quum ſit cũ ſerenitas, tũ perturbatio cœli, eſt ne ſanorum hominum hoc ad naſcentium ortus pertinere non dicere? quod non certe pertinet. Illud neſcio quid tenue, quod ſentiri nullo modo, intelligi autem uix poteſt, quæ à luna, ceteriſq; ſyderibus cœli temperatio fiat, dicere ad puerorum ortus pertinere. Quid quod non intelligunt ſeminũ uim, quæ ad gignendũ, procreãdumq; plurimũ ualeat, funditus tolli, mediocris erroris ẽ? Quis enĩ nõ uidet & formas, & mores, & pleroſq; ſtatus ac motus effingere à parẽtibus liberos? quod nõ cõtingeret, ſi hæc nõ uis & natura gignentium efficeret, ſed temperatio lunæ, cœliq; moderatio.

Quid quod uno & eodem temporis puncto nati,diſſimiles & naturas,& ui tas,& caſus habent,parum ne declarant nihil ad agendam uitam naſcēdi tem pus pertinere? Niſi forte putamus neminem eodem tempore ipſo & conceptum,& natum quo Aphricanum. Nunquis igitur talis fuit? Quid? illud ne dubium eſt, quin multi quum ita nati eſſent,ut quædam contra naturam deprauata haberent,reſtituerentur & corrigerentur à natura,quum ſe ipſa reuocaſſet aut arte,atq; medicina? aut quorum linguæ ſic inhærerent,ut loqui non poſſent,hæ ſcalpello reſectæ liberarentur? Multi etiam naturę uitium meditatione atq; exercitatione ſuſtulerunt,ut Demoſthenem ſcribit Phalereus,quū,rho,dicere nequiret,exercitatione feciſſe ut planiſſime diceret. Quod ſi hęc aſtro ingenerata & tradita eſſent,nulla res ea mutare poſſet. Quid diſſimilitudo locorum,nónne diſſimileis hominum procreationes habet? quas quidem percurrere oratione facile eſt: quid inter Indos & Perſas,& Aethiopas Syros differat corporibus, animis, ut incredibilis uarietas diſſimilitudoq; ſit. Ex quo intelligitur,plus terrarum ſitus,q̃ lunæ tractus ad naſcendū ualere. Nam quod aiunt,quadringenta ſeptuaginta milia annorum in periclitādis experiundisq; pueris quicunq; eſſent nati,Babylonios poſuiſſe, fallūt. Si enim eſſet factitatum,non eſſet deſitum. Neminem autem habemus auctorē,qui id aut fieri dicat,aut factum ſciat. Vides ne me non ea dicere quæ Carneades,ſed ea quæ princeps Stoicorum Panætius dixerit? Ego autem etiam hęc requiro, omnes ne qui Cannenſi pugna ceciderint, uno aſtro fuerint: exitus quidem omnium unus & idem fuit. Quid qui ingenio atq; animo ſingulares,num aſtro quoq; uno? Quod enim tempus quo non innumerabiles naſcātur? At certe ſimilis nemo Homeri. Et ſi ad rem pertinet,quomodo cœlo affecto cōpoſitisq; ſyderibus quodq; animal oriatur,ualeat id neceſſe eſt nō in hominibus ſolum,uerum in beſtijs etiam,quo quid poteſt dici abſurdius? L. quidem Tarutius Firmanus familiaris noſter,in primis Chaldaicis rationibus eruditus,urbis etiam noſtrę natalem diem repetebat ab ijs Parilibus, quibus eam à Romulo conditam accepimus: Romamq; in iugo quum eſſet luna,natam eſſe dicebat,nec eius fata canere dubitabat. O uim maximā erroris,etiam ne urbis natalis dies,ad uim ſtellarū & lunę pertinebat? Fac in puero referre ex qua affectione cœli primum ſpiritum duxerit,num hoc in latere, aut in cæmento,ex quibus urbs effecta eſt,potuit ualere? Sed quid plura cotidie refellūtur? Quàm multa ego Pompeio,q̃ multa Craſſo,q̃ multa huic ipſi Cęſari à Chaldæis dicta memini,neminem eorum niſi ſenectute,niſi domi, niſi cum claritate eſſe moriturum. Vt mihi permirum uideatur quenq̃ extare, qui etiam nunc credat ijs, quorū prædicta cotidie uideat, re & euentis refelli. Reſtant duo diuinandi genera,quæ habere dicimur à natura,non ab arte,uaticinandi,& ſomniandi,de quibus Quinte inquam,ſi placet, diſſeramus. Mihi uero,inquit,placet. His enim quæ adhuc diſputaſti prorſus aſſentior: & uere ut loquar,q̃q̃ tua me oratio confirmauit,tamen etiam mea ſponte nimis ſuperſtitioſam de diuinatione Stoicorum ſententiam iudicabam,hęc me Peripateticorum ratio magis mouebat,& ueteris Dicæarchi, & eius qui nunc floret Cratippi,qui cenſent eſſe in mentibus hominum tanq̃ oraculum aliquod, ex quo futura præſentiāt,ſi aut furore diuino incitatus animus,aut ſomno relaxatus ſolute moueať ac libere. His de generibus quid ſentias,& quibus ea ratio

nibus

nibus infirmes,audire ſane' uelim.Quæ quū ille dixiſſet,tum ego rurſus quaſi ab alio principio ſum exorſus dicere.Non ignoro inquam Quinte te ſemper ita ſenſiſſe:ut de ceteris diuinandi generibus dubitares,ita duo furoris & ſomnij,quæ à libera mente fluere uiderentur,probares.Dicam igitur de iſtis ipſis duobus generibus mihi quid uideatur,ſi prius & Stoicorum concluſio rationis & Cratippi noſtri quid ualeat uidero. Dixiſti enim & Chryſippum, & Diogenem,& Antipatrum concludere hoc modo: Si ſint dÿ,neq; ante declarant hominibus quę futura ſint,aut non diligunt homines,aut quid euenturū ſit ignorant,aut exiſtimant nihil intereſſe hominem ſcire quid ſit futurū, aut non cenſent eſſe ſuæ maieſtatis pręſignificare hominibus quæ ſint futura, aut ea ne ipſi quidem dÿ ſignificare poſſūt. At neq; non diligunt nos,ſunt enim benefici, generiq́; hominum amici:neq; ignorant ea quæ ab ipſis conſtituta & deſignata ſunt:neq; noſtra nihil intereſt ſcire ea quæ ſutura ſunt: erimus enim cautiores,ſi ſciemus:nec hoc alienum ducūt maieſtate ſua.Nihil eſt enī beneficentia præſtantius:neq; non poſſunt futura prænoſcere. Non igitur dÿ ſunt, nec ſignificant nobis ſutura:ſunt autem dÿ,ſignificant ergo: & non, ſi ſignificant futura,nullas dant uias nobis ad ſignificationum ſcientiam, fruſtra enim ſignificarent,nec ſi dant uias non eſt diuinatio,eſt igitur diuinatio. O acutos homines,q̄ paucis uerbis confectum negocium putant. Ea ſumunt ad concludendum,quorum his nihil conceditur.Concluſio autem rationis ea probanda eſt, in qua ex rebus non dubÿs,id quod dubitatur,efficitur. Vides ne Epicurum (quem hebetem & rudem dicere ſolent Stoici) quemadmodū quod in natura rerum omne eſſe dicimus,infinitum eſſe concluſerit? Quod finitum eſt,inquit,habet extremum.Quis hoc non dederit? Quod autem habet extremum,id cernitur ex alio extrinſecus.hoc quoq; eſt concedēdum. At quod omne eſt,id non cernitur ex alio extrinſecus.Ne hoc quidem negari poteſt.Nihil igitur quum habeat extremum,infinitum ſit neceſſe eſt. Vides ne ut ad rem dubiam conceſſis rebus peruenerit? Hoc uos dialectici nō facitis: nec ſolum ea non ſumitis ad concludendum,quæ ab omnibus concedantur; ſed ea ſumitis,quibus conceſſis nihilo magis efficiatis quod uelitis. Primum enim hoc ſumitis,ſi ſunt dÿ,benefici in homines ſunt.Quis hoc uobis dabit? Epicurus ne,qui negat quidq̄ deos nec alieni curare,nec ſui? An noſter Ennius? qui magno plauſu loquitur aſſentiente populo,

Ego deûm genus eſſe ſemper dixi,& dicam cœlitum.
Sed eos non curare opinor quid agat humanum genus.

Et quidem cur ſic opinetur,rationem ſubÿcit,ſed nihil eſt neceſſe dicere quæ ſequuntur:tantū ſat eſt intelligi id ſumere iſtos pro certo,quod dubium controuerſumq́; ſit.Sequitur porro nihil deos ignorare,quod omnia ſint ab ÿs conſtituta.Hic uero quanta pugna eſt doctiſſimorum hominum,negantium eſſe hæc à dÿs immortalibus conſtituta? At noſtra intereſt ſcire,quæ euentura ſint.Magnus Dicæarchi liber eſt,neſcire ea melius eſſe,q̄ ſcire negāt id eſſe alienum maieſtate deorum ſcilicet cauſas omnium introſpicere,ut uideant quid cuiq; cōducat.Neq; nō poſſunt futura prænoſcere:negant poſſe ÿ quibus non placet eſſe certum quid futurū ſit. Vides ne igitur quæ dubia ſint, ea ſumi pro certis atq; conceſſis? Deinde contorquent,& ita concludunt. Non igitur ſunt dÿ,nec ſignificant futura; id enim iam perfectum arbitrantur.

Deín de aſſumunt, ſunt autem dij: quod ipſum non ab omnibus conceditur. Significant ergo. Nec id quidem ſequitur, poſſunt enim non ſignificare, & tamen eſſe dij, nec ſi ſignificent, non dare uias aliquas ad ſcientiam ſignificationis. At id quoq; poteſt, ut non dent homini, ipſi habeāt. Cur enim Tuſcis potius q̃ Romanis darent? Nec ſi dant uias, nulla eſt diuinatio. Fac dare deos, quod abſurdum eſt, quid refert ſi accipere non poſſumus? Extremū eſt igitur diuinatio. Sit extremum, effectum tamen non eſt. Ex falſis enim ut ab ipſis didicimus, uerum effici non poteſt. Iacet igitur tota concluſio. Veniamus nunc ad optimum uirum familiarem noſtrum Cratippū. Si ſine oculis, inquit, nō poteſt extare officium & munus oculorum, poſſunt autem aliquādo oculi nō fūgi ſuo munere, qui uel ſemel ita eſt uſus oculis, ut uera cerneret, is habet ſenſum oculorum uera cernentium. Item igitur ſi ſine diuinatione non poteſt officium & munus diuinationis extare, poteſt autem quum quis diuinationem habeat errare aliquando, nec uera cernere, ſatis eſt ad confirmandam diuinationem ſemel aliquid ita eſſe diuinatum, nihil ut fortuito cecidiſſe uideatur. Sunt autem eius generis innumerabilia. Eſſe igitur diuinationem, confitendum eſt. Feſtiue, & breuiter, ſed quum bis ſumpſit quod uoluit, etiam ſi faciles nos ad concedendum habuerit, id tamen quod aſſumit concedi nullo modo poteſt. Si, inquit, aliquando oculi peccent, tamen quia recte aliquando uiderint, ineſt in his uis uidendi. Item ſi quis ſemel aliquid in diuinatione dixerit, is etiam quum peccet, tamen exiſtimandus ſit habere uim diuinandi. Vide quæſo Cratippe noſter, q̃ ſint iſta ſimilia. Nam mihi non uidentur. Oculi enim uera cernentes utuntur natura atq; ſenſu. Animi ſiquādo uel uaticinando, uel ſomniando uera uiderunt, uſi ſunt fortuna atq; caſu. Niſi forte conceſſuros tibi exiſtimas eos, qui ſomnia pro ſomnijs habent, ſi quando aliquod ſomnium uerum euaſerit, non id fortuito accidiſſe. Sed demus tibi iſtas duas ſumptiones ea quę λήμματα appellant Dialectici, ſed nos latine loqui malumus: præſenſio tamen quam πρόληψιν ijdem uocant, non dabitur. Aſſumit autem Cratippus hoc modo. Sunt autem innumerabiles præſenſiones non fortuitæ: at ego dico nullam. Vide quanta ſit controuerſia, iā aſſumptione non conceſſa nulla concluſio eſt. At impudentes ſumus, qui cum tam perſpicuum ſit non concedamus. Quid eſt perſpicuum? Multa uera, inquit euadere. Quid quod multo plura falſa? Nónne ipſa uarietas quæ eſt propria fortunæ, fortunam eſſe cauſam non naturam eſſe docet? Deinde ſi tua iſta concluſio Cratippe uera eſt (tecum enim mihi res eſt) nónne intelligis eadē uti poſſe & aruſpices, & fulguratores, & interpretes oſtentorum, & Augures, & ſortilegos, & Chaldæos, quorum generum nullum eſt, ex quo non aliquid ſicut prædictum ſit euaſerit? Ergo aut ea quoq; genera diuinādi ſunt quæ tu rectiſſime improbas: aut ſi ea non ſunt, non intelligo cur hæc duo ſint quæ relinquis? Qua ergo ratione hęc inducis, eadem illa poſſunt eſſe quæ tollis. Quid uero habet auctoritatis furor iſte, quem diuinum uocatis, ut quæ ſapiens non uideat, ea uideat inſanus, & is qui humanos ſenſus amiſerit, diuinos aſſecutus ſit? Sibyllæ uerſus obſeruamus, quos illa furens fudiſſe dicitur, quorum interpres nuper falſa quædam hominum fama dicturus in Senatu putabatur, eum quem re uera Regem habebamus, appellandum quoq; eſſe Regem, ſi ſalui eſſe uellemus. Hoc ſi eſt in libris, in quem hominem, & in quod tempus eſt?

Callide enim qui illa compoſuit perfecit,ut quodcunq; accidiſſet prædictum uideretur hominum & temporum definitione ſublata. Adhibuit etiam latebram obſcuritatis,ut ijdem uerſus aliàs in aliam rem poſſe accommodari uiderentur. Non eſſe autem illud carmen furentis, quum ipſum poema declarat (eſt enim magis artis & diligentiæ,q̃ incitationis & motus)tum uero ea quę ἀκροστιχὶς dicitur,quum deinceps ex primis uerſus literis aliquid connectitur,ut in quibuſdam Ennianis quæ Ennius fecit. Id certe magis eſt attenti animi q̃ furentis. Atque in Sibyllinis ex primo uerſu cuiusq; ſententiæ primis literis illius ſentẽtiæ carmen omne prætexitur.Hoc ſcriptoris eſt,non furentis,adhibentis diligentiam,non inſani.Quamobrem Sibyllã quidem ſepoſitam & cõditam habeamus,ut id quod proditum eſt à maioribus,iniuſſu Senatus ne legantur quidem libri,ualeantq; ad deponendas potius q̃ ad ſuſcipiendas religiones:cum antiſtitibus agamus,ut quiduis potius ex illis libris q̃ Regem proferant,quem Romæ poſt hæc nec dij,nec homines eſſe patientur. At multi ſæpe uera uaticinati,ut Caſſandra,

Iamq; mari magno. Eademq; paulo poſt, Eheu uidete.

Num igitur me cogis etiã fabulis credere,quæ delectationis habeant quãtum uoles,uerbis,ſententijs,numeris,cantibus adiuuentur? Auctoritatẽ quidem nullã debemus nec fidem commentitijs rebus adiungere.Eodemq; modo nec ego Publicio neſcio cui,nec Martijs uatibus,nec Apollinis opertis credendum exiſtimo,quorum partim ficta aperte,partim effutita temere, nunq̃ ne mediocri quidem cuiq̃,non modo prudẽti probata ſunt.Quid inquies remex ille de claſſe Coponij,nónne ea prædixit quę facta ſũt? ille uero & ea quidem quę omnes eo tempore ne acciderent,timebamus.Caſtra enim in Theſſalia caſtris collata audiebamus,uidebaturq; nobis exercitus Cæſaris & audaciæ plus habere,quippe qui patriæ bellũ intuliſſet,& roboris propter uetuſtatem.Caſum autem prælij nemo noſtrum erat quin timeret,ſed ita ut conſtantibus hominibus par erat,non aperte.Ille autem Græcus quid mirum ſi magnitudine timoris,ut plerunque fit,à conſtantia, atque à mente,atque à ſe ipſe diſceſſit? qua perturbatione animi,quæ ſanus quum eſſet timebat ne euenirent,ea demens euentura eſſe dicebat. Vtrum tandem per deos atque homines,magis ueriſimile eſt ueſanum remigem,an aliquem noſtrum, qui ibi tum eramus,me,Catonem, Varronem,Coponium ipſum cõſilia deorum immortalium perſpicere potuiſſe? Sed iam ad te uenio.

O' ſancte Apollo,qui umbilicum certum terrarum obſides,
Vnde ſuperſtitioſa primum ſæua euaſit uox fera.

Tuis enim Oraculis Chryſippus totum uolumen impleuit,partim falſis,ut ego opinor,partim caſu ueris,ut fit in omni oratione ſæpiſſime:partim flexiloquis & obſcuris,ut interpres egeat interprete,& ſors ipſa ad ſortes referenda ſit:partim ambiguis,& quæ ad Dialecticũ deferendæ ſint. Nam quum illa ſors edita eſt opulentiſſimo Regi Aſiæ,

Crœſus Halym penetrans magnam peruertet opum uim,

hoſtium uim ſe peruerſurum putauit,peruertit autem ſuam. Vtrum igitur eorum accidiſſet,uerum oraculum fuiſſet.Cur autem hoc credam unq̃ editum Crœſo? aut Herodotum cur ueraciorem ducam Ennio? Num minus ille potuit de Crœſo,q̃ de Pyrrho fingere Ennius? Quis enim eſt qui credat Apol

linis ex oraculo Pyrrho eſſe reſponſum,

Aio te Aeacida Romanos uincere poſſe? Primum latine Apollo nunq̃ locutus eſt. Deinde iſta ſors inaudita Græcis eſt. Præterea Pyrrhi temporibus iam Apollo uerſus facere deſierat. Poſtremo q̃q̃ ſemper fuit, ut apud Enniũ eſt, ſtolidũ genus Aeacidarũ, belli potentes ſunt magis q̃ ſapientipotẽtes, tamen hanc amphiboliam uerſus intelligere potuiſſet, uincere te Romanos nihilo magis in ſe q̃ in Romanos ualere. Nã illa amphibolia quę Chrœſũ decepit, uel Chryſippum potuiſſet fallere: hæc uero nec Epicurum quidem. Sed quod caput eſt, cur iſto modo iam oracula Delphis non eduntur, non modo noſtra ætate, ſed iamdiu, ut modo nihil poſſit eſſe contemptius? Hoc loco quum urgentur, euanuiſſe aiunt uetuſtate uim loci eius, unde anhelitus ille terræ fieret, quo Pythia mente incitata, oracula ederet. De uino aut ſalſamento putes loqui, quæ euaneſcunt uetuſtate. De ui loci agitur, neq; ſolum naturali, ſed etiam diuina, quæ quo tandem modo euanuit? Vetuſtate inquies. Quę uetuſtas eſt, quæ uim diuinam conficere poſſit? Quid tam diuinum autem q̃ aſſiatus è terra mentem ita mouens, ut eam prouidam rerum futurarum efficiat, ut ea non modo cernat multo ante, ſed etiam numero uerſuq; pronunciet? Quando iſta uis autem euanuit? an poſtq̃ homines minus creduli eſſe cœperunt? Demoſthenes quidem qui abhinc annos prope CCC fuit, iam tum φιλιππίζειν Pythiam dicebat, ideſt quaſi cum Philippo facere. Hoc autem eo ſpectabat, ut eam à Philippo corruptam diceret. quod licet exiſtimare in alijs quoq; oraculis Delphicis aliquid nõ ſynceri fuiſſe. Sed neſcio quo modo iſti philoſophi ſuperſtitioſi, & pene fanatici, quiduis malle uidentur q̃ ſe non ineptos. Euanuiſſe mauultis & extinctum eſſe id, quod ſi unq̃ fuiſſet, certe æternum eſſet, q̃ ea quæ non ſunt credenda, non credere. Similis eſt error in ſomnijs: quorum quidem defenſio repetita q̃ longe eſt. Diuinos animos cenſent eſſe noſtros, eoſq; eſſe tractos extrinſecus, animorumq; cõſentientium multitudine completum eſſe mundum. Hac igitur mentis & ipſius diuinitate & cõiunctione cũ externis mentibus, cerni quę ſint futura. Contrahi autem animũ Zeno, & quaſi labi putat atq; concidere, & ipſum eſſe dormire. Iam Pythagoras, & Plato locupletiſſimi authores, quo in ſomnis certiora uideamus, pręparatos quodam cultu atq; uictu proficiſci ad dormiẽdum iubent. Faba quidem Pythagorei utiq; abſtinere, quaſi uero eo cibo mens nõ uenter infletur. Sed neſcio quo modo nihil tam abſurde dici poteſt, quod non dicatur ab aliquo philoſophorum. Vtrum igitur cenſemus, dormientium animos per ſé ne ipſos in ſomniando moueri, an ut Democritus cenſet externa & aduentitia uiſione pulſari? Siue enim ſic eſt, ſiue illo modo, uideri poſſunt permulta ſomniantibus falſa pro ueris. Nam & nauigantibus moueri uidentur ea quæ ſtant; & quodam obtutu oculorum duo pro uno lucernæ lumina. Quid dicam inſanis, quid ebrijs, q̃ multa falſa uideantur? Quod ſi eiuſmodi uiſis credendum non eſt, cur ſomnijs credatur neſcio. Nam tam licet de his erroribus ſi uelis, q̃ de ſomnijs diſputare: ut ea quæ ſtant ſi moueri uideantur, terræmotum ſignificare dicas, aut repentinam aliquam fugam: gemino autem lucernæ lumine declarari diſſenſionem ac ſeditionem moueri. Iam ex inſanorum aut ebriorũ uiſis innumerabilia coniectura trahi poſſunt quæ futura uideantur. Quis eſt enim qui totum diem iaculans non aliquando conlineet? Totas noctes ſomniamus,

niamus, neque ulla eſt ferè qua non dormiamus, & miramur aliquando id quod ſomniarimus euadere? Quid eſt tam incertum q̃ talorum iactus? tamẽ nemo eſt quin ſæpe iactans Venereum iaciat aliquando, nonnunq̃ etiam iterũ ac tertium. Num igitur ut inepti Veneris id impulſu fieri malumus, q̃ caſu dicere? Quod ſi ceteris tẽporibus falſis uiſis credendum nõ eſt, non uideo qd præcipui ſomnus habeat, in quo ualeant falſa pro ueris. Quod ſi ita natura paratũ eſſet, ut ea dormiẽtes agerent quę ſomniarent, alligãdi omnes eſſent qui cubitũ irent. Maiores enim q̃ ulli inſani efficerent motus ſomniantes. Quod ſi inſanorum uiſis fides non eſt habẽda, quia falſa ſunt, cur credatur ſomniantium uiſis, quæ multo etiã perturbatiora ſunt, non intelligo. An quod inſani ſua uiſa coniectori non narrant, narrant qui ſomniauerunt? Quæro etiam ſi uelim ſcribere quid, aut legere, aut canere, uel uoce, uel fidibus, aut geometricum quiddã, aut phyſicum, aut dialecticum explicare, ſomnium ne expectãdũ ſit, an ars adhibenda, ſine qua nihil earum rerum nec fieri nec expediri poteſt. Atqui ne ſi nauigare quidem uelim, ita gubernarem ut ſomniauerim, pręſens enim pœna ſit. Quid igitur conuenit ægros à coniectore ſomniorum potius q̃ à medico petere medicinam? An Aeſculapius, an Serapis poteſt nobis præſcribere per ſomnium curationem ualetudinis, Neptunus gubernantibus nõ poteſt? Et ſi ſine medico medicinam dabit Minerua, Muſę ſcribẽdi, legendi, ceterarum artium ſcientiam, ſomniantibus non dabunt? At ſi curatio daretur ualetudinis, hæc quoq; quæ dixi darentur: quæ quoniam nõ dantur, medicina non datur, qua ſublata tollitur omnis auctoritas ſomniorum. Sed hæc quoq; in promptu fuerint, nũc interiora uideamus. Aut enim diuina uis quędam conſulẽs nobis ſomniorum ſignificationes facit, aut coniectores ex quadã conuenientia & coniunctione naturæ, quam uocant συμπάθειαν, quid cuiq; rei conueniat ex ſomnijs, & quid quamq; rem ſequatur intelligunt: aut eorũ neutrum eſt: ſed quædam obſeruatio cõſtans atque diuturna eſt, quum quid uiſum ſecundum quietem ſit, quid euenire, & quid ſequi ſoleat. Primum igitur intelligendum eſt, nullam uim eſſe diuinam effectricem ſomniorum. Atque illud quidem perſpicuum eſt, nulla uiſa ſomniorum proficiſci à numine deorũ. Noſtra enim cauſa dij id facerent, ut prouidere futura poſſemus. Quotus igitur eſt quiſque, qui ſomniis pareat, qui intelligat, qui meminerit? q̃ multi uero qui contemnant, eamq; ſuperſtitionem imbecilli animi atque anilis putẽt? Quid eſt igitur cur his hominibus conſulens deus ſomniis moneat eos, qui illa non modo cura, ſed ne memoria quidem digna ducant? Nec enim ignorare deus poteſt, qua mente quiſque ſit, nec fruſtra ac ſine cauſa quid facere dignum deo eſt, quod abhorret etiam ab hominis conſtantia. Ita ſi pleraq; ſomnia aut ignorantur, aut negliguntur, aut neſcit hoc deus, aut fruſtra ſomniorum ſignificatione utitur. Sed horum neutrum in deum cadit. Nihil igitur à deo ſomniis ſignificari fatendum eſt. Illud etiam requiro, cur ſi deus iſta uiſa nobis prouidendi cauſa dat, non uigilantibus potius det q̃ dormientibus. Siue enim externus & aduentitius pulſus animos dormientium commouet, ſiue per ſeipſi animi mouentur, ſiue quę cauſa alia eſt, cur ſecũdũ quietem aliquid uidere, audire, agere uideamur, eadem cauſa uigilantibus eſſe poterat, idq; ſi noſtra cauſa dei ſecundum quietem facerent, uigilantibus idem facerẽt. Preſertim quum Chryſippus Academicos refellens permulto clariora

& certiora eſſe dicat,quæ uigilantibus uideantur, quàm quæ ſomniantibus. Fuit igitur diuina beneficentia dignius,quum conſulerent nobis,clariora uiſa dare uigilanti,quàm obſcuriora per ſomnium:quod quoniam non fit,ſomnia diuina putanda non ſunt. Iam uero quid opus eſt circumitione & anfractu,ut ſit utendum interpretibus ſomniorum potius q̃ directo? Deus ſi quidem nobis conſulebat,hoc facito,hoc ne feceris diceret, idq; uiſum uigilanti potius quàm dormienti daret. Iam uero quis dicere audeat uera omnia eſſe ſomnia? Aliquot ſomnia uera,inquit,Ennius,ſed omnia non neceſſe eſt. Quę eſt tandem iſta diſtinctio,quæ uera,quæ falſa habet? Et ſi uera à deo mittuntur,falſa unde naſcuntur? Nam ſi ea quoq; diuina,quid inconſtantius deo? Quid inſcitius autem eſt,q̃ mentes mortalium falſis & mendacibus uiſis concitare? Sin uera uiſa diuina ſunt,falſa autem & inania humana,quæ eſt iſta deſignandi licẽtia,ut hoc deus hoc natura fecerit potius,q̃ aut omnia deus quod negatis,aut omnia natura? Quod quoniam illud negatis,hoc neceſſario confitendum eſt. Naturam autem eam dico,qua nunquam animus inſiſtens agitatione & motu eſſe uacuus poteſt. Is cum lãguore corporis nec membris uti nec ſenſibus poteſt,incidit in uiſa uaria & incerta,ex reliquijs,ut ait Ariſtoteles,inhærentibus earum rerum quas uigilans geſſerit,aut cogitauerit: quarũ perturbatione mirabiles interdum exiſtunt ſpecies ſomniorum. Quæ ſi alia falſa,alia uera, qua nota internoſcantur ſcire ſané uelim. Si nulla eſt,quid iſtos interpretes audiamus? Sin quæpiam eſt,aueo audire quæ ſit,ſed hærebũt. Venit enim iam incontentionem,utrum ſit probabilius,deos ne immortales rerum omnium præſtãtia excellentes,concurſare omnium mortalium,qui ubique ſunt,non modo lectos uerumetiam grabatos,& quum ſtertentem aliquẽ uiderint,obijcere his uiſa quædam tortuoſa & obſcura,quæ illi exterriti ſomnio ad coniectorem mane deferant:an natura fieri, ut mobiliter animus agitatus quod uigilans uiderit,dormiens uidere uideatur. Vtrum philoſophia dignius ſagarum ſuperſtitione iſta interpretari,an explicatione naturæ? ut ſi iam fieri poſſit uera coniectura ſomniorum, tamen iſti qui profitentur eam, facere non poſſint:ex leuiſſimo enim & indoctiſſimo genere conſtant. Stoici autem tui negant quenquam niſi ſapientem diuinum eſſe poſſe. Chryſippus quidem diuinationem definit his uerbis; uim cognoſcentem & uidentem,& explicantem ſigna,quæ à dijs hominibus portendantur. Officium autem eſſe eius prænoſcere dei erga homines mente qua ſint,quidq; ſignificent, queadmodumq; ea procurentur atque expientur. Idemq; ſomniorum coniectionem definit hoc modo,eſſe uim cernentem & explanantem quæ à dijs hominibus ſignificentur in ſomnis. Quid ergo ad hæc mediocri opus eſt prudẽtia,an & ingenio præſtãti,& eruditione perfecta? talem autem cognouimus neminem. Vide igitur ne etiam ſi diuinationem tibi eſſe cõceſſero,quod nũq̃ faciam,neminem tamen diuinum reperire poſſimus. Qualis autem iſta mens eſt deorum,ſi neq; ea nobis ſignificant in ſomnis quæ ipſi per nos intelligamus,neq; ea quorum interpretes habere poſſimus? Similes enim ſunt dij,ſi ea nobis obijciunt,quorum neq; ſcientiam neq; explanatorem habeamus,tanq̃ ſi Pœni,aut Hiſpani in Senatu noſtro loquerentur ſine interprete. Iam uero quo pertinent obſcuritates & ænigmata ſomniorum? Intelligi enim à nobis dij uelle debebant ea, quę noſtra cauſa monerent nos; Quid poeta

nemo?

nemo? nemo phyſicus obſcurus? ille uero nimis etiam obſcurus Euphorion? at non Homerus. Vter igitur melior? Valde Heraclitus obſcurus, minime Democritus. Nũ igitur cõferendi? Mea cauſa me mones quod nõ intelligã? Quid me igitur mones? Vt ſi quis medicus ægroto imperet ut ſumat

Terrigenam,herbigradam,domiportam,ſanguine caſſam

potius q̃ hominum more cochleam dicere: nam Pacuuianus Amphio,

Quadrupes tardigrada,agreſtis,humilis,aſpera,
Capite breui,ceruice anguina,aſpectu truci,
Euiſcerata,inanima,cum animali ſono

quum dixiſſet obſcurius,tum Attici reſpondẽt. Nõ intelligimus niſi aperte dixeris. At ille uno uerbo teſtudo: Non potueras hoc igitur à principio citharista dicere? Defert ad coniectorem quidam ſomniaſſe ſe ouum pendere ex faſcia lecti ſui cubicularis. Eſt hoc in Chryſippi libro ſomnium. Reſpondit coniector theſaurum defoſſum eſſe ſub lecto. Fodit,inuenit auri aliquantum, idq́ circundatum argento: miſit coniectori quantulum uiſum eſt de argento. Tum ille. Nihil ne,inquit,de uitello? Id enim ei ex ouo uidebatur aurum declaraſſe,reliquum argẽtum. Nemo ne igitur unq̃ alius ouum ſomniauit? Cur ergo hic neſcio qui theſaurum ſolus inuenit? q̃ multi inopes digni præſidio deorum,nullo ſomnio ad theſaurum reperiendum admonentur? Quam autem ob cauſam tam eſt obſcure admonitus,ut ex ouo naſceretur theſauri ſimilitudo potius,q̃ aperte theſaurum quærere iuberetur, ſicut aperte Simonides uetitus eſt nauigare? Ergo obſcura ſomnia minime conſentanea ſunt maieſtati deorum. Ad aperta & clara ueniamus,quale eſt de illo interfecto à caupone Megaris,quale de Simonide,qui ab eo quem humarat uetitus eſt nauigare: quale etiam de Alexandro,quod à te præteritum eſſe miror,qui quum Ptolemæus familiaris eius in prælio telo uenenato ictus eſſet,eoq́ uulnere ſummo cum dolore moreretur, Alexander aſſidens ſomno eſt conſopitus. Tum ſecũdum quietem uiſus ei dicitur draco is,quem mater Olympias alebat,radiculã ore ferre,& ſimul dicere,quo illa loci naſceretur,neq́ is longe aberat ab eo loco. Eius autem eſſe uim tantã,ut Ptolæmeum facile ſanaret. Quum Alexander,experrectus narraſſet amicis ſomnium,emiſiſſe qui illam radiculam quærerent,qua inuenta,& Ptolomæus ſanatus dicitur,& multi milites, qui erant eodem genere teli uulnerati. Multa etiam ſũt à te ex hiſtorijs prolata ſomnia matris Phalaridis,Cyri ſuperioris,matris Dionyſij, Pœni Amilcaris, Annibalis. P. Decij. Peruulgatum iam illud de præſultore Gracchi etiam, & recẽs Cæciliæ Balearici filiæ ſomnium. Sed hęc externa,ob eamq́ cauſam ignota nobis ſunt,nonnulla etiam ficta fortaſſe. Quis enim auctor iſtorum? De noſtris ſomnijs quid habemus dicere? Tu demerſo me & equo ad ripam,ego de Mario cũ faſcibus laureatis me in ſuũ deduci iubẽt emonumẽtũ. Omniũ ſõniorũ Quinte una ratio eſt,quæ per deos ĩmortales uideamus ne noſtra ſuperſtitione & deprauatione ſuperet. Quẽ enĩ tu Mariũ uiſum à me putas? ſpeciẽ credo eius & imaginẽ,ut Democrito uidet: unde profectã imaginẽ? A corporibus enĩ ſolidis,& à certis figuris uult fluere imagines. Quod igit Marij corpus erat? ex eo,inquit,quod fuerat. Plena ſũt imaginũ omnia iſta. Igitur me imago Marij in cãpũ Atinatem perſequebatur. Nulla enim ſpecies cogitari poteſt, niſi pulſũ imaginũ. Quid ergo iſtę imgines ita nobis dicto audientes

ſunt,ut ſimulatq; uelimus accurrãt? etiam earum rerum quæ nullæ ſunt? quæ eſt enim forma tam inuſitata,tam nulla,quã non ſibi ipſe fingere animus poſſit,ut quæ nunq̃ uidimus,ea tamen informata habeamus,oppidorũ ſitus,hominũ figuras? Num igitur quum aut muros Babylonis,aut Homeri faciem cogito,imago illorũ me aliqua pellit? Omnia igitur quæ uolumus, nota nobis eſſe poſſunt. Nihil eſt enĩ de quo cogitare nequeamus. Nullæ ergo imagines obrepunt in animos dormientiũ extrinſecus,nec omnino fluunt illæ,nec cognoui quenq̃ qui maiore auctoritate nihil diceret. Animorũ eſt ea uis eaq; natura,ut uigeãt uigilãtes nullo aduẽtitio pulſu,ſed ſuo motu incredibili quadã celeritate. Hi quũ ſuſtinẽtur mẽbris & corpore,& ſenſibus,omnia certiora cernũt,cogitant,ſentiunt. Quũ autẽ hæc ſubtracta ſunt,deſertusq; animus lãguore corporis,tum agitatur ipſe per ſeſe. Itaq; in eo & formæ uerſantur & actiones,& multa audiri,multa dici uidẽtur. Hęc ſcilicet in ĩbecillo remiſſoq; animo,multa omnibus modis cõfuſa & uariata uerſantur,maximeq; reliquię rerũ earum mouẽtur in animis & agitãtur,de quibus uigilãtes aut cogitauimus aut egimus. Vt mihi tẽporibus illis multũ in animo Marius uerſabatur recordãti q̃ ille grauem ſuũ caſum magno animo q̃ conſtãti tuliſſet, hanc credo cauſam de illo ſomniãdi fuiſſe. Tibi autẽ de me cũ ſolicitudine cogitanti ſubito ſum uiſus emerſus è flumine. Inerant enim in utriuſq; noſtrum animis uigilãtium cogitationum ueſtigia. At quædam adiuncta ſunt: ut mihi de monumẽto Marij,tibi quod equus in quo ego uehebar mecũ unà demerſus rurſus apparuerit. An tu cẽſes ullam anum tam delirã futuram fuiſſe,ut ſomnijs crederet,niſi iſta caſu nõnunq̃ forte temere cõcurrerent? Alexãdro draco loqui uiſus eſt. Poteſt omnino hoc eſſe falſum,poteſt uerũ: ſed utrum ſit,nõ eſſe mirabile. Nõ enim audiuit ille draconẽ loquentẽ,ſed eſt uiſus audire: & quidem quo maius ſit,quum radicẽ ore teneret locutus eſt. Sed nihil ẽ magnũ ſomnianti. Quæro autẽ cur Alexandro tã illuſtre ſomniũ,tam certũ, nec huic eidẽ aliàs,nec multa ceteris. Mihi quidẽ præter hoc Marianũ nihil ſanè quod meminerim. Fruſtra igitur cõſumptæ tot noctes tam lõga in ætate. Nunc quidẽ propter intermiſſionẽ forẽſis operæ,& lucubrationes detraxi,& meridiationes addidi,quibus uti antea nõ ſolebã,nec tam multũ dormiens ullo ſomnio ſum admonitus tantis preſertim de rebus,nec mihi magis uſq̃ uideor,q̃ quũ aut in foro magiſtratus,aut in curia Senatum uideo,ſomniare. Etenim ex diuiſione hoc ſecundum eſt,quæ eſt continuatio,coniunctioq; naturę quã,ut dixi,uocant συμπάθειαν,eiuſmodi,ut theſaurus ex ouo intelligi debeat. Nam medici ex quibuſdam rebus & aduenientes & creſcẽtes morbos intelligunt: nõnullas etiã ualetudinis ſignificationes,ut hoc ipſum pleni enecti ue ſimus, ex quodam genere ſomniorum intelligi poſſe dicunt. Theſaurus uero & hæreditas,& honos,& uictoria,& multa generis eiuſdẽ,qua cũ ſõnijs naturali cognatione iũgũtur? Dicitur quidã quũ in ſõnis cõplexu uenereo iũgeret, calculos eieciſſe,uideo ſympathiã. Viſum eſt enim tale obiectũ dormiẽti, ut id quod euenit,naturę uis nõ opinio erroris effecerit. Quæ igitur natura obtulit illã ſpeciẽ Simonidi,à qua uetaretur nauigare? aut quid naturæ copulatũ habuit Alcibiadis quod ſcribitur ſomniũ, qui paulo ante interitum uiſus eſt in ſomnis amicę eſſe amictus amiculo? Is quũ eſſet proiectus inhumatus,ab omnibusq; deſertus iaceret,amica corpus eius texit ſuo pallio. Ergo hoc inerat

in

in rebus futuris,& cauſas naturales habebat?an & ut uideretur,& ut eueniret caſus effecit? Quid ipſorum interpretum coniecturę,nonne magis ingenia declarant eorum q̃ uim conſenſumq́ꝫ naturę? Curſor ad Olympia proficiſci cogitans,uiſus eſt in ſomnis curru quadrigarum uehi,mane ad coniectorem: at ille, Vinces,inquit:id enim celeritas ſignificat & uis equorum. Poſt idem ad Antiphontem,is autem, Vincare,inquit, neceſſe eſt. An non intelligis IIII ante te cucurriſſe? Ecce alius curſor:atqꝫ horum ſomniorum,& talium plenus eſt Chryſippi liber,plenus Antipatri. Sed ad curſorem redeo,ad interpretẽ detulit,aquilam ſe in ſomnis uiſum eſſe factũ:at ille Viciſti. Iſta enim auis uolat nulla uehementius. Huic equidem Antipho,baro inquit, Victum te eſſe non uides? Iſta enim auis inſectans alias aues & agitans,ſemper ipſa poſtrema eſt. Parere quædam matrona cupiens,dubitans eſſet ne prægnans,uiſa eſt in quiete obſignatam habere naturam.retulit,negauit eam quoniam obſignata fuiſſet concipere potuiſſe. At alter prægnantem eſſe dixit:nam inane obſignari nihil ſolere. Quę eſt ars coniectoris,eludentis ingenio? an ea que dixi, & innumerabilia que collecta habent Stoici quidq̃ ſignificant, niſi acumen hominum ex ſimilitudine aliqua coniecturã modo huc modo illuc ducentiũ? Medici ſigna quędam habent ex uenis & ſpiritu ægroti,multiſq́ꝫ ex alijs futura præſentiunt. Gubernatores quum exultãteis Loligines uiderint,aut Delphinos ſe in portũ conijcientes,tempeſtatem ſignificari putant. Hæc ratione explicari,& ad naturam reuocari facile poſſunt:ea uero quæ paulo ante dixi, nullo modo. At enim obſeruatio diuturna(hæc enim pars una reſtat)notandis rebus fecit artẽ. An tandẽ ſomnia obſeruari poſſunt? quonã modo? Sũt enim innumerabiles uarietates:nihil tam præpoſtere,tam incondite,tã monſtruoſe cogitari poteſt,quod non poſſimus ſomniare. Quomodo igitur hæc infinita & ſemper noua,aut memoria complecti,aut obſeruãdo notare poſſumus? Aſtrologi motus errãtium ſtellarũ notauerunt,inuẽtus eſt enim ordo in ijs ſtellis qui nõ putabatur. Cedo tandẽ qui ſit ordo,aut quæ cõcurſatio ſõniorum? Quomodo autẽ diſtingui poſſunt uera ſomnia à falſis,quum eadem & alijs aliter euadãt,& iiſdẽ nõ ſemper eodẽ modo? ut mihi mirum uideatur, quum mẽdaci homini,ne uerũ quidem dicẽti credere ſoleamus,quomodo iſti ſi ſomniũ uerũ euaſit aliquod,nõ ex multis potius uni fidẽ derogãt,q̃ ex uno innumerabilia confirmant. Si igitur neqꝫ deus eſt effector ſomniorum,neque naturæ ſocietas ulla cũ ſomnijs,neque obſeruatione inueniri potuit ſciẽtia,effectũ eſt ut nihil prorſus ſomnijs tribuẽdum ſit, preſertim quum illi ipſi qui ea uidẽt nihil diuinẽt,ij qui interpretãtur coniecturã adhibeãt nõ naturã. Caſus autẽ innumerabilibus penè ſeculis in omnibus plura mirabilia,q̃ in ſomniorũ uiſis effecerit. Neque cõiectura,quæ in uarias partes duci poſſit, nõnunq̃ etiã in cõtrarias,quidq̃ ſit incertius. Explodatur hęc quoque ſomniorũ diuinatio pariter cũ ceteris,nã ut uere loquamur ſuperſtitio fuſa per gẽtes oppreſſit omniũ ferè animos,atque hominũ imbecillitatẽ occupauit, quod & in his libris dictum eſt,qui ſunt de natura deorũ,& hac diſputatione id maxime egimus. Multũ enim & nobiſmetipſis & noſtris profuturi uidebamur, ſi eã funditus ſuſtuliſſemus. Nec uero,id enim diligẽter intelligi uolo,ſuperſtitione tollẽda religio tollitur. Nã & maiorũ inſtituta tueri ſacris ceremonijſq́ꝫ retinẽdis ſapiẽtis eſt:& eſſe prẽſtãtẽ aliquã æternamq́ꝫ naturã,& eã ſuſcipiendã admirã-

damq́; hominum generi pulchritudo mundi ordoq́; rerum cœleſtium cogit confiteri. Quamobrem ut religio propaganda etiam eſt, quę eſt iuncta cum cognatione naturę, ſic ſuperſtitionis ſtirpes omnes eijciendę. Inſtat enim & urget, & quo te cumq; uerteris perſequitur, ſiue tu uatem, ſiue tu omen audieris, ſiue immolaris, ſiue auem aſpexeris: ſi Chaldęum, ſi aruſpicem uideris, ſi fulſerit, ſi tonuerit, ſi tactum aliquid erit de cœlo, ſi oſtenti ſimile natum factumq́; quippiam, quorum neceſſe eſt plerunq; aliquid eueniat, ut nunq̃ liceat quieta mente conſiſtere. Perfugium uidetur omnium laborum & ſolicitudinum eſſe ſomnus. At ex eo ipſo plurimę curę metusq́; naſcuntur, qui quidē ipſi per ſe minus ualerent, & magis contemnerentur, niſi ſomniorum patrocinium philoſophi ſuſcepiſſent. Nec ij quidem contemptiſſimi, ſed in primis acuti & conſequentia & repugnātia uidentes, qui propè iam abſoluti & perfecti putantur. Quorum licentię niſi Carneades reſtitiſſet, haud ſcio an ſoli iam philoſophi iudicarentur, cum quibus omnis ferè nobis diſceptatio contentioq́; eſt. Non quod eòs maxime contemnamus, ſed quod uidentur acutiſſime ſententias ſuas prudentiſſimeq́; defendere. Quum autem proprium ſit Academię iudicium ſuum nullum interponere, ea probare quę ſimillima ueri uideantur, conferre cauſas, & quid in quamq; ſententiam dici poſſit exprome re nulla adhibita ſua auctoritate, iudicium audientium relinquere integrum ac liberum, tenebimus hanc conſuetudinem à Socrate traditam, eaq́; inter nos ſi tibi Quinte frater placebit, q̃ ſæpiſſime utemur. Mihi uero, inquit ille, nihil poteſt eſſe iucundius. Quę quum eſſent dicta, ſurreximus.

MARCI TVLLII CICERONIS DE FATO LIBER.

Deeſt principium.

quia pertinet ad mores quod ἦθος illi uocant, nos eam partem philoſophiæ de moribus appellare ſolemus, ſed decet augentem linguam Latinam nominare moralem, explicandaq́; uis eſt ratioq́; enunciationum, quæ Græci ἀξιώματα uocant, quæ de re futura quum aliquid dicunt, deq́; eo quod poſſit fieri aut non poſſit, quam uim habeant obſcura quæſtio eſt, quam περὶ δυνατῶν philoſophi appellant, totaq́; eſt Logice, quam rationem diſſerendi *uoco. Quod autem in alijs libris feci qui ſunt de natura deorum, itemq́; in his quos de diuinatione edidi, ut in utranq; partem perpetua explicaretur oratio, quo facilius id à quoque probaretur, quod cuique maxime probabile uideretur, id in hac diſputatione de fato caſus quidam ne facerem impediuit. Nam quum eſſem in Puteolano, Hirtiusq́; noſter Cos. Deſig. ijſdem in locis, uir nobis amiciſſimus, & ijs ſtudijs in quibus nos à pueritia uiximus deditus, multum unà eramus, maxime nos quidem exquirentes ea conſilia quæ ad pacem & ad concordiam ciuium pertinerent. Quum enim omnes poſt interitū Cæſaris nouarum perturbationum cauſæ

quæri

quæri uiderentur,hisq́ eſſe occurrendum putaremus,omnis ferè noſtra in his deliberationibus conſumebatur oratio,idq́ & ſæpe aliás,& quodam liberiore quàm ſolebat & magis uacuo ab interuentoribus die,quum ad me ille ueniſſet,primo ea quæ erant cotidiana,& quaſi legitima nobis de pace & de otio. Quibus actis,Quid ergo,inquit ille, quoniam oratorias exercitationes non tu quidem,ut ſpero,reliquiſti,ſed certe philoſophiam illis antepoſuiſti, poſſum ne aliquid audire? Tu uero,inquam,uel audire,uel dicere. Nec enim quod recte exiſtimas,oratoria illa ſtudia deſerui,quibus etiam te incẽdi,quã quam flagrantiſſimum acceperam,nec ea quæ nunc tracto minuũt,ſed augent potius illam facultatem. Nam cum hoc genere philoſophiæ quod nos ſequimur magnam habet orator ſocietatem. Subtilitatem enim ab Academia mutuatur,& ei uiciſſim reddit ubertatem orationis & ornamenta dicendi. Quamobrem,inquam quoniã utriuſq́ ſtudij noſtra poſſeſſio eſt,hodie utro frui malis,optio ſit tua. Tum Hirtius,Gratiſſimum,inquit,& tuorum omnium ſimile. Nihil enim unquam abnuit meo ſtudio uoluntas tua. Sed quoniã rhetorica mihi noſtra ſat nota,teq́ in his & audiuimus ſæpe & audiemus, atq́ hanc Academicorum contra propoſitum diſputandi conſuetudinem,indicant te ſuſcepiſſe Tuſculanæ diſputationes,ponere aliquid ad quod audiam,ſi tibi non eſt moleſtum,uolo. An mihi, inquam, poteſt quidquam eſſe moleſtum,quod tibi gratum futurum ſit? Sed ita audies,ut Romanum hominem,ut timide ingredientem ad hoc genus diſputandi,ut longo interuallo hæc ſtudia repetentem. Ita,inquit,audiam te diſputãtem,ut ea lego quæ ſcripſiſti,proinde ordire,

Multa deſunt.

conſideramus hic quorum in alijs,ut in Antipatro poeta,ut in brumali die natis,ut in ſimul ægrotantibus fratribus,ut in urina,ut in unguibus,ut in reliquis eiuſmodi,naturę contagio ualet,quam ego non tollo,uis eſt nulla fatalis: in alijs autem fortuita quędam eſſe poſſunt,ut in illo naufrago,ut in Icadio,ut in Daphita: Quędam etiam Poſidonius pace magiſtri dixerim,comminiſci uidetur. Sunt,quidem,abſurda. Quid enim ſi Daphitę fatum fuit, ex equo cadere atque ita perire? Ex hoc ne equo,qui quum equus non eſſet, nomen habebat alienum? aut Philippus haſce in capulo quadrigulas uitare monebatur? Quaſi uero capulo ſit occiſus. Quid autem,aut magnum naufragum illum ſine nomine in riuo eſſe lapſum? q̃q̃ huic quidem,hic ſcribit prædictum in aqua eſſe pereundum. Ne hercule Icadij quidem prædonis uideo fatum ullum. Nihil enim ſcribit ei prædictum. Quid mirum igitur ex ſpelunca ſaxum in crura eius incidiſſe? Puto enim etiam ſi Icadius tum in ſpelunca non fuiſſet, ſaxum tamen illud caſurum fuiſſe. Nam aut nihil omnino eſt fortuitum, aut hoc ipſum potuit euenire fortuna. Quæro igitur, atque hoc late patebit, ſi fati omnino nullum nomen, nulla natura, nulla uis eſſet,& forte, temere,caſu, aut pleraq́ fierent,aut omnia,num aliter ac nunc eueniunt,euenirent? Quid ergo attinet inculcare fatum,quum ſine fato,ratio omnium rerum ad naturam fortunámue referatur? Sed Poſidonium ſicut

æquum eſt cũ bona gratia dimittamus. Ad Chryſippi laqueos reuertamur. Cui quidem primũ de ipſa cogitatione rerum reſpondeamus, reliqua poſtea perſequemur. Inter locorum naturas quantum interſit? uidemus, alios eſſe ſalubres, alios peſtilentes, in alijs pituitoſos, & quaſi redundantes, in alijs exiccatos atq; aridos, multaq́; ſunt alia quæ inter locum & locum plurimum diſferant. Athenis tenue cœlum, ex quo etiam acutiores putãtur Attici: craſſum Thebis, itaq; pingues Thebani, & ualentes: tamen neq; illud tenue cœlum efficiet, ut aut Zenonem quis, aut Archeſilam aut Theophraſtum audiat: neq; craſſum, ut Nemea potius q̃ Iſthmo uictoriam petat. Diiunge longius. Quid enim loci natura afferre poteſt, ut in porticu Pompeij potius q̃ in campo ambulemus? tecum q̃ cum alio? Idibus potius q̃ Calendis? Vt igitur ad quaſdam res natura loci pertinet aliquid, ad quaſdã autem nihil: ſic aſtrorũ affectio ualeat, ſi uis, ad quaſdã res, ad omnes certe non ualebit. At enim quoniam in naturis hominum diſſimilitudines ſunt, ut alios dulcia, alios ſubamara delectent, alij libidinoſi, alij iracundi, aut crudeles, aut ſuperbi ſint, alij talibus uitijs abhorreant. Quoniam igitur, inquit, tantum natura à natura diſtat quid mirum eſt has diſſimilitudines ex differentibus cauſis eſſe factas? Hæc diſſerens, qua de re agatur, & in quo cauſa conſiſtat non uidet. Non enim ſi alij ad alia propenſiores ſint propter cauſas naturales & antecedentes, idcirco etiam noſtrarum uoluntatum atq; appetitionum ſunt cauſæ naturales & antecedentes. Nam nihil eſſet in noſtra poteſtate ſi ita ſe res haberet: nunc uero fatemur acuti hebetes ne, ualentes imbecilli ne ſimus, non eſſe id in nobis, Qui autem ex eo cogi putat, ne ut ſedeamus quidem, aut ambulemus, uoluntatis eſſe, is non uidet quę quamq; rem res conſequatur. Vt enim & ingenioſi & tardi ita naſcantur antecedentibus cauſis, itemq́; ualentes & imbecilli, non ſequitur tamen, ut etiam ſedere eos, & ambulare, & rem agere aliquam, principalibus cauſis definitum & conſtitutum ſit. Stilponem Megareum philoſophum, acutum ſane hominem, & probatum temporibus illis accepimus. Hunc ſcribunt ipſius familiares & ebrioſum & mulieroſum fuiſſe. Neq; hęc ſcribunt uituperantes, ſed potius ad laudem: uitioſam enim naturam ab eo ſic edomitam & compreſſam eſſe doctrina, ut nemo unq̃ uinolentum illum, nemo in eo libidinis ueſtigium uiderit. Quid Socratem, nónne legimus quemadmodum notarit Zopyrus phyſiognomon, qui ſe profitebatur hominum mores naturasq́; ex corpore, oculis, uultu, fronte pernoſcere? ſtupidum eſſe Socratem dixit & bardum, quod iugula cõcaua non haberet, obſtructas eas partes & obturatas eſſe dicebat. Addidit etiam mulieroſum, in quo Alcibiades cachinnum dicitur ſuſtuliſſe. Sed hæc ex naturalibus cauſis uitia naſci poſſunt: extirpari autem & funditus tolli, ut is ipſe qui ad ea propenſus fuerit à tantis uitijs auocetur, non eſt id poſitum in naturalibus cauſis, ſed in uoluntate, ſtudio, diſciplina: quæ tolluntur omnia, ſi uis & natura fati ex diuinationis ratione firmabitur. Etenim ſi eſt diuinatio, qualibus nã à perceptis artis proficiſcitur. Percepta appello quæ dicuntur græce θεωρήματα. Non enim credo nullo percepto aut ceteros artifices uerſari in ſuo munere, aut eos qui diuinatione utantur futura prędicere. Sint igitur aſtrologorum percepta huiuſmodi. Si quis, uerbi cauſa, oriente Canicula natus eſt, is in mari nõ morietur. Vigila Chryſippe, ne tuam cauſam in qua tibi cum Diodoro ualente dialectico

magna

magna luctatio eſt,deſeras. Si enim eſt uerum quod ita cōnectitur,ſi quis oriente Canicula natus eſt,in mari non morietur,illud quoque uerum eſt, ſi Fabius oriente Canicula natus eſt,Fabius in mari non morietur. Pugnant igitur hæc inter ſe,Fabium oriente Canicula natum eſſe,& Fabium in mari moriturum,& quoniam certum in Fabio ponitur,natum eſſe eum Canicula oriente,hæc quoq; pugnant,eſſe Fabium,& in mari eſſe moriturum. Ergo hæc quoq; coniunctio eſt ex repugnantibus,& eſt Fabius,& in mari Fabius nō morietur,quod ut propoſitum eſt,ne fieri quidem poteſt:ergo illud,morietur in mari Fabius,ex eo genere eſt quod fieri non poteſt. Omne ergo quod falſum dicitur in futuro,id fieri non poteſt. At hoc Chryſippe minime uis, maximeq; tibi de hoc ipſo cum Diodoro certamen eſt. Ille enim id ſolum fieri poſſe dicit,quod aut ſit uerum,aut futurum ſit uerum:& quidquid futurum ſit,id dicit fieri neceſſe eſſe:& quidquid non ſit futurum,id negat fieri poſſe. Tu & quę non ſint futura,poſſe fieri dicis,ut frāgi hanc gemmam etiamſi id nunq̄ futurum ſit:neq; neceſſe fuiſſe Cypſelum regnare Corīthi,q̄q̄ id milleſimo ante anno Apollinis oraculo edictum eſſet. At ſi iſta comprobabis diuina prędicta,& quę falſa in futuris dicentur,in his habemus ut ea fieri nō poſſint:ut ſi dicatur Aphricanum Carthagine potiturum,& ſi uere dicatur de futuro,idq; ita futurum ſit,dicas eſſe neceſſarium:quæ eſt tota Diodori uobis inimica ſententia. Etenim ſi illud uere connectitur, ſi oriente Canicula natus es,in mari non moriere,primumq; quod eſt in connexo,natus es oriente Canicula neceſſarium eſt. Omnia enim uera in pręteritis neceſſaria ſunt,ut Chryſippo placet diſſentienti á magiſtro Cleanthe,quia ſunt immutabilia, nec in falſum é uero pręterita poſſunt cōuerti. Si igitur quod primum ī cōnexo eſt, neceſſarium eſt,fit etiam quod conſequitur neceſſarium:q̄q̄ hoc Chryſippo non uidetur ualere in omnibus:ſed tamen ſi naturalis eſt cauſa,cur in mari Fabius non moriatur,in mari Fabius mori non poteſt. Hoc loco Chryſippus æſtuans falli ſperat Chaldæos,ceteroſq; diuinos,neq; eos uſuros eſſe coniunctionibus,ut ita ſua percepta pronuncient:ſi quis natus eſt oriente Canicula, is in mari non morietur:ſed potius ita dicent,non & natus eſt quis oriēte Canicula,& is in mari morietur. O licentiam iocularem:ne ipſe incidat in Diodorum,docet Chaldæos quo pacto eos exponere percepta oporteat. Quæro enim,ſi Chaldæi ita loquentur ut negationes infinitarum coniunctionum potius q̄ infinita connexa ponant,cur idem medici,cur geometræ,cur reliqui facere non poſſint? Medicus in primis,quod erit ei perſpectum in arte non ita proponet: ſi cui uenæ ſic mouentur,is habet febrim,ſed potius illo modo, non ei uenæ ſic mouentur,& is ſebrem non habet? Itemq; geometres non ita dicet,in ſphæra maximi orbes medij inter ſe diuiduntur:ſed potius illo modo,non & ſunt in ſphæra maximi orbes,& hi non medij inter ſe diuiduntur? Quid eſt quod non poſſit iſto modo ex connexo tranſferri ad coniunctionum negationem? Et quidem alijs modis eaſdem res efferre poſſumus. Modo dixi,in ſphæra maximi orbes medij inter ſe diuiduntur:poſſum dicere, in ſphæra maximi orbes erunt: poſſum dicere, quia in ſphæra maximi orbes erunt. Multa genera ſunt enunciandi,nec ullum diſtortius q̄ hoc quo Chryſippus ſperat Chaldęos contentos Stoicorum cauſa fore,illorum tamen nemo ita loquitur. Maius eſt enim has cōtortiones orationis q̄ ſignorū ortuſq;

perdiſcere. Sed ad illam Diodori contentionem, quam περὶ δυνατῶν appellant, reuertamur, in qua quid ualeat id quod fieri poſſit anquiritur. Placet igitur Diodoro id ſolum fieri poſſe, quod aut uerum ſit, aut uerum futurum ſit: qui locus attingit hanc quęſtionem, nihil fieri quod non neceſſe fuerit: & quidquid fieri poſſit, id aut eſſe iam, aut futurum eſſe, nec magis commutari ex ueris in falſa poſſe ea quæ futura, q̃ ea quæ facta ſunt: ſed in factis immutabilitatem apparere, in futuris quibuſdam quia non apparent, ne ineſſe quidē uideri: ut in eo qui mortifero morbo urgeatur, uerū ſit, hic morietur hoc morbo: at hoc idē ſi uere dicatur in eo in quo uis morbi tāta nō appareat, nihilominus futurum ſit. Ita fit ut commutatio ex uero in falſum, ne in futuro quidē ulla fieri poſſit. Nam morietur Scipio, talem uim habet, ut q̃q̃ de futuro dicitur, tamen ut id non poſſit conuerti in falſum: de homine enim dicitur, cui neceſſe eſt mori. Sic ſi diceret., morietur noctu in cubiculo ſuo ui oppreſſus Scipio, uere diceretur. Id enim fore diceretur quod eſſet futurum. Futurum autē fuiſſe, ex eo quia factum eſt, intelligi debet: nec magis erat uerum morietur Scipio, quàm morietur illo modo: nec minus neceſſe mori Scipioni, quā illo modo mori: nec magis immutabile ex uero in falſum, necatus eſt Scipio, q̃ necabitur Scipio. Nec quum hæc ita ſint, eſt cauſa cur Epicurus factū extimeſcat & ab atomis petat pręſidium, eaſq; de uia deducat, & uno tempore ſuſcipiat res duas inenodabiles: unam ut ſine cauſa fiat aliquid, ex quo exiſtet ut de nihilo quippiam fiat, quod nec ipſi, nec cuiq̃ phyſico placet: alteram, ut quum duo indiuidua per inanitatem ferantur, alterum è regione moueatur, alterum declinet. Licet enim Epicuro concedenti omne enunciatum aut uerum aut falſum eſſe, nō uereri ne omnia fato fieri ſit neceſſe. Non enim æternis cauſis naturę neceſſitate manantibus, uerum eſt id quod ita enunciatur. Deſcendit in Academiam Carneades, nec tamē ſine cauſis. Sed intereſt inter cauſas fortuito antegreſſas, & inter cauſas cohibentes in ſe efficientiam naturalem. Ita & ſemper uerum fuit, morietur Epicurus quum duo & ſeptuaginta annos uixerit Archonte Pitharato, neq; tamen erant cauſæ fatales cur ita accideret, ſed quòd ita cecidiſſet, certe caſurum ſicut cecidit fuit. Nec ij qui dicunt immutabilia eſſe quæ futura ſint, nec poſſe uerum futurum conuertere in falſum, fati neceſſitatem confirmant, ſed uerborum uim interpretantur. At qui introducūt cauſarum ſeriem ſempiternam, hi mentem hominis uoluntate libera ſpoliatā neceſſitate fati deuinciunt. Sed hęc hactenus, alia uideamus. Concludit enim Chryſippus hoc modo, Si eſt motus ſine cauſa, non omnis enunciatio, quod ἀξίωμα dialectici appellant, aut uera aut falſa erit. Cauſas enī efficientes quod non habebit, id nec uerum nec falſum erit. Omnis autem enunciatio, aut uera aut falſa eſt: motus ergo ſine cauſa nullus ē. Quod ſi ita eſt, oīa quæ fiūt cauſis fiūt antegreſſis. Id ſi ita eſt, fato oīa fiunt. Efficitur igitur fato fieri quæcūq; fiant. Hic primum ſi mihi libeat aſſentiri Epicuro, & negare omnem enunciationem aut ueram eſſe aut falſam, eam plagam potius accipiam, q̃ fato omnia fieri comprobem. Illa enim ſententia habet aliquid diſputationis, hæc uero non eſt tolerabilis. Itaq; contendit omnes neruos Chryſippus, ut perſuadeat omne ἀξίωμα aut uerum eſſe aut falſum. Vt enim Epicurus ueretur ne ſi hoc cōceſſerit, concedendum ſit fato fieri quęcunq; fiant: ſi enim alterum utrum ex æternitate uerum ſit, eſſe id etiam certum: & ſi certum etiam neceſſariū: ita &

neceſſitatem

neceſſitatem & fatum confirmari putat. Sic Chryſippus metuit, ne ſi non obtinuerit, omne quod enuncietur, aut uerum eſſe aut falſum, non teneat omnia fato fieri, & ex cauſis æternis rerum futurarum. Sed Epicurus declinatione atomi uitari fati neceſſitatem putat: itaq; tertius quidam motus oritur extra pondus & plagam, quum declinat atomus interuallo minimo, id appellat ἐλάχιστον: quam declinationem ſine cauſa fieri ſi minus uerbis, re cogitur confiteri: non enim atomus ab atomo pulſa declinat. Nam qui poteſt pelli alia ab alia ſi grauitate feruntur ad perpendiculum corpora indiuidua rectis lineis, ut Epicuro placet? Sequitur enim ut ſi alia ab alia nunq̃ depellatur, ne contingat quidem alia aliam. Ex quo efficitur, ut iam ſi ſit atomus, eaq; declinet, declinare ſine cauſa. Hanc Epicurus rationem induxit ob eam rem, quod ueritus eſt ne ſi ſemper atomus grauitate ferretur naturali ac neceſſaria, nihil liberum nobis eſſet, quum ita moueretur animus, ut atomorum motu cogeretur. Hinc Democritus author atomorum accipere maluit neceſſitate omnia fieri, q̃ à corporibus indiuiduis naturales motus auellere. Acutius Carneades, qui docebat poſſe Epicureos ſuam cauſam ſine hac commentitia declinatione defendere. Nam quum doceret eſſe poſſe quendam animi motum uoluntarium, id fuit defendi melius, q̃ introducere declinationem, cuius preſertim cauſam reperire non poſſunt, quo defenſo facile Chryſippo poſſent reſiſtere. Quum enim conceſſiſſent motum nullum eſſe ſine cauſa, nõ concederent omnia quæ fierent fieri cauſis antecedentibus. Voluntatis enim noſtræ non eſſe cauſas externas, & antecedentes. Communi igitur conſuetudine ſermonis abutimur, quum ita dicimus, uelle aliquid quempiam aut nolle ſine cauſa. Ita enim dicimus ſine cauſa, ut dicamus ſine externa & antecendenti cauſa, non ſine aliqua. Vt quum uas inane dicimus, non ita loquimur ut phyſici, quibus inane eſſe nihil placet, ſed ita ut uerbi cauſa, ſine aqua, ſine uino, ſine oleo uas eſſe dicamus. Sic quũ ſine cauſa animũ dicimus moueri, ſine antecedẽte & externa cauſa moueri, nõ oĩno ſine cauſa dicimus. De ipſa atomo dici poteſt quũ per inane moueat̃ grauitate & pondere, ſine cauſa moueri, quia nulla cauſa accedat extrinſecus. Rurſus autem ne omnes à phyſicis irrideamur, ſi dicamus quidq̃ fieri ſine cauſa, diſtinguendum eſt, & ita dicendum, ipſius indiuidui hanc eſſe naturam, ut pondere & grauitate moueatur, eamq; ipſam eſſe cauſam cur ita feratur. Similiter ad animorum motus uoluntarios non eſt requirenda externa cauſa. Motus enim uoluntarius eam naturam in ſe ipſe continet, ut ſit in noſtra poteſtate, nobiſq; pareat. nec id ſine cauſa. Eius rei enim cauſa, ipſa natura eſt. Quod quum ita ſit, quid eſt quod non omnis pronunciatio, aut uera aut falſa ſit? niſi conceſſerimus fato fieri quęcũq; fiant, quia futura uera, inquit non poſſunt eſſe, eaq; cauſas cur futura ſint non habent. Habeant igitur cauſas neceſſe eſt ea quę uera ſunt: ita quum euenerint, fato euenerint. Confectũ negocium: ſiquidem concedendum tibi eſt, aut fato omnia fieri, aut quidq̃ fieri poſſe ſine cauſa. An aliter hęc enunciatio uera eſſe non poteſt, capiet Numantiam Scipio, niſi ex æternitate cauſa cauſam ſerens hoc erit effectura? An hoc falſum potuiſſet eſſe, ſi eſſet ſexcentis ſeculis antea dictum? Et ſi tum non eſſet uera hæc enunciatio, capiet Numantiam Scipio, ne illa quidem uera eſt hæc enunciatio, capiet Numantiam Scipio. Poteſt igitur quidquam factũ eſſe quod non uerum fuerit futurum eſſe. Nam ut præterita ea uera dicimus,

quorum ſuperiore tempore uera fuerunt inſtantia, ſic futura, quorum conſequenti tempore uera erunt inſtantia, ea uera dicemus. Nec ſi omne enunciatum, aut uerũ aut falſum eſt, ſequitur ilico eſſe cauſas immutabiles, easq́ aeternas quae prohibeant quidq̃ ſecus cadere, atq; caſurum ſit. Fortuitae ſunt cauſae quae efficiant ut uerae dicantur, quae ita dicentur: ueniet in Senatum Cato, nõ incluſae in rerum natura atq; mundo, & tamen tam eſt immutabile uenturum quum eſt uerum, q̃ ueniſſe, nec ob eam cauſam fatum aut neceſſitas extimeſcenda eſt. Etenim erit cõfiteri neceſſe, ſi hęc enunciatio, ueniet in Tuſculanũ Hortenſius, uerum non eſt, ſequitur ut falſum ſit, quorum iſti neutrũ uolunt, quod fieri non poteſt. Nec nos impediet illa ignaua ratio quae dicitur. Appellatur enim quidam à philoſophis ἀργὸς λόγος, cui ſi pareamus nihil omnino agamus in uita. Sic enim interrogant, Si fatum tibi eſt ex hoc morbo conualeſcere, ſiue tu medicum adhibueris, ſiue nõ adhibueris conualeſces. Item, Si fatum eſt tibi non conualeſcere, ſiue medicum adhibueris, ſiue non adhibueris non conualeſces. Et alterutrum fatum eſt. Medicũ ergo adhibere nihil attinet. Recte genus hoc interrogationis ignauum atq; iners nominatum eſt, quod eadem ratione omnis è uita tolletur actio. Licet etiam immutare, ut fati nomen ne adiungas, & eandem tamen ſententiam teneas hoc modo: Si ex aeternitate uerũ hoc fuit, ex iſto morbo conualeſces, ſiue adhibueris medicũ, ſiue non adhibueris conualeſces. Itémque, ſi ex aeternitate falſum hoc fuit, ex iſto morbo non conualeſces, ſiue adhibueris medicum ſiue non adhibueris, non conualeſces. Deinde cetera. Haec ratio à Chryſippo reprehenditur. Quędam enim ſunt, inquit, in rebus ſimplicia, quędam copulata. Simplex eſt, morietur eo die Socrates. Huic ſiue quid fecerit, ſiue non fecerit, finitus eſt moriendi dies. At ſi ita fatum ſit, naſcetur Oedipus Laio, non poterit dici, ſiue fuerit Laius cum muliere ſiue non fuerit. Copulata enim res eſt, & confatalis. Sic enim appellat, quia ita fatum ſit & concubiturum cum uxore Laium, & ex ea Oedipum procreaturum: ut ſi eſſet dictum, Luctabitur Olympijs Milo: & referret aliquis, Ergo ſiue habuerit aduerſarium, ſiue non habuerit luctabitur, erraret. Eſt enim copulatum luctabitur, quia ſine aduerſario nulla luctatio eſt. Omnes igitur huius generis captiones eodem modo refelluntur. Siue tu adhibueris, medicum, ſiue non adhibueris, conualeſces, captioſum. Tam enim eſt fatale medicum adhibere, q̃ conualeſcere. Haec ut dixi confatalia ille appellat. Carneades genus hoc totum non probabat, & nimis inconſiderate concludi hanc rationem putabat: itaq; premebat alio modo, nec ullam adhibebat calumniam, cuius erat haec concluſio: Si omnia antecedentibus cauſis fiunt, omnia naturali colligatione conſerte contexteq́ fiunt, quod ſi ita eſt omnia neceſſitas efficit. Id ſi uerum eſt, nihil eſt in noſtra poteſtate. Eſt autem aliquid in noſtra poteſtate. At ſi omnia fato fiunt, omnia cauſis antecedentibus fiunt: non igitur fato fiunt quaecunq; fiunt. Hoc arctius aſtringi ratio non poteſt. Nam ſi quis uelit idem referre atq; ita dicere, Si omne futurum ex aeternitate uerum eſt, ut ita certe eueniat quemadmodum ſit futurum, omnia neceſſe eſt colligatione naturali conſerte contexteq́ fieri, nihil dicat. Multum enim differt utrum cauſa naturalis, ex aeternitate futura uera efficiat, an etiã ſine aeternitate naturali futura, quae ſint ea, uera eſſe poſſint ĩtelligi. Itaq; dicebat Carneades, ne Apollinem quidem poſſe dicere futura, niſi ea, quorum cauſas natura ita contineret,

ut

ut ea fieri neceſſe eſſet. Quid enim ſpectãs deus ipſe diceret Marcellũ eum qui ter Conſul fuit, in mari eſſe periturũ? Erat hoc quidẽ uerum ex æternitate, ſed cauſas id efficiẽtes non habebat, ita ne præterita quidem ea quorũ nulla ſigna tanq̃ ueſtigia extarent Apollini nota eſſe cenſebat, quo minus futura. Cauſis enĩ efficientibus quãq; rẽ cognitis, poſſe deniq; ſciri quid futurũ eſſet. Ergo nec de Oedipode potuiſſe Apollinẽ prædicere, nullis in rerum natura cauſis propoſitis, cur ab eo patrẽ interfici neceſſe eſſet, nec quidq̃ eiuſmodi. Quocirca ſi Stoicis qui omnia fato fieri dicũt, cõſentaneũ eſt huiuſmodi oracla, ceteraq; quæ ad diuinationẽ pertinent cõprobare: ijs autẽ qui quæ futura ſunt, ea uera eſſe ex æternitate dicunt, nõ idẽ dicendum eſt: uide ne nõ eadem ſit illorũ cauſa & Stoicorum. Hi enim urgẽtur anguſtijs, illorum ratio ſoluta ac libera eſt. Quod ſi concedatur nihil poſſe euenire niſi cauſa antecedente, quid proficiatur ſi ea cauſa non ex æternis cauſis apta ducatur? Cauſa autẽ ea eſt, quæ id efficit cuius eſt cauſa, ut uulnus mortis, cruditas morbi, ignis ardoris. Itaq; nõ ſic cauſa intelligi debet, ut quod cuiq; antecedat id ei cauſa ſit, ſed quod cuiq; efficienter antecedat, nec quod in campum deſcenderim id fuiſſe cauſæ cur pila luderem. Nec Hecubam cauſam interitus fuiſſe Troianis, quod Alexandrum genuerit: nec Tyndareum Agamemnoni, quod Clytemneſtram. Hoc enim modo uiator quoq; bene ueſtitus cauſa graſſatori fuiſſe dicitur, cur ab eo ſpoliaretur. Ex hoc genere illud eſt Ennij,

Vtinam ne in nemore Pelio ſecuribus
Cæſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes.

Licuit uel altius, utinam ne in Pelio nata ulla unquam eſſet arbor: etiam ſupra, utinam ne eſſet mons ullus Pelius: ſimiliterq; ſuperiora repetẽtem regredi infinite licet,

Néue inde nauis inchoandæ exordium Cœpiſſet. Quorſum hæc præterita? quia ſequitur illud,

Nam nunq̃ hera errans mea, domo efferret pedem
Medea, animo ægro, amore ſæuo ſaucia,

Non ut hæ res cauſam afferrent amoris. Intereſſe autẽ aiunt utrũ eiuſmodi quid ſit ſine quo effici aliquid nõ poſſit, an eiuſmodi quo aliquid effici neceſſe ſit. Nulla igitur earũ eſt cauſa, quia nulla earum rerũ ſua ui efficit id cuius dicitur cauſa. Nec id ſine quo quippiã nõ fit, cauſa eſt, ſed id quod quum acceſſit, id cuius eſt cauſa efficit neceſſario. Nõdum enim ulcerato ſerpẽtis morſu Philocteta, quæ cauſa in rerum natura continebatur, fore ut is in ĩſula Lemno linqueretur: poſt autem cauſa fuit propior, & cum exitu iunctior. Ratio igitur euentus aperit cauſam, ſed ex ęternitate uera fuit hęc enunciatio. Relinquetur in inſula Philoctetes, nec hoc ex uero in falſum poterat cõuerti: neceſſe eſt enĩ in rebus contrarijs duabus. Contraria autem hoc loco ea dico, quorum alterũ ait quid, alterum negat. Ex his igitur neceſſe eſt inuito Epicuro, alterum uerũ eſſe, alterum falſum, ut ſauciabitur Philocteta, omnibus ante ſeculis uerum fuit, non ſauciabitur, falſum. Niſi forte uolumus Epicureorũ opinionẽ ſequi, q tales enunciationes nec ueras, nec falſas eſſe dicunt: aut quum id pudet, illud tamen dicũt quod eſt impudẽtius, ueras eſſe, ex cõtrarijs diſiunctiones, ſed quę in his enunciata eſſent, eorũ neutrũ eſſe uerum. O admirabilẽ licẽtiam, & miſerabilẽ inſcitiã differendi. Si enim aliquid in eloquẽdo nec uerum nec falſum

eſt,certe id uerum non eſt:quod autem uerum non eſt,qui poteſt non falſum
eſſe?aut quod falſum non eſt,qui poteſt non uerum eſſe? Tenebitur id quod
à Chryſippo defenditur.Omnem enunciationem,aut ueram aut falſam eſſe,
ratio ipſa coget,& ex æternitate quædam eſſe uera,& ea non eſſe nexa cauſis
æternis,& à fati neceſſitate eſſe libera. Ac mihi quidem uidetur quũ duæ ſen-
tentię fuiſſent ueterum philoſophorum,una eorum,qui cenſerent omnia ita
fato fieri,ut id fatum uim neceſſitatis afferret,in qua ſententia Democritus,
Heraclitus,Empedocles,Ariſtoteles fuit:altera eorum,quibus uiderentur ſi
ne ullo fato eſſe animorũ motus uolũtarii:Chryſippus tanq̃ arbiter honora-
rius mediũ ferire uoluiſſe,ſed applicat ſe ad deos potius,qui neceſſitate motus
animos liberatos uolunt.Dũ autẽ uerbis utitur ſuis,delabitur in eas difficul-
tates,ut neceſſitatẽ fati cõfirmet ĩuitus. Atq; hoc ſi placet quale ſit uideamus,
in aſſenſionibus quas prima oratione tractaui.Eas enĩ ueteres illi,quibus om
nia fato fieri uidebãtur,ui effici & neceſſitate dicebant.Qui autem ab his diſ
ſentiebant,fato aſſenſiones liberabãt,negabantq; fato aſſenſionibus adhibi-
to,neceſſitatem ab his poſſe remoueri,ijq; ita diſſerebant:Si omnia fato fiũt,
oĩa fiunt cauſa antecedente:& ſi appetitus,illa etiã quæ appetitum ſequuntur,
ergo etiam aſſenſiones.At ſi cauſa appetitus non eſt ſita in nobis, ne ipſe qui
dem appetitus eſt in noſtra poteſtate:quod ſi ita eſt,ne illa quidẽ quæ appeti
tu efficiuntur ſunt ſita in nobis. Non ſunt igitur neq; aſſenſiones, neq; actio
nes in noſtra poteſtate.Ex quo efficitur,ut neq; laudationes iuſtę ſint, nec ui-
tuperationes,nec honores,nec ſupplicia.Quod quũ uitioſũ ſit, probabiliter
cõcludi putant,non omnia fato fieri, quęcũq; fiant. Chryſippus autẽ quũ &
neceſſitatẽ improbaret,& nihil uellet ſine præpoſitis cauſis euenire,cauſarum
genera diſtinguit,ut & neceſſitatẽ effugiat,& retineat fatum. Cauſarum enĩ,
inquit,aliæ ſunt perfectę & principales,aliæ adiuuãtes & proximæ. Quam-
obrem quũ dicimus omnia fato fieri cauſis antecedentibus,non hoc intelligi
uolumus,cauſis perfectis & principalibus,ſed cauſis adiuuantibus,antecedẽ-
tibus & proximis. Itaq; illi rationi quã pauloante cõcluſi,ſic occurri.Si om-
nia fato fiant,ſequi illud quidẽ,ut omnia cauſis fiant antepoſitis,uerũ nõ prin
cipalibus cauſis & perfectis,ſed adiuuãtibus & proximis.Quæ ſi ipſæ nõ ſint
in noſtra poteſtate,non ſequitur ut ne appetitus quidẽ ſit in noſtra poteſtate.
At hoc ſequeretur,ſi omnia perfectis & principalibus cauſis fieri diceremus.
ut quum hę cauſę non eſſent in noſtra poteſtate,ne ille quidẽ eſſet in noſtra
poteſtate.Quamobrem qui ita fatum introducunt,ut neceſſitatem adiungãt,
in eos ualebit illa concluſio.Qui autem cauſas antecedẽtes nõ dicẽt perfectas
neq; principales,in eos nihil ualebit.Quod enĩ dicantur aſſenſiones fieri cau
ſis antepoſitis,id quale ſit facile à ſe explicari putant.Nam quanquam aſſẽſio
nõ poſſit fieri niſi commota uiſo,tamẽ quum id uiſũ proximã cauſam habeat
nõ prĩcipalem,hanc habet rationẽ,ut Chryſippus uult,quã dudum diximus,
nõ ut illa quidẽ fieri poſſit nulla ui extrinſecus excitata,neceſſe eſt enim aſſen
ſionem uiſo commoueri,ſed reuertitur ad cylĩdrum,& ad turbinem ſuũ, quæ
moueri incipere niſi pulſa non poſſunt. Id autem quũ accidit,ſuapte natura,
quod ſupereſt,& cylindrũ uolui,& uerſari turbinem putat. Vt igitur,inquit
qui protruſit cylindrum dedit ei principium motionis,uolubilitatem autem,
non dedit,ſic uiſum obiectũ imprimet illud quidẽ,& quaſi ſignabit in animo
ſpeciem

ſpeciem ſuã,ſed aſſenſio noſtra erit in poteſtate, eaq́ʒ quẽadmodum in cylindro dictũ eſt,extrinſecus pulſa,quod reliquum eſt ſuapte ui & natura mouebitur. Quod ſi aliqua res efficeretur ſine cauſa antecedẽte,falſum eſſet omnia fato fieri: ſin omnibus quęcũqʒ fiunt uerisſimile eſt cauſam antecedere,afferri poteſt cur nõ omnia fato fieri fatendum ſit? modo intelligatur,quæ ſit cauſarum diſtinctio ac diſſimilitudo. Hæc quũ ita ſint à Chryſippo explicata,ſi illi qui negãt aſſenſiones fato fieri,fateãtur tamen eas non ſine uiſo antecedente fieri, alia ratio eſt: ſed ſi cõcedunt anteire uiſa,nec tamen fato fieri aſſenſiones quod proxima illa & continẽs cauſa non moueat aſſenſionem,uide ne idem dicant. Neqʒ enim Chryſippus cõcedẽs aſſenſiones proximam & continentem cauſam eſſe in uiſo poſitam,neqʒ eam cauſam eſſe ad aſſentiendũ neceſſariã concedet,ut ſi omnia fato fiant,omnia cauſis fiant antecedẽtibus & neceſſarijs. Itẽqʒ illi qui ab hoc diſſentiunt,confitentes non fieri aſſenſiones ſine præcurſione uiſorum,dicent ſi omnia fato fierent eiuſmodi, ut nihil fieret niſi prægreſſione cauſæ,confitendum eſſe fato fieri omnia. Ex quo facile intellectu eſt, quoniam utriqʒ patefacta atqʒ explicata ſententia ſua ad eundem exitum ueniãt,uerbis eos non re diſſidere. Omninoq́ʒ quum hæc ſit diſtinctio,ut quibuſdam in rebus uere dici poſſit,quum hæ cauſæ antegreſſę ſint,non eſſe in noſtra poteſtate quin illa eueniant quorum cauſæ fuerint: quibuſdam autem in rebus cauſis antegreſſis,in noſtra tamen poteſtate eſſe ut illud aliter eueniat: hanc diſtinctionem utriqʒ approbant: ſed alteri cenſent,quibus in rebus quum cauſæ anteceſſerint,non ſit in noſtra poteſtate,ut aliter illa eueniant eas fato fieri: quæ autem in noſtra poteſtate ſint,ab his fatum abeſſe. Hoc modo hanc cauſam diſceptari oportet,non ab atomis errãtibus,& de uia declinãtibus petere pręſidiũ. Declinat,inquit,atomus. Primũ cur aliã quãdã uim motus habebunt à Democrito impulſionis,quam plagam ille appellat,à te Epicure grauitatis & ponderis? Quæ ergo noua cauſa in natura eſt quæ declinet atomũ? aut num ſortiuntur inter ſe quę declinet,quę non,aut cur minimo declinet interuallo,maiore non? aut cur declinent uno minimo non declinent duobus aut tribus? Optare hoc quidem eſt,non diſputare. Nam neqʒ extrinſecus impulſam atomum loco moueri & declinari dicis,neque in illo inani per quod feratur atomus,quidquam fuiſſe cauſæ, cur ea non è regione ferretur, nec in ipſo atomo mutationis aliquid factum eſt,quamobrem naturalem ſui ponderis motum non teneret. Ita quum attuliſſet nullam cauſam quę iſtam declinationem efficeret,tamen aliquid ſibi dicere uidetur, quum id dicat,quod omnium mentes aſpernentur ac reſpuant. Nec uero quiſquam magis confirmare mihi uidetur,non modo fatum,uerum etiam neceſſitatem,& uim omnium rerũ,ſuſtuliſſeq́ʒ motus animi uoluntarios,q̃ hic qui aliter obſiſtere fato fatetur ſe non potuiſſe,niſi ad has commenticias declinationes confugiſſet. Nam ut eſſent atomi,quas quidem eſſe mihi probari nullo modo poteſt,tamen declinationes iſtę nunquam explicarentur. Nam ſi atomis ut grauitate ferãtur tributum eſt neceſſitate naturę,quod omne pondus nulla re impediente moueatur & feratur neceſſe eſt,illud quoqʒ neceſſe eſt,declinare quibuſdam atomis, uel ſi uolunt omnibus naturaliter.

Multa deſiderantur.

MARCI TVLLII CICERONIS DE SOMNIO SCIPIONIS EX LIBRO DE REPVB. SEXTO.

QVVM in Aphricã ueniſſem Anitio Malinio COS. ad quartam legionem Tribunus(ut ſcitis) militum, nihil mihi potius fuit, q̃ ut Maſiniſſam cõuenirem, Regem familiæ noſtrę iuſtis de cauſis amiciſſimum. Ad quem ut ueni, complexus me ſenex collacrimauit, aliquantoq́; poſt ſuſpexit in cœlum, Et grates, inquit, tibi ago ſumme Sol, uobisq́; reliqui cœlites, quod ante q̃ ex hac uita migro, conſpicio in meo regno, & his tectis P. Corneliũ Scipionẽ, cuius ego nomine ipſe recreor, itaq; nũq̃ ex animo meo diſcedit illius optimi atque inuictiſſimi uiri memoria. Deinde ego illum de ſuo regno, ille me de noſtra rep. percontatus eſt: multisq́; uerbis ultro citroq́; habitis, ille nobis eſt conſumptus dies. Poſt autem apparatu regio accepti, ſermonem in multam noctem produximus, quum ſenex nihil niſi de Aphricano loqueretur, omniaq́; eius non facta ſolum, ſed etiam dicta meminiſſet. Deinde ut cubitum diſceſſimus, me & feſſum de uia, & qui ad multam noctem uigilaſſem, arctior q̃ ſolebat ſomnus complexus eſt. Hic mihi(credo equidẽ ex hoc quod eramus locuti. Fit enim ferè, ut cogitationes ſermonesq́; noſtri pariant aliquid ĩ ſomno tale, quale de Homero ſcribit Ennius, de quo uidelicet ſæpiſſime uigilans ſolebat cogitare & loqui) Aphricanus ſe oſtẽdit ea forma, q̃ mihi ex imagĩe eius, q̃ ex ipſo erat notior. Quẽ ut agnoui, equidẽ cohorrui: ſed ille, Ades, inquit, animo, & omitte timorẽ Scipio, & quæ dicã trade memorię. Vidésne illam urbem, quę parere populo R. coacta per me, renouat priſtina bella, nec poteſt quieſcere? (oſtendebat autẽ Carthaginem de excelſo, & pleno ſtellarum, illuſtri & claro quodam loco) ad quam tu oppugnandam nunc uenis penè miles, hanc hoc biẽnio COS. euertes, eritq́; cognomẽ id tibi per te partum, quod habes adhuc à nobis hęreditariũ. Quum autem Carthaginẽ deleueris, triumphum egeris, Cenſorq́; fueris, & obieris Legatus Aegyptũ, Syriam, Aſiam, Gręciam, delegere iterum COS. abſens bellumq́; maximũ conficies, Numantiam excindens. Sed quum eris curru ĩ Capitolium inuectus, offendes Rempu. perturbatam conſilijs nepotis mei. Hic tu Aphricane oſtẽdas oportebit patriæ, lumen animi, ingenij, conſilijq́; tui. Sed eius temporis ancipitem uideo quaſi fatorũ uiam. Nam quũ ætas tua ſeptenos octies ſolis anfractus redituſq́; conuerterit, duoq́; hi numeri, quorũ uterq; plenus, alter altera de cauſa habetur, circuitu naturali ſummã tibi fatalem confecerĩt, in te unum atq; in tuum nomen ſe tota cõuertet ciuitas. Te Senatus, te omnes boni, te ſocij, te Latini intuebũtur. Tu eris unus in quo nitatur ciuitatis ſalus. Ac ne multa. DICT. Remp. conſtituas oportet; ſi impias propinquorum manus effugeris. Hic quum exclamauiſſet Lælius, ingemuiſſentq́; uehementius ceteri, leniter arridens Scipio. Quæſo, inquit, ne me è ſomno excitetis, & pax ſit rebus, audite cetera. Sed quo ſis Aphricane alacrior ad tutandam Rempu. ſic habeto, omnibus qui patriam conſeruauerint,

adiuuerint,auxerint,certum eſſe in cœlo,ac definitum locum, ubi beati æuo ſempiterno fruantur. Nihil enim eſt illi principi Deo,qui omnem hunc mundum regit,quod quidem in terris fiat acceptius, q̃ concilia,cœtusq́ hominũ iure ſociati,quæ ciuitates appellantur. Harum rectores & conſeruatores hinc profecti,huc reuertẽtur. Hic ego,etſi eram perterritus non tam mortis metu, quàm inſidiarum à meis,quæſiui tamẽ uiuerẽtne ipſe & Paulus pater,& alij, quos nos extinctos arbitremur. Immò uero,inquit,hi uiuunt qui ex corporũ uinculis tanquam è carcere euolauerunt. Veſtra uero,quæ dicitur uita, mors eſt. Quin tu aſpicias ad te uenientem Paulum patrem? Quem ut uidi equidẽ, uim lacrimarum profudi. Ille autem me complexus atque oſculans flere prohibebat. Atque ego ut primum fletu repreſſo loqui poſſe cœpi. Quęſo inquã pater ſanctiſſime atque optime,quum hæc eſt uita (ut Aphricanum audio dicere) quid moror in terris? quin huc ad uos uenire propero? Non eſt ita,inquit ille. Niſi enim quum deus is,cuius hoc templum eſt omne,quod conſpicis,iſtis te corporis cuſtodijs liberauerit,huc tibi aditus patere nõ poteſt. Homines enim ſunt hac lege generati,qui tuerentur illum globum,quem in hoc templo medio uides,quæ terra dicitur. Hisq́ animus datus eſt ex illis ſempiternis ignibus,quæ ſydera & ſtellas uocatis,quæ globoſæ & rotundę diuinis animatæ mentibus circulos ſuos orbesq́ conficiunt celeritate mirabili. Quare & tibi Publi,& pijs omnibus retinendus animus eſt in cuſtodia corporis, nec iniuſſu eius,à quo ille eſt uobis datus,ex hominũ uita migrandum eſt,ne munus humanum aſſignatum à deo defugiſſe uideamini. Sed ſic Scipio ut auus hic tuus, ut ego qui te genui, iuſtitiam cole & pietatem: quæ quum ſit magna in parentibus & propinquis, tum in patria maxima eſt; ea uita uia eſt in cœlum,& in hunc cœtum eorum,qui iam uixerunt,& corpore laxati illum incolunt locum,quem uides. Erat autem is ſplendidiſſimo candore inter flammas circus elucens, quem uos (ut à Graijs accepiſtis) orbem Lacteum nuncupatis. Ex quo omnia mihi contemplanti præclara cetera & mirabilia uidebantur. Erant autem eæ ſtellæ quas nunquam ex hoc loco uidimus,& eæ magnitudines omnium,quas eſſe nunquam ſuſpicati ſumus,ex quibus erat ea minima quæ ultima à cœlo,citima terris luce lucebat aliena. Stellarum autem globi terræ magnitudinem facile uincebant. Iam ipſa terra ita parua mihi uiſa eſt, ut me imperij noſtri, quo quaſi punctum eius attingimus,pœniteret, Quam quum magis intuerer. Quæſo, inquit Aphricanus, quouſque humi defixa tua mens erit? Nũmne aſpicis quæ in templa ueneris? Nouem tibi orbibus, uel potius globis connexa ſunt omnia, quorum unus eſt cœleſtis extimus, qui reliquos omnes complectitur, ſummus ipſe deus arcens & continens ceteros, in quo ſunt infixi illi, qui uoluuntur ſtellarum curſus ſempiterni. Cui ſubiecti ſunt. VII. qui uerſantur retro contrario motu atque cœlum. E quibus unum globum poſſidet illa, quam in terris Saturniam nominant. Deinde eſt hominum generi proſperus & ſalutaris ille fulgor,qui dicitur Iouis. Tum rutilus horribilisq́ terris,quem Martem dicitis. Deinde ſubter mediam ferè regionem Sol obtinet dux & princeps, & moderator luminum reliquorum, mens mundi & temperatio,tanta magnitudine ut cuncta ſua luce luſtret & compleat. Hunc ut comites ſequuntur, Veneris alter,alter Mercurij curſus. In ĩfimoq́ orbe Luna radijs ſo

lis accenſa conuertitur. Infra autem iam nihil eſt niſi mortale & caducum, pręter animos generi hominum munere deorum datos. Supra lunam ſunt ęterna omnia. Nam ea quæ eſt media & nona tellus, neq; mouetur & infima eſt, & in eam feruntur omnia nutu ſuo pondera. Quæ quum intuerer ſtupens, ut me recepi. Quis hic inquam, quis eſt qui complet aures meas tantus & tam dulcis ſonus? Hic eſt, inquit ille, qui interuallis coniunctus imparibus, ſed tamen pro rata portione diſtinctis, impulſu & motu ipſorum orbium efficitur, qui acuta cum grauibus temperans æquabiliter cõcentus efficit. Nec enim ſilentio tanti motus incitari poſſunt, & natura fert, ut extrema ex altera parte grauiter, ex altera autem acute ſonent. Quam ob cauſam ſummus ille cœli ſtelliferi curſus, cuius conuerſio eſt incitatior, acuto & excitato mouetur ſono, grauiſſimo autem hic lunaris atque infimus. Nam terra nona immobilis manẽs, ima ſede ſemper hæret, complexa medium mundi locum. Illi autem octo curſus, in quibus eadem uis eſt duorum. VII. efficiunt diſtinctos interuallis ſonos, qui numerus rerum omnium ferè nodus eſt. Quod docti homines neruis imitati atque cantibus, aperuere ſibi reditum in hunc locum. Sicut alij, qui præſtantibus ingenijs in uita humana diuina ſtudia coluerunt. Hoc ſonitu completę aures hominum obſurduerunt. Nec eſt ullus hebetior ſenſus in uobis, ſicut, ubi Nilus ad illa quæ Catadupa nominãtur, præcipitat ex altiſſimis montibus, ea gens quæ illum locum accolit, propter magnitudinem ſonitus ſenſu audiendi caret. Hic uero tantus eſt totius mundi incitatiſſima cõuerſione ſonitus, ut eum aures hominum capere non poſſint: ſicut intueri ſolem aduerſum nequitis, eiuſq; radijs acies ueſtra ſenſuſq; uincitur. Hæc ego admirans, referebam tamen oculos ad terram idemtidem. Tum Aphricanus Sentio inquit, te ſedem etiam nunc hominum ac domum contemplari. Quæ ſi tibi parua, ut eſt, ita uidetur, hæc cœleſtia ſemper ſpectato, illa humana contemnito. Tu enim quam celebritatem ſermonis hominum, aut quam expetẽdam gloriam conſequi potes? Vides habitari in terra raris & anguſtis in locis, & in ipſis quaſi maculis ubi habitatur, uaſtas ſolitudines interiectas. Hoſq; qui incolant terram, non modo interruptos ita eſſe, ut nihil inter ipſos ab alijs ad alios manare poſſit, ſed partim obliquos, partim uerſos, partim etiam aduerſos ſtare uobis, à quibus ſpectare gloriam certe nullam poteſtis. Cernis autem eandem terram, quaſi quibuſdam redimitam & circundatam cingulis. E quibus duos maxime inter ſe diuerſos, & cœli uerticibus ipſis ex utràque parte ſubnixos, obriguiſſe pruina uides. Medium autem illum & maximum ſolis ardore torreri. Duo ſunt habitabiles, quorum auſtralis ille, in quo qui inſiſtunt aduerſa uobis urgent ueſtigia, nihil ad ueſtrum genus. Hic autem alter ſubiectus Aquiloni, quem incolitis, cerne quàm tenui uos parte contingat. Omnis enim terra quæ colitur à uobis, anguſtata uerticibus, lateribus latior, parua quædam inſula eſt circunfuſa illo mari, quod Atlanticum, quod magnum, quod Oceanum appellatis in terris, qui tanto tamen nomine, quàm ſit paruus, uides. Ex his ipſis cultis notiſq; terris num aut tuum, aut cuiuſquam noſtrum nomen uel Caucaſum hunc, quem cernis, tranſcendere potuit, uel illum Gangem tranſnare? Quis in reliquis orientis, aut obeuntis ſolis ultimis, aut aquilonis auſtri ue partibus tuum nomen audiet? Quibus amputatis cernis profecto quantis in angu-

ſtijs ueſtra ſe gloria dilatari uelit. Ipſi autem qui de uobis loquuntur, q̃ loquentur diu? Quin etiam ſi cupiat proles illa futurorum hominum deinceps laudes uniuſcuiuſq; noſtrum à parentibus acceptas poſteris prodere, tamen propter eluuiones exuſtionesq́; terrarum quas accidere tempore certo neceſſe eſt, non modo non æternam, ſed ne diuturnam quidem gloriam aſſequi poſſumus. Quid autem intereſt, ab his qui poſtea naſcẽtur ſermonem fore de te, quum ab his nullus fuerit, qui ante te nati ſint, qui nec pauciores & certe meliores fuerunt uiri? quum preſertim apud eos ipſos, à quibus nomen noſtrum poteſt audiri, nemo unius anni memoriam conſequi poſſit. Homines enim populariter annum tantummodo ſolis, id eſt unius aſtri reditum metiuntur. Quum autem ad idem unde ſemel profecta ſunt, cũcta aſtra redierint, eandemq́; totius cœli deſcriptionem longis interuallis retulerint, tum ille uere uertens annus appellari poteſt, in quo uix dicere audeo, quàm multa hominũ ſecula teneãtur. Nanq; ut olim deficere ſol hominibus, extĩguiq́; uiſus eſt, quum Romuli animus hæc ipſa in templa penetrauit, quandoq; eadem parte ſol, eodemq́; tempore iterum defecerit, tum ſignis omnibus ad idem principium, ſtellisq; reuocatis expletum annum habeto. Huius quidem anni nondum uigeſimam partem ſcito eſſe conuerſam. Quocirca ſi reditum in hunc locum deſperaueris, in quo omnia ſunt magnis & præſtantibus uiris, quanti tandem eſt iſta hominum gloria, quæ pertinere uix ad unius anni partem exiguam poteſt? Igitur alte ſpectare ſi uoles, atque hanc ſedem, & æternam domum contueri, neque ſermonibus uulgi dederis te, nec in præmijs humanis ſpem poſueris rerum tuarum, ſuis te oportet illecebris ipſa uirtus trahat ad uerum decus. Quid de te alij loquantur, ipſi uideant, ſed loquentur tamen. Sermo autem omnis ille, & anguſtijs cingitur his regionum, quas uides, nec unquã de ullo perennis fuit, & obruitur hominum ĩteritu, & obliuione poſteritatis extinguitur. Quæ quum dixiſſet, ego uero inquam, ò Aphricane, ſiquidem benemeritis de patria quaſi limes ad cœli aditum patet, quãquam à pueritia, ueſtigijs ingreſſus patrijs & tuis, decori ueſtro non defui, nunc tamen tanto præmio propoſito multo uigilantibus. Et ille. Tu uero enitere, & ſic habeto, non eſſe te mortalem, ſed corpus hoc. Nec enim is es quem forma iſta declarat, ſed mens cuiuſq; is eſt quisq;, non ea figura quæ digito demonſtrari poteſt. Deum igitur ſcito te eſſe: ſiquidem deus eſt qui uiget, qui ſentit, qui meminit, qui prouidet, qui tam regit, & moderatur, & mouet id corpus, cui præpoſitus eſt, quàm hunc mundum princeps ille Deus, & ut ipſe mundum ex quadam parte mortalem ipſe deus æternus, ſic fragile corpus animus ſempiternus mouet. Nam quod ſemper mouetur, æternum eſt: quod autem motum affert alicui, quodq́; ipſum agitatur aliunde, quando finem habet motus, uiuendi finem habeat neceſſe eſt. Solum igitur quod ſeſe mouet, quia nunquam deſeritur à ſe, nunquam ne moueri quidem deſinit, quin etiam ceteris quæ mouentur, hic fons, hoc principium eſt mouendi. Principio autem nulla eſt origo. Nam ex principio oriuntur omnia. Ipſum autem nulla ex re alia naſci poteſt. Nec enim eſſet hoc principium, quod gigneretur aliunde. Quod ſi nunquam oritur, ne occidit quidem unq̃. Nam prĩcipium extinctũ, nec ipſum ab alio renaſcetur, nec ex ſe aliud creabit. Siquidem neceſſe eſt à principio oriri omnia. Ita fit, ut motus principium

ex eo ſit,quod ipſum à ſe mouetur,Id autem nec naſci poteſt,nec mori,uel cõcidat omne cœlum,omniſq; natura conſiſtat neceſſe eſt,nec uim ullam nanciſcatur,quę à primo impulſu moueatur. Quum pateat igitur ęternum id eſſe, quod à ſe ipſo moueatur,quis eſt qui hanc naturam animis eſſe tributam neget? Inanimum eſt enim omne,quod pulſu agitatur externo: Quod autẽ animal eſt,id motu cietur ĩteriore & ſuo. Nam hęc eſt natura propria animę atq; uis: Quę ſi eſt una ex omnibus quę ſeſe moueat,neq; nata certe eſt, & ęterna eſt,hanc tu exerce in optimis rebus. Sunt autem optimę curę de ſalute patrię, quibus agitatus & exercitatus animus uelocius in hanc ſedem & domũ ſuam peruolabit. Idq; ocyus faciet,ſi iam tum quum erit incluſus in corpore, eminebit foras,& ea quę extra erunt,contemplãs q̃ maxime ſe à corpore abſtrahet. Namq; eorum animi,qui ſe corporis uoluptatibus dedidere,earumq; ſe quaſi miniſtros prębuere,impulſuq; libidinum uoluptatibus obedientium, deorum & hominum iura uiolauere,corporibus elapſi,circum terram ipſam uolutantur,nec hunc in locum niſi multis exagitati ſeculis reuertuntur. Ille diſceſſit. Ego ſomno ſtatim ſolutus ſum.

MARCI TVLLII CICERONIS DE LEGIBVS.

LIBER PRIMVS. ATTICVS.

LVCVS quidem ille,& hæc Arpinatiũ quercus agnoſcitur,ſępe à me lectus in Mario. Si manet illa quercus, hæc eſt profecto,etenim ẽ ſanè uetus. QVINTVS. Manet uero Attice noſter,& ſemper manebit,ſata eſt enim ĩgenio. Nullius autem agricolæ cultu ſtirps tam diuturna q̃ poetæ uerſu ſeminari poteſt. At. Quo tãdem modo Quinte? aut quale eſt iſtuc quod poetæ ſerunt? mihi enim uideris fratrem laudando ſuffragari tibi. Qu. Sit ita ſanè. Veruntamen dum latine loquẽt literæ,quercus huic loco nõ deerit,quæ Mariana dicat̃,eaq;(ut ait Scęuola)de fratris mei Mario.

Caneſcet ſæclis innumerabilibus.

niſi forte Athenę tuę ſempiternã in arce oleam tenere potuerũt,aut quod Homericus Vlyſſes,Deli ſe procerã & teneram palmã uidiſſe dixit,hodie monſtrãt eandẽ,multaq; alia multis locis diutius cõmemoratione manent,q̃ natura ſtare potuerunt. Quare glandifera illa quercus,ex qua olim euolauit

Nuncia fulua Iouis miranda uiſa figura

nunc ſit hæc. Sed quum eam tempeſtas,uetuſtáſue cõſumpſerit,tamen erit his in locis quercus,quam Marinam quercum uocant. At. Non dubito id quidem,ſed hæc iam non ex te Quinte quęro, uerum ex ipſo poeta,tui ne uerſus hanc quercum ſeuerint,an ita factum de Mario,ut ſcribis,acceperis. M. Reſpondebo tibi equidem,ſed non antequam mihi tu ipſe reſponderis Attice, certe nõ longe à tuis ędibus inambulans poſt exceſſum ſuum Romulus Proculo Iulio dixerit,ſe deum eſſe,& Quirinum uocari,templumq; ſibi dedicari in eo loco iuſſerit,& uerum ne ſit Athenis nõ longe item à tua illa antiqua domo Orithyiam Aquilo ſuſtulerit? hic enim eſt traditum. At. Quorſum tandem,aut cur iſta quæris? M. Nihil ſanè,niſi ne nimis diligenter inquiras

in ea, quæ iſto modo memoriæ ſint prodita. At. Atqui multa quæruntur in Mario, fictáne an uera ſint, & á nonnullis, quod & in recenti memoria, & in Arpinati homine. Sed ueritas á te poſtulatur. M. Et mehercule ego me cupio non mendacem putari. Sed tamen iſti Tite faciunt imperite, qui in iſto opuſculo nō ut á poeta, ſed ut á teſte ueritatem exigant. Nec dubito quin ĳdē, & cum Egeria colloquutum Numam, & ab aquila Tarquinio apicem impoſitum putent. Q. Intelligo te frater alias in hiſtoria leges obſeruandas putare, alias in poemate: quippe quum in illa ad ueritatem Quinte referantur, in hac ad delectationem pleraq;: quanq̄ & apud Herodotū patrem hiſtorię, & apud Theopōpum ſunt īnumerabiles fabulę. At. Teneo quam optabam occaſionem, neq; omittam. M. Quam tandem Tite? At. Poſtulatur á te iamdiu, uel flagitatur potius hiſtoria. Sic enim putant te illam tractante effici poſſe, ut in hoc etiam genere Græcię nihil cedamus. Atq; ut audias quid ego ipſe ſentiam, non ſolum mihi uideris eorum ſtudĳs, qui tuis literis delectātur, ſed etiam patriæ debere hoc munus, ut ea quæ ſalua per te eſt, per te eundem ſit ornata. Abeſt enim hiſtoria literis noſtris, ut & ipſe ītelligo, & ex te perſæpe audio. Potes autem tu profecto ſatiſfacere in ea. quippe quum ſit opus, ut tibi quidem uideri ſolet, unum hoc oratorium maxime. Quamobrem aggredere quæſumus, & ſume ad hāc rem tempus, quæ eſt á nobis hominibus adhuc aut ignorata aut relicta. Nam poſt annales Pontificū maximorum, quibus nihil poteſt eſſe iucundius, ſi aut ad Fabium, aut ad eum qui tibi ſemper in ore eſt, Catonem aut ad Piſonē, aut ad Fannium, aut ad Vennomum uenias, quanq̄ ex his alius alio plus habet uirium, tamen quid tam exile q̄ iſti omnes? Fannĳ autē ętate coniunctus Antipater paulò inflauit uehementius, habuitq; uires agreſtes ille quidem atq; horridas ſine nitore ac palæſtra: ſed tamen admonere reliquos potuit, ut accuratius ſcriberent. Ecce autem ſucceſſere huic bello Clodius, Aſilo nihil ad Cælium, ſed potius ad antiquorum languorem & inſcitiam. Nam quid Accium memorem? cuius loquacitas habet aliquid argutiarum, nec id tamen ex illa erudita Grecorum copia, ſed ex librariolis latinis. In orationibus autem multus & ineptus. Datio ſumma impudentia. Siſenna eius amicus omnes adhuc noſtros ſcriptores, niſi qui nondum ediderunt, de quibus exiſtimare non poſſumus, facile ſuperauit. Is tamen neq; orator in numero ueſtro unq̄ eſt habitus, & in hiſtoria puerile quiddā conſectatur, ut unū Clitarchum, neq; preterea quenq̄ de Græcis legiſſe uideatur: eum tamen uelle duntaxat imitari, quem ſi aſſequi poſſet, aliquantum ab optimo tamē abeſſet. Quare tuum eſt munus, hoc á te expectatur, niſi quid Quinto uidetur ſecus. Q. Mihi uero nihil, & ſæpe de iſto colloquuti ſumus. Sed eſt quædā inter nos parua diſſenſio. At. Quæ tandem? Q. A quibus temporibus ſcribēdi capiatur exordium. Ego enim ab ultimis cenſeo, quoniam illa ſic ſcripta ſunt, ut ne legantur quidem: ipſe autem æqualem ætatis ſuæ memoriam depoſcit, ut ea complectatur, quibus ipſe interfuit. At. Ego uero huic potius aſſentior. Sunt enim maximę res in hac memoria atq; ætate noſtra, tum autem hominis amiciſſimi Cn. Pompeĳ laudes illuſtrabit: īcurret etiam in illū memorabilem annum ſuum, quem ab iſto malo prędicari, q̄ ut aiūt de Remo & Romulo. M. Intelligo equidem á me iſtum laborem iamdiu poſtulari Attice, quem non recuſarem, ſi mihi ullum tribueretur uacuum tempus & libe-

rum. Necꝙ enim occupata opera, neque impedito animo res tanta ſuſcipi poteſt. A. Vtrūꝙ opus eſt, & cura uacare & negocio. Quid? at cetera quæ ſcripſiſti plura q̃ quiſquam è noſtris, quod tibi tandem tempus uacuum fuit conceſſum? M. Subſiciua quędam tempora incurrunt, quæ ego perire non patior, ut ſi qui dies ad ruſticandum dati ſint, ad eorum numerum accommodētur, quæ ſcribimus. Hiſtoria uero nec inſtitui poteſt, niſi præparato otio, nec exiguo tempore abſolui. Et ego animi pendere ſoleo, quum ſemel quid orſus, ſi traducor alio, neque tam facile interrupta contexo, q̃ abſoluo inſtituta. A. Legationem aliquam nimirum iſta oratio poſtulat, aut eiuſmodi quampiam ceſſationē liberā atꝙ otioſam. M. Ego uero ætatis potius uacationi cōfidebam, quum preſertim non recuſarem quo minus more patrio ſedens in ſolio conſulentibus reſponderem, ſenectutisꝙ nō inertis grato atque honeſto fungerer munere: ſic enim mihi liceret, & iſti rei quam deſideras, & multis uberioribus atque maioribus operæ quantum uellem dare. At. Atqui uereor ne iſtam cauſam nemo noſcat, tibiꝙ ſemper dicendum ſit, & eo magis quod te ipſe mutaſti, & aliud dicendi inſtituiſti genus: ut quemadmodum Roſcius familiaris tuus in ſenectute numeros in cantu cecinerat, ipſasꝙ tardiores fecerat tibias, ſic tu à contentionibus, quibus ſummis uti ſolebas, cotidie relaxes aliquid, ut iam oratio tua non multum à philoſophorum lenitate abſit: quod ſuſtinere quum uel ſumma ſenectus poſſe uideatur, nullam tibi à cauſis uacationem uideo dari. Q. At mehercule ego arbitrabar poſſe id populo noſtro probari, ſi te ad ius reſpondendum dediſſes. Quamobrem quum placebit, experiendum tibi cenſeo. M. Id ſiquidem Quinte nullum eſſet in experiendo periculum: ſed uereor ne dum minuere uelim laborem, augeam, atque ad illam cauſarum operam, ad quam ego nunq̃ niſi paratus & meditatus accedo, adiungatur hæc iuris interpretatio, quæ nō tam mihi moleſta ſit propter laborem, quàm quod dicendi cogitationem auferat, ſine qua ad nullam maiorem unquam cauſam ſum auſus accedere. A. Quin igitur iſta ipſa explicas nobis his ſubſiciuis (ut ais) temporibus, & conſcribis de iure ciuili ſubtilius, q̃ ceteri? Nam à primo tempore ætatis iuri ſtudere te memini, quum ipſe etiam ad Scæuolam uentitarem, neque unquam mihi uiſus es ita te ad dicendum dediſſe ut ius ciuile contemneres. M. In longum ſermonem me uocas Attice: quem tamen, niſi Quintus aliud quid nos agere mauult, ſuſcipiam, & quoniam uacui ſumus dicam. Q. Ego uero libenter audierim. Quid enim agam potius, aut in quo melius hunc conſumam diem? M. Quin igitur ad illa ſpatia noſtra ſedesꝙ pergamus ubi quum ſatis erit deambulatum requieſcemus? Nec profecto nobis delectatio deerit aliud ex alio quærentibus. A. Nos uero & hac quidem adire ſi placet per ripam & umbram. Sed iam ordire explicare quęſo, de iure ciuili quid ſentias. M. Ego memini ſummos fuiſſe in ciuitate noſtra uiros, qui id interpretari populo, & reſponſitare ſoliti ſint: ſed eos magna profeſſos in paruis eſſe uerſatos. Quid enim eſt tantum quātum ius ciuitatis? Quid autem tam exiguum, quàm eſt munus hoc eorum qui conſuluntur? quàm eſt populo neceſſarium? Nec uero eos qui ei muneri præfuerunt uniuerſi iuris expertes fuiſſe exiſtimo, ſed hoc ciuile quod uocant eatenus exercuerunt, quoad populo præſtare uoluerunt. Id autem incognitum eſt, minusꝙ in uſu neceſſarium. Quamobrem quo me uocas? aut

aut quid hortaris? ut libellos conficiam de ſtillicidiorum, ac de parietum iure? An ut ſtipulationum & iudiciorum formulas componam? quę & conſcripta ſunt à multis diligẽter, & ſunt humiliora q̃ illa, quæ à nobis expectari puto. At. Atqui ſi quæres ego quid expectem, quoniam ſcriptum eſt à te de optimo reip. ſtatu, conſequens eſſe uidetur ut ſcribas tu idem de legibus. Sic enim feciſſe uideo Platonem illum tuum, quem tu admiraris, quem omnibus anteponis, quem maxime diligis. M. Visne igitur, ut ille Cretæ, cum Clinia & cum Lacedæmonio Megillo æſtiuo quemadmodum deſcribit die, in cupreſſetis Gnoſiorum, & ſpatijs ſyluestribus crebro inſiſtens, interdum adquieſcens, de inſtitutis rerum plublicarum, ac de optimis legibus diſputans, ſic nos inter has proceriſſimas populos in uiridi opacaq́ʒ ripa inambulantes, tum autem reſidentes, quæramus ijſdem de rebus aliquid uberius, quàm forenſis uſus deſiderat? At. Ego uero iſta audire cupio. C. Quid ait Quĩtus? Q. Nulla de re magis. M. Et recte quidem, nam ſic habetote nullo in genere diſputandi magis honeſta patefieri, quid ſit homini natura tributum, quãtam uim rerum optimarum mens humana contineat, cuius muneris colendi efficiendiq́ʒ cauſa nati, & in lucem editi ſumus, quæ ſit coniunctio hominum, quæ naturalis ſocietas inter ipſos. His enim explicatis fons legum & iuris inueniri poteſt. Nõ ergo à Prætoris edicto, ut pleriqʒ nũc, neqʒ à XII tabulis, ut ſuperiores, ſed penitus ex intima philoſophia hauriendam iuris diſciplinã puto. Non enim id quærimus hoc ſermone Pomponi, quemadmodum caueamus in iure, aut quid de quaqʒ cõſultatione reſpondeamus. Sit iſta res magna ſicut eſt, quæ quondam à multis claris uiris, nunc ab uno ſumma auctoritate & ſcientia ſuſtinetur. Sed noris iſta complectẽda in hac diſputatione tota cauſa uniuerſi iuris eſt, ac legum, ut hoc ciuile quod dicimus in paruum quendã & anguſtum locum concludatur naturæ. Natura enim iuris explicanda nobis eſt, eaq́ʒ ab hominis repetenda natura: conſiderandæ leges, quibus ciuitates regi debeant, tum hæc tractanda, quæ compoſita ſunt, & deſcripta iura, & iuſſa populorum, in quibus ne noſtri quidem populi latebunt, quæ uocantur iura ciuilia. Q. Alte uero & ut oportet à capite frater repetis quod quęrimus, & qui aliter ius ciuile tradunt, non tam iuſtitię quàm litigandi tradunt uias. M. Non ita eſt Quinte: at potius ignoratio iuris litigioſa eſt q̃ ſcientia. Sed hæc poſterius, nunc iuris principia uideamus. Igitur doctiſſimis uiris proficiſci placuit à lege, haud ſcio an recte, ſi modo ut ijdem definiunt. Lex eſt ratio ſumma inſita in natura, quæ iubet ea quæ facienda ſunt, prohibetq́ʒ contraria. Eadem ratio quum eſt in hominis mente cõfirmata & confecta, lex eſt. Itaqʒ arbitrantur prudentiam eſſe legem, cuius ea uis ſit, ut recte facere iubeat, uetet delinquere, eamq́ʒ rem illi græco putant nomine ſuum cuiqʒ tribuendo appellatam: ego noſtro à legendo. Nam ut illi æquitatis, ſic nos delectus uim in lege ponimus, & proprium tamen utrũqʒ legis eſt. Quod ſi ita recte dicitur, ut mihi quidem plerũqʒ uideri ſolet, à lege ducendum eſt iuris exordium. Ea eſt enim naturæ uis, ea mens ratioq́ʒ prudentis, ea iuris atqʒ iniuriæ regula. Sed quoniam in populari ratione omnis noſtra uerſatur oratio, populariter ĩterdum loqui neceſſe erit, & appellare eam legem, quæ ſcripto ſancit quod uult, aut iubendo, aut uetando, ut uulgus appellarit. Conſtituendi uero iuris ab illa ſumma lege capiamus exordium, quę ſeculis compluribus antę nata eſt, quàm

ſcripta lex ulla, aut quàm omnino ciuitas conſtituta. Q. Commodius uero, & ad rationem inſtituti ſermonis ſapientius. M. Vis'ne ergo ipſius iuris or-tum à fonte repetamus? quo inuento non erit dubium, quò ſint hæc referen-da quæ quærimus. Ego uero ita eſſe faciendum cenſeo. At. Me quoque aſcri-bito fratris ſententiæ. M. Quoniam igitur eius reip. quam optimam eſſe docuit in illis ſex libris Scipio, tenendus eſt nobis & ſeruandus ſtatus, om-nesq; leges accommodandæ ad illud ciuitatis genus, ſerendi etiam mores nec ſcriptis omnia ſanciēda, repetā ſtirpē iuris à natura, qua duce eſt nobis omnis diſputatio explicāda. A. Rectiſſime, & quidē iſta duce errari nullo pacto po-teſt. M. Das'ne igitur hoc nobis Pomponi (Nam Quinti noui ſententiā) deorum immortalium natura, ratione, poteſtate, mēte, numine, ſiue quod eſt aliud uerbum, quo planius ſignificem quod uolo naturam omnem regi? Nā ſi hoc non probas, ab eo nobis cauſa ordienda eſt potiſſimum. A. Do ſanè ſi poſtulas: etenim propter hunc concentum auium ſtrepitumq; fluminum non uereor condiſcipulorum ne quis exaudiat. M. At qui cauendum eſt, ſo-lent enim (id quod uirorum bonorum eſt) admodum iraſci: nec uero ferent ſi audierint te primum caput libri optimi prodidiſſe, in quo ſcripſit nihil cura-re deum, nec ſui, nec alieni. At. Perge quęſo, nā id quod tibi conceſſi, quor-ſum pertineat expecto. M. Non faciam longius, huc enim pertinet. Ani-mal hoc prouidum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & cō-ſilij, quem uocamus hominem, pręclara quadā conditione generatum eſſe à ſu-premo deo. Solum eſt enim ex tot animantium generibus atque naturis parti-ceps rationis & cogitationis, quum cetera ſint omnia expertia. Quid eſt au-tem non dicam in homine, ſed in omni cœlo atq; terra ratione diuinius? quæ quum adoleuit atq; perfecta eſt, nominatur rite ſapientia. Eſt igitur (quoni-am nihil eſt ratione melius, eaq; & in homine & in deo) prima homini cum deo rationis ſocietas. Inter quos autem ratio, inter eoſdem etiam recta ratio & cōmunis eſt. Quæ quum ſit lex, lege quoque conſociati homines cum dijs putandi ſumus. Inter quos porrò eſt communio legis, inter eos communio iu-ris eſt. Quibus autem hæc ſunt inter eos communia, & ciuitatis eiuſdem ha-bendi ſunt. Si uero ijſdem imperijs & poteſtatibus parent, multo etiam ma-gis parent huic cœleſti deſcriptioni mentiq; diuinę & prępotenti deo: unde etiam uniuerſus hic mundus una ciuitas communis deorum atque hominum exiſtimanda. Et quod in ciuitatibus ratione quadam de qua dicetur idoneo loco, agnationibus familiarum diſtinguuntur ſtatus, id in rerum natura tan-to eſt magnificentius tantoq; præclarius, ut homines deorum agnatione & gente teneantur. Nam quum de natura omni quęritur, diſputari ſolent nimi-rum iſta, perpetuis curſibus conuerſionibus cœleſtibus extitiſſe quandā ma-teriam ſerendi generis humani, quod ſparſum in terras atq; ſatum diuino au-ctum ſit animorum munere. Nam quod aliquibus cohærent homines e mor-tali genere ſumpſerunt, quę fragilia eſſent & caduca, animum eſſe ingenera-tum à deo: ex quo uere uel agnatio nobis cum cœleſtibus, uel genus uel ſtirps appellari poteſt. Itaq; ex tot generibus nullum eſt animal præter hominem quod habeat notitiam aliquam dei. De ipſis quidem hominibus nulla gens eſt, neque tam immanſueta, neque tam fera, quæ non etiam ſi ignoret qualem habere deum deceat, tamen habendum ſciat. Ex quo efficitur illud, ut is agno-

ſcat deum,qui unde ortus ſit quaſi recordetur ac noſcat. Iam uero uirtus eadem in homine ac deo eſt,neque alio ullo ingenio præterea.Eſt autem uirtus nihil aliud quàm in ſe perfecta & ad ſummum perducta natura.Eſt igitur homini cũ deo ſimilitudo:quod quum ita ſit,quæ tandẽ poteſt eſſe propior certiórue cognatio? Itaq; ad hominum cõmoditates & uſus tantam rerũ ubertatem natura largita eſt,ut ea quæ gignuntur donata conſulto nobis non fortuito nata uideantur:nec ſolum ea quæ frugibus atq; bacis terræ fœtu profunduntur,ſed etiam pecudes,quod perſpicuum ſit,partim eſſe ad uſum hominũ, partim ad fructum,partim ad ueſcendum procreatas. Artes uero innumerabiles repertæ ſunt docente natura,quam imitata ratio,res ad uitam neceſſarias ſolerter conſequuta eſt. Ipſum autem hominem eadem natura non ſolum celeritate mentis ornauit,ſed & ſenſus tanquam ſatellites attribuit ac nuntios, & rerum plurimarum obſcuras & neceſſarias intelligentias enudauit,quaſi fundamenta quędam ſcientiæ, figuramq́; corporis habilem & aptam ingenio humano dedit. Nam quum ceteras animantes abieciſſet ad paſtum,ſolum hominem erexit, ad cœli quaſi cognationis domiciliiq́; priſtini conſpectum excitauit:tum ſpecimen ita formauit oris,ut in ea penitus recõditos mores effingeret. Nam & oculi nimis arguti,quemadmodum animo affecti ſumus,loquuntur: & is qui appellatur uultus,qui nullo in animante eſſe præter hominem poteſt,indicat mores:cuius uim Græci norunt,nomen omnino nõ habent. Omitto opportunitates habilitatesq́; reliqui corporis, moderationem uocis,orationis uim, quæ conciliatrix eſt humanæ maxime ſocietatis. Neque enim omnia ſunt huius diſputationis ac temporis,& hunc locum ſatis ut mihi uidetur,in his libris quos legiſtis expreſſit Scipio.Nũc quoniam hominem quod principium reliquarum rerum eſſe uoluit, generauit & ornauit deus,perſpicuum ſit illud,ne omnia differantur, ipſam per ſe naturam longius progredi,quę etiam nullo docente profecta ab his quorum ex prima & inchoata intelligentia genera cognouit,confirmat ipſa per ſe rationem & perficit. A. Dii immortales quàm tu longe iuris principia repetis,atque ita ut ego non modo ad illa non properem quæ expectabam à te de iure ciuili,ſed facile patiar te hunc diem uel totum in iſto ſermone conſumere. Sunt enim hæc maiora quæ aliorum cauſa fortaſſe complecteris, quàm ipſa illa quorum hæc cauſa præparantur. M. Sunt hæc quidem magna,quæ nunc breuiter attinguntur,ſed omnium quæ in hominum doctorum diſputatione uerſantur,nihil eſt profecto præſtabilius, quàm planè intelligi nos ad iuſtitiam eſſe natos, neque opinione ſed natura conſtitutum eſſe ius. Id iam patebit,ſi hominum inter ipſos ſocietatem coniunctionemq́; perſpexeris. Nihil eſt enim unum uni tam ſimile,tam par,quàm omnes inter noſmetipſos ſumus. Quod ſi deprauatio conſuetudinum,ſi opinionum uanitas non imbecillitatem animorum torqueret & flecteret quocunq; cœpiſſet,ſui nemo ipſe tam ſimilis eſſet,quàm omnes ſunt omnium.Itaq; quæcunq; eſt hominis definitio, una in omnes ualet.Quod argumenti ſatis eſt,nullam diſſimilitudinem eſſe in genere:quæ ſi eſſet,nõ una omnes definitio contineret.Et enim ratio qua una prçſtamus beluis,per quam coniectura ualemus,argumentamur,refellimus, diſſerimus,conficimus aliquid concludimus,certe eſt communis,doctrina differens,diſcendi quidem facultate par. Nam & ſenſibus eadem omnia compre-

henduntur,& ea quæ mouent ſenſus,itidem mouent omnium:quæq; in animis imprimuntur,de quibus ante dixi,inchoatæ intelligentiæ,ſimiliter in omnibus imprimuntur,interpresq; eſt mentis oratio,uerbis diſcrepans, ſententijs congruens:nec eſt quiſquam gentis ullius,qui ducem nactus ad uirtutem peruenire non poſſit. Nec ſolum in rectis, ſed etiam in prauis actibus inſignis eſt humani generis ſimilitudo.Nam & uoluptate capiuntur omnes,quę etſi eſt illecebra turpitudinis,tamen habet quiddam ſimile naturalis boni:lenitatis eſt enim & ſuauitatis.Id enim ut ſuauitate delectans,ſic ab errore mentis tanquam ſalutare aliquid aſciſcitur,ſimiliq; inſcitia mors fugitur quaſi diſſolutio naturæ:uita expetitur, quia nos in quo nati ſumus continet: dolor in maximis malis ducitur,cum ſua aſperitate,tum quod naturæ interitus uidetur ſequi.Propter quam honeſtatis & gloriæ ſimilitudinem,beati,qui honorati ſunt,uidentur:miſeri autem,qui ſunt inglorij,Moleſtiæ,lætitiæ, cupiditates,timores,ſimiliter omnium mentes peruagantur. Nec ſi opiniones aliæ ſunt apud alios,idcirco qui canem & felem ut deos colunt,non eadem ſuperſtitione, qua cetere gentes conflictantur.Quæ autem natio non comitatem, non benignitatem,non gratum animum,& beneficij memorem diligit? quę ſuperbos, quæ maleficos, quæ crudeles,quæ ingratos non aſpernatur? non odit?Quibus ex rebus quum omne genus hominum ſociatum inter ſe eſſe intelligatur,illud extremum eſt,quod recte uiuendi ratio meliores efficit: quæ ſi approbatis,pergam ad reliqua : ſin quid requiritis, id explicemus prius. A. Nos uero nihil,ut pro utroq; reſpondeam. M. Sequitur igitur ad participandum alium alio,communicandumq; ĩter omnes,iuſtos natura nos eſſe factos. Atq; hoc in omni diſputatione ſic intelligi uolo quod dicam naturam eſſe,tantam autem eſſe corruptelam malæ conſuetudinis,ut ab ea tanquam igniculi extinguantur à natura dati,exorianturq; & confirmentur uitia contraria. Quod ſi quo modo eſt natura,ſic iudicio homines humani (ut ait poeta)nihil a ſe alienum putarent,coleretur ius ęque ab omnibus. Quibus enim ratio à natura data eſt,ijſdem etiam recta ratio data eſt: ergo & lex quæ eſt recta ratio in iubendo & uetãdo:ſi lex,ius quoque:at omnibus ratio,ius igitur datum eſt omnibus.Recteq; Socrates execrari eum ſolebat,qui primus utilitatem à natura ſeiũxiſſet:Id enim querebatur caput eſſe exitiorum omnium. Vnde enĩ illa Pythagorea uox,τὰ τῶν φίλων κοινὰ καὶ φιλίαν ἰσότητα. Ex quo perſpicitur quum hanc beneuolentiam tam late longeq; diffuſam uir ſapiens in aliquem pari uirtute præditum contulerit,tum illud effici, quod quibuſdam incredibile,uideatur autem neceſſarium,ut nihilo ſeſe plus quàm alterum diligat.Quid enim eſt quod differat,quum ſint cuncta paria? Quod ſi intereſſe quippiam tantulum modo potuerit,iam amicitiæ nomen occiderit: cuius eſt ea uis,ut ſimulatq; ſibi aliquid quàm alteri maluerit,nulla ſit:quæ præmuniuntur omnia reliquo ſermoni diſputationiq; noſtræ quò facilius ius in natura eſſe poſitum intelligi poſſit,de quo quum perpauca dixero,tum ad ius ciuile ueniam,ex quo hæc omnis nata eſt oratio. Q. Tu uero iam perpauca ſcilicet.Ex his enim quæ dixiſti Attice,uidetur mihi quidem certe ex natura ortum eſſe ius. At. An mihi aliter uideri poſſit,quum hæc iam perfecta ſint? primum quaſi muneribus deorum nos eſſe inſtructos & ornatos : ſecundò autem loco unam eſſe hominum inter ipſos uiuendi parem communemq; rationem:

tionem: deinde omnes inter ſe naturali quadam indulgentia & beneuolentia, tum etiam ſocietate iuris contineri. Quæ quum uera eſſe recte (ut arbitror) conceſſerimus, qui iam licet nobis à natura legis & iura ſeiungere? M. Recte dicis, & res ſe ſic habet, uerum philoſophorum more, non ueterum quidem illorum, ſed eorum qui quaſi officinas inſtruxerunt ſapientiæ quæ fuſe olim diſputabantur ac libere, ea nunc articulatim deſecta dicuntur. Nec enim ſatiſfieri cenſent huic loco, qui nunc eſt in manibus, niſi ſeparatim hoc ipſum naturæ eſſe ius diſputarint. At. Et ſcilicet tua libertas diſſerendi amiſſa eſt, aut tu is es qui in diſputando non tuum iudicium ſequare, ſed auctoritati aliorum pareas? M. Non ſemper Tite, ſed iter huius ſermonis quod ſit uides: ad reipub. firmandas & ſtabiliendas uires, ſanandos populos omnis noſtra pergit oratio. Quocirca uereor committere, ut non bene prouiſa & diligenter explorata principia ponantur: nec tamen ut omnibus probentur, nam id fieri non poteſt, ſed ut eis qui omnia recta atque honeſta per ſe expetenda duxerunt, & aut nihil omnino in bonis numerandum, niſi quod per ſeipſum laudabile eſſet: aut certe nullum habendum magnum bonum, niſi quod uere laudari ſua ſponte poſſet. His omnibus ſiue in Academia uetere cum Speuſippo, Xenocrate, Polemone manſerunt: ſiue Ariſtotelem & Theophraſtum cum illis re congruentes, genere docendi paululum differentes, ſequuti ſunt: ſiue, ut Zenoni uiſum eſt, rebus non commutatis immutauerunt uocabula: ſiue etiam Ariſtonis difficilem atque arduam, ſed iam tamen fractam & conuictam ſectam ſequuti ſunt, ut uirtutibus exceptis atque uitijs, cetera in ſumma æqualitate ponerent, his omnibus hæc quæ dixi probantur, ſibi autem indulgentes, & corpori deſeruientes, atque omnia quæ ſequantur in uita, quæq; fugiant uoluptatibus & doloribus ponderantes, etiam ſi uera dicunt (nihil enim opus eſt hoc loco litibus) in hortulis ſuis iubeamus dicere, atque etiam ab omni ſocietate reipub. cuius partem nec norunt ullam, nec unquam noſſe uoluerunt, pauliſper faceſſant rogemus: perturbatricem autem harum omnium rerum Academiam hanc ab Arceſila & Carneade recentem exuremus, ut ſileat. Nam ſi inuaſerit in hæc, quæ ſatis ſcite nobis inſtructa & compoſita uidentur, nimias edet ruinas: quam quidem ego placare cupio, ſubmouere non audeo.

* Nam & in ijs ſine illius ſuffimentis expiati ſumus. At uero ſcelerum in homines atque impietatum nulla expiatio eſt. Itaque pœnas luunt non tam iudicijs, qnæ quondam nuſquam erant, hodie multifariam nulla ſunt, ut ſint tamen, perſæpe falſa ſunt: ut eos agitent inſectentúrque furiæ non ardentibus tædis ſicut in fabulis, ſed angore conſcientiæ fraudiſq; cruciatu. Quod ſi homines ab iniuria pœna non natura arcere deberet, quænam ſolicitudo uexaret impios ſublato ſuppliciorum metu, quorum tamen nemo tam audax unquam fuit, quin aut abnuerit à ſe commiſſum eſſe facinus, aut iuſti ſui doloris cauſam aliquam fingeret, defenſionemq; facinoris à natura iure aliquo quæreret? Quæ ſi appellare audent impij, quo tandem ſtudio colentur à bonis? Quod ſi pœna, ſi metus ſupplicij non ipſa turpitudo deterret ab iniurioſa facinoroſáque uita, nemo eſt iniuſtus, at incauti potius habendi ſunt improbi. Tum autem qui non ipſo honeſto mouemur ut boni uiri ſimus; ſed utilitate aliqua atque fructu callidi ſumus,

non boni. Nam quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet niſi teſtem & iudicem. Quid in deſerto aliquo loco nactus, quem multo auro ſpoliare poſſit imbecillum atq; ſolum? Noſter quidem hic natura iuſtus uir ac bonus etiam colloquetur, iuuabit, in uiam deducet. Is uero qui nil alterius cauſa facit, & metitur ſuis commodis omnia, uidetis credo, quid ſit acturus. Quod ſi negabit ſe illi uitam erepturum, & aurum ablaturum, nunq̃ ob eam cauſam negabit, quod id natura turpe iudicet, ſed quod metuat ne emanet, id eſt, ne malum habeat. O rem dignam, in qua non modo docti, ſed etiam agreſtes erubeſcant? Iam uero ſtultiſſimum illud exiſtimare, omnia iuſta eſſe quę ſcita ſint in populorũ inſtitutis aut legibus. Et idmne ſi quę leges ſint tyrãnorum? Si XXX illi Athenis leges imponere uoluiſſent: aut ſi omnes Athenienſes delectarentur tyrannicis legibus, num idcirco hæ leges iuſtæ haberentur? Nihilo credo magis illa quam Interrex noſter tulit, ut Dictator quẽ uellet ciuium ĩdicta cauſa impune poſſet occidere. Eſt enim unum ius quo deuincta eſt hominum ſocietas, & quod lex conſtituit una, quæ lex eſt recta ratio imperandi atq; prohibendi: quam qui ignorat, is eſt iniuſtus, ſiue eſt illa ſcripta uſpiam, ſiue nuſquam. Quod ſi iuſtitia eſt obtemperatio ſcriptis legibus inſtitutisq; populorum, etſi ut ÿdem dicunt, utilitate omnia metienda ſunt, negliget leges, eáſque perrumpet ſi poterit, is qui ſibi eam rem fructuoſam putabit fore. Ita fit ut nulla ſit omnino iuſtitia, ſi neque natura eſt ea quæ propter utilitatem conſtituitur, utilitate illa conuellitur. Atqui ſi natura confirmatum ius non erit, omnes uirtutes tollantur. Vbi enim liberalitas, ubi patriæ charitas, ubi pietas, ubi aut bene merendi de altero, aut referendæ gratiæ uoluntas poterit exiſtere? Nam hæc naſcuntur ex eo quod natura propenſi ſumus ad diligendos homines, quod ſundamentum iuris eſt. Neque ſolum in homines obſequia, ſed etiam in deos cerimoniæ religionesq; tolluntur, quas nõ metu, ſed ea cõiunctione quæ eſt homini cum deo, cõſeruãdas puto. Quod ſi populorum iuſſis, ſi principum decretis, ſi ſententÿs iudicum iura conſtituerẽtur, ius eſſet latrocinari, ius adulterare, ius teſtamenta falſa ſupponere, ſi hæc ſuffragÿs aut ſcitis multitudinis probarentur. Quæ ſi tanta poteſtas eſt ſtultorum ſententÿs atque iuſſis, ut eorum ſuffragÿs rerum natura uertatur, cur non ſanciunt, ut quæ mala pernicioſáque ſunt habeãtur pro bonis & ſalutaribus? aut cur quum ius ex iniuria lex facere poſſit, bonum eadem facere non poſſit ex malo? Atqui nos legem bonam à mala nulla alia niſi naturali norma diuidere poſſumus. Nec ſolum ius à natura dÿudicatur, ſed omnino omnia honeſta & turpia. Nam & communis intelligentia nobis notas res efficit, eáſque in animis noſtris inchoauit, ut honeſta in uirtute ponantur, in uitÿs turpia. Hæc autem in opinione exiſtimare, non in natura ponere dementis eſt. Nam nec arboris nec equi uirtus, quæ dicitur, in quo abutimur nomine, in opinione ſita eſt, ſed in natura. Quod ſi ita eſt, honeſta quoq; & turpia natura diiudicãda ſunt. Nã ſi opinione uniuerſa uirtus, eadem eius etiam partes probarentur. Quis igitur prudentem, & (ut ita dicam) catum non ex ipſius habitu, ſed ex aliqua re externa iudicet? Eſt enim uirtus perfecta ratio, quod certe in natura eſt: igitur omnis honeſtas eodem modo. Nam ut uera & falſa, ut conſequentia & contraria ſua ſponte non aliena iudicantur, ſic conſtans & perpetua ratio uitæ quæ eſt uirtus,

itemq;

itémque inconſtantia quod eſt uitium, ſua natura probatur. Nos ingenia iuuenum non ratione ab ingenita naturæ uirtute, ſed uitia quæ exiſtunt ab ingenijs iudicamus. An ea non aliter quàm honeſta & turpia non ad naturam referri neceſſe erit? Quod laudabile bonum eſt, in ſe habeat quod laudetur neceſſe eſt. Ipſum enim bonum non eſt opinionibus, ſed natura. Nam ni ita eſſet, beati quoque opinione eſſent, quo quid dici poteſt ſtultius? Quare quum & bonum & malum natura iudicetur, & ea ſint principia naturæ, certe honeſta quoque & turpia ſimili ratione dijudicanda, & ad naturam referenda ſunt. Sed perturbat nos opinionum uarietas, hominumq́ diſſenſio: & quia non idem contingit in ſenſibus, hos natura certos putamus, illa quæ alijs, ſic alijs ſecus, nec ijſdē ſemper uno modo uidentur, ficta eſſe dicimus, quod eſt longe aliter. Nam ſenſus noſtros non parens, non nutrix, non magiſter, non poeta, non ſcena deprauat, non multitudinis conſenſus abducit à uero. Animis omnes tenduntur inſidiæ, uel ab ijs quos modo enumeraui, qui teneros & rudes quum acceperunt inficiunt, & flectunt ut uolunt, uel ab ea quæ penitus in omni ſenſu implicata inſidet imitatrix boni uoluptas, malorum autem mater omnium, cuius blandicijs corrupti quę natura bona ſunt, quia dulcedine hac & ſcabie carent, non cernuntur ſatis. Sequitur ut concluſa mihi iam hæc ſit omnis oratio, id quod ante oculos, ex ijs eſt quæ dicta ſunt, & ius, & omne honeſtum ſua ſponte eſſe expetendum. Etenim omnes uiri boni ipſam æquitatem & ius ipſum amant: nec eſt uiri boni errare & diligere quod per ſe non ſit diligendum. Per ſe igitur ius eſt expetendum & colendum. Quod ſi ius etiam iuſtitia, ſic & reliquæ quoque uirtutes per ſe colendæ ſunt. Quid liberalitas? gratuitáne eſt an mercenaria? Si ſine præmio, benigna eſt, gratuita: ſi cum mercede, conducta. Nec eſt dubium quin is, qui liberalis, benignuſúe dicitur, officium non fructum ſequatur. Ergo item iuſtitia nihil expetit præmij, nihil precij, per ſe igitur expetitur. Eadémque omnium uirtutum cauſa atque ſententia eſt. Atque etiam ſi emolumentis nō ſuapte natura uirtus expenditur, una erit uirtus quæ malitia rectiſſime dicetur. Vt enim quiſque maxime ad ſuum commodum refert quæcunque agit, ita minime eſt uir bonus, ut qui uirtutem præmio metiuntur, nullam uirtutem niſi malitiam putent. Vbi enim beneficus, ſi nemo alterius cauſa benigne facit? Vbi gratus, ſi non eum cui referunt gratiam, ipſi cernunt grati? Vbi illa ſancta amicitia, ſi non ipſe amicus per ſe amatur toto pectore, ut dicitur? qui etiam deſerendus & abijciendus eſt, deſperatis emolumentis & fructibus quo quid poteſt dici immanius? Quod ſi amicitia per ſe colenda eſt, ſocietas quoque hominum, & æqualitas, & iuſtitia per ſe expetenda ſunt. Quod ni ita eſt, omnino iuſtitia nulla eſt. Id enim iniuſtiſſimum ipſum eſt, iuſtitiæ mercedem quærere. Quid uero de modeſtia? Quid de temperantia? Quid de continentia? Quid de uerecundia, pudore, pudicitiaq́ dicemus? Infamiæ ne metu non eſſe petulantes, an legum & iudiciorum? Innocentes ergo & uerecundi ſunt, ut bene audiant: & ut rumorem bonum colligant, erubeſcunt, pudet etiam loqui * de pudicitia. Ac me iſtorum philoſophorum pudet, qui nullum uitium uitare, niſi iudicio ipſo multatum putant. Quid enim? poſſumus eos qui à ſtupro arceantur infamiæ metu, pudicos dicere, quum ipſa infamia propter

rei turpitudinem conſequatur? Nam quid aut laudari rite aut uituperari poteſt, ſi ab eius natura receſſeris, quod aut laudandum, aut uituperandum putes? An corporis prauitates ſi erunt perinſignes, habebunt aliquid offenſionis, animi deformitas nõ habebit? cuius turpitudo ex ipſis uitijs facillime percipi poteſt. Quid enim fœdius auaritia? Quid immanius libidine? Quid cõtemptius timiditate? Quid abiectius tarditate & ſtultitia dici poteſt? Quid ergo, e s qui ſingulis uitijs excellunt, aut etiam pluribus propter damna, aut detrimenta, aut cruciatus aliquos miſeros dicimus? an propter uim turpitudinémque uitiorum? Quod item ad contrariam laudem in uirtute dici poteſt. Nam ſi propter alias res uirtus expetitur, melius eſſe aliquid q̃ uirtutẽ neceſſe eſt, pecuniámne igitur an honores? an formam? an ualetudinem? quæ & quum adſunt, perparua ſunt, & quamdiu affutura ſint, certum ſciri nullo modo poteſt: an id (quod turpiſſimum dictu eſt) uoluptatem? At in ea quidẽ ſpernenda & repudianda uirtus uel maxime cernitur. Videtisne quãta ſeries rerum ſententiarumq́ ſit, atque ut ex alio alia nectantur? quin labebar longius, niſi me retinuiſſem. Q. Quò tandem? libenter enim frater cum iſta oratione tecum prolaberer. Mar. Ad finem bonorum quò referuntur, & cuius cauſa ſunt facienda omnia. Q. Controuerſam rem & plenam diſſenſionis inter doctiſſimos, ſed aliquando tamen iudicandam. A. Qui iſtud fieri poteſt, L. Gellio mortuo? Q. Quid tandẽ id ad rem? A. Quia me Athenis audire ex Phædro meo memini, Gellium familiarem tuum quum Procõſule ex Pretura in Græciam ueniſſet, & Athenis philoſophos qui tum erant in locum unum conuocaſſe, ipſisq́ magnopere auctorem fuiſſe, ut aliquando controuerſiarum aliquem facerent modum. Quod ſi eſſent eo animo ut nollent ætatem in litibus conterere, poſſe rem conuenire, & ſimul operam ſuam illis eſſe pollicitum, ſi poſſet inter eos aliquid conuenire. M. Ioculare iſtuc quidem Pomponi, & à multis ſæpe deriſum, ſed ego planè uellẽ me arbitrũ inter antiquam Academiam & Zenonem datum. A. Quo tandem iſtuc modo? M. Quia de re una ſolum diſſident, de ceteris mirifice congruunt. A. Ain tandem? una de re eſt ſolum diſſenſio? M. Quæ quidem ad rem pertineat, una: quippe quum antiqui omnes quod ſecundum naturã eſſet quo iuuaremur in uita bonum eſſe decreuerint, hic niſi quod honeſtum eſſet putarit bonum. A. Perparuam uero controuerſiam dicis, ac non eam quæ dirimat omnia. M. Probe quidem ſentis, ſi re ac non uerbis diſſiderent. Ergo aſſentiris Antiocho familiari meo: magiſtro enim non audeo dicere, quocũ uixi, & qui me ex noſtris penè conuellit hortulis, deduxitq́ in Academiam perpauculis paſſibus. Vir iſte fuit ille quidem prudens & acutus, & in ſuo genere perfectus, mihiq́ fuit (ut ſcis) familiaris, cui tamen ego aſſentiar in omnibus necne, mox uidero: hoc dico controuerſiam totam iſtam poſſe ſedari. A. Quin iſtuc tandem uides? M. Quia ſi ut Chius Ariſto dixit, ſolum bonum eſſe diceret quod honeſtum eſſet, malumq́ quod turpe, ceteras res omnes planè pares, ac ne minimum quidem utrum adeſſent an abeſſent intereſſe ualde à Xenocrate & Ariſtotele, & ab illa Platonis familia diſcreparet, eſſetq́ inter eos de re maxima, & de omni uiuendi ratione diſſenſio. Nunc uero quum decus quod antiqui ſummum bonum eſſe dixerant, hic ſolum bonum dicat, itemq́ dedecus, illi ſummum malum: hic ſolum diuitias, ualetudi-

nem,

nem,pulchritudinem,commodas res appellet,non bonas: paupertatem debilitatem, dolorem,incommodas non malas: ſentit idem quod Xenocrates, quod Ariſtoteles,loquitur alio modo. Ex hac autem non rerum, ſed uerborum diſcordia,controuerſia eſt nata de finibus: in qua quoniam uſucapionem XII tabulæ inter quinque pedes eſſe uoluerunt, depaſci ueterem poſſeſſionem Academiæ ab hoc acuto homine non ſinemus. Nec Mamilia lege singuli,ſed ex ijs tres arbitri finis regemus. Q. Quam nam igitur ſententiam dicimus? M. Requiri placere terminos quos Socrates pepigerit, ijsq; parere. Q. Præclare frater iam nunc à te uerba uſurpãtur ciuilis iuris & legum, quo de genere expecto diſputationem tuam. Nam iſta quidem magna diiudicatio eſt,ut ex te ipſo ſæpe cognoui. Sed certe ita res ſe habent,ut ex natura uiuere ſummum bonum ſit,id eſt,uita modica & apta uirtute perfrui,aut naturam ſequi,& eius quaſi lege uiuere: id eſt nihil quantum in ipſo ſit prætermittere,quo minus ea quæ natura poſtulet conſequatur,quod inter hæc uelit uirtute tanquam lege uiuere. Quapropter hoc diiudicari neſcio an unquam, ſed hoc ſermone certe non poteſt, ſi quidem id quod ſuſcepimus perfecturi ſumus. At. At ego huc declinabã,nec inuitus. Q. Licebit aliàs, nunc id agamus quod cœpimus, quum preſertim ad id nihil pertineat, hęc de ſummo malo bonoq; diſſenſio. M. Prudentiſſime Quinte dicis: nam quæ à me adhuc dicta ſunt * nec Lycurgi leges,neq; Solonis,neq; Charondæ,neque Zaleuci,nec noſtras. XII. tabulas, nec plebiſcita deſidero, ſed te exiſtimo cum populis, tum etiam ſingulis hodierno ſermone legem uiuendi & diſciplinam daturum. Eſt huius uerè diſputationis Quinte proprium id quod expectas, atque utinam eſſet etiam facultatis meæ: ſed profecto ita ſe res habet, ut quoniam uitiorum emendatricem legem eſſe oportet,commendatricemq; uirtutum, ab ea uiuendi doctrina ducatur. Ita fit ut mater omnium bonarum rerum ſit ſapientia,à cuius amore græco uerbo φιλοσοφία nomen inuenit, qua nihil à dijs immortalibus uberius,nihil florentius,nihil præstabilius hominum uitæ datum eſt. Hæc enim una nos cum cæteras res omnes, tum quod eſt difficillimum docuit, ut noſmetipſos noſceremus, cuius præcepti tanta uis, tanta ſententia eſt, ut ea non homini cuipiam, ſed Delphico deo tribueretur. Nam qui ſeipſum norit, primum aliquid ſe habere ſentiet diuinum,ingeniumq; in ſe ſuum ſicut ſimulacrum aliquod dedicatum putabit,tantoq; munere deorum ſemper dignum aliquid & faciet & ſentiet: & quum ſeipſe perſpexerit, totumq; tentarit, intelliget quemadmodum à natura ſubornatus in uitam uenerit, quantaq; inſtrumenta habeat ad obtinendam adipiſcendamq; ſapientiam, quoniam principio rerum omnium quaſi adumbratas intelligentias animo ac mente conceperit, quibus illuſtratus ſapientia duce bonum uirum, & ob eam ipſam cauſam cernat ſe beatum fore. Nam quum animus cognitis perceptisq; uirtutibus à corporis obſequio indulgentiaq; diſceſſerit, uoluptatemq; ſicut labem aliquam dedecoris oppreſſerit, omnemq; mortis dolorisq; timorem effugerit, ſocietatemq; carnis eiecerit, tũ ſuis, omnibusq; natura cõiunctos ſuos duxerit, cultumq; deorum & puram religionem ſuſceperit, & exacuerit illam,ut oculorum, ſic ingenij aciem ad bona deligenda, & reijcienda cõtraria,quæ uirtus ex prouidẽdo eſt appellata Prudẽtia: quid eo dici aut cogitari poterit bea

tius? Idemꝗ quum cœlum, terras, maria, rerumꝗ omnium naturam perſpexerit, eaꝗ unde generata, quo recurrant, quando, quomodo obitura, quid in ijs mortale & caducum, quid diuinum æternumꝗ ſit uiderit, ipſumꝗ ea moderantem & regentem penè prehenderit, ſeſeꝗ non unis circundatum mœnibus popularem alicuius definiti loci, ſed ciuem totius mundi quaſi unius urbis agnouerit, in hac ille magnificentia rerum, atꝗ in hoc conſpectu & cognitione naturę dij immortales q̃ ſi ipſe ſe noſcet, quod Apollo præcepit Pythius? quàm contemnet, q̃ deſpiciet, q̃ pro nihilo putabit ea quæ uulgo dicuntur ampliſſima? Atꝗ hæc omnia quaſi ſepimento aliquo uallabit, diſſerendi ratione ueri & falſi, iudicio, inde ſcientia, & arte quadam intelligendi quid quãꝗ rem ſequatur, & quid ſit cuiꝗ contrarium. Quumꝗ ſe ad ciuilem ſocietatem natum ſenſerit, non ſolum illa ſubtili diſputatione ſibi utendum putabit, ſed etiã fuſa latius perpetua oratione, qua regat populos, qua ſtabiliat leges, qua caſtiget improbos, qua tueatur bonos, qua laudet claros uiros, qua præcepta ſalutis & laudis apte ad perſuadẽdum edat ſuis ciuibus, qua hortari ad decus, reuocare à flagitio, conſolari poſſit afflictos, factaꝗ & conſulta fortium & ſapientum cum improborũ ignominia ſempiternis monumẽtis prodere. Quę quum tot res tantęꝗ ſint, quæ in homine ineſſe perſpiciatur ab ijs qui ſe ipſi uelint noſſe, earum parens eſt educatrixꝗ ſapientia. A. Laudata quidem à te grauiter & uere. Sed quorſus hoc pertinet? M. Primum ad ea Pomponi de quibus acturi iam ſumus, quę tanta eſſe uolumus. Non enim erunt, niſi ea fuerint unde illa manant ampliſſima. Deinde facio & libenter, & (ut ſpero) recte, quod eam, cuius ſtudio teneor, quæꝗ me quicunꝗ ſum effecit, non poſſum ſilentio præterire. A. Re uera facis & merito & ipſe, fuitꝗ id (ut dicis) in hoc ſermone faciendum.

MARCI TVLLII CICERONIS DE LEGIBVS. LIBER SECVNDVS.

ATTICVS.

SED uis ne quoniam & ſatis iam ambulatum eſt, & tibi aliud dicendi initium ſumendum eſt, locum mutemus, & in inſula quę eſt in Fibreno (nam opinor illi alteri flumini nomẽ eſſe) ſermoni reliquo demus operã ſedentes? M. Sane quidẽ. Nam illo loco libentiſſime ſoleo uti, ſiue quid mecũ ipẽ cogito, ſiue aliquid ſcribo aut lego. A. Equidẽ qui nunc potiſſimũ huc uenerim ſatiari nõ queo, magnificasꝗ uillas, & pauimẽta marmorea, & laqueata tecta contẽno. Ductus uero aquarũ quos iſti nilos & euripos uocant, quis non quum hæc uideat irriſerit? Itaꝗ ut tu pauló ante de lege & de iure diſſerens ad naturam referebas omnia, ſic in his ipſis rebus quæ ad requietem animi delectantionemꝗ quæruntur, natura dominatur, quare antea mirabar. Nihil enim his in locis niſi ſaxa & montes cogitabam, itaꝗ ut facerem & orationibus inducebar tuis & uerſibus, ſed mirabar (ut dixi) te tam ualde hoc loco delectari, nunc contra miror te quum Roma abſis, uſquam potius eſſe. M. Ego uero quum licet plures dies abeſſe, preſertĩ hoc

tempore anni,& amœnitatem & ſalubritatē hanc ſequor,raro autem licet. Sed nimirum me alia quoque cauſa delectat,quę te non attingit ita. A.Quæ tandem iſta cauſa eſt? M.Quia ſi uerum dicimus,hæc eſt mea,& huius fratris mei germana patria.Hinc enim orti ſtirpe antiquiſſima ſumus:hic ſacra, hic genus,hic maiorū multa ueſtigia.Quid plura? hanc uides uillam,ut nūc quidem eſt,lautius ædificatam patris noſtri ſtudio. Qui quum eſſet infirma ualetudine,hic ferè ætatem egit in literis.Sed hoc ipſo in loco quum auus uiueret,& antiquo more parua eſſet uilla,ut illa Curiana ī Sabinis,me ſcito eſſe natum.Quare id eſt neſcio quid & latet in animo ac ſenſu meo, quo me plus hic locus fortaſſe delectet:ſiquidem etiam ille ſapientiſſimus uir Ithacam ut uideret immortalitatem ſcribitur repudiaſſe. A.Ego uero tibi iſtam iuſtā cauſam puto,cur huc libentius uenias,atque hunc locum diligas.Quin ipſe,uere dicam,ſum illi uillæ amicior modo factus,atque huic omni ſolo in quo tu ortus & procreatus es.Mouemur enim,neſcio quo pacto locis ipſis,ī quibus eorum quos diligimus aut admiramur,adſunt ueſtigia.Me quidem ipſæ illæ noſtræ Athenę non tam operibus magnificis exquiſitiſq; antiquorum artibus delectant,quàm recordatione ſummorum uirorum,ubi quiſque habitare,ubi ſedere,ubi diſputare ſit ſolitus,ſtudioſéque eorum etiam ſepulcra contemplor.Quare iſtum,ubi tu es natus,plus amabo poſthac locum. M.Gaudeo igitur me incunabula penè mea tibi oſtendiſſe. A.Equidem me cognoſſe admodum gaudeo. Sed illud tamen quale eſt quod paulò ante dixiſti? hūc locum idem ego te accipio dicere Arpinum germanam patriam eſſe ueſtrā. Nunquid uos duas habetis patrias? An eſt una illa patria communis? niſi forte ſapienti illi Catoni fuit patria non Roma,ſed Tuſculum. M. Ego mehercule & illi & omnibus municipibus duas eſſe cenſeo patrias,unam naturæ alteram ciuitatis,ut ille Cato quum eſſet Tuſculi natus,in P.R.ciuitatem ſuſceptus eſt.Ita quum ortus Tuſculano eſſet,ciuitatem Romā habuit, alteram loci patriam,alteram iuris:ut ueſtri Attici priuſquàm Theſeus eoſdem migrare ex agris,& in aſtu quod appellatur,omnis ſe conferre iuſſit, & ſymphradas ex Atticis,ſic nos & eam patriam dicimus ubi nati,& illam qua excepti ſumus.Sed neceſſe eſt charitate eam præſtare,qua R.P.nomen uniuerſę ciuitatis eſt,pro qua mori,& cui nos totos dedere,& in qua noſtra omnia ponere, & quaſi conſecrare debemus.Dulcis autem nō multo ſecus eſt ea quæ genuit, quàm illa quæ excepit.Itaque ego hanc meam eſſe patriam prorſus nunquā negabo,dum ſit illa maior,& hæc in ea contineatur. At.Recte igitur Magnus ille noſter me audiente poſuit in iudicio,quū pro Ambio tecū ſimul diceret, remp.noſtram iuſtiſſimas huic municipio gratias agere poſſe,quod ex eo duo ſui conſeruatores extitiſſent,ut iam uideam adduci hanc quoq; quæ te procreauit,eſſe patriam tuam.Sed uentum in inſulam eſt, hac uero nihil eſt amœnius.Vt enim hoc quaſi roſtro finditur Fibrenus,& diuiſus æqualiter ī duas partes latera hæc alluit,rapideq; dilapſus cito in unum confluit,& tantum complectitur quod ſatis ſit modicæ palæſtrę loci. Quo effecto tanq̄ id habuerit operis ac muneris,ut hanc nobis efficeret ſedem ad diſputandū, ſtatim præcipitat in Lirem,& quaſi in familiam patriciam uenerit amittit nomen obſcurius,Liremq; multo gelidiorem facit.Nec enim ullum hoc frigidius flumen attigi,quum ad multa acceſſerim,ut uix pede tentare id poſſim,

quod in Phedro Platonis facit Socrates. M. Eſt uero ita, ſed tamen huic amœnitati, quam ex Quinto ſæpe audio, Thebanus Epirotes tuus ille nihil opinor conceſſerit. Q. Eſt ita ut dicis. Caue enim putes Attici noſtri Emathio platanisq́ꝫ illis quidquam eſſe præclarius. Sed ſi uidetur conſidamus hic in umbra, atque ad eam partem ſermonis, ex qua egreſſi ſumus reuertamur.

M. Præclare exigis Quinte, at ego effugiſſe arbitrabar, & tibi horum nihil deberi poteſt. Q. Ordire igitur: nam hunc tibi totum dicamus diem maiore Muſarum primordio, ſicut in Arati carmine orſi ſumus. M. Quorſum iſtuc? Q. Quia nunc itidem ab eodem & à ceteris dijs immortalibus ſunt nobis agendi capienda primordia. M. Optime uero frater, & fieri ſic decet. Videamus igitur rurſus priuſquã aggrediamur ad leges ſingulas, uim naturamq́ꝫ legis, ne quum referenda ſint ad eam nobis omnia, labamur interdum errore ſermonis, ignoremusq́ꝫ uim ſermonis eius quo iura nobis definiẽda ſunt. Q. Sanè quidem hercule, & eſt iſta recte docendi uia. M. Hanc igitur uideo ſapientiſſimorum fuiſſe ſententiam, legem neqꝫ hominum ingenijs excogitatam, nec ſcitum aliquod eſſe populorum, ſed æternum quiddam, quod uniuerſum mundum regeret imperandi prohibendiq́ꝫ ſapientia. Ita principem legem illam & ultimam, mentem eſſe dicebant, omnia ratione aut cogentis aut uetantis dei, ex qua illa lex quam dij humano generi dederunt, recte eſt laudata. Eſt enim ratio mensq́ꝫ ſapientis ad iubendum, & ad deterrẽdum idonea. Q. Aliquoties iam iſte locus à te tactus eſt, ſed antequam ad populares leges uenias, uim iſtius cœleſtis legis explana ſi placet, ne æſtus nos conſuetudinis abſorbeat, & ad ſermonis morem uſitati trahat. M. A paruis enim Quinte didicimus, ſi in ius uocat atqꝫ eat eiuſmodi leges alias nominare, ſed uero ĩtelligi ſic oportet, & hæc & alia iuſſa ac uetita populorum uim habere ad recte facta uocandi, & à peccatis auocandi, quę uis non modo ſenior eſt quàm ætas populorum & ciuitatum, ſed æqualis illius cœlum atqꝫ terras tuentis & regentis dei. Neque enim eſſe mens diuina ſine ratione poteſt, nec ratio diuina non hanc uim in rectis prauisq́ꝫ ſanciendis habere. Nec quia nuſquam erat ſcriptum, ut contra omnes hoſtium copias in ponte unus aſſiſteret, à tergoq́ꝫ põtem ĩterſcindi iuberet, idcirco minus Coclitem illum rem geſſiſſe tantam, fortitudinis lege atque imperio putabimus. Nec ſi regnante Tarquinio nulla erat Romæ ſcripta lex de ſtupris, idcirco non contra illam legem ſempiternam Sex. Tarquinius uim Lucretiæ Tricipitini filiæ attulit. Erat enim ratio profecta à rerum natura, & ad recte faciendum impellens, & à delicto auocans, quæ non tum deniqꝫ incipit lex eſſe cum ſcripta eſt, ſed tum quum orta eſt. Orta autem eſt ſimul cum mente diuina: quamobrem lex uera atqꝫ princeps apta ad iubendum & ad uetandum, ratio eſt recta ſummi Iouis. Q. Aſſentior frater, ut quod eſt rectum, uerum quoque ſit, neque cum literis quibus ſcita ſcribuntur, aut oriatur, aut occidat. M. Ergo ut illa diuina mens ſumma lex eſt, item quum in homine eſt, perfecta eſt in mẽte ſapientis: quæ ſunt autem uariæ, & ad tempus deſcriptæ, populi fauore magis q̃ re legũ nomen tenent. Omnem enim legem quæ quidem recte lex appellari poſſit, eſſe laudabilem quibuſdam talibus argumentis docent. Conſtat profecto ad ſalutem ciuium ciuitatumq́ꝫ incolumitatem, uitamq́ꝫ hominum quietam & beatam conditas eſſe leges: eosq́ꝫ qui primum eiuſmodi ſcita ſanxerint populis

lis oſtendiſſe ea ſe ſcripturos atq; laturos, quibus illis aſcriptis ſuſceptisq; honeſte beateq; uiuerent, quæq; ita compoſita ſanctaq; eſſent, eas leges uidelicet nominarunt. Ex quo intelligi par eſt, eos qui pernicioſa & iniuſta populis iuſſa deſcripſerint, quum contra fecerint q̃ polliciti profeſſiq; ſint, quiduis potius tuliſſe q̃ leges, ut perſpicuum eſſe poſſit in ipſo nomine legis interpretando, ineſſe uim & ſententiam iuſti & iuris colendi. Quęro igitur à te Quinte (ſicut illi ſolent) quod ſi quo ciuitas careat, & ob eam ipſam cauſam quod eo careat pro nihilo habenda ſit, idémne numerandum in bonis? Q. Ac maximis quidem. M. Lege autem carens ciuitas an ne ob ipſum habenda nullo loco? Q. Dici aliter non poteſt. M. Neceſſe eſt igitur legem haberi in rebus optimis. Q. Prorſus aſſentior, M. Quid quod multa pernicioſa, multa peſtifera ſciſcuntur in populis, quæ non magis legis nomen attingunt, q̃ ſi latores aliquas cõceſſu ſuo ſanxerint. Nam neq; medicorum præcepta dici uere poſſent, ſi quæ inſcij imperitiq; pro ſalutaribus mortifera conſcripſerint, neque in populo lex cuicuimodi fuerit illa, etiam ſi pernicioſum aliquid populus acceperit. Ergo eſt lex iuſtorum iniuſtorumq; diſtinctio ad illam antiquiſſimam, & rerum omnium principem expreſſa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quæ ſupplicio improbos afficiunt, defendunt ac tuentur bonos. Q. Præclare intelligo, nec uero iam aliam eſſe ullam legem puto nõ modo habendam, ſed ne appellandam quidem. M. Igitur tu Seias & Apuleias leges nullas putas? Q. Ego uero ne Liuias quidem. M. Et recte, quæ preſertim uno uerſiculo Senatus puncto temporis ſublatæ ſint. Lex autem illa cuius uim explicaui, neq; tolli neq; abrogari poteſt. Q. Eas tu igitur leges rogabis, uidelicet quæ nunquam abrogentur. M. Certe ſi modo acceptæ à duobus uobis erunt: ſed ut uir doctiſſimus fecit Plato, atq; idem grauiſſimus philoſophorum omnium, qui princeps de repub. conſcripſit, idémq; ſeparatim de legibus eius, id mihi credo eſſe faciendum, ut priuſquam ipſam legem recitem, de eius legis laude dicam, quod idem & Zaleucum & Charondam feciſſe uideo, quum quidem illi non ſtudij & delectationis, ſed reip. cauſa leges ciuitatibus ſuis ſcripſerũt. Quos imitatus Plato uidelicet hoc quoq; legis putauit eſſe, perſuadere aliquid, non omnia ui ac minis cogere. Q. Quid quod Zaleucum iſtum negat ullum fuiſſe Timæus? M. At Theophraſtus author haud deterior mea quidem ſententia, meliorem multi nominant, commemorant uero ipſius ciues noſtri clientes Locri. Sed ſiue fuit, ſiue non fuit, nihil ad rem, loquimur quod traditum eſt. Sit igitur hoc iam à principio perſuaſũ ciuibus, dominos eſſe omnium rerum ac moderatores deos, eáq; quæ gerantur eorum geri iudicio atque numine, eoſdémq; optime de genere hominum mereri, & qualis quiſq; ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate colat religiones intueri, piorumq; & impiorum habere rationem. His enim rebus imbutæ mentes haud ſanè abhorrebunt ab utili aut à uera ſententia. Quid eſt enim uerius q̃ neminem eſſe oportere tam ſtulte arrogantem, ut in ſe rationem & mentem putet ineſſe, in cœlo mundóq; non putet? aut ea quæ uix ſumma ingenij ratione comprehendat, nulla ratione moueri putet? Quem uero aſtrorũ ordines, quem dierum noctiumq; uiciſſitudines, quem menſium temperatio, quemq; ea quæ gignuntur nobis ad fruendum, non gratũ eſſe cogunt, hunc hominem omnino numerare neque decet. Quumq; om-

nia quæ rationem habent præſtent ijs quæ ſint rationis expertia, nefasq́ ſit dicere ullam rem præſtare naturæ omnium rerum, rationem ineſſe in ea confitendum eſt. Vtiles eſſe autem has opiniones quis neget? quum intelligat q̄ multa firmentur iureiurando, quantæ ſalutis ſint fœdera religionis, q̄ multos diuini ſupplicij metus à ſcelere reuocarit, quamq́ ſancta ſit ſocietas ciuium inter ipſos, dijs immortalibus interpoſitis tum iudicibus tum teſtibus. Habes legis prooemium. Sic enim hoc appellat Plato. Q. Habeo uero frater, & in hoc admodum delector, quod in alijs rebus, alijsq́ ſententijs uerſaris atque ille. Nihil enim tam diſſimile eſt, quàm uel ea quæ ante dixiſti, uel hoc ipſum legis exordium: unum illud mihi uideris imitari orationis genus. M. Vellem fortaſſe. Quis enim id poteſt aut unquam poterit imitari? Nam ſententias interpretari perfacile eſt, quod quidem ego facerem, niſi planè eſſe uellem meus. Quid enim negotij eſt, eadem prope uerbis ijſdem conuerſa dicere? Q. Prorſus aſſentior, uerum ut modo tu te dixiſti, te eſſe malo tuum. Sed iam exprome ſi placet iſtas leges de religione. M. Expromam equidem ut potero. Et quoniam & locus & ſermo familiaris eſt legum, legis uocem proponam. Q. Quidnam id eſt? M. Sunt certe uerba legum Quinte, neque ita priſca, ut in ueteribus his ſacratisq́ legibus: & tamen quo plus auctoritatis habeant, paulo antiquiora quàm hic ſermo eſt. Eum morē igitur, cū breuitate (ſi potero) conſequar. Leges autem à me edentur non perfectæ, nam eſſet infinitum, ſed ipſæ ſummæ rerum ac ſententiæ. Q. Ita uero neceſſe eſt,
» quare audiamus uerba legis. A. Ad diuos adeunto caſte, pietatem adhibē
» to, opes amouento. Quis ſecus faxit, deus ipſe uindex erit. Separatim ne
» mo habeſſit deos, neúe nouos: ſed ne aduenas, niſi publice adſcitos, priuatim
» colunto. Conſtructa à patribus delubra habento, lucos in agris habento.
» Et larum ſedes, ritus familiæ, patriæq́ ſeruanto. Diuos & eos qui cœleſtes
» ſemper habiti colunto. Et ollos quos in cœlum merita uocauerint, Hercu
» lem, Liberum, Aeſculapium, Caſtorem, Pollucem, Quirinum, aſt olla pro
» pter quæ datur homini aſcenſus in cœlum. Mentem, Virtutem, Pietatem,
» Fidem, earumq́ laudum delubra ſunto. Nec ulla uitiorū ſacra ſolennia ob
» eunto. Ferijs iurgia amouento, easq́ in famulis (operibus patratis) haben
» to. Itaq; ut ita cadat in annuis anfractibus deſcriptum eſto. Certasq́ fru
» ges, certasq́ bacas ſacerdotes publice libanto. Hoc certis ſacrificijs ac die
» bus. Itemq́ alios addes. Vbertatem lactis fœturæq́ ſeruāto. Idq́ ne com
» mitti poſſit, ad eam rem & rationem curſus annuos, ſacerdotes finiunto.
» Quæq́ cuiq; diuo decoræ gratæq́ ſint hoſtię prouidento. Diuisq́ alijs alij
» ſacerdotes, omnibus Pontifices, ſingulis flamines ſunto. Virgines Veſtales
» in urbe cuſtodiunto ignem foci publici ſempiternum. Quoq́ & priuatim &
» publice modo rituq́ fiant diſcunto ignari à publicis ſacerdotibus. Eorum
» autem duo genera ſunto, unum quod præſit cerimonijs & ſacris: alte
» rum, quod interpretetur fatidicorum & uatum effata incognita, quum Sena
» tus populusq́ aſciuerit. Interpretes autem Iouis optimi maximi publici Au
» gures ſignis & auſpicijs poſtea uidento, diſciplinam tenento. Sacerdotes ui
» neta uirgetaq́ & ſalutem populi auguranto: quiq́ agent rem duelli, quiq́
» populare auſpicium præmonēto: olliq́ obtemperanto, diuorumq́ iras pro
» uidento, ijsq́ parento, cœliq́ fulgura regionibus ratis temperanto, urbemq́

& agros

» & agros & templa liberata & effflata habento. Quæq; Augur iniuſta,neſa-
», ſta,uitioſa,dira defixerit,irrita infectaq; ſunto. Quiq; non paruerit, capita-
» le eſto. Fœderum pacis,belli,induciarum,oratores,feciales iudices ne ſunto.
« Bella,diſceptatio, prodigia, portenta, ad Etruſcos & Aruſpices ſi Senatus
» iuſſit deferunto. Etruriæq; principes diſciplinam docento,quibus diuis cre
» uerint procuranto. Iidemq; fulgura atque obſtita pianto. Nocturna mulie-
» rum ſacrificia ne ſunto,præter olla quæ pro populo rite fient: neue quem ini
» tianto,niſi ut aſſolet Cereri Græco ſacro. Sacrum commiſſum quod neque
» expiari poterit,impie commiſſum eſt:quod expiari poterit, publici ſacerdo-
» tes expianto. Ludis publicis quod ſine curriculo & ſine certatione corporũ
» fiat,popularem lætitiam in cantu,& fidibus,& tibijs moderanto,eamq; cum
» diuum honore iungunto. Ex patrijs ritibus optima colunto præter Idææ
» matris famulos,eosq; iuſtis diebus, ne quis ſtipem cogito. Sacrum ſacroue
» commendatum qui clepſerit rapſeritq;,parricida eſto. Periurij pœna diui-
» na exitium, humana dedecus. Inceſtum Põtifices ſupremo ſupplicio ſanciũ-
» to. Impius ne audeto placare donis irã deorum. Sancte uota reddunto,pœ
» na uiolati iuris eſto. Quocirca ne quis agrum cõſecrato. Auri,argenti,ebo
» ris ſacrandi modus eſto. Sacra priuata perpetua manento. Deorum maniũ
» iura ſancta ſunto. Hos leto dato diuos habento, ſumptum in ollos luctũm-
» que minuunto. A. Concluſa quidem eſt apte tam magna lex ſanè quàm bre
uis,& ut mihi quidẽ uidetur,nõ multum diſcrepat iſta cõſtitutio religionum à legibus Numæ noſtriſq; moribus. M. An cenſes quum in illis de R.P. libris perſuadere uideatur Aphricanus omnium rerum publicarum noſtrã ueterem illam fuiſſe optimam,non neceſſe eſſe optumæ reip. leges dare cõſen tancas? A. Imo prorſus ita cenſeo. M. Ergo adeo expectatæ leges quæ genus illud optimum reip.contineant, & ſi quæ forte à me hodie roga-bũtur,quę nõ ſint in noſtra repu.nec fuerint,tamẽ erant ferè in more maiorũ, qui tum ut lex ualebat. A. Suade igitur ſi placet iſtam ipſam legem,ut ego ut & tu rogas poſſim edicere. M. Ain tandem Attice non es edicturus aliter? A. Prorſus maiorem quidem rem nullam ſciſcam aliter,in minori-bus ſi uoles,remittam hoc tibi. M. Atque mea quidem ſententia eſt at ne longum fiat uidete. A. Vtinam quidem,quid enim agere malumus? M. Caſte iubet lex adire ad deos,animo uidelicet in quo ſunt omnia: nec tollit ca ſtimoniam corporis,ſed hoc oportet intelligi,quum multum animus corpo-ri præſtet,obſeruetur q; ut caſto corpore adeatur, multo eſſe in animis id ſer-uandum magis. Nam illud uel aſperſione aquę,uel dierum numero tollitur: animi labes,nec diuturnitate uaneſcere,nec manibus ullis elui poteſt. Quod autem pietatem adhiberi,opes amoueri iubet, ſignificat probitatem gratam eſſe deo,ſumptum eſſe remouendum. Quid eſt enim quum paupertatem diui tijs etiam inter homines eſſe æqualem uelimus,cur eam ſumptu ad ſacra adhi bito deorum aditu arceamus? preſertim quum ipſi deo nihil minus gratum fu turum ſit,q̃ non omnibus patere ad ſe placandum & colendum uiam. Quod autem non iudex,ſed deus ipſe,uindex conſtituitur,præſentis pœnę metu reli gio confirmari uidetur: ſuosq; deos aut nouos aut alienigenas coli confuſio-nem habet religionum,& ignotas cerimonias, non à ſacerdotibus,non à pa-tribus acceptos deos ita placet coli,ſi huic legi paruerint ipſi. Patrum delubra

eſſe in urbibus cenſeo, nec ſequor Magos Perſarum, quibus authoribus Xerxes inflammaſſe templa Græciæ dicitur, quod parietibus includerent deos quibus omnia deberent eſſe patentia, ac libera, quorumq; hic mundus omnis templum eſſet & domus. Melius Græci atq; noſtri, qui ut augerent pietatem in deos, eaſdem illos urbes quas nos incolere uoluerunt. Affert enim hæc opinio religionem utilem ciuitatibus. Siquidem & illud bene dictū eſt à Pythagora doctiſſimo uiro, tum maxime & pietatem & religionem uerſari in animis, cum rebus diuinis operam daremus: & quod Thales, qui ſapientiſſimus in ſeptem fuit, homines exiſtimare oportere deos omnia cernere, deorum omnia eſſe plena. fore enim omnes caſtiores, ueluti quo infans eſſet maxime religioſus. * Eſt enim quadam opinione ſpecies deorum in oculis, non ſolum in mentibus. Eandemq; rationem luci habent in agris. Neque ea quæ à maioribus prodita eſt, cum dominis tum famulis poſita in fundi uillæq; conſpectu religio patrum repudianda eſt. Iam ritus familiæ patrumq; ſeruari, id eſt, quoniam antiquitas proxime accedit ad deos, à dijs quaſi traditam religionem tueri. Quod autem ex hominum genere conſecratos, ſicut Herculem & ceteros, coli lex iubet, indicat omnium quidem animos immortales eſſe, ſed fortium bonorumq; diuinos. Bene uero, quod mens, pietas, uirtus, fides, conſecratur manu, quarum omnium Romę dedicata publice templa ſunt, ut illa qui habeant (habent autem omnes boni) deos ipſos in animis ſuis collocatos putent. Nam illud uitioſum Athenis quod Cylonio ſcelere expiato Epimenide Crete ſuadente fecerunt Contumeliæ fanum & Impudentiæ. Virtutes enim non uitia conſecrare decet: araq; uetus ſtat in Palatio Febris, & altera Exquilijs malæ Fortunæ, deteſtatur, quæ omnia eiuſmodi repudianda ſunt. Quod ſi fingenda nomina uice poetę, & * potius uincendi atque potiundi ſtataſſandi cognominaq; ſtatoris, & inuicti Iouis, rerumq; expetendarum nomina ſalutis, honoris, opis, uictorię: quoniam quidem expectatione rerum bonarum erigitur animus, recte etiam * ſpes a Collatino conſecrata eſt: Fortunaq; ſit uel huius diei, nam ualet in omnes dies, uel reſpiciens ad opem ferendam, uel forum in quo incerti caſus ſignificantur magis uel primigeniam à gignendo. Quum eſt * feriarum feſtorumq; dierum ratio in liberis requietem habet litium & iurgiorum, in ſeruis operum & laborum, quas compoſitio anni cōferre debet & perfectionem operum ruſticorum. Quod tempus ut ſacrificiorum libamenta ſeruentur, fœtusq; pecorum, quę dicta in lege ſunt, diligenter habenda ratio intercalandi eſt, quod inſtitutum perite à Numa poſteriorum pontificum negligentia diſſolutum eſt. Iam illud ex inſtitutis pontificum & aruſpicum non mutandum eſt, quibus hoſtijs immolandum, cuiq; deo, cui maioribus, cui lactentibus, cui maribus, cui fœminis. Plures autem deorum omnium ſingulis ſingulorum ſacerdotes, & reſpondendi iuris, & confitendarum religionum facultatem afferunt. Quumq; Veſta quaſi focus urbis, ut Gręco nomine eſt appellata. quod nos prope idem Græcum interpretatum nomen tenemus, cōſpecta ſit, ei colendæ uirgines præſint, ut aduigiletur facilius ad cuſtodiam ignis, & ſentiant mulieres in natura fœminarum omnem caſtitatem pati. Quod ſequitur uero, nō ſolum ad religionem pertinet, ſed etiam ad ciuitatis ſtatum, ut ſine his qui ſacris publicis præſunt, religioni priuatæ ſatiſfacere non poſſint.

poſſint. Continet enim reip. cõſilio & auctoritate optimatum ſemper populum ĩdigere, deſcriptioq́ꝫ ſacerdotum nullum iuſtæ religionis genus prætermittit. Nã ſunt ad placandos deos alij conſtituti, qui ſacris præſint ſolẽnibus, ad interpretanda alij prędicta uatum neq́ꝫ multorum, ne eſſet infinitum, neq́ꝫ ut ea ipſa quæ ſuſcepta publice eſſent, quiſq̃ extra collegium noſſet. Maximũ autem & præſtantiſſimum in rep. ius eſt Augurum, quum eſt auctoritati coniunctum. Neq́ꝫ uero hoc quia ſum ipſe Augur ita ſentio, ſed quia ſic exiſtimari nos eſt neceſſe. Quid enim maius eſt ſi de iure quærimus, q̃ poſſe à ſummis imperijs & ſummis poteſtatibus comitia tollere, & concilia uel inſtituta dimittere, uel habita reſcindere? Quid grauius q̃ rem ſuſceptam dirimi, ſi unus Augur aliter dixerit? Quid magnificentius q̃ poſſe decernere ut magiſtratu ſe abdicent Conſules? Quid religioſius q̃ cum populo, cum plebe agendi ius, aut dare aut non dare? Quid, legem ſi non iure rogata eſt tollere? ut etiam decreto collegij, ut Liuias conſilio Philippi, Conſules & Augures nihil domi, nihil familię per magiſtratus geſtum ſine eorum auctoritate poſſe cuiq̃ probari? A. Age iam iſta uideo, fateorq́ꝫ eſſe magna. Sed eſt in collegio ueſtro inter Marcellum & Appium optimos Augures magna diſſenſio. Nam eorum ego in libros incidi, quum alteri placeat auſpicia iſta ad utilitatem eſſe reip. compoſita, alteri diſciplina ueſtra quaſi diuinari uideatur prorſus poſſe. Hac tu de re quæro quid ſentias. M. Ego ne diuinationem quam Gręci μαντικὴν appellant, eſſe cenſeo? & huius hanc ipſam partem quæ eſt in auibus ceteriſq́ꝫ ſignis diſciplinæ noſtrę, quod quum ſummos deos eſſe concedamus, eorumq́ꝫ mente mundum regi, & eorundem benignitatem hominum conſulere generi & poſſe nobis ſigna rerum futurarum oſtendere, non uideo cur eſſe diuinationem negem. Sunt autem ea quę poſui, ex quibus id quod uolumus efficitur & cogitur. Iam uero permultorum exemplorum & noſtra plena eſt reſp. & omnia regna omneſq́ꝫ populi, cũctęq́ꝫ gẽtes. Augurũ prędictis multa ĩcredibiliter uera cecidiſſe: neq́ꝫ enim Poletis, neq́ꝫ Melãpodis, neq́ꝫ Mopſi, neq́ꝫ Amphiarai, neq́ꝫ Calchantis, neq́ꝫ Heleni tãtũ nomẽ fuiſſet, neq́ꝫ tot nationes id ad hoc tẽpus retinuiſſent. Arabum, Phrygum, Lycaonum, Cilicum maximeq́ꝫ Piſidarum, niſi uetuſtas ea certa eſſe docuiſſet. Nec uero Romulus noſter auſpicato urbem condidiſſet, neque Attij Nauij nomen memoria floreret tam diu, niſi hi omnes multa ad ueritatem, admirabilia dixiſſent: ſed dubium non eſt, quin hæc diſciplina & ars Augurum euanuerit iam & uetuſtate & negligentia. Itaque neque illi aſſentior, qui hãc ſcientiam negat unquam in noſtro collegio fuiſſe, neque illi qui eſſe etiam nunc putat. Quæ mihi uidetur apud maiores fuiſſe duplex, ut ad reip. tẽpus nonnunq̃ ad agendi conſilium ſæpiſſime pertineret. At. Credo hercle ita eſſe, iſtiq́ꝫ rationi potiſſimum aſſentior, ſed redde cetera. M. Reddam uero, & ſi potero breui. Sequitur enim de iure belli, in quo & ſuſcipiendo, & gerendo, & deponendo, ius ut plurimum ualet, & fides, horumq́ꝫ, ut publici interpretes eſſent, lege ſancimus. Iam de aruſpicum religione, de expiationibus, & procurationibus ſatis ſuperq́ꝫ in ipſa lege dictum puto. A. Aſſentior, quoniam omnis hæc in religione uerſatur oratio. M. At uero quod ſequitur quo modo, aut tu aſſentiare, aut ego reprehendam, ſanè quæro Tite. A. Quid tandem id eſt? M. De nocturnis ſacrificijs mulierum. A. Ego uero aſſentior,

expectato preſertim in ipſa lege ſolẽni ſacrificio ac publico. M. Quid ergo
aget Iacchus Eumolpidæq́ noſtri & auguſta illa myſteria, ſi quidẽ ſacra no-
cturna tollimus? Nõ enim Po.Ro.ſed omnibus bonis firmisq́ populis leges
damus. A. Excipis credo illa, quibus ipſi initiati ſumus. M. Ego uero ex-
cipiã. Nã mihi quum multa eximia diuinaq́ uideantur Athenæ tuæ peperiſ-
ſe, atq́ in uita hominũ attuliſſe, tũ nihil melius illis myſterijs, quibus ex agre-
ſti immaniq́ uita exculti ad humanitatem & mitigati ſumus, initiaq́ ut appel
lãtur, ita re uera principia uitæ cognouimus. Neq́ ſolum cũ lætitia uiuendi ra
tionẽ accepimus, ſed etiã cum ſpe meliore moriendi. Quid autẽ mihi diſplice-
at innocẽtes poetæ indicant Comici, qua licẽtia Romæ data, quidnam egiſſet
ille, qui in ſacrificium cogitatã libidinem intulit, quo ne imprudentiam quidẽ
oculorũ adijci fas fuit? A. Tu uero iſtam Romæ legẽ rogato, nobis noſtras
ne ademeris. M. Ad noſtra igitur reuertor, quibus profecto diligentiſſime
ſanciẽdũ eſt, ut mulierum famam multorum oculis lux clara cuſtodiat, initien
turq́ eo ritu Cereri, quo Romæ initiantur. Quo in genere ſeueritatem maio-
rum Senatus uetus auctoritas de bacchanalibus, & Conſulum exercitu adhi-
bito quæſtio animaduerſioq́ declarat. Atq́ omnia nocturna, ne nos durio-
res forte uideamur, in media Græcia Diagondas Thebanus lege perpetua ſu
ſtulit: nouos uero deos, & in his colendis nocturnas peruigilationes, ſic Ari-
ſtophanes facetiſſimus poeta ueteris comœdiæ uexat, ut apud eum Sabazius
& quidam alij, de peregrinis iudicati è ciuitate eijciãtur. Publicus autem ſacer
dos imprudentiã cõſilio expiatã metu liberet, audaciã in admittẽdis religio-
nibus fœdis dãnet, atque impiã iudicet. Iam ludi publici quum ſint cauea cir-
coq́ diuiſi, ſint corporum certationes curſu, & pugillatione, luctatione, curri
culisq́ equorũ, uſque ad certã uictoriã circo conſtitutis cauea cantu uoce ac fi-
dibus & tibijs, dũmodo ea moderata ſint, ut lege præſcribitur. Aſſentior enĩ
Platoni, nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, q̃ uarios ca-
nẽdi ſonos: quorũ dici uix poteſt, quãta ſit uis in utrãq́ partẽ. Nãque & inci-
tat lãguẽtes, & languefacit excitatos, & tum remittit animos, tum contrahit.
Ciuitatumq́ hoc multarũ in Græcia interfuit antiquũ, uocum conſeruare mo
dũ, quarum mores lapſi ad mollitiem pariter ſunt immutati cũ cantibus: aut
hac dulcedine corruptelaq́ deprauati, ut quidã putãt: aut quum ſeueritas eo-
rum ob alia uitia cecidiſſet, tum fuit in auribus animisq́ mutatis etiã huic mu-
tationi locus. Quamobrẽ ille quidem ſapientiſſimus Græciæ uir longeq́ do
ctiſſimus, ualde hanc labẽ ueretur. Negat enim mutari poſſe muſicas leges ſi-
ne mutatione legũ publicarũ. Ego autẽ nec tam ualde id timẽdum, nec planè
contẽnendũ puto. Illa quidẽ quæ ſolebant quondã cõplecti ſeueritate iucũda
Liuianis & Næuianis modis, nunc ut eadẽ exultent, ceruices oculosq́ pariter
cũ modorum flexionibus torqueant. Grauiter olim iſta uindicabat uetus illa
Græcia longe prouidens, q̃ ſenſim pernicies illapſa ciuium animos malis ſtu
dijs, malisq́ doctrinis repente totas ciuitates euerteret. Siquidẽ illa ſeuera La
cedæmon neruos iuſſit (quod plures q̃ ſeptem haberet) in Timothei fidibus
inde demi. Deinceps in lege eſt, ut de ritibus patrijs colantur optimi, de quo
quum conſulerent Athenienſes Apollinem Pythium, quas potiſſimum reli-
giones tenerẽt, oraculũ editũ eſt, eas quæ eſſent in more maiorum. Quò quũ
iterum ueniſſent, maiorumq́ morem dixiſſent ſæpe eſſe mutatum, quæſiuiſ-
ſentq́

ſentq́ꝫ quem morem potiſſimum ſequerentur è uarijs, reſpondit optimum. Et profecto ita eſt, ut id habendum ſit antiquiſſimum, & deo proximum, quod ſit optimū. Stipem ſuſtulimus, niſi eā quam ad paucos dies propriā Ideæ matris excepimus. Implet enim ſuperſtitione animos, & exhauritq́ꝫ domos. Sacrilego pœna eſt, neqꝫ ei ſoli qui ſacrum abſtulerit, ſed etiā ei qui ſacro cōmendatum, quod & nunc multis fit in fanis. Alexander ī Cilicia depoſuiſſe apud Solem in delubro pecuniam dicitur, & Athenīēſis Cliſthenes Iunoni Samię ciuis egregius, quū rebus timeret ſuis, filiarum dotes credidit. Sed iam de periurijs, de inceſtis nihil ſanè hoc quidem loco diſputandum eſt. Donis impij, ne placare audeant deos, Platonē audiāt, qui uetat dubitare qua ſit mente futurus deus, quū uir nemo bonus ab improbo ſe donari uelit. Diligentia uotorū ſatis in lege dicta eſt, ac uoti ſponſio, qua obligamur deo: pœna uero uiolatæ religionis iuſtam recuſationem nō habet. Quid ego hic ſceleratorum utar exemplis, quorum plenæ tragœdiæ? quæ ante oculos ſunt, ea potius attingātur. Et ſi hęc cōmemoratio uereor ne ſupra hominis fortunam eſſe uideatur: tamen quoniam ſermo mihi eſt apud deos, nihil reticebo: uelimq́ꝫ hoc quod loquar dijs immortalibus gratum potius uideri q̄ graue

Non nihil uidetur deeſſe.

Omnia tū perditorū ciuium ſcelere, diſceſſu meo, regionum iura polluta ſunt, uexati noſtri lares familiares, in eorū ſedibus exædificatū templum Licentię, pulſus à delubris is qui illa ſeruarat, circūſpicit hæc celeriter animus (nihil enī attinet quenq̄ nominari) qui ſint rerū exitus conſecuti. Nos qui illam cuſtodē urbis omnibus ereptis noſtris rebus ac perditis uiolari ab impijs paſſi non ſumus, eamq́ꝫ ex noſtra domo, in ipſius patris domum detulimus, iudicia Senatus, Italiæ, gentiū deniqꝫ omniū conſeruatæ patriæ cōſecuti ſumus: quo quid accidere potuit homini pręclarius? quo ſcelere religiones proſtratæ afflictęq́ꝫ ſunt, partim ex illis diſtractæ, ac diſſipatæ iacent. Qui uero ex ijs qui & horū ſcelerum principes fuerūt, & præter ceteros in omni religione impij, nō ſolū uita cruciati, atqꝫ dedecore, uerum & ſepultura ac iuſtis exequiarum caruerūt.

Q. Equidem iſta agnoſco frater, & meritas dijs gratias ago, ſed nimis ſæpe ſecus aliquanto uidemus euadere. M. Non enim Quinte recte exiſtimamus quæ pœna diuina ſit, nos opinionibus uulgi rapimur in errorem, nec uera cernimus: morte, aut dolore corporis, aut luctu animi, aut offenſione iudicij, hominum miſerias ponderamus, quæ fateor humana eſſe, & multis bonis uiris accidiſſe. Sceleris eſt pœna triſtis, & præter eos euentus qui ſequuntur, per ſe ipſa maxima ē. Vidimus eos, qui niſi odiſſent patriam, nunq̄ inimici nobis fuiſſent, ardētes cum cupiditate, tum metu, tum cōſciētia, quid agerēt modo timētes, uiciſſim cōtēnentes religiones, iudicia perrupta ab iiſdē corrupta hominū nō deorū. Reprimā iam & nō inſequar longius, eoq́ꝫ minus quo plus pœnarū habui q̄ petiui, tātum pœnam Erebi duplicem pœnam eſſe diuinā, quod cōſtaret & ex uexandis uiuorū animis, & ea fama mortuorū, ut eorū exitiū & iudicio uiuorū & gaudio cōprobetur. Agri autem ne conſecrentur Platoni prorſus aſſentior, qui (ſi modo interpretari potuero) his ferè uerbis utitur. Terra igitur ut focus domicilium ſacrum deorū omnium eſt. Quocirca ne quis iterum idem cōſecrato. Aurum autem & argentum in urbibus, &

» priuatim,& in ſanis inuidioſa res eſt. Tum ebur ex inani corpore extractum, » haud ſatis caſtum donum deo. Iam æs atq; ferrum duelli inſtrumenta non fa » ni: ligneum autem quodq; uoluerit uno è ligno dedicato, itemq; lapideum in » delubris communibus, textile, nec operoſius q̃ mulieris opus menſtruum. Co » lor autem albus præcipue decorus deo eſt cum in ceteris, tum maxime in texti li. Tincta uero abſint, niſi à bellicis inſignibus. Diuiniſſima autem dona, aues & formę ab uno pictore uno abſolutę die. Itemq; cetera huius exempli dona ſunto. Hęc illi placent, ſed ego cetera non tam reſtricte pręfinio, uel hominum uitijs, uel ſubſidijs temporum uictus. Terrę cultum ſegniorem ſuſpicor fore, ſi ad eam tuendam ferroq; ſubijciendam ſuperſtitionis aliquid acceſſerit, A. Habeo iſta: nunc de ſacris perpetuis, & de manium iure reſtat. M. O mirã memoriam Pomponi tuam, at mihi iſta exciderant. A. Ita credo, ſed tamẽ hoc magis eas res & memini & expecto, quod & ad Pontificium ius & ad ci uile pertinent. M. Vera & apertiſſima ſunt iſtis de rebus & reſpõſa, & ſcri pta multa, & ego in hoc omni ſermone noſtro quod ad cumq; legis genus me diſputatio noſtra deduxerit: tractabo quoad potero eius ipſius generis ius ci uile noſtrum, ſed ita, locus ut ipſe notus ſit, ex quo ducatur quęq; res & ars iu- ris, ut non difficile ſit quęcumq; noua cauſa conſultatióue acciderit, eius tenere ius, quum ſcias à quo ſit capite repetendum. Sed iurecõſultus ſiue erroris obij ciẽdi cauſa, quo plura & difficiliora ſcire uideatur, ſiue, quod ſimilius ueri eſt, ignoratione docendi (nam non ſolum ſcire aliquid artis eſt, ſed quędam ars etiam docendi) ſæpe quod poſitum eſt in una cognitione, id in infinita diſper tiuntur, uelut in hoc ipſo genere, q̃ magnum illud Scæuolæ faciũt Pontifices ambo, & ijdem iuris peritiſſimi? At, inquit Publij filius, ex patre audiui Pontificem bonum neminem eſſe, niſi qui ius ciuile cognoſcet. Totum ne? Quid ita? Quid enim ad Pontificem de iure parietum, aut aquarum, aut ullo omnino? Si ergo quod cum religione coniunctum eſt: id autem quan- tulum eſt? de ſacris credo, de uotis, de ferijs, de ſepulcris, & ſi quid eiuſmo- di eſt. Cur igitur hæc tanta facimus, quum cetera perparua ſint? De ſacris autem, qui locus patet latius, hæc ſit una ſententia, ut conſeruentur ſemper, & deinceps familijs prodantur, & ut in lege poſui, perpetua ſint ſacra hic poſita. Hæc iura Pontificum auctoritatem conſecuta ſunt, ut ne morte pa- triſfamilias ſacrorum memoria occideret, & ijs eſſet ea adiuncta, ad quos eiuſdem morte pecunia uenerit. Hoc uno poſito quod eſt ad cognitionem di- ſciplinæ ſatis, innumerabilia naſcuntur, quibus implentur iuriſconſultorum libri: quæruntur enim qui aſtringantur ſacris, hæredum cauſa iuſtiſſima eſt. Nulla eſt enim perſona quæ ad uicem eius qui e uita emigrarit, propius acce- dat. Deinde qui morte teſtamentóue eius tantumdem capiat, quantum om- nes hæredes: id quoq; ordine. Eſt enim ad id quod propoſitũ ẽ accõmodatũ. Tertio loco, ſi nemo ſit heres, is qui de bonis quę eius fuerint quũ moriturus acceperit plurimũ poſſidẽdo. Quarto, ſi nemo ſit qui ullã rem ceperit, de cre- ditoribus eius qui plurimum ſeruet. Extrema illa perſona eſt, ut is qui ei qui mortuus ſit pecuniã debuerit, neminiq; eam ſoluerit, perinde habeatur qua- ſi eam pecuniam ceperit. Hęc nos à Scæuola didicimus, non ita deſcripta ſunt ab antiquis. Nã illi quidem his uerbis docebant, tribus modis ſacris aſtringi hæreditatem, aut ſi maiorẽ partem pecuniæ capiat, aut ſi maior pars pecuniæ

legata

legata eſt,aut ſi inde quippiam ceperit, Sed Pontificem ſequamur. Videtis igitur omnia pendere ex uno illo quod pontificum pecuniam ſacro coniungi uolunt:ijſdemq́ꝫ ferias & cerimonias aſcribendas putant. Atqꝫ etiam dant hoc Sceuolæ,quod eſt partitio,ut ſi in teſtamento deducta ſcripta non ſint, ipſiq́ꝫ minus ceperint quàm omnibus hęredibus relinquatur,ſacris ne alligentur. In donatione,hoc idem ſecus interpretantur. Et quod pater familias in eius donatione, qui in ipſius poteſtate eſſet approbauit,ratum eſt. Quod eo inſcio fatum eſt,ſi id is non approbat,ratum non eſt.His propoſitis quæſtiunculæ multæ naſcuntur,quas qui intelligat, non ſi ad caput referat,per ſe ipſe facile perſpiciat. Veluti ſi munus quis cepiſſet,ne ſacris alligaretur,ac poſt de eius hęredibus aliquis exegiſſet pro ſua parte id quod ab eo cuius ipſe hæres eſſet pretermiſſum fuiſſet,eaq́ꝫ pecunia non minor eſſet facta cum ſuperiore exactione,quàm hæredibus omnibus eſſet relicta,qui eam pecuniam exegiſſet ſolum,niſi cohęredibus,ſacris alligari.Quinetiam cauent,ut cui plus legatum ſit,quàm ſine religione capere liceat,is per æs & libram hęredem teſtamenti ſoluat,propterea quod eo loco res eſt,ita ſoluta hęreditate,quaſi ea pecunia legata non eſſet.Hoc ego loco multiſq́ꝫ alijs quæro à uobis Scæuolæ Pontifices maximi,& homines meo quidem iudicio acutiſſimi,quid ſit quod ad ius pontificium ciuile appetatis.Ciuilis enim iuris ſciētia pōtificium quodam modo tollitis.Nam ſacra cum pecunia Pontificum auctoritate nulla lege coniuncta ſunt. Itaqꝫ uſibus tantummodo Pontificis eſſet, ſi pontificalis maneret auctoritas.Sed quod idem iuris ciuilis eſt ſpernitis,ac ſciētia illa eluditis.Placuit P.Scęuolæ & Coruncano Pontificibus maximis, idemq́ꝫ ceteris,qui tantundem caperent,quantum omnes hæredes,ſacris alligari. Habeo ius pōtificium,quid huc acceſſit ex iure ciuili? partitionis caput,ſcriptum caute,ut centum nūmi deducerentur. Inuēta eſt ratio,cur pecunia ſacrorum moleſtia liberaretur. A. Quid ſi hic qui teſtamentum faciebat cauere noluiſſet? M. Admonet iuriſconſultus hic quidem ipſe Mutius Pontifex, idem ut minus capiat,quàm omnibus hæredibus relinquatur: ſuperdicebāt quidquid cepiſſet aſtringi,rurſus ſacris liberantur.Hoc uero nihil ad pontificium ius,& è medio eſt iure ciuili, ut per æs & libram hæredem teſtamenti ſoluāt, & eodem loco res ſit,quaſi ea pecunia legata non eſſet,ſi is cui legatum eſt ſtipulatus eſt id ipſum quod legatū eſt, ut ea pecunia ex ſtipulatione debeatur, ſitq́ꝫ ea * nō doctum hominē ſanè cuius fuit Accius perfamiliaris,ſed mēſem credo extremū anni,ut ueteres Februariū,ſic hic Decēbrem ſequebatur. Hoſtia aūt maxima parētare,pietatis eſſe adiunctū putabat. Iam tāta religio eſt ſepulcrorum,ut extra ſacra & gentē inferri fas negent eſſe,idq́ꝫ apud maiores noſtros Torquatus in gente Popilia iudicauit.Nec uero tā delphica lex quæ à nece appellatæ ſunt,qua reſidēt mortui,q̄ ceterorū cœleſtium quieti dies feriæ nominarētur,niſi maiores eos qui ex hac uita migraſſent, in deorū numero eſſe uoluiſſent,eas in eos dies conferre ius,ut nec ipſius, neqꝫ publicæ feriæ ſint,totaq́ꝫ huius iuris cōpoſitio pontificalis magnā religionē ceremoniamq́ꝫ declarat.Neqꝫ neceſſe eſt ediſſeri à nobis quæ finis funeſtæ familiæ,quod genus ſacrificij lare ueruecibus fiat, quemadmodū os reiectū terræ obtegatur, quæq́ꝫ in porca cōfracta iura ſint quo tēpore īcipiat ſepulcrū eſſe,& religiōe teneatur. At mihi quidem antiquiſſimum ſepulturę genus illud fuiſſe ui-

detur,quo apud Xenophontem Cyrus utitur. Redditur enim terrę corpus, & ita locatum ac ſitum,quaſi operimento matris obducitur: eodemq́ ritu in eo ſepulcro quod procul ad fontis aras, Regē noſtrū Numam cōditū accepimus,gentemq́ Corneliam uſq; ad memoriā noſtrā hac ſepultura ſcimus eſſe humatam. C. Marij ſitas reliquias apud Anienem diſſipari iuſſit Sylla uictor acerbiore odio incitatus,q̄ ſi tam ſapiens fuiſſet q̄ fuit uehemens: quod haud ſcio an timens ſuo corpori poſſet accidere, primus è patricijs Cornelijs igni uoluit cremari. Declarat etenim Ennius de Aphricano.

Hic eſt ille ſitus.

uere,nam ſiti dicuntur ij qui conditi ſunt,nec tamen eorum ante ſepulchrum eſt,q̄ iuſta facta,& corpus incenſum eſt. Et quod nunc communiter in omnibus ſepultis penitus humati dicantur,id erat proprium tum ī ijs quos humus iniecta contegeret,eumq́ morem ius pontificale confirmat. Nam priuſq̄ in eos iniecta gleba ē,locus ille ubi crematum eſt corpus,nihil habet religionis iniecta gleba tumulis,& humatus eſt,& gleba uocatur,ac tum deniq; multa religioſa iura complectitur. Itaq; in eo qui in naui necatus,deinde ī mare proiectus eſſet,decreuit P. Mutius familiam puram quotos ſupra terram non extare,porcam hæredi eſſet:contra cenſet habendas triduum ferias,& porco fœmina piaculum pati: ſi ī mari mortuus eſſet eadem præter piaculum & ferias.

A. Video quæ ſint in pōtificio iure,ſed quæro & quidnam ſit in legibus.

M. Pauca ſane Tite,& uti arbitror non ignota uobis. Sed ea non tam ad religionem ſpectant,q̄ ad ius ſepulcrorum. Hominem mortuum,inquit,lex ī XII in urbe ne ſepelito,neue urito:credo uel propter ignis periculū. Quod autem addit,neue urito,indicat non qui uratur ſepeliri,ſed qui humetur. A. Quid,qui poſt XII. in urbe ſepulti ſunt? M. Claros uiros credo Tite fuiſſe,aut eos quibus hoc ante hanc legem uirtutis cauſa tributum eſt,ut Publicolæ,ut Tuberto,quod eorum poſteri iure tenuerunt:aut eos ſi qui hoc ut C. Fabricius uirtutis cauſa ſoluti legibus conſecuti ſunt. Sed in urbe ſepeliri lex uetat. Sic decretum à pontificum collegio,non eſſe ius in loco publico fieri ſepulcrum. Noſtis extra portam Collinam ædem Honoris,& aram in eo loco fuiſſe memoriæ proditum eſt. Ad eam cum lamina eſſet inuenta,& in ea ſcriptum,Domina Honoris,ea cauſa fuit ędis huius dedicandæ: ſed quum multa in eo loco ſepulcra fuiſſent,exarata ſunt. Statuit enim collegium locum publicum non potuiſſe priuata religione obligari. Iam cetera in XII. minuendi ſūt ſumptus lamentationesq́ funeris tranſlata de Solonis fere legibus. Hoc plus, inquit,ne facito rogum,aſcia ne polito. Noſtis quæ ſequuntur. Diſcebamus enim pueri XII. ut carmen neceſſarium,quas iam nemo diſcit. Extenuato igitur ſumptu tribus ricinijs & uinculis purpuræ, & decem tibicinibus, tollit etiam lamentationem. Mulieres genas ne radunto,neue leſſum funeris ergò habento. Hoc ueteres interpretes Sex. Aelius, L. Acilius non ſatis ſe intelligere dixerunt,ſed ſuſpicari ueſtimenti aliquod genus funebris, Lælius leſſum, quaſi lugubrem eiulationem,ut uox ipſa ſignificat: quod eo magis iudico uerum eſſe,quia lex Solonis idipſum uetat. Hæc laudabilia,& locupletibus fere cum plebe communia. Quod quidem maxime è natura eſt tolli fortunæ diſcrimen,morte,cetera item funebria quibus luctus augetur, XII ſuſtulerunt. Homini,inquit,mortuo ne oſſa legito,quo poſt funus faciat excipit bellicā

peregrinamq́

peregrinamq́ mortem. Hæc preterea ſunt in legibus de unctura, quæ ſeruilis unctura tollitur, omniſq́ circumpotatio, quæ & recte tolluntur, neq́ tollerentur niſi fuiſſent, ne ſumptuoſa reſperſione longæ coronę, nec acerrę preterantur. Illa iam ſignificatio eſt laudis, ornamēta ad mortuos pertinere, quod coronam uirtute paratam, & ei qui peperiſſet, & eius parenti ſine fraude eſſe lex impoſitam iubet. Credoq́ quod erat factitatum, ut uni plura fierēt, lectiq́ plures ſternerentur, id quoq́ ne fieret lege ſanctum eſt, qua in lege quum eſſet, neue aurum addito, q̄ humane excipiat. Altera lex præcipit, altera lex uetat: at cui auro dentes iuncti eſſent aſtim cum illo ſepelirentur, & ne ſe fraudi eſto, & ſimul illud uidetote aliud habitum eſſe ſepeliretur ære. Duæ ſunt præterea leges de ſepulcris, quarum altera priuatorum ædificiis, altera ipſis ſepulcris cauet. Nam quod rogum buſtúmue nouum uetat propius ſexaginta pedes adiici ędes alienas inuito domino, incendium ueretur acerbum. Quod autem ἠρῶον id eſt ueſtibulum ſepulchri buſtúmue uſucapi uetat, tuetur ius ſepulcrorum. Hæc habemus in duodecim ſane ſecundum naturam, quę norma legis eſt, reliqua ſunt in more. Funus ut inducatur ſi quid ludorum domusq́ funeris utatur accenſo atq́ lictoribus. Honoratorum uirorum laudes in concione memorantor easq́ etiam ad cantus ad tibicinem proſequantor. Cui nomē Nęniæ, quo uocabulo etiam Gręcos cantus lugubres nominant, Q. Gaudeo noſtra iura ad naturam accommodari, maiorumq́ ſapientia admodum delector. M. Sed credo Quinte ut ceteros ſumptus, ſic etiam ſepulcrorum modum recte requiri. Quos enim ad ſumptus progreſſa iam iſta res ſit, in C. Figuli ſepulcro uidiſſe credo, minimam olim iſtius rei fuiſſe cupiditatē, alioquī multa extarent exempla maiorum. Noſtræ quidem legis interpretes quo capite iubentur ſumptus, & luctum remouere à deorum manium iure, hoc intelligant, in primis ſepulcrorum magnificentiam eſſe minuendam, nec hęc à ſapientiſſimis legum ſcriptoribus neglecta ſunt. Nam & Athenis iā ille mos à Cecrope, ut aiunt, permanſit, hoc ius terra humandi, quam quum proximi fecerant, obductaq́ terra erat, frugibus obſerebatur, ut ſinus & gremiū quaſi matris mortuo tribueretur: ſolum autem frugibus expiatum, ut uiuis redderetur. Sequebantur epulæ, quas inirēt propinqui coronati, apud quas de mortui laude, quum ni quid ueri erat prædicatum, nam mentiri nefas habebatur, ad iuſta coniecta erant. Poſteaq̄ ut ſcribit Phalereus, ſumptuoſa fieri funera & lamentabilia cœpiſſent Solonis lege ſublata ſunt, quam legem eiſdem pro pe uerbis noſtri uiri in decimam tabulam coniecerunt. Nam de tribus ricinijs & pleraq́ illa Solonis ſunt: de lamentis uero expreſſa uerbis ſunt, Mulieres genas ne radunto, neue leſſum funeris ergo habento. De ſepulcris autem nihil eſt apud Solonem amplius, q̄ ne quis ea deleat, neue alienum inferat, pœnaq́ eſt. Si quis buſtum, nam id puto appellari Tymbon, aut monumentum, inquit, aut columnam uiolarit, deiecerit, fregerit. Sed poſt aliquanto propter has amplitudines ſepulcrorum, quas in Ceramico uidemus, lege ſanctum eſt ne quis ſepulcrum faceret operoſius, q̄ quod decem homines effecerīt triduo. Neq́ id opere tectorio exornari, nec hermas eos, quos uocant, licebat imponi, nec de mortui laude, niſi in publicis ſepulturis, nec ab alio, niſi qui publice ad eam rem conſtitutus eſſet, dici licebat. Sublata etiam erat celebritas uirorum ac mulierum, quo lamentatio minueretur. Habet enim luctum concur-

ſus hominum, quocirca Pittacus omnino accedere quenq́ uetat in funus alio-rum. Sed ait rurſus idem Demetrius, ĩcrebuiſſe eam funerum ſepulcrorumq́ magnificentiam, quę nunc ferè Romæ eſt, quam conſuetudinem lege minuit ipſe. Fuit enim hic uir, ut ſcitis, nõ ſolum eruditiſſimus, ſed etiam ciuis, reipub. maxime tuendæq́ ciuitatis paratiſſimus. Iſte igitur ſumptus minuit non ſo-lum pœna, ſed etiam tempore. ante lucem enim iuſſit efferri. Sepulcris autem nouis finiuit modum. Nam ſuper terrę tumulum noluit quid ſtatui niſi colu-mellam tribus cubitis non altiorem, aut menſam, aut labellum, & huic procu-rationi certum magiſtratum prefecerat. Hæc igitur Athenienſes tui: ſed uidea-mus Platonem, qui iuſta funerum reijcit ad interpretes religionum, quẽ nos
» morem tenemus. De ſepulcris autem dicit hęc. Vetat ex agro culto eóue qui
» coli poſſit ullam partem ſumi ſepulcro. Sed quę natura agri tantummodo effi-
» cere poſſit, ut mortuorum corpora ſine detrimento uiuorum recipiat, ea potiſ-
» ſimum ut compleatur. Quæ autem terra fruges ferre, & ut mater cibos ſuppe-
» ditare poſſit, eam nequis nobis minuat, néue uiuus, néue mortuus. Extrui autẽ
» uetat ſepulcrum altius, q̃ quod quinq́ diebus abſoluerint, nec è lapide excita-
» ri plus, nec imponi, q̃ quod capiat laudem mortui ĩciſam, ne plus quatuor he-roicis uerſibus, quos Longos appellat Ennius. Habemus igitur huius quoq́ auctoritatem ſummi uiri de ſepulcris, à quo iterum funerum ſumptus prefini-tur ex cenſibus à minis quinq́ uſq́ ad minam. Deinceps dicit eadem illa de immortalitate animorum, & reliqua poſt mortem tranquillitate bonorum, pœnis impiorum. Habetis igitur explicatum omnem, ut arbitror, religionis locum. Q. Nos uero frater & copioſe quidem, ſed perge ad cetera. M. Pergam equidem, & quoniam libitum eſt uobis me ad hoc impellere hodier-no ſermone, conficiam ſpero hoc preſertim die. Video enim Platonem idem feciſſe, omnemq́ orationem eius de legibus peroratam eſſe uno æſtiuo die. Sic igitur faciam, & dicam de magiſtratibus. Id enim eſt profecto quod con-ſtituta religione rempub. contineat maxime. A. Tu uero dic, & iſtam ra-tionem quam cepiſti, tene.

MARCI TVLLII CICERONIS DE LEGIBVS.

LIBER TERTIVS. MARCVS.

SEQVAR Igitur ut inſtitui diuinũ illum uirum, quẽ quadam admiratione commotus ſępius fortaſſe laudo q̃ neceſſe eſt. A. Platonem uidelicet dicis. M. Iſtũ ipſum Attice. A. Tu uero eum nec nimis ualde unq̃, nec nimis ſępe laudaueris. Nam hoc mihi etiam noſtri illi qui neminem niſi ſuum laudari uolunt, concedunt, ut eum arbitratu meo diligam. M. Bene hercle faci-unt, quid enim eſt elegantia tua dignius? cuius & uita & oratio conſecuta mihi uidetur difficillimam illam ſocietatem grauitatis cũ humanitate. A. Sanè gaudeo quòd te interpellaui, quãdoquidem tam pre-clarum mihi dediſti iudicij tui teſtimoniũ. Sed perge ut cœperas. M. Lau-demus igitur prius legem ipſam ueris & proprijs generis ſui laudibus. A. Sanè quidem, ſicut de religionum lege feciſti. M. Videtis igitur magiſtratus

hanc eſſe uim,ut prȩſit,prȩſcribatq; recta & utilia & coniuncta cum legibus? Vt enim magiſtratibus leges,ita populo prȩſunt magiſtratus:uereq; dici poteſt,magiſtratum legem eſſe loquentem,legem autem mutum magiſtratum. Nihil porro tam aptum eſt ad ius cōditionemq; naturȩ,quod quum dico,legem à me dici nihil aliud intelligi uolo,q̃ imperium,ſine quo nec domus ulla, nec ciuitas,nec gens,nec hominum uniuerſum genus ſtare,nec rerum natura omnis,nec ipſe mundus poteſt.Nam & hic deo paret,& huic obediūt maria terrȩq;,& hominum uita iuſſis ſupremȩ legis obtemperat.Atq; ut ad citeriora ueniam & notiora nobis,omnes antiquȩ gentes Regibus quondam paruerunt.Quod genus imperij primum ad homines iuſtiſſimos & ſapiētiſſimos deſcrebatur.Idq; in rep.noſtra maxime ualuit,quoad ei regalis poteſtas prȩfuit.Deinde etiam deinceps poſteris prodebatur, quod & in his etiam, qui nunc regnant,manet.Quibus autem regia poteſtas non placuit,non ij nemini,ſed non ſemper uni parere uoluerunt.Nos autem quoniam leges damus liberis populis,quæq; de optima repub.ſentiremus,in ſex libris ante diximus, accommodabimus hoc tempore leges ad illum quem probamus ciuitatis ſtatum.Magiſtratibus igitur opus eſt,ſine quorum prudentia ac diligentia eſſe ciuitas non poteſt,quorumq; deſcriptione omnis reipub.moderatio continetur.Neque ſolum ijs præſcribendus eſt imperandi,ſed etiam ciuibus obtemperandi modus.Nam & qui bene imperat,paruerit aliquando neceſſe eſt, & qui modeſte paret,uidetur qui aliquando imperet dignus eſſe. Itaq; oportet & eum qui paret,ſperare ſe aliquo tempore imperaturum:& illum qui imperat,cogitare breui tempore ſibi eſſe parendum.Nec uero ſolum ut obtemperent obediantq; magiſtratibus,ſed etiam ut eos colant diligantq; præſcribimus,ut Charondas in ſuis facit legibus.Noſter uero Plato Titanum è genere ſtatuit eos,qui ut illi cœleſtibus,ſic hi aduerſentur magiſtratibus. Quæ quum ita ſint,ad ipſas iā leges ueniamus ſi placet. A. Mihi uero & iſtud
» & ordo rerum iſte placet. M. Iuſta imperia ſunto,ijsq; ciues modeſte ac ſi
» ne recuſatione parento. Magiſtratus nec obedientem & noxium ciuem mul
» ta,uinculis,uerberibúsue coercēto,ni par,maiórue poteſtas,populusq; prohi
» beſſit,ad quos prouocatio eſto. Quum magiſtratus iudicaſſit inrogaſſit ue,
» per populum multȩ pœne certatio eſto. Militiæ ab eo qui imperabit pro
» uocatio ne eſto. Quodq; is qui bellum gerat imperaſſit, ius ratumq; eſto.
» Minores magiſtratus periti iuris plures in prælia ſunto. Militiæ quibus iuſ
» ſi erunt imperanto,eorumq; Tribuni ſunto,domi pecuniam publicam cuſto
» diunto. Vincula ſontium ſeruanto, capitalia uindicanto. Aes,argētum,
» aurúmue publice ſignanto. Lites contractas iudicanto. Quodcunq; Sena
» tus creuerit agunto. Suntoq; Aediles curatores urbis,annonæ, ludorumq;
» ſolenniū.Ollisq; ad honoris amplioris gradum is primus aſcenſus eſto. Cen
» ſores populi aeuitates,ſoboles,familias,pecuniasq; cenſento. Vrbis templa,
» uias,aquas,ærarium,uectigalia tuento, populiq; partes in tribus diſtribuūto. Exinde pecunias aeuitatis ordines partiunto. Equitum peditumq; prolem deſcribunto. Cœlibes eſſe prohibento,mores populi regunto, Probrū in Senatu ne reliquunto. Bini ſunto,magiſtratum quinquennium habento.

Reliqui magiſtratus annui ſunto. Eaq; poteſtas ſemper eſto. Iuris diſceptator,qui priuata iudicet,iudicariue iubeat Prætor eſto. Is iuris ciuilis cu-

» ſtos eſto,huic poteſtati parento. Quotcunq; Senatus creuerit, populúsue
» iuſſerit,tot ſunto. Regio imperio duo ſunto,ijq; præeundo,iudicando, con
» ſulendo,Prætores,Iudices,Conſules appellantor. Militiæ ſummum ius
» habento,nemini parento. Salus populi ſuprema lex eſto. Eundem magi-
» ſtratum ni interfuerint X anni,nequis capito. Aeuitatē annali lege ſeruan-
» to. Aſt quando duellum grauius,diſcordiæ ciuium,eſtunto ne amplius ſex
» menſes ſi Senatus creuerit. Idē iuris quod duo Conſules tenunto. Isq; aue
» ſiniſtra dictus,populi magiſter eſto. Aequitatem quicunq; regat habeto:
» pari iure cum eo quicunq; erit iuris diſceptator. Aſt quando Conſulis eſt,
» magiſtratúsue populi,nec reliqui magiſtratus ne ſunto. auſpicia patrū ſun-
» to,olliq; ex ſe produnto,qui comitatu creare Conſules rite poſſint. Imperia,
» poteſtates,legationes quum Senatus creuerit,populúsue iuſſerit,ex urbe ex
» eunto. Duella iuſta iuſte gerunto. Socijs parcunto,ſe & ſeruos continen-
» to. Populi ſui gloriam augento,domum cum laude redeunto. Rei ſuæ
» ergô ne quis Legatus eſto. Plebes quos pro ſe contra uim auxilij ergô X
» creaſſit,Tribuni eius ſunto. Quodq; ij prohibeſſint,quodq; plebem rogaſ-
» ſint,ratum eſto. Santiq; ſunto,neue plebem orbam Tribunis relinquunto.
» Omnes magiſtratus auſpicium,iudiciumq; habento. Exq; ijs Senatus eſto,
» eius decreta rata ſūto. Aſt ni poteſtas par maiórue prohibet,S. C. perſcripta
» ſeruanto. Is ordo uitio uacato,ceteris ſpecimen eſto. Creatio magiſtratuū
» iudicia,populi iuſſa,uetita,cum Senatus ſuffragio quum ſciſcentur,optimati-
» bus nota,plebi libera ſunto. At ſi quid erit quod extra magiſtratus cohæ-
» rario æſuſſit,qui cohæret populus creato,eiq; ius cohærendi dato. Cum po
» pulo patribusq; agendi ius eſto. Conſuli Prætori magiſtro populi equi-
» tumq;,eiq; quem patres produnt Conſulum rogādorum ergô, Tribunisq;
» quos ſibi populus rogaſſit ius eſto cum patribus agendi. Idem ad plebem
» quod cenſus erit ferunto. Quæ cum populo,quæ cum patribus agentur,
» modica ſunto. Senatori qui nec âderit,aut cauſa,aut culpa eſto. Loco Se
» nator,& modo orator cauſas populi tenento. Vis in populo abeſto,par ma
» iórue poteſtas plus ualeto. Aſt quid turbaſſitur in agendo fraus auctoris
» eſto. Interceſſor rei malæ ſalutaris ciuis eſto. Qui agent auſpicia ſeruan-
» to. Auguri publico parento. Promulgata propoſita in ærario cognita agū
» to. Nec pluſq; de ſingulis rebus ſemel conſulunto. Rem populum docento,
» doceri à magiſtratibus priuatisq; patiuntor. Priuilegia ne inroganto. De
» capite ciuis niſi per maximum comitatum,ollosq; quos Cenſores in partibus
» populi locaſſint,ne ferunto. Donum ne capiunto,neue danto,neue petenda,
» neue gerēda,neue geſta poteſtate. Quod quis earum rerum migraſſit noxiæ
» pœna par eſto. Cenſores fide legem cuſtodiunto. Priuata ad eos acta refe
» runto. Nec eo magis lege liberi ſunto. Lex recitata eſt,diſcere,& tabellam
iubebo dari. Q. Q; breui frater in conſpectu poſita eſt à te omnium ma-
giſtratuum deſcriptio: ſed ea pene noſtræ ciuitatis,& ſi à te paulum allatum
eſt noui. M. Rectiſſime Quinte animaduertis. Hęc eſt enim quam Scipio
laudat in libris,& quam maxime probat temperationem reipub. quæ effici
non potuiſſet,niſi tali deſcriptione magiſtratuum. Nā ſic habetote,magiſtra
tibus ijsq; qui præſunt contineri rempub. & ex eorum compoſitione quod
cuiuſq; in repub. genus ſit intelligi. Quæ res quum ſapientiſſime moderatiſ-

ſimeq;

ſimeqꝫ conſtituta eſſet à maioribus noſtris, nihil habui ſanè non modo multũ quod putarem nouandum in legibus. A. Reddes igitur nobis, ut in religionis lege feciſti admonitu & rogatu meo, ſic de magiſtratibus ut diſputes, quibus de cauſis maxime placeat iſta deſcriptio. M. Faciam Attice ut uis, & locum iſtum totum, ut à doctiſſimis Græcię quæſitum & diſputatum eſt, explicabo, & ut inſtitui noſtra iura attingam. Q. Iſtud maxime expecto diſſerẽdi genus. M. Atqui pleraqꝫ ſunt dicta in illis libris, quod faciendum fuit quũ de optima repub. quęreretur, ſed huius loci de magiſtratibus ſunt propria quædam à Theophraſto primum, deinde à Dione Stoico quęſita ſubtilius. Q. Ain tandem etiam à Stoicis tractata ſunt? M. Non ſanè niſi ab eo quem modo nominaui, & poſtea à magno homine, & in primis erudito Panætio. Nam ueteres uerbo tenus acute illi quidem, ſed non ad hunc uſum popularem atqꝫ ciuilem de repub. diſſerebant. Ab hac familia magis iſta manarunt Platone principe, poſt Ariſtoteles illuſtrauit omnem hunc ciuilem in diſputando locum. Heraclidesqꝫ Ponticus profectus ab eodem Platone, Theophaſtus uero inſtitutus ab Ariſtotele habitauit (ut ſcitis) in eo genere rerũ, ab eodẽqꝫ Ariſtotele doctus Dicęarchus huic ratiõi ſtudioqꝫ nõ defuit. Poſt à Theophraſto Phalereus ille Demetrius, de quo feci ſupra mẽtionẽ, mirabiliter doctrinã ex umbraculis eruditorũ ocioqꝫ nõ modo ĩ ſolẽ atqꝫ in puluerẽ, ſed in ipſũ diſcrimẽ aciẽqꝫ perduxit. Nã & mediocriter doctos magnos ĩ rep. uiros, & doctiſſimos homines nõ nimis in rep. uerſatos multos, cõmemorare poſſumus. Qui uero utraqꝫ re excelleret, ut & doctrinę ſtudijs, & regẽda ciuitate princeps eſſet, quis facile præter hũc inueniri poteſt? Q. Puto poſſe, & quidẽ aliquem de tribus nobis, ſed perge ut cœperas. M. Quæſitum igitur ab illis eſt, placeret ne unum in ciuitate eſſe magiſtratum, cui reliqui parerent, quod exactis Regibus intelligo placuiſſe noſtris maioribus. Sed quoniam regale ciuitatis genus probatum quondam, poſtea non tam regni, q̃ Regis uitijs repudiatum eſt, nomẽ tantum uidebitur Regis repudiatum, res manebit, ſi unus omnibus reliquis magiſtratibus imperabit. Quare nec Ephori Lacedęmone ſine cauſa à Theopompo oppoſit regibus, nec apud nos Conſulibus Tribuni. Nam illud quidem ipſum quod ĩ iure poſitum eſt, habet Cõſul, ut ei reliqui magiſtratus omnes pareant excepto tribuno, qui poſt extitit, ne id quod fuerit, eſſet. Hoc enim primum minuit Conſulare ius, quod exiſtit ipſe qui eo non teneretur. Deinde ꝙ attulit auxilium reliquis non modo magiſtratibus, ſed etiam priuatis Conſuli non parentibus. Q. Magnum dicis malum. Nam iſta poteſtate nata grauitas optimatum cecidit, conualuitqꝫ ius multitudinis. M. Non eſt Quinte ita. Non ius enim illud ſolum ſuperbius populo, ſed uiolentius uideri neceſſe erat, quo poſtea q̃ modica & ſapiens temperatio acceſſit, conuerſa lex in omnes eſt.

Multa deſiderantur.

Domum cum laude redeunto, nihil enim præter laudem bonis atque innocẽtibus, neque ex hoſtibus neque à ſocijs reportandum. Q. Iam illud apertũ eſt profecto, nihil eſſe turpius, q̃ quenq̃ legari niſi reipub. cauſa. M. Omitto quemadmodum iſti ſe gerant atque geſſerint, qui legatione hęreditates, aut ſyngraphas ſuas perſequũtur, in hominibus eſt hoc fortaſſe uitium. Sed que-

ro quid re hac ſit turpius, q̃ ſine procuratione Senator, Legatus ſine mandatis, ſine ullo reipub. munere? Quod quidem genus legationis ego Conſul, q̃q̃ ad commodum Senatus pertinere uideatur, tamen approbãte Senatu frequẽtiſſimo, niſi mihi Leuinus Tri. ple. tum interceſſiſſet, ſuſtuliſſem: minui tamẽ tempus, & quod erat infinitum, annuum feci: ita turpitudo manet diuturnitate ſublata. Sed iam ſi placet de prouincijs decedatur, in urbemq́ redeatur.

A. Nobis uero placet: ſed ijs qui in prouincijs ſunt, minime placet. M. At uero Tite ſi pareãt his legibus, nihil erit ijs urbe, nihil domo ſua dulcius, nec laborioſius, moleſtiusq́ prouĩcia. Sed ſequitur lex quæ ſancit eã Tribb. pl. poteſtatem, quæ in repub. noſtra, de qua diſſeri nihil neceſſe eſt. Q. At mehercule ego frater quero de iſta poteſtate quid ſentias. Nam mihi quidem peſtifera uidetur, quippe quæ in ſeditione & ad ſeditionem nata ſit, cuius primum ortum ſi recordari uolumus, inter arma ciuium & occupatis & obſeſſis urbis locis procreatum uidimus. Deĩde quũ eſſet cito Legatus tanq̃ ex XII. tabulis, inſignis ad deformitatem puer breui tempore neſcio quo pacto creatus, multoq́ tetrior & fœdior natus eſt. Quem enim ille non edidit, qui primũ ut impio dignum fuit patribus omnem honorem eripuit, omnia ĩfima ſũmis paria fecit, turbauit, miſcuit? Quum afflixiſſet principum grauitatem, nunq̃ tamen conquieuit. Atq́ ut Cn. Flaminium atq́ ea quę iam priſca uidẽtur, propter uetuſtatem relinquam, quid iuris bonis uiris Ti. Gracchi Tribunatus reliquit? Et ſi quinquennio ante Decimum Brutum, & P. Scipionem Coss. quos & quantos uiros homo omnium infimus & ſordidiſſimus Trib. *pl. C. Curiatius in uincula coniecit, quod ante factum non erat: C. uero Gracchus ruinis & emiſſitijs, quas ipſe ſe proieciſſe in forum dixit, quibus digladiarentur inter ſe ciues, nónne omnem reipub. ſtatum permutauit? Quid iam de Saturnini ſupplicio reliquisq́ dicã? quos ne depellere quidẽ à ſe ſine ferro potuit reſpu. Cur autem aut uetera, aut aliena proferamus, potius q̃ & noſtra & recentia? Quis unquam tam audax, tam nobis inimicus fuiſſet, ut cogitaret unquam de ſtatu noſtro labefactando, niſi mucronem aliquem Tribunitium exacuiſſet in nos? Quem quum homines ſcelerati ac perditi non modo ulla in domo, ſed nulla in gente reperirent, gentes ſibi in tenebris reip. perturbandas putauerunt. quod nobis quidem egregium, & ad immortalitatẽ memoriæ glorioſum, neminem in nos mercede ulla Tribunum potuiſſe reperire, niſi cui nec eſſe quidem licuiſſet Tribuno. Sed ille quas ſtrages edidit? Eas uidelicet, quas ſine ratione ac ſine ulla ſpe bona furor edere potuit, impurę belluę multorum inflammatus furoribus. Quamobrem in iſta quidem re uehementer Syllam probo, qui Tribb. pl. ſua lege iniurię faciendę poteſtatẽ ademerit, auxilium ferendi reliquerit, Pompeiumq́ noſtrum ceteris rebus omnibus ſemper ampliſſimis ſummisq́ effero laudibus: de Tribunitia poteſtate taceo, nec enim reprehendere libet, nec laudare poſſum. M. Vitia quidem tribunatus pręclare Quinte perſpicis, ſed eſt iniqua in omni re accuſanda pretermiſſis bonis malorum enumeratio, uitiorumq́ ſelectio. Nã iſto quidem modo uel Conſulatus uituperabilis eſt, ſi Conſulum quos enumerare nolo, peccata collegeris. Ego enim fateor in iſta ipſa poteſtate ineſſe quiddam mali, ſed bonum quod eſt queſitum in ea ſine iſto malo non haberemus. Nimia poteſtas eſt Tribb. pl. quis negat? ſed uis populi multo ſæuior multoq́

uehementior

uehementior, quæ ducem quod habet interdum lenior eſt, quàm ſi nullũ haberet. Dux enim ſuo periculo progredi cogitat: populi impetus periculi rationem ſui non habet. At aliquando incenditur, & quidem ſæpe ſedatur. Quod enim eſt tam deſperatum collegium in quo nemo è. X. ſana mente ſit? Quin per ipſum Tiberium Gracchum non ſolum uetitus, ſed etiam ſublatus interceſſor fuerat. Quid enim illum aliud perculit, niſi quod poteſtatem intercedendi collegæ abrogauit? Sed tu ſapientia maiori nihilo uideris. Conceſſa plebi à patribus iſta poteſtate arma ceciderunt, reſtincta ſeditio eſt, inuentum eſt temperamentum, quo tenuiores cum principibus æquari ſe putarint. In quo uno fuit ciuitatis ſalus. At duo Gracchi fuerunt, & præter eos quãuis enumeres multos licet, quum deni crearentur, nullos in omni memoria reperies pernicioſos Tribb. leues, & non bonos fortaſſe plures. Inuidia quidem ſummus ordo caret, plebes de ſuo iure periculoſas contentiones nullas facit. Quamobrem aut exigendi Reges non fuerunt: aut plebi re non uerbo danda libertas: quæ tamen ſic data eſt ut multis præclariſſimis addiceretur, ut auctoritati principum cederet. Noſtra autem cauſa quæ optime & dulciſſime frater incidit in tribunitiam poteſtatem, nihil habuit contentionis cum tribunatu. Non enim plebes incitata noſtris rebus inuidit, ſed uincula ſoluta ſunt, & ſeruitia incitata, adiuncto terrore etiam militari. Neq; nobis cum illa tum peſte certamen fuit, ſed cum grauiſſimo reip. tempore, cui ſi non ceſſiſſem, non diuturnum beneficij mei patria fructum tuliſſet. Atq; hæc rei exitus indicauit. Quis enim non modo liber, ſed etiam ſeruus libertate dignus fuit, cui noſtra ſalus chara non eſſet? Quod ſi is caſus fuiſſet rerum quas pro ſalute reipub. geſſimus, ut non omnibus gratus eſſet, & ſi in nos multitudinis uis furentis inflammata inuidia pepuliſſet tribunitia, quis in me populum ſicut Gracchus in Lenatem, Saturninus in Metellum ĩcitaſſet? ferremus ò Quinte frater, conſolarenturq; nos non tam philoſophi qui Athenis fuerunt, qui hoc facere debent, quàm clariſſimi uiri, qui illa urbe pulſi carere ingrata ciuitate, quàm manere in improba maluerunt. Põpeium uero, quod una iſta in re non ita ualde probas, uix ſatis mihi illud uideris attendere: non ſolum ei quid eſſet optimum uidendum fuiſſe, ſed etiam quid neceſſarium. Senſit enim deberi non poſſe huic ciuitati illã poteſtatẽ, quippe quã tantopere populus noſter ignotam expetiſſet, qui poſſet carere cognita? Sapientis autem ciuis fuit cauſam nec pernicioſam, & ita popularem ut non poſſet obſiſti pernicioſe, populari ciui non relinquere. Scis ſolere frater in huiuſmodi ſermone ut tranſiri alio poſſet, dici ad modum. Q. Aut prorſus eſt ita, aut equidem aſſentior, tu tamen ad reliqua pergas uelim. M. Perſeueras tu quidẽ, & in tua uetere ſententia permanes. Q. Non mehercule. A. Ego ſanè à Quinto noſtro diſſentio, ſed ea quæ reſtant audiamus. M. Deinceps igitur omnibus magiſtratibus auſpicia & iudicia dantur. Iudicia ut eſſet populi poteſtas, ad quam prouocaretur: auſpicia, ut multos inutiles comitatus probabiles impedirent moræ. Sæpe enim populi impetum iniuſtum auſpicijs dij immortales repreſſerunt. Ex ijs autem qui magiſtratum ceperunt, quod S. C. efficitur, popularem ſanè neminem in ſummum locum niſi per populum uenire, ſublata cooptatione cenſoria. Sed præſto eſt huius uitij temperatio, quod Senatus lege noſtra confirmatur auctoritas. Se

quitur enim: Eius decreta rata ſunto. Nam ita ſe res habet, ut ſi Senatus domi nus ſit publici conſilij, quodq́ue is creuerit, defendant omnes, & ſi ordines reli qui, principes ordines conſilio rempub. gubernari uelint, poſſit ex tempera tione iuris, quum poteſtas in populo, auctoritas ĩ Senatu ſit, teneri ille mode ratus & concors ciuitatis ſtatus, preſertim ſi proximę legi parebitur. Nã pro ximum eſt: Is ordo uitio careto, ceteris ſpecimen eſto. Q. Pręclara uero fra ter iſta lex, ſed & altera ut & uitio careat ordo, & ut Cenſorem quęrat inter pretem. Att. Ille uero & ſi tuus eſt totus ordo, gratiſſimamq́ue memoriam retinet Conſulatus tui, pace tua dixerim, non modo Cenſores, ſed etiam iudi ces omnes poteſt defatigare. M. Omitte iſta Attice. Non enim de hoc Se natu, nec his de hominibus qui nunc ſunt, ſed de futuris ſi qui forte his legibus parere uoluerint, hæc habetur oratio. Nam quum omni uitio carere lex iube at, ne ueniet quidẽ in eũ ordinẽ quiſquã uitij particeps. Id autẽ difficile factu eſt, niſi educatione quadam & diſciplina, de qua dicemus aliquid fortaſſe, ſi quid fuerit loci aut temporis. A. Locus certe non deerit, quoniam tenes or dinem legum, tempus uero largitur longitudo diei. Ego autem etiam ſi præ terieris, repetã à te iſtum de educatione & de diſciplina locum. M. Tu ue *ro & iſtum Attice, & ſi quem alium. Ceteris ſpecimen eſto: quod ſic, tene mus omnia. Vt enim cupiditatibus prĩcipum & uitijs infici ſolet tota ciuitas, ſic emẽdari & corrigi continentia. Vir magnus & nobis omnibus amicus L. Lucullus ferebatur quaſi cõmodiſſime reſpõdiſſet, quũ eſſet obiecta magni ficẽtia uillæ Tuſculanæ, duo ſe habere uicinos, ſuperiorem equitem Rom. infe riorem libertinum, quorũ quum eſſent magnificæ uillæ, concedi ſibi oporte re, quod his qui inferioris ordinis eſſent, liceret. Nõ uides Luculle à te id ipſũ natum, ut illi cuperent, quibus id ſi tu non faceres, non liceret? Quis enim fer ret iſtos, quum uideret eorũ uillas ſignis & tabulis refertas, partim publicis, partim etiã ſacris & religioſis? Quis nõ frãgeret eorum libidines, niſi illi ipſi qui eas frangere deberẽt cupiditatis eiuſdẽ tenerentur? Nec enim tãtũ mali eſt peccare principes, q̃q̃ eſt magnum hoc per ſeipſum malũ, quãtum illud, quòd permulti imitatores principũ exiſtũt. Nã licet uidere, ſi uelis replicare memo riã temporum, qualeſcũq́ue ſummi ciuitatis uiri fuerint, talem ciuitatem fuiſſe: quæcũq́ue mutatio morum in principibus extiterit, eãdẽ in populo ſecuturam. Idq́ue haud paulo eſt uerius, q̃ quod Platoni noſtro placet, qui muſicorum cãtibus ait mutatis mutari ciuitatũ ſtatus. Ego autẽ nobilium uita uictuq́ue mu tato, mores mutari ciuitatũ puto. Quo pernicioſius de repub. merẽtur uitioſi principes, quòd nõ ſolũ uitia cõcipiunt ipſi, ſed ea infundũt in ciuitatem: neq́ue ſolum obſunt quòd ipſi corrumpuntur, ſed etiam quòd corrumpunt, plusq́ue exemplo, q̃ peccato nocent. Atq́ue hæc lex dilatata in ordinem cunctum coan guſtari etiam poteſt. Pauci enim atq́ue ad modum pauci honore & gloria am plificati uel corrũpere mores ciuitatis, uel corrigere poſſunt. Sed hæc & nunc ſatis, & in illis libris tractata ſunt diligẽtius. Quare ad reliqua ueniamus. Pro ximus autẽ eſt de ſuffragijs, quæ iubeo nota eſſe optimatibus, populo libera. A. Ita mehercule attendi, nec ſatis intellexi quid ſibi lex, aut quid uerba iſta uellẽt. M. Dicã Tite, & uerſabor in re difficili ac multũ & ſæpe quæſita, ſuf fragia in magiſtratu mãdãdo, aut de reo iudicando, qui in lege aut rogatione clam an palã ferre melius eſſet. A. An etiã id dubium eſt? Q. Vereor ne

a te rurſus diſſentiam. M. Non facies Quinte: nam ego in iſta ſum ſenten-tia qua te fuiſſe ſemper ſcio, nihil ut fuerit in ſuffragijs uoce melius, ſed obtine-ri an poſſit, uidendum eſt. Q. Quare frater bona tua uenia dixerim, iſta ſententia maxime & fallit imperitos, & obeſt ſæpiſſime reip. quum aliquid uerum & rectum eſſe dicitur, ſed obtineri, id eſt obſiſti poſſe populo nega-tur. Primum enim obſiſtitur quum agitur ſeuere, deinde ui opprimi in bona cauſa eſt melius quàm male cedere. Qui autem non ſentit omnem auctorita-tem optimatium, tabellariam legem abſtuliſſe? quam populus liber nun-quam deſiderauit, idem oppreſſus dominatu ac potentia principum flagita-uit. Itaq; grauiora iudicia de potentiſſimis hominibus extant uoces, quàm ta bellæ. Quamobrem ſuffragandi nimia libido in non bonis cauſis eripienda fuit potentibus, non latebra danda populo, in qua bonis ignorantibus quid quiſque ſentiret, tabella uitioſum occultaret ſuffragium. Itaq; iſti rationi neq; lator quiſquam eſt inuentus, nec auctor unquam bonus. Sunt enim quatuor leges tabellariæ, quarum prima de magiſtratibus mandandis. Ea eſt Gabi-nia, lata ab homine ignoto & ſordido. Secuta biennio poſt Caſſia eſt de po-puli iudicio. Ea à nobili homine lata eſt Caſſio, ſed (pace familiæ dixerim) diſſidente à bonis, atq; omnis rumuſculos populari ratione aucupante. Car-bonis eſt tertia de iubendis legibus ac uetandis, ſeditioſi atque improbi ciuis, cui ne reditus quidem ad bonos ſalutem à bonis potuit afferre. Vno in genere reliqui uidebatur uocis ſuffragium, quod ipſe Caſſius exceperat, perduellio-nis. Dedit huic quoque iudicio Cælius tabellam, doluitq; quoad uixit: ſed ut opprimeret Cœlius populum, nocuit & reipub. Et auus quidem noſter ſin-gulari uirtute in hoc municipio quoad uixit reſtitit M. Gratidio, cuius in ma trimonio ſororem, auiam noſtram habebat, ferenti legem tabellariam. Exci-tabat enim fletus ĩ ſimpulo, ut dicitur, Gratidius: quos poſt filius eius in Ae-gæo excitauit mari, ac noſtro quidem. Quæ quum res eſſet ad ſe delata, Scau-rus Conſul, Vtinam, inquit, M. Cicero iſto animo atq; uirtute in ſumma rei-pub. nobiſcum uerſari, quàm in municipali maluiſſes. Q. Quamobrẽ quo-niam non recognoſcimus nunc leges Populi R. ſed aut repetimus ereptas, aut nouas ſcribimus, non quod hoc populo obtineri poſſit, ſed quid optimum ſit tibi, dicendum puto. Nam Caſſiæ legis culpam Scipio tuus ſuſtinet, quo auctore lata eſſe dicitur: tu ſi tabellariam tuleris ipſe præſtabis. Nec enim mihi placet, nec Attico noſtro, quantum è uultu eius intelligo. A. Mihi uero nihil unquam populare placuit, eamq; optimam rempub. eſſe duco, quam hic Conſul conſtituerat, quæ ſit in poteſtate optimorum. M. Vos demum ut uideo legem antiquaſtis ſine tabella. Sed ego, & ſi ſatis dixit pro ſe in illis libris Scipio, tamen libertatem iſtam largior populo, ut & auctoritate ualeant, & utantur bonis. Sic enim à me recitata lex eſt de ſuffragijs: Optima-tibus nota, plebi libera ſunto. Quæ lex hãc ſententiam continet, ut omnes le-ges tolleret, quæ poſtea latæ ſunt, quæ tegunt omni ratione ſuffragium, ne quis inſpiciat tabellam, ne roget, ne appellet. Põtes etiam lex Maria fecit an-guſtos. Quæ ſi oppoſita ſunt ambitioſis (ut ſunt ferè) non reprehendo. Sin ualuerint tamen leges ut ne ſint ambitus, habeat ſanè populus tabellam, quaſi uindicem libertatis, dummodo hæc optimo cuique & grauiſſimo ciui oſten-datur, ultroq; offeratur, uti ſit ipſa libertas, in qua populo poteſtas honeſte bo-

nis gratificandi datur. Eoq́ꝫ nunc fit illud quod à te modo Quinte dictũ eſt, ut minus multos tabella condemnet quàm ſolebat uox, quia populo licere ſatis eſt, hoc retento reliqua uoluntas auctoritati aut gratiæ traditur. Itaqꝫ ut omittam largitione corrupta ſuffragia, non uides ſi quando ambitus ſileat, quæri in ſuffragijs, quid optimi uiri ſentiãt? Quamobrem lege noſtra libertatis ſpecies datur, auctoritas bonorum retinetur, contentionis cauſa tollitur. Deinde ſequitur quibus ius ſit cum populo agendi, aut cum ſenatu, grauis, & » ut arbitror, præclara lex: Quæq́ꝫ in patribus agũtur modica ſunto, id eſt mo» deſta atqꝫ ſedata. Auctor enim moderatur & effingit non modo mentem ac uoluntates, ſed penè uultus eorum apud quos agit. Quod ſi in Senatu non difficile eſt: eſt enim ipſe Senator is, cuius nõ ad auctorem referatur animus, ſed qui per ſe ipſe ſpectari uelit. Huic iuſſa tria ſunt, ut adſit, nam grauitatem res habet, quum frequens ordo eſt: ut loco dicat, id eſt rogatus: ut modo, ne ſit infinitus. Nam breuitas nõ modo Senatoris, ſed etiam oratoris magna laus eſt in ſententia. Nec eſt unquam longa oratione utendum, niſi aut ſpectãte Senatu, quod fit ambitione ſæpiſſime, nullo magiſtratu adiuuante: tolli diem utile eſt: aut quum tanta cauſa eſt, ut opus ſit oratoris copia uel ad hortandum, uel » ad docẽdum: quorum generum in utroqꝫ magnus noſter Cato eſt. Quodq́ꝫ addit. Cauſas populi teneto, eſt Senatori neceſſarium noſſe remp. Idq́ꝫ late patet, quid habeat militum, quid ualeat ærario, quos ſocios reſp. habeat, quos amicos, quos ſtipẽdiarios, qua quiſqꝫ ſit lege, cõditione, fœdere, tenere cõſuetudinẽ decernẽdi, noſſe exẽpla maiorũ. Videtis iã genus hoc omne ſcientiæ, diligentiæ memoriam eſſe, ſine quo paratus eſſe Senator nullo pacto poteſt. Deinceps ſunt cum populo actiones, in quibus primum & maximum, Vis » abeſto. Nihil eſt enim exitioſius ciuitatibus, nihil tam contrarium iuri & legibus, nihil minus ciuile eſt & humanum, q̃ compoſita & conſtituta repub. quidquam agi per uim. Parere iubet interceſſori, quo nihil præſtantius. Impediri enim bonam rem melius q̃ cõcedi male. Quod uero actoris, iubeo abeſſe fraudem, id totum dixi ex Craſſi ſapientiſſimi hominis ſententia, quem Senatus eſt ſecutus, quum decreuiſſet C. Claudio Conſule de C. Carbonis ſeditione referente, inuito eo qui cum populo ageret, ſeditionem non poſſe fieri, quippe cui liceat conſilium ſimulatqꝫ interceſſum, turbariq́ꝫ cœptum ſit, dimittere. Quod qui permouet quum agi nihil poteſt, uim quærit, cuius impunitatẽ amittit hac lege. Sequitur illud: Interceſſor rei malę ſalutaris ciuis eſto. » Quis nõ ſtudioſe reip. ſubuenerit, hac tam præclara legis uoce laudatus? Sũt deinde poſita deinceps, quæ habemus etiam: In publicis inſtitutis atqꝫ legi» bus auſpicia ſeruanto, Auguri parento. Eſt autem boni Auguris meminiſſe maximis reip. temporibus præſto eſſe debere, Iouiq́ꝫ opti. Max. ſe conſiliarium atque adminiſtrum datum, ut ſibi eos quos in auſpicio eſſe iuſſerit, cœ* liq́ꝫ partes ſibi definitas eſſe traditas, & quibus ſæpe opẽ referre poſſit. Deinde de promulgatione, de ſingulis rebus agendis, de priuatis magiſtratibus ue audiendis, tum leges præclariſſimæ de. XII. tabulis tralatæ duæ, quarum altera priuilegia tollit, altera de capite ciuis rogari niſi maximo comitatu *uetat, nondum initis ſeditioſis Tribb. pl. Negotia is quidem admirandum tantum maiores in poſterum prouidiſſe, in priuatos homines leges ferri noluerunt, id eſt enim priuilegium, quo quid eſt iniuſtius? Quum

*legis hæc uis ſit, ſcitum eſt iuſſum in omnes ferri, de ſingulis niſi centuriatis comitijs noluerunt. Deſcriptus enim populus cenſu, ordinibus, ętatibus, plus adhibet ad ſuffragium auxilij, q̃ fuſe in tribus conuocatus. Quo uerius in cauſa noſtra uir magni ingenij ſummaq; prudentia L. Cotta dicebat, nihil omnino actum eſſe de nobis: præter enim q̃ quod comitia illa eſſent armis geſta ſeruilibus. Præterea neq; tributa capitis, neq; comitia rata eſſe poſſent, neque ulla priuilegia. Quocirca nihil nobis opus eſſe lege, de quibus nihil omnino actum eſſet legibus. Sed uiſum eſt & uobis & clariſſimis uiris melius, de quo *Seruij, atq; patroni, ſciuiſſeq; aliquid dicerent, de hoc eodem cunctam Italiam quid ſentiret oſtendere. Sequuntur de captis pecunijs & de ambitu legis. *Quæ quum magis iudicijs q̃ uerbis ſancienda ſint, adiungitur. Noxiæ pœna par eſto, ut in ſuo uitio quiſq; plectatur, uis capite, auaritia multa, honoris cupiditas ignominia ſanciatur. Extremę leges ſunt nobis non uſitatæ, reip. neceſſariæ, legum cuſtodiam nullam habemus. Itaq; hæ leges ſunt quas apparitores noſtri uolunt, à librarijs petimus, publicis literis conſignatam memoriam publicam nullam habemus. Græci hoc diligentius, apud quos νομοφύλακες creãtur, nec ij ſolum literas (nam id quidem etiã apud maiores noſtros erat) ſed etiam facta hominum obſeruabant, ad legesq; reuocabant. Hæc detur cura Cenſoribus, quãdoquidem eos in rep. ſemper uolumus eſſe: apud eoſdem, qui magiſtratu abierint, edant & exponãt quid in magiſtratu geſſerint, deq; ijs Cenſores præiudicent. Hoc in Gręcia fit publice conſtitutis accuſatoribus. Qui quidem graues eſſe non poſſunt, niſi ſint uoluntarij. Quocirca melius eſt rationes referri, cauſamq; exponi Cenſoribus, integram tamen legem accuſatori iudicioq; ſeruari. Sed ſatis iam diſputatum eſt de magiſtratibus, niſi forte quid deſideratis. Att. Quid ſi non tacemus, locus ipſe te non admonet quid tibi ſit deinde dicendum? M. Mihi ne de iudicijs arbitror Pomponi? Id eſt enim iunctum magiſtratibus. A. Quid de iure P. R. quemadmodum inſtituiſti dicendum nihil putas? M. Quid tandem hoc loco eſt quod requiras? P. Ego ne? quod ignorari ab ijs qui ĩ repub. uerſantur turpiſſimum puto. Nam ut modo à te dictũ eſt, leges à librarijs lego, ſic animaduerto quoſq; in magiſtratibus ignoratione iuris ſui tantũ ſapere, quantum apparitores uelint. Quamobrem ſi de ſacrorum alienatione dicendum putaſti, quum de religione leges propoſueras, faciendũ tibi eſt, ut magiſtratibus lege conſtitutis, de poteſtate tum iure diſputes. M. Faciam breuiter, ſi conſequi potuero: nam pluribus uerbis ſcripſit ad patrem ſuum M. Iunius ſodalis, perite meo quidem iudicio & diligenter. At de iure naturę cogitari per nos, & quę dicere debemus de iure populi Ro. quę relicta ſunt & tradita. Att. Sic profecto cenſeo, & id ipſum quod dicis expecto.

Multa deſunt.

MARCI TVLLII CICERONIS DE OFFICIIS, AD MARCVM FILIVM LIBER PRIMVS.

QVanquam te Marce fili annum iam audiẽtem Cratip
pum,idq; Athenis,abundare oportet præceptis inſti
tutiſq; philoſophiæ, propter ſummam & doctoris
auctoritatem, & urbis: quorum alter te ſcientia auge-
re poteſt,altera exemplis: tamen ut ipſe ad meam uti-
litatem ſemper cum Græcis Latina coniunxi,neq; id ĩ
philoſophia ſolum, ſed etiam in dicendi exercitatione
feci,idem tibi cenſeo faciendũ,ut par ſis in utriusq; ora
tionis facultate. Quã quidem ad rem nos,ut uidemur,magnum adiumentum
attulimus hominibus noſtris,ut non modo Græcarum literarum rudes, ſed
etiam docti,aliquantum ſe arbitrentur adeptos & ad dicendũ,& ad iudican
dum. Quãobrem diſces tu quidem à principe huius ætatis philoſophorum:
& diſces quamdiu uoles: tamdiu autem uelle debebis,quoad te quantum pro
ficias non pœnitebit. Sed tamen noſtra leges,non multum à Peripateticis diſ
ſidentia,quoniã utriq;,& Socratici,& Platonici eſſe uolumus. de rebus ipſis
utere tuo iudicio: nihil enim impedio: orationem autem latinã efficies profe-
cto legendis noſtris pleniorem. Nec uero arroganter hoc dictum exiſtimari
uelim. Nam philoſophandi ſcientiã concedens multis,quod eſt oratoris pro-
prium,apte,diſtincte, ornate dicere, quoniã in eo ſtudio ætatem conſumpſi,
ſi id mihi aſſumo,uideor id meo iure quodãmodo uẽdicare. Quãobrem ma-
gnopere te hortor mi Cicero,ut non ſolum orationes meas,ſed hos etiam de
philoſophia libros,qui ſe iam illis ferè æquarunt,ſtudioſe legas. Vis enim di
cendi maior eſt in illis: ſed hoc quoq; colendũ eſt & æquabile & temperatum
orationis genus. Et id quidem nemini Græcorũ uideo adhuc cõtigiſſe,ut idẽ
utroq; in genere laboraret,ſequereturq; & illud forenſe dicendi,& hoc quie-
tum diſputandi genus: niſi forte Demetrius Phalareus in hoc numero habe-
ri poteſt,diſputator ſubtilis,orator parum uehemens,dulcis tamen,ut Theo
phraſti diſcipulum poſſis agnoſcere. Nos autem quãtum in utroq; profeceri
mus,aliorum ſit iudiciũ.utrunq; certe ſecuti ſumus. Equidẽ & Platonẽ exiſti
mo,ſi genus forẽſe dicendi tractare uoluiſſet, grauiſſime & copioſiſſime po
tuiſſe dicere. Et Demoſthenẽ,ſi illa quę à Platone didicerat,tenuiſſet,& pro-
nunciare uoluiſſet,ornate ſplendideq; facere potuiſſe. Eodemq; modo de A-
riſtotele & Iſocrate iudico, quorũ uterq; ſuo ſtudio delectatus contẽpſit alte
rũ. Sed quũ ſtatuiſſem ſcribere aliquid ad te hoc tẽpore,& multa poſthac, ab
eo maxime ordiri uolui,quod & ętati tuę eſſet aptiſſimũ,& auctoritati meæ.
Nã quum multa ſint in philoſophia & grauia & utilia,accurate copioſeq; à
philoſophis diſputata: latiſſime patere uidentur ea quæ de officijs tradita ab
illis & præcepta ſunt. Nulla enĩ uitæ pars neque publicis,neq; priuatis, neq;
forenſibus,neq; domeſticis in rebus,neq; ſi tecũ agas quid,neq; ſi cum altero
cõtrahas,uacare officio poteſt: in eoq; colẽdo ſita uitæ eſt honeſtas omnis,&
in negligendo turpitudo. Atq; hæc quidẽ quæſtio cõmunis eſt omnium phi
loſophorum.

loſophorum. Quis enim eſt qui nullis officij præceptis tradēdis philoſophū ſe audeat dicere? Sed ſunt nōnullę diſciplinæ, quę propoſitis bonorum & malorū finibus, officium omne peruertant. Nā qui ſummum bonum ſic īſtituit, ut nihil habeat cum uirtute coniunctum, idq; ſuis commodis, non honeſtate metitur, hic, ſi ſibi ipſe conſentiat, & nō interdum naturæ bonitate uincatur, neq; amicitiā colere poſſit, nec iuſtitiā, nec liberalitatē. Fortis uero, dolorem ſummū malum iudicans, aut temperās, uoluptatem ſummum bonū ſtatuens, eſſe certe nullo modo poteſt. Quę quanq̄ ita ſint in prōptu, ut res diſputatione nō egeat, ſunt tamen à nobis alio loco diſputata. Hę diſciplinę igitur ſi ſibi cōſentaneę uelint eſſe, de officio nihil queant dicere. Neq; ulla officij pręcepta firma, ſtabilia, coniūcta naturæ tradi poſſunt, niſi aut ab ijs qui ſolā, aut ab ijs qui maxime honeſtatem propter ſe dicāt expetendā. Itaq; propria eſt ea pręceptio Stoicorum, Academicorū, & Peripateticorum: quoniam Ariſtonis, Pyrrhonis, Herilli iampridem exploſa eſt ſententia: qui tamen haberent ius ſuum diſputandi de officio, ſi rerū aliquem delectum reliquiſſent, ut ad officij inuentionē aditus eſſet. Sequimur igitur hoc quidem tempore, & hac in quęſtione potiſſimum Stoicos: non ut interpretes, ſed, ut ſolemus, è fontibus eorum, iudicio, arbitrioq; noſtro, quantum, quoq; modo uidebitur, hauriemus. Placet igitur, quoniam diſputatio omnis de officio futura eſt, ante definire quid ſit officium: quod à Panætio prætermiſſum eſſe miror. Omnis enī quę a ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, debet à definitione proficiſci, ut intelligatur quid ſit id de quo diſputatur.

Omnis de officio duplex eſt quæſtio: unum genus eſt quod pertinet ad finem bonorum: alterum quod poſitum eſt in pręceptis, quibus in omnes partes uſus uitæ confirmari poſſit. Superioris generis huiuſmodi exempla. Omniáne officia perfecta ſint. Nunquid officium aliud alio maius ſit: & quę ſunt eiuſdem generis. Quorum autem officiorum præcepta traduntur, ea quanq̄ pertinent ad finem bonorum, tamen id minus apparet, quia magis ad inſtitutionem uitę communis ſpectare uidentur: de quibus eſt nobis his libris explicandum. Atq; etiam alia diuiſio eſt officij. nam & medium quoddam officiū dicitur, & perfectum. Perfectum officiū, rectum opinor uocemus, quod Græci κατόρθωμα: hoc autem commune officium uocant: atq; ſic definiunt, ut rectū quod ſit, id perfectum officium eſſe definiant. Medium autem officium id eſſe dicunt, quod cur factum ſit, ratio probabilis reddi poſſit.

Triplex igitur eſt, ut Panætio uidetur, conſilij capiendi deliberatio. Nam honeſtúmne factu ſit, an turpe, dubitant, id quod in deliberationem cadit: in quo conſiderando ſæpe animi in contrarias ſententias diſtrahuntur. Tum autem aut anquirunt aut conſultant ad uitæ commoditatem iucunditatemq;, ad facultates rerum atq; copias, ad opes, ad potentiam, quibus & ſe poſſint iuuare & ſuos: conducat id necne, de quo deliberant: quæ deliberatio omnis in rationem utilitatis cadit. Tertium dubitandi genus eſt, quum pugnare uidetur cum honeſto id quod uidetur eſſe utile. Quum enim utilitas ad ſe rapere, honeſtas cōtra reuocare ad ſe uidetur, fit ut diſtrahatur in deliberando animus, afferatq; ancipitem curam cogitandi. Hac diuiſione, quum præterire aliquid, maximum uitium in diuidendo ſit, duo prætermiſſa ſunt. Nec enim ſolum utrum honeſtum an turpe ſit deliberari ſolet, ſed etiam duobus propoſi-

tis honeſtis, utrum honeſtius: itemq́ duobus propoſitis utilibus: utrum utilius. Ita quam ille triplicem putauit eſſe rationem, in quinq́ partes diſtribui debere reperitur. Primum igitur ē de honeſto, ſed dupliciter: tum pari ratione de utili: poſt de comparatione eorum diſſerendum.

Principio, generi animantium omni eſt à natura tributum, ut ſe, uitam, corpusq́ tueatur, declinetq́ ea quæ nocitura uideantur, omniaq́ quæ ſint ad uiuendum neceſſaria, anquirat & paret, ut paſtum, ut latibula, ut alia generis eiuſdem. Commune autem animantium omnium eſt coniunctionis appetitus procreandi cauſa, & cura quædam eorum quæ procreata ſunt. Sed inter hominem & beluam hoc maxime intereſt, quod hæc tantum quantum ſenſu mouetur, ad id ſolum quod adeſt, quodq́ præſens eſt, ſe accommodat, paulum admodum ſentiens præteritum, aut futurum. Homo autem, quoniam rationis eſt particeps, conſequentia cernit, cauſas rerum uidet, earumq́ progreſſus & quaſi anteceſſiones non ignorat, ſimilitudines comparat, rebusq́ præſentibus adiungit atq́ annectit futuras, facile totius uitæ curſum uidet, ad eamq́ degendam præparat res neceſſarias. Eademq́ natura ui rationis hominem conciliat homini & ad orationis & ad uitę ſocietatem: ingeneratq́ in primis pręcipuum quendam amorem in eos qui procreati ſunt: impellitq́ ut hominum cœtus & celebrari inter ſe, & ſibi obedire uelit, ob easq́ cauſas ſtudeat parare ea quę ſuppeditent & ad cultum & ad uictum: nec ſibi ſoli, ſed cõiugi, liberis, ceterisq́ quos caros habeat, tueriq́ debeat. Quę cura exuſcitat etiam animos, & maiores ad rem gerendam facit. In primisq́ hominis eſt propria, ueri inquiſitio atq́ inueſtigatio. Itaq́ quũ ſumus neceſſarijs negotijs curisq́ uacui, tũ auemus aliquid uidere, audire, addiſcere, cognitionẽq́ rerũ aut occultarum aut admirabilium ad beate uiuendum neceſſariam ducimus. Ex quo intelligitur, quod uerum, ſimplex ſyncerumq́ ſit, id eſſe naturæ hominis aptiſſimum. Huic ueri uidendi cupiditati adiuncta eſt appetitio quædam principatus, ut nemini parere animus bene à natura informatus uelit, niſi præcipiẽti, aut docenti, aut utilitatis cauſa iuſte & legitime imperãti: ex quo animi magnitudo exiſtit, humanarumq́ rerum contemptio. Nec uero illa parua uis naturæ eſt, rationisq́, quod unum hoc animal ſentit quid ſit ordo, quid ſit quod deceat, in factis dictisq́ qui modus. Itaq́ eorum ipſorum quæ aſpectu ſentiũtur, nullum aliud animal, pulchritudinem, uenuſtatem, conuenientiam partium ſentit. Quam ſimilitudinem natura ratioq́ ab oculis ad animum tranſſerens, multo etiam magis pulchritudinem, conſtantiam, ordinem in conſilijs factisq́ conſeruandum putat, cauetq́ ne quid indecore effœminatéue faciat, tum in omnibus & opinionibus & factis nequid libidinoſe, aut faciat aut cogitet. Quibus ex rebus conflatur & efficitur id quod quærimus, honeſtum: quod etiam ſi nobilitatum non ſit, tamen honeſtum ſit: quodq́ uere dicimus, etiam ſi à nullo laudetur, natura laudabile eſſe. Formam quidem ipſam Marce fili, & tanquam faciem honeſti uides: quæ ſi oculis cerneretur, ut ait Plato, mirabiles amores excitaret ſapientiæ. Sed omne quod honeſtum eſt, id quatuor partium oritur ex aliqua. Aut enim id in perſpicientia ueri, ſolertiaq́ uerſatur; aut in hominum ſocietate tuenda, tribuendoq́ ſuum cuiq́, & rerum contractarum fide: aut in animi excelſi atque inuicti magnitudine ac robore: aut in omnium quæ fiunt, quæq́ dicuntur ordine & modo, in quo ineſt mo-

deſtia

deſtia & temperantia. Quæ quatuor quanquam inter ſe colligata atque implicata ſunt, tamen ex ſingulis certa officiorum genera naſcuntur: uelut ex ea parte quæ primo deſcripta eſt, in qua ſapientiam & prudentiam ponimus, ineſt indagatio atque inuentio ueri: eiusq́ uirtutis hoc munus eſt proprium. Vt enim quiſque maxime perſpicit quid in re quaque ueriſſimum ſit, quique & acutiſſime & celerrime poteſt uidere & explicare rationem, is prudentiſſimus & ſapientiſſimus rite haberi ſolet. Quocirca huic quaſi materia quam tractet, & in qua uerſetur, ſubiecta eſt ueritas. Reliquis autem tribus uirtutibus neceſſitates propoſitæ ſunt ad eas res parandas tuendasq́, quibus actio uitæ continetur: ut & ſocietas hominum coniunctioq́ ſeruetur, & animi excellentia magnitudoq́ tum in augendis opibus utilitatibusq́, & ſibi ſuisq́ comparandis, tum multo magis in his ipſis deſpiciendis eluceat. Ordo autem & conſtantia & moderatio, & ea quæ ſunt his ſimilia, uerſantur in eo genere, ad quod adhibenda eſt actio quædam, non ſolum mentis agitatio. His enim rebus quæ tractantur in uita, modum quendam & ordinem adhibentes, honeſtatem & decus conſeruabimus.

Ex quatuor autem locis in quos honeſti naturam uimq́ diuiſimus, primus ille qui in ueri cognitione cõſiſtit, maxime naturam attingit humanam. Omnes enim trahimur & ducimur ad cognitionis & ſcientiæ cupiditatem: in qua excellere pulchrum putamus, labi autem, errare, neſcire, decipi, & malum & turpe ducimus. In hoc genere & naturali & honeſto, duo uitia ſunt uitanda. Vnum, ne incognita pro cognitis habeamus, hisq́ temere aſſentiamur. Quod uitium effugere qui uolet, omnes autem uelle debent, adhibebit ad conſiderandas res & tempus & diligentiam. Alterum eſt uitium, quod quidam nimis magnum ſtudium multamq́ operam in res obſcuras atque difficiles conferunt, eaſdemq́ non neceſſarias. Quibus uitijs declinatis, quod in rebus honeſtis & cognitione dignis operæ curæq́ ponetur, id iure laudabitur: ut in Aſtrologia C. Sulpitium audiuimus, in Geometria Sex. Pompeium: ipſi cognouimus multos in Dialecticis, plures in Iure Ciuili. Quæ omnes artes in ueri inueſtigatione uerſantur: cuius ſtudio à rebus gerendis abduci, contra officium eſt. Virtutis enim laus omnis in actione conſiſtit: à qua tamen ſæpe fit intermiſſio, multiq́ dantur ad ſtudia reditus, tum agitatio mentis, quæ nunquam acquieſcit, poteſt nos in ſtudijs cogitationis etiam ſine opera noſtra continere. Omnis autem cogitatio motusq́ animi aut in conſilijs capiendis de rebus honeſtis, & pertinentibus ad bene beateq́ uiuendum, aut in ſtudijs ſcientiæ cognitionisq́ uerſabitur. Ac de primo quidem officij fonte diximus.

De tribus autem reliquis latiſſime patet ea ratio, qua ſocietas hominum inter ipſos, & uitæ quaſi communitas continetur. Cuius partes duæ ſunt, iuſtitia, in qua uirtutis ſplendor eſt maximus, ex qua uiri boni nominantur: & huic coniuncta beneficentia, quam eandem uel benignitatem uel liberalitatem appellari licet. Sed iuſtitiæ primum munus eſt, ut ne cui quis noceat, niſi laceſſitus iniuria: deĩde ut communibus utatur pro communibus, priuatis ut ſuis. Sunt autem priuata natura nulla, ſed aut uetere occupatione, ut qui quondam in uacua uenerunt: aut uictoria, ut qui bello potiti ſunt: aut lege, pactio

ne,cōdictione,ſorte.Ex quo fit ut ager Arpinàs Arpinatium dicatur, Tuſculanus Tuſculanorum.Similisq́ eſt priuatorum poſſeſſionum deſcriptio. Ex quo,quia ſuum cuiuſq́ fit eorum quæ natura fuerant communia, quod cuiq́ obtigit,id quiſq́ teneat.Eo ſi quis ſibi plus appetet, uiolabit ius humanæ ſocietatis. Sed quoniam,ut præclare ſcriptum eſt à Platone,non nobis ſolum nati ſumus,ortusq́ noſtri partem patria uendicat,partem amici:atque ut placet Stoicis,quæ in terris gignuntur,ad uſum hominum omnia creari, homines autem hominum cauſa eſſe generatos,ut ipſi inter ſe alijs alij prodeſſe poſſint: in hoc naturam ducem debemus ſequi, & communes utilitates: in medium afferre,mutatione officiorum,dando,accipiendo: tum artibus: tum opera, tum facultatibus deuincire hominum inter homines ſocietatem.

Fundamentum autem eſt iuſtitiæ fides, id eſt dictorum conuentorumq́ conſtantia & ueritas: ex quo,quāquam hoc uidebitur fortaſſe cuipiam durius,tamen,audeamus imitari Stoicos, qui ſtudioſe exquirunt unde uerba ſint ducta, credamus, quia fiat quod dictum eſt, appellatam fidem. Sed iniuſtitiæ genera duo ſunt: unum eorum qui inferunt, alterum eorum qui ab ijs quibus infertur, ſi poſſunt,non propulſant iniuriam. Nam qui iniuſte impetum in quempiam facit, aut ira aut aliqua perturbatione incitatus, is quaſi manus uidetur afferre ſocio: qui autem nec defendit, nec obſiſtit ſi poteſt iniurię, tam eſt in uitio, quàm ſi parentes,aut patriam deſerat. Atque illæ quidem iniuriæ quæ nocendi cauſa de induſtria inferuntur, ſæpe à metu proficiſcuntur,quum is qui nocere alteri cogitat, timet ne niſi id fecerit, ipſe aliquo afficiatur incommodo. Maximam autem partem ad iniuriam faciendam aggrediuntur,ut adipiſcantur ea quæ concupierunt: in quo uitio latiſſime patet auaritia. Expetuntur autem diuitiæ tum ad uſus uitæ neceſſarios, tum ad perfruendas uoluptates. In quibus autem maior eſt animus, in ijs pecuniæ cupiditas ſpectat ad opes, & ad gratificandi facultatem: ut nuper Marcus Craſſus negabat ullam ſatis magnam pecuniam eſſe ei qui in repub.princeps uellet eſſe,cuius fructibus exercitum alere non poſſet. Delectant etiam magnifici apparatus, uitæq́ cultus cum elegantia & copia. Quibus rebus effectum eſt ut infinita pecuniæ cupiditas eſſet. Nec uero rei familiaris amplificatio nemini nocens uituperanda, ſed fugienda ſemper iniuria eſt. Maxime autem adducuntur plerique ut eos iuſtitiæ capiat obliuio, quum in imperiorū,honorum,gloriæue cupiditatem inciderint. Quod enim eſt apud Ennium (Nulla ſancta ſocietas nec fides regni eſt) id latius patet.

Nam quidquid eiuſmodi eſt in quo non poſſunt plures excellere, in eo fit plerunque tanta contentio, ut difficillimum ſit ſanctam ſeruare ſocietatem. Declarauit id modo temeritas C.Cæſaris, qui omnia iura diuina atque humana peruertit,propter ęum quem ipſe ſibi opinionis errore finxerat principatum. Eſt autem in hoc genere moleſtum quod in maximis animis ſplendidiſſimisq́ ingenijs plerunque exiſtunt honoris,imperij, potentiæ, gloriæ cupiditates. Quo magis cauendum eſt ne quid eo in genere peccetur. Sed in omni iuſtitia permultum intereſt utrum perturbatione aliqua animi, quæ plerunque breuis eſt & ad tempus,an conſulto & cogitato fiat iniuria. Leuiora enim ſunt ea quæ repentino aliquo motu accidunt,quàm ea quæ meditata

tata & præparata inſeruntur. Ac de inferenda quidem iniuria ſatis dictum eſt. Prætermittendæ autem defenſionis, deſerendiq́ꝫ officij plures ſolent eſſe cauſæ. Nam aut inimicitias, aut laborem, aut ſumptus ſuſcipere nolunt: aut etiam negligentia, pigritia, inertia, aut ſuis ſtudijs quibuſdam, occupationibuſue ſic impediuntur, ut eos quos tutari debeant, deſertos eſſe patiantur. Itaque uidendum eſt ne non ſatis ſit id quod apud Platonem eſt in philoſophos dictum, quòd in ueri inueſtigatione uerſentur, quódque ea quæ pleriq́ꝫ uehementer expetunt, de quibus inter ſe digladiari ſolent, contemnant, & pro nihilo putant, propterea iuſtos eſſe. Nam dum alterum iuſtitiæ genus aſſequuntur in ferenda, ne cui noceant, iniuria, in alterum incidunt. Diſcendi enim ſtudio impediti, quos tueri debent, deſerunt. Itaque eos ad remp. ne acceſſuros quidem putant, niſi coactos. Aequius autem erat id uoluntate fieri. Nam hoc ipſum ita iuſtum eſt quod recte fit, ſi eſt uoluntarium. Sunt etiam qui aut ſtudio rei familiaris tuendæ, aut odio quodam hominum, ſuum ſe negocium agere dicant, ne facere cuiquam uideantur iniuriam: qui altero iniuſtitiæ genere uacant, in alterum incurrunt. Deſerunt enim uitæ ſocietatem, quia nihil conferunt in eam ſtudij, nihil operæ, nihil facultatum. Quoniam igitur duobus generibus iniuſtitiæ propoſitis, adiunximus cauſas utriuſq́ꝫ generis, eaſque res ante conſtituimus quibus iuſtitia contineretur, facile quod cuiuſque temporis officium ſit, poterimus, niſi noſmetipſos ualde amabimus, iudicare. Eſt enim difficilis cura rerum alienarum, quanquam Terentianus ille Chremes humani nihil à ſe alienum putat. Sed tamen quia magis ea percipimus atque ſentimus, quæ nobis ipſis aut proſpera aut aduerſa eueniunt, quàm illa quæ ceteris, quæ quaſi longo interuallo interiecto uidemus, aliter de illis ac de nobis iudicamus. Quocirco bene præcipiunt qui uetant quidquam agere quod dubites æquum ſit an iniquum. Aequitas enim lucet ipſa per ſe: dubitatio cogitationem ſignificat iniuriæ. Sed incidunt ſæpe tempora, cum ea quæ maxime uidentur digna eſſe iuſto homine, eoq́ꝫ quem uirum bonum dicimus, commutantur, fiuntq́ꝫ contraria, ut reddere depoſitum, etiam ne furioſo: promiſſum facere: quæq́ꝫ pertinent & ad ueritatem, & ad fidem, ea migrare interdum, & non ſeruare, ſit iuſtum. Referri enim decet ad ea quæ poſui principio fundamenta iuſtitiæ: primum, ut ne cui noceatur: deinde, ut communi utilitati ſeruiatur. Ea quum tempore commutantur, commutatur officium, & non ſemper eſt idem. Poteſt etiam accidere promiſſum aliquod & conuentum, ut id effici ſit inutile uel ei cui promiſſum ſit, uel ei qui promiſerit. Nam ſi, ut in fabulis eſt, Neptunus quod Theſeo promiſerat non feciſſet, Theſeus Hippolyto filio non eſſet orbatus. Ex tribus enim optatis, ut dicitur, hoc erat tertium, quod de Hippolyti interitu iratus optauit: Quo impetrato, in maximos luctus incidit. Nec promiſſa igitur ſeruanda ſunt ea quæ ſint ijs quibus promiſeris inutilia: nec ſi plus tibi noceāt quàm illi proſint cui promiſeris. Contra officium eſt, maius anteponi minori: ut ſi conſtitueris te cuipiam aduocatum in rem præſentem eſſe uenturum, atque interim grauiter ægrotare filius cœperit, non ſit contra officium non facere quod dixeris: magisq́ꝫ ille cui promiſſum ſit, ab officio diſcedat, ſi ſe deſtitutum queratur. Iam illis promiſſis ſtandum non eſſe quis non uidet,

quæ coactus quis metu,quę deceptus dolo promiſerit? Quæ quidem pleraq́ iure Prætorio liberantur,nonnulla legibus. Exiſtunt etiam ſæpe iniuriæ calumnia quadã, & nimis callida,ſed malitioſa iuris interpretatione. Ex quo illud,Summum ius,ſumma iniuria,factum eſt iam tritum ſermone prouerbiũ.Quo in genere etiam in rep.multa peccantur: ut ille qui quũ. XXX. dierum eſſent cum hoſte pactę induciæ,noctu populabatur agros,quòd dierũ eſſent pactæ non noctiũ ĩducię.Ne noſter quidẽ probandus,ſi uerum eſt, Q.Fabiũ Labeonẽ,ſeu quem alium,nihil enim præter auditum habeo, arbitrum Nolanis & Neapolitanis de finibus à Senatu datum,quum ad locũ ueniſſet,cum utriſque ſeparatim locutum ne cupide quid agerent,nec appeterent,atque ut regredi quàm progredi mallent. Id quum utrique feciſſent,aliquantum agri in medio relictum eſt. Itaque illorum fines,ſicut ipſi dixerant terminauit:ĩ medio relictum quod erat,populo R.adiudicauit.Decipere hoc quidem eſt,nõ iudicare.Quocirca in omni re fugienda eſt talis ſolertia. Sunt autem quædam officia etiam aduerſus eos ſeruanda, à quibus iniuriam acceperis. Eſt enim ulciſcendi & puniendi modus. Atque haud ſcio an ſatis ſit eum qui laceſſierit, iniuriæ ſuæ pœnitere, ut & ipſe ne quid tale poſthac, & ceteri ſint ad iniuriam tardiores. Atque in republica maxime conſeruanda ſunt iura belli.Nam quum ſint duo genera decertandi,unum per diſceptationem,alterum per uim:quumq́ illud proprium ſit hominis, hoc beluarum:confugiendum eſt ad poſterius, ſi uti non licet ſuperiore. Quare ſuſcipienda quidem bella ſunt ob eam cauſam,ut ſine iniuria in pace uiuatur. Parta autem uictoria,conſeruandi ſunt ij qui non crudeles in bello nec immanes fuerunt:ut maiores noſtri Tuſculanos,Equos, Volſcos, Sabinos, Hernicos in ciuitatem etiam acceperunt:at Carthaginem & Numantiam funditus ſuſtulerũt.Nollem Corinthum: ſed credo illos ſecutos opportunitatẽ loci, maxime, ne poſſet aliquando ad bellum faciendum locus ipſe adhortari. Mea quidem ſententia,paci quæ nihil habitura ſit inſidiarum,ſemper eſt conſulendum. In quo ſi mihi obtemperatum eſſet,ſi non optimam,at aliquam Rempub.quæ nunc nulla eſt,haberemus.Et cum ijs quos ui deuiceris, conſulendũ eſt: tum ij qui armis poſitis ad Imperatorum fidem confugiunt,quanuis murum aries percuſſerit, recipiendi ſunt.In quo tantopere apud noſtros iuſtitia culta eſt,ut ij qui ciuitates aut nationes deuictas bello in fidem recepiſſent,earum patroni eſſent more maiorum. Ac belli quidem æquitas ſanctiſſime Feciali Populi R.iure perſcripta eſt.Ex quo intelligi poteſt nullum bellum eſſe iuſtum, niſi quod aut rebus repetitis geratur,aut denunciatum ante ſit,& indictum.Pompilius Imp.tenebat prouinciam, in cuius exercitu Catonis filius tyro militabat.Quum autem Pompilio uideretur unam dimittere legionem Catonis quoque filium, qui in eadem legione militabat, dimiſit. Sed cum amore pugnandi in exercitu remanſiſſet,Cato ad Pompilium ſcripſit,ut ſi eum patitur in exercitu remanere,ſecundo eum obligaret militiæ ſacramento,quia priore amiſſo iure cum hoſtibus pugnare non poterat:adeò ſumma erat obſeruatio in bello mouendo. M. quidem Catonis ſenis eſt epiſtola ad M.filium, in qua ſcripſit ſe audiſſe eum miſſum factum eſſe à Conſule,quum in Macedonia Perſico bello miles eſſet. Monet igitur ut caueat ne prelium

ineat

ineat. Negat enim ius eſſe, qui miles non ſit, cum hoſte pugnare. Equidem illud etiam animaduerto, quod qui proprio nomine perduellis eſſet, is hoſtis uocaretur, lenitate uerbi triſtitiam rei mitigante. Hoſtis enim apud maiores noſtros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant XII tabulę, (aut ſtatus dies cum hoſte. Itemq́ꝫ, Aduerſus hoſtem æterna auctoritas.) Quid ad hanc manſuetudinem addi poteſt, eum qui cum bellum geras, tam molli nomine appellari? Quanquam id nomen durius iam effecit uetuſtas, à peregrino enim receſſit, & proprie in eo qui arma contra ferret, remanſit. Quum uero de īperio decertatur, belloq́ꝫ gloria quæritur, cauſas omnino ſub eſſe tamen oportet eaſdem, quas dixi paulo ante iuſtas eſſe bellorum. Sed ea bella quibus imperij gloria propoſita eſt, minus acerbe gerenda ſunt. Vt enī quum ciuiliter contendimus, aliter ſi eſt inimicus, aliter ſi cōpetitor, cum altero certamen honoris & dignitatis eſt, cum altero capitis & famę: ſic cum Celtiberis, cum Cimbris bellum ut cum inimicis gerebatur, uter eſſet, nō uter imperaret: cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Pœnis, Pyrrho, de imperio dimicabatur. Pœni fœdifragi, crudelis Annibal, reliqui iuſtiores. Pyrrhi quidem de captiuis reddendis illa præclara.

Nec mi aurum poſco, nec mi precium dederitis:
Nec cauponantes bellum, ſed belligerantes,
Ferro, non auro uitam cernamus utriq́ꝫ.
Vóſne uelit an me regnare hera, quid ue ferat fors,
Virtute experiamur: & hoc ſimul accipe dictum,
Quorum uirtuti belli fortuna pepercit,
Horundem me libertati parcere certum eſt.
Dono ducite, doq́ꝫ uolentibus, cum magnis dijs.

Regalis ſanè, & digna Aeacidarum genere ſētētia. Atque etiam ſi quid ſinguli temporibus adducti hoſti promiſerint, eſt in eo ipſo fides conſeruanda: ut primo Punico bello Regulus captus à Pœnis, quum de captiuis commutandis Romam miſſus eſſet, iuraſſetq́ꝫ ſe rediturum: primum ut uenit, captiuos reddendos in Senatu non cenſuit. Deinde quum retineretur à propinquis & amicis, ad ſupplicium redire maluit, quàm fidem hoſti datam fallere. Ac de bellicis quidem officijs ſatis dictum eſt. Meminerimus autem etiam aduerſus infimos iuſtitiam eſſe ſeruandam. Eſt autem infima conditio & fortuna ſeruorum: quibus non male præcipiunt qui ita iubent uti, ut mercenariis, operam exigendam, iuſta præbenda. Quum autem duobus modis, id eſt aut ui aut fraude fiat iniuria: fraus quaſi uulpeculę, uis leonis uidetur: utrūq́ꝫ ab homine alieniſſimum, ſed fraus odio digna maiore. Totius autem iniuſtitiæ nulla capitalior eſt, quàm eorū qui tum quum maxime fallunt, id agunt, ut uiri boni eſſe uideātur. De iuſtitia ſatis dictum eſt. Deinceps, ut erat propoſitum, de beneficentia ac liberalitate dicatur, qua quidem nihil eſt naturæ hominis accommodatius. Sed habet multas cautiones. Videndum eſt enim primum ne obſit benignitas, & ijs ipſis quibus benigne uidebitur fieri, & ceteris: deinde ne maior benignitas ſit quàm facultates: tum ut pro dignitate cuique tribuatur. Id enim eſt iuſtitiæ fundamentum, ad quam hæc omnia ſunt referenda. Nam & qui gratificantur cuipiam quod obſit illi cui uel

eſt. Multi enim faciũt multa temeritate quadam ſine iudicio uel modo in omnes, uel repentino quodam quaſi uento impetu animi incitati: quæ beneficia æque magna non ſunt habenda, atq; ea quę iudicio conſiderate conſtanterq; delata ſunt. Sed in collocando beneficio, & in referenda gratia, ſi cetera paria ſint, hoc maxime officij eſt, ut quiſq; maxime opis indigeat, ita ei potiſſimum opitulari. Quod contra fit à pleriſq;. à quo enim plurimum ſperant, etiam ſi ille his non eget, tamen ei potiſſimum inſeruiunt. Optime autem ſocietas hominum coniunctioq; ſeruabitur, ſi ut quiſque erit coniunctiſſimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur. Sed quæ naturæ principia ſint communitatis & ſocietatis humanæ, repetendum altius uidetur. Eſt enim primum quod cernitur in uniuerſi generis humani ſocietate. Eius autem uinculum eſt ratio & oratio, quæ docendo, diſcendo, communicando, diſceptando, iudicando, conciliat inter ſe homines, coniungitq; naturali quadam ſocietate: neque ulla re longius abſumus à natura ferarum, in quibus ineſſe fortitudinem ſæpe dicimus, ut in equis, in leonibus: iuſtitiam, æquitatem, bonitatem non dicimus. Sunt enim rationis & orationis expertes. Ac latiſſime quidem patens hominibus inter ipſos omnibus inter omnes ſocietas hæc eſt, in qua omnium rerum quas ad communem hominum uſum natura genuit, eſt ſeruãda communitas: ut quæ deſcripta ſunt legibus, & iure ciuili, hæc ita teneantur ut ſit conſtitutum: è quibus ipſis cetera ſic obſeruentur, ut in Græcorum prouerbio eſt, Amicorum eſſe communia omnia. Omnia autem communia hominum uidentur ea quæ ſunt generis eius, quod ab Ennio poſitum in una re, tranſferri in multas poteſt.

Homo qui erranti comiti monſtrat uiam,
Quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit
Vt nihilo minus ipſi luceat quum illi accenderit.

Vna ex re ſatis præcipitur, ut quidquid ſine detrimento poſſit commodari, id tribuatur, uel ignoto. Ex quo ſunt illa communia, non prohibere aquam profluentem, pati ab igne ignem capere. Si quis uelit conſilium, fidele deliberanti dare, quæ ſunt ijs utilia qui accipiunt, danti non moleſta. Quare & ijs utendum eſt, & ſemper aliquid ad communem utilitatem adferẽdum. Sed quoniam copiæ paruæ ſingulorum ſunt, eorum autem, qui ijs egeant infinita eſt multitudo, uulgaris liberalitas referenda eſt ad illum Ennij finem, nihilo minus ipſi lucet ut facultas ſit, qua in noſtros ſimus liberales. Gradus autem plures ſunt ſocietatis hominũ: ut enim ab illa diſcedatur infinita, propior eſt eiuſdem gentis, nationis: linguę, qua maxime homines coniunguntur. Interius etiam eſt eiuſdem eſſe ciuitatis. Multa enim ſunt ciuibus inter ſe communia, forum, fana, porticus, uiæ, leges, iura, iudicia, ſuffragia, conſuetudines præterea & familiaritates, multęq; cum multis res rationesq; contractæ. Arctior uero colligatio eſt ſocietatis propinquorum. Ab illa enim immenſa ſocietate humani generis in exiguum anguſtumq; concluditur. Nam quum ſit hoc natura commune animantium, ut habeant libidinem procreandi: prima ſocietas in ipſo coniugio eſt, proxima in liberis, deinde una domus, communia omnia. Id autem eſt principium urbis, & quaſi ſeminarium Reipub. Sequuntur fratrum coniunctiones, poſt conſobrinorum ſobrinorumq; : qui cum una domo iam capi non poſſint, in alias domos tanquam in colonias

exeunt. Sequuntur connubia & affinitates, ex quibus etiam plures propinquì. Quæ propagatio & ſoboles, origo eſt Rerumpub. Sanguinis autem cõiunctio & beneuolentia deuincit caritate homines. Magnum eſt enim eadem habere monumenta maiorum, ijſdem uti ſacris, ſepulcra habere communia. Sed omnium ſocietatum nulla præſtantior eſt, nulla firmior, quàm quũ uiri boni moribus ſimiles familiaritate coniuncti ſunt. Illud enim honeſtum quod ſæpe dicimus, etiam ſi in alio cernimus, tamen nos mouet, atque illi in quo ineſſe uidetur, amicos facit. Et quãquam omnis uirtus nos ad ſe allicit, facitq; ut eos diligamus in quibus ineſſe uideatur, tamen iuſtitia & liberalitas id maxime efficit. Nihil autem eſt amabilius nec copulatius quàm morum ſimilitudo bonorum. In quibus enim eadem ſtudia ſunt, eædem uoluntates, in his fit ut æque quiſq; altero delectetur ac ſeipſo, efficiturq; id quod Pythagoras uult in amicitia, ut unus fiat ex pluribus. Magna etiam illa communitas eſt quæ conficitur ex beneficijs ultro citroq; datis acceptiſq;. Quæ mutua & grata dum ſunt, inter quos ea ſunt, firma deuinciuntur ſocietate. Sed quum omnia ratione animoq; luſtraueris, omnium ſocietatum nulla ẽ gratior, nulla carior, quàm ea quæ cum Repub. eſt unicuiq; noſtrum. Cari ſunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares: ſed omnes omnium caritates patria una complexa eſt: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus? Quo eſt deteſtabilior iſtorum immanitas, qui lacerarunt omni ſcelere patriam, & in ea funditus delenda occupati & ſunt & fuerunt. Sed ſi contentio quædam & comparatio fiat quibus plurimum tribuendum ſit officij, principes ſint patria, & parentes, quorum beneficijs maximis obligati ſumus: proximi liberi, totaq; domus quæ ſpectat in nos ſolos, neque aliud ullum poteſt habere profugium: deinceps bene conuenientes propinqui, quibus cum communis etiam fortuna plerunq; eſt. Quamobrem neceſſaria præſidia uitæ debentur ijs maxime quos ante dixi. Vita autem uictuſq; communis, conſilia, ſermones, cohortationes, conſolationes, interdum etiam obiurgationes in amicitijs uigent maxime: eſtq; ea iucundiſſima amicitia, quam ſimilitudo morum coniugauit. Sed in his omnibus officijs tribuendis uidendum erit quid cuique maxime neceſſe ſit, & quid quiſque nobiſcum uel ſine nobis aut poſſit conſequi, aut non poſſit. Itaque non ijdem erunt neceſſitudinum gradus, qui & temporum: ſunt quædam officia quæ alijs magis quàm alijs debeantur: ut uicinũ citius adiuueris in fructibus percipiẽdis, q̃ aut fratrem aut familiarem. At ſi lis in iudicio ſit, propinquum potius & amicum quàm uicinum defenderis. Hæc igitur & talia circunſpicienda ſunt in omni officio, & conſuetudo exercitatioq; capienda, ut boni ratiocinatores officiorum eſſe poſſimus, & addendo deducendoq; uidere quæ reliqui ſumma fiat, ex quo quantum cuiq; debeatur intelligas. Sed ut nec medici, nec Imperatores, nec oratores, quãuis artis præcepta perceperint, quidquam magna laude dignum ſine uſu & exercitatione conſequi poſſunt: ſic officij conſeruandi præcepta traduntur illa quidem ut facimus ipſi: ſed rei magnitudo uſum quoque exercitationemq; deſiderat. Atque ab ijs rebus quæ ſunt in iure ſocietatis humanæ quemadmodum ducatur honeſtum, ex quo aptum eſt officium, ſatis ferè diximus.

Intelligẽdum eſt autem, quum propoſita ſint genera quatuor è quibus ho

neſtas

neſtas officiumq́ꝫ manaret, ſplendidiſſimum uideri, quod animo magno elatoq́ꝫ, humanasq́ꝫ res deſpiciente factum ſit. Itaqꝫ in probis maxime in promptu eſt, ſi quid tale dici poteſt,

Vos etenim iuuenes animum geritis muliebrem,
Illaq́ꝫ uirgo uiri. Et ſi quid eſt eiuſmodi,
Salmacida ſpolia ſine ſudore & ſanguine.

Contraq́ꝫ in laudibus, quæ magno animo & fortiter excellenterq́ꝫ geſta ſunt, ea neſcio quomodo quaſi pleniore ore laudamus. Hinc Rhetorum campus de Marathone, Salamine, Plateis, Thermopylis, Leuctris, Hinc noſter Cocles, hinc Decij, hinc Cn. & P. Scipiones, hinc M. Marcellus, & innumerabiles alij: maximeq́ꝫ ipſe populus R. animi magnitudine excellit. Declaratur autem ſtudium bellicæ glorię, quod ſtatuas quoqꝫ uidemus ornatu ferè militari. Sed ea animi elatio quæ cernitur in periculis & laboribus, ſi iuſtitia uacat, pugnatq́ꝫ non pro ſalute communi, ſed pro ſuis commodis, in uitio eſt. Non enim modo id uirtutis non eſt, ſed potius immanitatis, omnem humanitatem repellentis. Itaqꝫ probe definitur à Stoicis fortitudo, quum eã uirtutem eſſe dicunt propugnantem pro æquitate. Quocirca nemo qui fortitudinis gloriam conſecutus eſt inſidijs & malitia, laudem eſt adeptus. Nihil honeſtum eſſe poteſt quod iuſtitia uacat. Pręclarũ igitur illud Platonis. Nõ ſolum, inquit, ſcientia quę eſt remota ab iuſtitia, calliditas potius q̃ ſapientia eſt appellanda: uerumetiam animus paratus ad periculum, ſi ſua cupiditate, non utilitate communi impellitur, audacię potius nomen habeat, q̃ fortitudinis. Itaqꝫ uiros fortes & magnanimos, eoſdẽ bonos & ſimplices, ueritatis amicos, minimeq́ꝫ fallaces eſſe uolumus: quæ ſunt ex media laude iuſtitiæ. Sed illud odioſum eſt, quod in hac elatione & magnitudine animi facillime pertinacia & nimia cupiditas principatus innaſcitur. Vt enim apud Platonem eſt, omnem morem Lacedæmoniorum inflammatum eſſe cupiditate uincendi, ſic ut quiſqꝫ magnitudine animi maxime excellit, ita maxime uult princeps omnium, uel potius ſolus eſſe. Difficilè autem eſt, cum præſtare omnibus concupieris, ſeruare æquitatem, quæ eſt iuſtitiæ maxime propria. Ex quo fit, ut neque diſceptatione uinci ſe, nec ullo publico ac legitimo iure patiantur. Exiſtuntq́ꝫ in Repub. plerũqꝫ largitores & factioſi, ut opes quàm maximas conſequantur, & ſint potius ui ſuperiores, quàm iuſtitia pares. Sed quo id eſt difficilius, hoc eſt præclarius. Nullum enim eſt tempus quod iuſtitia uacare debeat. Fortes igitur & magnanimi ſunt habendi, non qui faciunt, ſed qui propulſant iniuriam. Vera autem & ſapiens animi magnitudo, honeſtum illud quod maxime naturam ſequitur, in factis poſitum, non in gloria iudicat, principemq́ꝫ ſe eſſe mauult quàm uideri. Etenim qui ex errore imperitæ multitudinis pendet, hic in magnis uiris non eſt habendus. Facillime autem ad res iniuſtas impellitur, ut quiſqꝫ altiſſimo eſt animo & gloriæ cupido. Qui locus eſt ſanè lubricus, quòd uix inuenitur qui laboribus ſuſceptis, periculisq́ꝫ aditis, nõ quaſi mercedẽ rerum geſtarum deſideret gloriam. Omnino fortis animus & magnus duabus rebus maxime cernitur: quarum una in rerum externarum deſpicientia ponitur, quum perſuaſum ſit nihil hominem niſi quod honeſtum decorumq́ꝫ ſit aut admirari, aut optare, aut expetere oportere, nulliq́ꝫ neque homini, neqꝫ perturbationi ani-

atq; ea quidem non ſatis conſtanter. Sed ijs qui habent à natura adiumenta rerum gerendarum, abiecta omni cunctatione adipiſcendi magiſtratus, & gerēda Reſp. eſt. Nec enī aliter aut regi ciuitas, aut declarari animi magnitudo poteſt. Capeſſentibus autem Remp. nihil minus q̄ philoſophis, haud ſcio an magis etiam & magnificentia & deſpicientia adhibenda ſit rerum humanarum quam ſæpe dico, & tranquillitas animi atq; ſecuritas, ſi quidem nec anxij futuri ſunt, & cum grauitate conſtantiaq; uicturi: quæ faciliora ſunt pholoſophis quo minus multa patent in eorum uita quę fortuna feriat, & quo minus multis rebus egent: & quia ſi quid aduerſi eueniat, tam grauiter cadere non poſſunt. Quocirca non ſine cauſa maiores motus animorum concitantur, maioraq; efficiendi, Remp. gerētibus, q̄ quietis: quo magis his & magnitudo animi eſt adhibenda, & uacuitas ab angoribus. Ad rem gerendam autem qui accedit, caueat ne id modo conſideret, q̄ illa res honeſta ſit, ſed etiam ut habeat efficiendi facultatem. In quo ipſo conſiderandum eſt ne aut temere deſperet propter ignauiam, aut nimis confidat propter cupiditatem. In omnibus autē negocijs prius q̄ aggrediare adhibenda eſt pręparatio diligens. Sed quū pleriq; arbitrentur res bellicas maiores eſſe q̄ urbanas, minuenda eſt hęc opinio. Multi enim bella ſæpe quęſiuerunt propter glorię cupiditatem: atq; id in magnis animis ingenijsq; plerunq; contingit: eoq; magis, ſi ſint ad rem militarem apti, & cupidi bellorum gerendorum. Vere autem ſi uolumus iudicare, multę res extitere urbanę maiores clarioresq; q̄ bellicæ. Quis enī Themiſtocles iure laudetur. & ſit eius nomen q̄ Solonis illuſtrius, citeturq; Salamis clariſſimæ teſtis uictorię, quę anteponatur conſilio Solonis ei quo primum conſtituit Areopagitas: non minus præclarum hoc q̄ illud iudicandum eſt. Illud enī ſemel profuit, hoc ſemper proderit ciuitati: hoc conſilio leges Athenienſium, hoc maiorum inſtituta ſeruantur. Et Themiſtocles quidem nihil dixit in quo ipſe Areopagum adiuuerit: at ille uere à ſe adiutum Themiſtoclem. Eſt enim bellum geſtum conſilio Senatus eius qui à Solone erat conſtitutus. Licet eadem de Pauſania Lyſandroq; dicere: quorum rebus geſtis q̄q̄ imperium Lacedęmonis dilatatum putatur, tamē ne minima quidem ex parte Lycurgi legibus & diſciplinę conferendi ſunt. Quinetiam ob has ipſas cauſas & parentiores habuerunt exercitus & fortiores. Mihi quidem neq; pueris nobis M. Scaurus C. Mario, neque quum uerſaremur in Rep. Q. Catulus Cn. Pompeio cedere uidebatur. Parua enim ſunt foris arma, niſi eſt conſiliū domi. Nec plus Aphricanus ſingularis & uir & Imperator in excidenda Numantia Reipub. profuit, q̄ eodē tempore P. Naſica priuatus quum Ti. Gracchum interemit, quanquam hæc quidem res nō ſolum ex domeſtica eſt ratione, ſed attingit etiam bellicam quoniam ui manuq; confecta eſt: ſed tamen id ipſum geſtum eſt conſilio urbano, ſine exercitu. Illud autem optimum eſt, in quo inuadi ſolere ab inuidis & improbis audio,

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ,

Vt enim alios omittam, nobis Rempublicam gubernantibus, togæ arma ceſſere. Neq; enim in Rep. periculum fuit grauius unq̄, nec maius odium. Ita conſilijs diligentiaq; noſtra celeriter de manibus audaciſſimorum ciuium delapſa arma ipſa ceciderunt. Quę res igitur geſta in bello unq̄ tāta? Quis triūphus conferendus? Licet enim mihi, Marce fili, apud te gloriari, ad quem &

hæreditas huius gloriæ,& factorum imitatio pertinet. Mihi quidem certe uir abũdans bellicis laudibus Cn.Pompeius multis audientibus hoc tribuit, ut diceret fruſtra ſe tertium triumphum deportaturum fuiſſe,niſi meo in Rẽpub. beneficio ubi triumpharet eſſet habiturus. Sunt igitur domeſticæ fortitudines nõ inferiores militaribus, in quibus plus etiã q̃ in his operæ ſtudijq́ ponẽdum eſt.Omnino illud honeſtum,quod ex animo excelſo magnificoq́ quærimus,animi efficitur,non corporis uiribus.Exercendum tamen corpus, & ita efficiendum eſt,ut obedire conſilio rationiq́ poſſit in exequẽdis negocijs,& in labore tolerando.Honeſtum autem id quod exquirimus,totum eſt poſitum in animi cura & cogitatione.In quo non minorem utilitatem afferũt qui togati Reip.præſunt,quàm qui bellum gerunt.Itaq; eorum conſilio ſępe aut non ſuſcepta,aut confecta bella ſunt,nonnunq̃ autem etiam illata:ut M. Catonis bellum tertium Punicũ,in quo etiã mortui ualuit auctoritas. Quare expetenda quidem magis eſt decernẽdi ratio, quam decertandi fortitudo: ſed cauendum ne id bellandi magis fuga,q̃ utilitatis ratione faciamus.Bellum autem ita ſuſcipiatur,ut nihil aliud niſi pax quęſita uideatur.Fortis uero animi & conſtantis eſt non perturbari in rebus aſperis,nec tumultuãtem de gradu deijci,ut dicitur,ſed præſenti animo uti & conſilio, nec à ratione diſcedere:quanquam hoc animi,illud etiam ingenij magni eſt,præcipere cogitatione futura,& aliquanto antè conſtituere quid accidere poſſit in utranq; partẽ, & quid agendum ſit quum quid euenerit:nec committere ut aliquando dicẽdum ſit.Non putaram.Hæc ſunt opera magni animi & excelſi,& prudentia conſilioq́ fidentis.Temere autem in acie uerſari,& manu cum hoſte confligere,immane quiddam & beluarum ſimile eſt.Sed quum tempus neceſſitasq́ poſtulat,decertandum manu eſt,& mors ſeruituti turpitudiniq́ anteponenda. De euertendis autem diripiendisq́ urbibus ualde conſiderandum eſt,ne quid temere,ne quid crudeliter fiat.Idq́ eſt magni uiri, rebus agitatis punire ſontes,multitudinem conſeruare,in omni fortuna recta atq; honeſta retinere. Vt enim ſunt,quemadmodum ſupra dixi, qui urbanis rebus bellicas anteponunt,ſic reperies multos quibus periculoſa & calida cõſilia & quietis & cogitatis ſplendidiora & maiora uideantur.Nunq̃ omnino periculi fuga committendum eſt,ut imbelles timidiq́ uideamur. Sed fugiẽdum etiam illud,ne offeramus nos periculis ſine cauſa:quo nihil poteſt eſſe ſtultius. Quapropter in adeundis periculis conſuetudo imitanda medicorum eſt, qui leuiter ægrotantes leniter curant:grauioribus autem morbis periculoſas curationes,& ancipites adhibere coguntur. Quare in tranquillo tempeſtatem aduerſam optare,dementis eſt: ſubuenire autem tempeſtati quauis ratione, ſapientis:eoq́ magis,ſi plus adipiſcare re explicata boni, q̃ addubitata mali. Periculoſę autem rerum actiones partim ijs ſunt qui eas ſuſcipiunt , partim Reipub.Itemq́ alij de uita,alij de gloria & beneuolentia ciuium in diſcrimẽ uocantur.Promptiores igitur debemus eſſe ad noſtra pericula,q̃ ad communia,dimicareq́ paratius de honore & gloria q̃ de ceteris commodis. Inuenti autem multi ſunt qui non modo pecuniam,ſed etiam uitam profundere pro patria parati eſſent,ijdem gloriæ iacturam ne minimam quidem facere uellent,ne Repub.quidem poſtulante:ut Callicratidas,qui quum Lacedæmoniorum dux fuiſſet Peloponneſiaco bello,multaq́ feciſſet egregie,uertit ad

extremum

extremũ omnia, quum conſilio non paruit eorum qui claſſem ab Arginuſis remouendam, nec cum Athenienſibus dimicandum putabant. Quibus ille reſpondit, Lacedæmonios claſſe illa amiſſa aliam parare poſſe, ſe fugere ſine ſuo dedecore non poſſe. Atq; hæc quidem Lacedæmonijs plaga mediocris fuit: illa peſtifera, qua, quum Cleombrotus inuidiam timens, temere cũ Epaminonda conflixiſſet, Lacedæmoniorũ opes corruerunt. Quanto Q. Maximus melius? de quo Ennius. Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem.
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.
Ergo poſtq; magisq; uiri nunc gloria claret.

Quod genus peccandi uitandum eſt etiam in rebus urbanis. Sunt enim qui quod ſentiunt, etiam ſi optimum ſit, tamen inuidię metu non audent dicere. Omnino qui Reip. præfuturi ſunt, duo Platonis præcepta teneant. Vnum ut utilitatem ciuium ſic tueantur, ut quidquid agant, ad eam referant, obliti commodorum ſuorum. Alterum, ut totum corpus Reip. curent, ne dum partem aliquã tuentur, reliquas deſerant. Vt enim tutela, ſic procuratio Reipub. ad eorum utilitatem qui commiſſi ſunt, non ad eorum quibus commiſſa eſt, gerenda eſt. Qui autem parti ciuium conſulunt, partem negligunt, rem perniocioſiſſimam in ciuitatem inducũt, ſeditionem atq; diſcordiam. Ex quo euenit ut alij populares, alij ſtudioſi optimi cuiuſq; uideantur, pauci uniuerſorum. Hinc apud Athenienſes magnæ diſcordiæ: in noſtra Rep. non ſolum ſeditiones, ſed etiam peſtifera bella ciuilia: quæ grauis & fortis ciuis & in Rep. principatu dignus fugiet atq; oderit, tradetq; ſe totum Reip. neq; opes aut potentiam conſectabitur: totamq; eam ſic tuebitur, ut omnibus conſulat. Nec uero criminibus falſis in odium aut inuidiam quenquam uocabit: omninoq; ita iuſtitiæ honeſtatiq; adhæreſcet, ut dum eam conſeruet, quemuis grauiter offendat, mortemq; oppetat potius q̃ deſerat illa quæ dixi. Miſerrima omnino eſt ambitio, honorumq; contentio: de qua præclare apud eundem eſt Platonem, ſimiliter facere eos qui inter ſe contenderent, uter potius Remp. adminiſtraret, ut ſi nautæ certarent quis eorum potiſſimum gubernaret. Idemq; præcipit ut eos aduerſarios exiſtimemus, qui arma contra ferant, non eos qui ſuo iudicio tueri Rempu. uelint: qualis fuit inter P. Aphricanum & Q. Metellum ſine acerbitate diſſenſio. Nec uero audiendi ſunt qui grauiter inimicis iraſcendum putabunt, idq; magnanimi & fortis uiri eſſe cenſebunt. Nihil enim laudabilius, nihil magno & præclaro uiro dignius placabilitate atque clementia. In liberis uero populis, & in iuris æquabilitate exercenda, etiam eſt facilitas & altitudo animi quæ dicitur: ne ſi iraſcamur aut intempeſtiue accedentibus, aut impudenter rogantibus, in moroſitatem inutilem & odioſam incidamus. Et tamen ita probanda eſt manſuetudo atque clementia, ut adhibeatur Reipub. cauſa ſeueritas, ſinę qua adminiſtrari ciuitas non poteſt. Omnis autem & animaduerſio & caſtigatio contumelia uacare debet, neque ad eius qui punitur aliquem aut uerbis caſtigat, ſed ad Reip. utilitatem referri. Cauendum eſt etiam ne maior pœna q̃ culpa ſit, & ne ijſdem de cauſis alij plectantur, alij ne appellentur quidẽ: prohibenda autẽ maxime eſt ira in puniendo. Nunq̃ enim iratus qui accedet ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quæ eſt ĩter nimium & parum, quæ placet Peripateticis: & recte placet, modo ne laudarent iracundiam, & dicerent utiliter à natura datam.

Illa uero omnibus in rebus repudianda eſt: optandumq́ ut ij qui præſunt Reipub. legum ſimiles ſint, quæ ad puniendum non iracundia, ſed æquitate ducuntur. Atque etiam in rebus proſperis, & ad uoluntatem noſtram fluentibus, ſuperbiam, faſtidium, arrogantiamq́ magnopere fugiamus. Nam ut aduerſas res, ſic ſecundas immoderate ferre, leuitatis eſt, præclaraq́ eſt æquabilitas in omni uita, & idem ſemper uultus, eademq́ frons: ut de Socrate, itémque de C. Lælio accepimus. Philippum quidem Macedonum Regem, rebus geſtis & gloria ſuperatum à filio, facilitate & humanitate uideo ſuperiorem fuiſſe. Itaque alter ſemper magnus, alter ſæpé turpiſſimus fuit: ut recte præcipere uideantur qui monent, ut quanto ſuperiores ſimus, tanto nos geramus ſummiſſius. Panætius quidem Aphricanum auditorem & familiarem ſuum ſolitum ait dicere, ut equos propter crebras contentiones præliorum ferocitate exultantes, domitoribus tradere ſoleant, ut his facilioribus poſſint uti: ſic homines ſecundis rebus effrenatos, ſibiq́ præfidentes, tanquã in gyrum rationis & doctrinæ duci oportere, ut perſpicerent rerum humanarum imbecillitatem uarietatemq́ fortunæ. Atque etiam in ſecũdiſſimis rebus maxime eſt utendum conſilio amicorum: hiſq́ maior etiam quàm ante tribuenda auctoritas, iiſdem temporibus cauendum eſt ne aſſentatoribus patefaciamus aures, nec adulari nos ſinamus, in quo falli facile eſt. Tales enim nos tunc putamus eſſe, ut iure laudemur. Ex quo naſcuntur innumerabilia peccata, cum homines inflati opinionibus turpiter irridentur, & in maximis uerſantur erroribus. Sed hæc quidem hactenus. Illud autem ſic eſt iudicandum, maximas geri res, & maximi animi ab ijs qui Reſpub. regant: quòd earum adminiſtratio latiſſime pateat, ad plurimosq́ pertineat. Eſſe autem magni animi, & fuiſſe multos etiam in uita ocioſa, qui aut inueſtigarent, aut conarentur magna quædam, ſeq́ ſuarum rerum finibus continerent: aut interiecti inter philoſophos, & eos qui Rempub. adminiſtrarent, delectarentur re ſua familiari: non eam quidem omni ratione exaggerantes, neque excludentes ab eius uſu ſuos, potiusq́ & amicis impertientes & Reipu. ſiquando uſus eſſet. Quæ primum bene parta ſit, nullo neque turpi quæſtu neque odioſo, tum q̃ plurimis modo dignis ſe utilem præbeat: deinde augeatur ratione, diligentia, parſimonia: nec libidini potius luxuriæq́ quam liberalitati beneficentiæq́ pareat. Hæc præſcripta ſeruantem licet grauiter, magnifice animoſeq́ uiuere, atq́ etiam ſimpliciter, fideliter, & uitę hominum amice.

Sequitur ut de una reliqua parte honeſtatis dicẽdum ſit, in qua uerecũdia, & quaſi quidam ornatus uitę, temperantia & modeſtia, omnisq́ ſedatio perturbationum animi, & rerum modus cernitur. Hoc loco continetur id quod dici latine decorum poteſt. græce enim πρέπον dicitur. Huius uis ea eſt, ut ab honeſto nequeat ſeparari. Nam & quod decet, honeſtum eſt: & quod honeſtũ eſt, decet. Qualis autẽ differẽtia ſit honeſti & decori, facilius intelligi q̃ explanari poteſt. Quidquid enim ẽ quod deceat, id tũ apparet, quũ antegreſſa eſt honeſtas. Itaq́ nõ ſolũ in hac parte honeſtatis de qua hoc loco diſſerẽdũ eſt, ſed etiã in tribus ſuperioribus quid deceat apparet. Nã & rõne uti atq́ oratione prudẽter, & agere quod agas, cõſiderate, omniq́ ĩ re quid ſit uerũ uidere & tueri decet: cõtraq́ falli, errare, labi, decipi tã dedecet: q̃ delirare

& mente

& mẽte captũ eſſe. Et iuſta omnia decora ſunt, iniuſta contra ut turpia, ſic indecora. ſimilis ẽ ratio fortitudinis. Quod enim uiriliter, animoq́ꝫ magno fit, id dignũ uiro & decorũ uidetur: quod contra, id ut turpè, ſic indecorũ. Quare pertinet quidem ad omnẽ honeſtatem hoc quod dico decorum, & ita pertinet, ut nõ recondita quadam ratione cernatur, ſed ſit in promptu. Eſt enim quiddam, id quod intelligitur in omni uirtute, quod deceat: quod cogitatione magis à uirtute poteſt, quàm re ſeparari: ut uenuſtas & pulchritudo corporis ſecerni non poteſt à ualetudine, ſic hoc de quo loquimur decorum, totum illud eſt quidem cum uirtute confuſum, ſed mente & cogitatione diſtinguitur. Eſt autem eius deſcriptio duplex. Nam & generale quoddam decorum intelligimus, quod in omni honeſtate uerſatur: & aliud huic ſubiectum, quod pertinet ad ſingulas partes honeſtatis. Atque illud ſuperius ſic ferè definiri ſolet, Decorum id eſſe, quod conſentaneum ſit hominis excellentiæ in eo, in quo natura eius à reliquis animantibus differat. Quæ autem ſubiecta pars generi eſt, eam ſic definiunt, ut id decorum eſſe uelint, quod ita naturæ conſentaneum ſit, ut in eo moderatio & temperantia appareat cum ſpecie quadam liberali. Hæc ita intelligi, poſſumus exiſtimare ex eo decoro, quod poetæ ſequuntur, de quo alio loco plura dici ſolent. Sed tum ſeruare illud poetas quod deceat dicimus, quum id quod quaq́ꝫ perſona dignum eſt, & fit & dicitur: ut ſi Aeacus aut Minos diceret, Oderint dum metuant: aut, Natis ſepulcrum ipſe eſt parens, indecorum uideretur, quod eos fuiſſe iuſtos accepimus: at Atreo dicente, plauſus excitantur. eſt enim digna perſona oratio. Sed poetæ quid quenq́ꝫ deceat, ex perſona iudicabunt. Nobis autem perſonam impoſuit ipſa natura, magna cum excellentia præſtantiaq́ꝫ animantium reliquorum. Quocirca poetæ in magna uarietate perſonarum, etiam uitioſis quid conueniat, & quid deceat, uidebunt. Nobis autem quum à natura, conſtantiæ, moderationis, temperantiæ, uerecundiæ, partes datæ ſint, cumq́ꝫ eadem natura doceat non negligere quemadmodum nos aduerſus homines geramus, efficitur ut & illud quod ad omnem honeſtatem pertinet decorum, quàm late fuſum ſit appareat, & hoc quod ſpectatur in unoquoq́ꝫ genere uirtutis. Vt enim pulchritudo corporis apta compoſitione membrorum mouet oculos, & delectat hoc ipſo, ꝙ inter ſe omnes partes quodam lepôre conſentiunt: ſic hoc decorum quod elucet in uita, mouet approbationem eorum quibus cum uiuitur, ordine & conſtantia & moderatione dictorum omnium atq́ꝫ factorum. Adhibenda eſt igitur quædã reuerentia aduerſus homines, & optimi cuiuſq́ꝫ & reliquorum. Nã negligere quid de ſe quiſq́ꝫ ſentiat, non ſolum arrogantis eſt, ſed etiam omnino diſſoluti. Eſt autem quod differat in hominum ratione habenda inter iuſtitiam & uerecundiam. Iuſtitiæ partes ſunt, non uiolare homines: uerecundiæ, non offendere: in quo maxime uis perſpicitur decori. His igitur expoſitis, quale ſit id quod decere dicimus, intellectum puto.

Officium autem quod ab eo ducitur, hanc primam habet uim, quæ deducit ad conuenientiam conſeruationemq́ꝫ naturæ: quam ſi ſequemur ducem, nunquam aberrabimus: ſequemurq́ꝫ & id quod acutum & perſpicax natura eſt, & id quod ad hominum conſociationem accommodatum eſt, & id quod uehemens atq́ꝫ forte. Sed maxima uis decori in hac ineſt parte de qua diſputamus. Neq́ꝫ enim ſolum corporis, qui ad naturam apti ſunt, ſed multo etiã ma

gis animi motus probandi, qui item ad naturam accommodati ſunt. Duplex eſt enim animorum uis atq; naturæ. Vna pars in appetitu poſita eſt, quæ eſt ὁρμή græce, quæ hominem huc atq; illuc rapit. Altera in ratione, quæ docet & explanat quid faciendum fugiendumq;. Ita fit ut ratio præſit, appetitus obtemperet. Omnis autem actio uacare debet temeritate & negligentia: nec uero agere quicq̃ cuius nō poſſit cauſam probabilē reddere. hęc eſt enim ferè deſcriptio officij. Efficiendū autē eſt ut appetitus rationi obediāt, eamq; neq; pręcurrant propter temeritatem, nec propter pigritiam aut ignauiā deſerant: ſintq; tranquilli, atq; omni animi perturbatione careant: ex quo elucebit omnis cōſtantia, omniſq; moderatio. Nam qui appetitus lōgius euagantur, & tanq̃ exultātes ſiue cupiēdo ſiue fugiēdo non ſatis à ratione retinentur, hi ſine dubio finē & modum trāſeunt. Relinquunt enim & abijciunt obedientiā, nec rationi parent, cui ſunt ſubiecti lege naturæ. A quibus non modo animi perturbantur, ſed etiam corpora. Licet ora ipſa cernere iratorum, aut eorū qui aut libidine aliqua aut metu commoti ſunt, aut uoluptate nimia geſtiunt: quorū omniū uultus, uoces, motus, ſtatuſq; mutātur. Ex quibus illud intelligitur, ut ad officij formā reuertamur, appetitus omnes cōtrahēdos ſedādoſq; eſſe, excitandamq; animaduerſionē & diligentiam, ut ne quid temere ac fortuitu, inconſiderate negligēterq; agamus. Neq; enim ita generati à natura ſumus, ut ad ludū & iocum facti eſſe uideamur, ſed ad ſeueritatem potius, & ad quædā ſtudia grauiora atq; maiora. Ludo autē & ioco, uti illo quidem licet, ſed ſicut ſomno, & quietibus ceteris, tū cum grauibus ſerijſq; rebus ſatiſfecerimus. Ipſumq; genus iocandi nō profuſum nec immodeſtum, ſed ingenuum & facetum eſſe debet. Vt enim pueris non omnem ludendi licētiā damus, ſed eam quæ ab honeſtatis actionibus non ſit aliena: ſic in ipſo ioco aliquod probi ingenij lumen eluceat. Duplex omnino eſt iocandi genus. Vnum illiberale, petulās, flagitioſum, obſcœnū. Alterū elegās, urbanū, īgenioſum, facetū: quo genere nō modo Plautus noſter, & Atticorū antiqua comœdia, ſed etiā Philoſophorum Socraticorum libri referti ſunt: multaq; multorum facete dicta, ut ea quæ à ſene Catone collecta ſunt, quæ uocant ἀποφθέγματα. Facilis eſt igitur diſtinctio ingenui & illiberalis ioci. Alter eſt, ſi tempore fit, ac remiſſo animo, homine dignus. Alter, ne libero quidē, ſi rerum turpitudini adhibeatur uerborum obſcœnitas. Ludendi etiam eſt quidā modus retinendus, ut ne nimis omnia profundamus, elatiq; uoluptate in aliquam turpitudinem delabamur. Suppeditant autem & campus noſter & ſtudia uenandi, honeſta exēpla ludēdi. Sed pertinet ad omnē officij quæſtionem ſemper in prōptu habere quantum natura hominis pecudibus reliquiſq; beluis antecedat. Illę nihil ſentiunt niſi uoluptatem, ad eamq; feruntur omni impetu. Hominis autem mens diſcendo alitur: & cogitando: ſemper aliquid aut anquirit, aut agit, uidendiq; & audiendi delectatione ducitur. Quinetiam ſi quis eſt paulo ad uoluptates propenſior, modo ne ſit ex pecudum genere (ſunt enim quidā homines non re, ſed nomine) ſed ſi quis eſt paulo erectior, quāuis uoluptate capiatur, occultat & diſſimulat appetitum uoluptatis, propter uerecundiam. Ex quo intelligitur corporis uoluptatem non ſatis eſſe dignam hominis præſtātia, eamq; contēni & reijci oportere: ſin ſit quiſpiam qui aliquid tribuat uoluptati, diligēter ei tenendum eſſe eius fruendæ modum. Itaq; uictus cultuſq;

corporis

corporis ad ualetudinem referatur, & ad uires, non ad uoluptatem. Atq; etiã ſi conſiderare uolemus quæ ſit in natura excellentia & dignitas, intelligemus ꝙ ſit turpe diffluere luxuria, & delicate ac molliter uiuere, quamq; honeſtum parce, continenter, ſeuere, ſobrie. Intelligendum etiam eſt duabus quaſi nos à natura indutos eſſe perſonis: quarum una communis eſt, ex eo quod omnes participes ſumus rationis, præſtãtiæq; eius, qua antecellimus beſtijs, à qua omne honeſtum decorumq; trahitur, & ex qua ratio inueniendi officij exquiritur. Altera autem quæ proprie ſingulis eſt attributa. Vt enim in corporibus magnæ diſſimilitudines ſunt, alios enim uidemus uelocitate ad curſum, alios uiribus ad luctandum ualere, itemq; in formis alijs dignitatem ineſſe, in alijs uenuſtatem: ſic in animis exiſtunt maiores etiam uarietates. Erat in L. Craſſo, & in L. Philippo multus lepos: maior etiam magisq; de induſtria, in C. Cæſare Lucij filio. At eiſdem temporibus in M. Scauro, & in M. Druſo adoleſcente ſingularis ſeueritas: in C. Lælio multa hilaritas: in eius familiari Scipione ambitio maior, uita triſtior. De Græcis autem dulcem & facetum, feſtiuiq; ſermonis, atque in omni oratione ſimulatorem, quem εἴρωνα Græci nominauerunt, Socratem accepimus: contra, Pythagoram & Periclẽ ſummam auctoritatem conſecutos ſine ulla hilaritate. Callidum Annibalem ex Pœnorum, ex noſtris ducibus Q. Fabium Maximum accepimus facilè celare, tacere, diſſimulare, inſidiari, præripere hoſtium cõſilia. In quo genere Græci Themiſtoclem & Pheræum Iaſonem ceteris anteponũt: in primisq; uerſutum & callidum factum Solonis, qui quo & tutior uita eius eſſet, & plus aliquanto Reipub. prodeſſet, furere ſe ſimulauit. Sunt his alij multum diſpares, ſimplices, & aperti, qui nihil ex occulto, nihil de inſidijs agendum putant, ueritatis cultores, fraudis inimici. Itemq; alij qui quiduis perpetiantur, cuiuis deſeruiant, dum quod uelint conſequantur, ut Syllam & M. Craſſum uidebamus. Quo in genere uerſutiſſimum & patientiſſimum Lacedæmonium Lyſandrum accepimus: contraq; Callicratidem, qui præfectus claſſis proximus poſt Lyſandrum fuit. Itemq; in ſermonibus aliũ quenque, quãuis præpotens ſit, efficere ut unus de multis eſſe uideatur: quod in Catulo & in patre & in filio, itemq; & in Q. Mutio Mancino uidimus. Audiui ex maioribus natu hoc idem fuiſſe in P. Scipione Naſica. Contraq; patrem eius, illum qui Ti. Gracchi conatus perditos uindicauit, nullam comitatem habuiſſe ſermonis: ne Xenocratem quidem ſeueriſſimum philoſophorum, ob eam rem ipſam magnum & clarum fuiſſe. Innumerabiles alię diſſimilitudines ſunt naturæ, morumq;, minime tamen uituperandorum. Admodum autem tenẽda ſunt ſua cuiq;, non uitioſa, ſed tamen propria, quo facilius decorum illud quod quærimus, retineatur. Sic enim eſt faciendum, ut contra naturam uniuerſam nihil contendamus: ea tamen conſeruata, propriam ſequamur, ut etiam ſi ſint alia meliora atque grauiora, tamen nos ſtudia noſtra naturę regula metiamur. Neque enim attinet repugnare naturę, nec quidquam ſequi quod aſſequi non queas. Ex quo magis emergit quale ſit decorum illud, ideo, quia Nihil decet inuita, ut aiunt, Minerua, id eſt aduerſante & repugnãte natura. Omnino ſi quidquam eſt decorum, nihil eſt profecto magis quàm æquabilitas uniuerſæ uitę, tum ſingularũ actionum: quã cõſeruare nõ poſſis, ſi aliorũ naturã imitans omittas tuã. Vt enim ſermone eo debemus uti qui no

tus eſt nobis, ne, ut quidam græca uerba inculcantes, iure optimo irrideamur: ſic in actiones omnemq; uitam nullam diſcrepantiam conferre debemus. Atque hęc differentia naturarum tantam habet uim, ut nonnunq̃ mortem ſibi ipſi conſciſcere alius debeat, alius in eadem cauſa non debeat. Num enim alia in cauſa M. Cato fuit, alia ceteri qui ſe in Aphrica Cęſari tradiderunt? Atqui ceteris forſitan uitio datum eſſet ſi ſe interemiſſent, propterea quòd lenior eorum uita, & mores, fuerant faciliores: Catoni autem quum incredibilem tribuiſſet natura grauitatem, eamq; ipſe perpetua conſtantia roborauiſſet, ſemperq; in propoſito ſuſceptoq; conſilio permanſiſſet, moriendum potius q̃ tyranni uultus aſpiciendus erat. Quã multa paſſus eſt Vlyſſes in illo errore diuturno, quum & mulieribus, ſi Circe & Calypſo mulieres appellandę ſunt, inſeruiret, & in omni ſermone omnibus affabilem & iucũdum ſe eſſe uellet? domi uero etiam contumelias ſeruorum ancillarumq; pertulit, ut ad id aliquãdo quod cupiebat ueniret. At Aiax, quo animo traditur, millies oppetere mortem, q̃ illa perpeti maluiſſet. Quę contemplantes, expendere oportebit quid quiſq; habeat ſui, eaq; moderari, nec uelle experiri q̃ ſe aliena deceant. Id enim maxime quenq; decet, quod eſt cuiuſq; ſuum maxime. Suum igitur quiſq; noſcat ingenium, acremq; ſe & bonorum & uitiorum ſuorum iudicem præbeat, ne ſcenici plus q̃ nos uideantur habere prudentiæ. Illi enim non optimas, ſed ſibi accommodatiſſimas fabulas eligunt. Qui uoce freti ſunt, Epigonos, Meduq;: qui geſtu, Menalippã, Clitęmneſtrã. Sẽper Rutilius, quẽ ego memini Antiopã: non ſæpe Aeſopus Aiacẽ. Ergo hiſtrio hoc uidebit in ſcena, quod non uidebit ſapiens uir in uita? Ad quas igitur res aptiſſimi erimus, in ijs potiſſimũ elaborabimus. Sin aliquãdo neceſſitas nos ad ea detruſerit, quę noſtri ingenij nõ erunt, omnis adhibẽda erit cura, meditatio, diligẽtia, ut ea ſi nõ decore, at quãminime indecore facere poſſimus. Nec tã eſt enitendum ut bona quæ nobis data nõ ſint ſequamur, q̃ ut uitia fugiamus. Ac duabus ijs perſonis quas ſupra dixi, tertia adiũgitur, quã caſus aliquis aut tẽpus ĩponit. Quarta etiã, quã nobiſmetipſis iudicio noſtro accõmodamus. Nã regna, imperia, nobilitates, honores, diuitiæ, opes, eaq; omnia quę ſunt his cõtraria, in caſu ſita, tẽporibus gubernantur. Ipſi autem quã perſonam gerere uelimus, à noſtra uoluntate proficiſcitur. Itaq; ſe alij ad philoſophiã, alij ad ius ciuile, alij ad eloquentiã applicant, ipſarumq; uirtutum in alia alius mauult excellere. Quorum uero patres aut maiores aliqua gloria præſtiterunt, hi ſtudent plerunque eodem in genere laudis excellere: ut Q. Mutius P. F. in iure ciuili: Pauli F. Aphricanus in re militari. Quidam autem ad eas laudes quas à patribus acceperunt, addunt aliquam ſuam: ut hic idem Aphricanus eloquentia cumulauit bellicam gloriam. Quod idem fecit Timotheus Cononis filius, qui cum belli laude non inferior fuiſſet quàm pater, ad eam laudem, doctrinæ & ingenij gloriam adiecit. Fit autem interdum, ut nonnulli omiſſa imitatione maiorum, ſuum quoddam inſtitutum conſequantur: maximeq; in eo plerunque elaborant ij qui magna ſibi proponunt obſcuris orti maioribus. Hęc igitur omnia cum quęrimus quid deceat: complecti animo & cogitatione debemus. In primis autem conſtituendum eſt quos nos & quales eſſe uelimus, & in quo genere uitæ: quæ deliberatio eſt omninm difficillima. Ineunte enim adoleſcentia, cui ineſt maxima imbecillitas conſilij, tum id

ſibi

ſibi quiſq; genus ætatis degendæ conſtituit,quod maxime adamauit. Itaque ante implicatur aliquo certo genere curſuq; uiuendi,q̃ potuit quid optimum eſſet iudicare. Nanq; Herculem Prodicium dicunt,ut eſt apud Xenophontem,quum primum pubeſceret,quod tempus à natura ad deligendum quam quiſq; uiuendi uiam ſit ingreſſurus,datum eſt,exiſſe in ſolitudinem,atq; ibi ſedentem diu ſecum multumq; dubitaſſe,quum duas cerneret uias,unam uoluptatis,alteram uirtutis,utram ingredi melius eſſet. Hoc Herculi Iouis ſatu edito potuit fortaſſe contingere,nobis non idem,qui imitamur quos cuique uiſum eſt,atque ad eorum ſtudia inſtitutaq; impellimur. Plerunq; autem parentum præceptis imbuti,ad eorum coſuetudinem moremq; deducimur. Alij multitudnis iudicio feruntur,queq; maiori parti pulcherrima uidentur,ea maxime exoptant. Nonnulli tamen ſiue felicitate quadam,ſiue bonitate nature, ſiue parentum diſciplina,rectam uite ſecuti ſunt uiam. Illud autem maxime rarum genus eſt,eorum qui aut excellente ingenij magnitudine,aut preclara eruditione atq; doctrina,aut utraq; re ornati,ſpatium etiam deliberandi habuerunt,quem potiſſimum uite curſum ſequi uellent. In qua deliberatione,ad ſuã cuiuſque naturam conſilium eſt omne reuocandum. Nam quum in omnibus que aguntur,ex eo modo quo quiſq; natus eſt,ut ſupra dictum eſt,quid deceat exquirimus: tum in tota uita conſtituenda multo eſt maior rei cura adhibenda,ut conſtare in uitæ perpetuitate poſſimus nobiſmetipſis,nec in ullo officio claudicare. Ad hanc autem rationem, quoniam maximam uim natura habet,fortuna proximam,utriuſq; omnino ratio habenda eſt in deligendo genere uite,ſed nature magis. Multo enim & firmior eſt & conſtãtior,ut fortuna nonnunq̃ tanquam ipſa mortalis cum immortali natura pugnare uideatur. Qui igitur ad nature ſue non uitioſe genus,conſilium uiuendi omne contulerit,is conſtantiam teneat: id enim maxime decet,niſi forte ſe erraſſe intellexerit in deligendo genere uite. Quod ſi acciderit,poteſt autem accidere, facienda morum inſtitutorumq; mutatio eſt. Eam mutationem ſi tempora adiuuabunt,facilius commodiusq; faciemus: ſin minus,ſenſim erit pedetentimq; facienda: ut amicitias que minus delectent & minus probentur,magis decere cenſent ſapientes ſenſim diſſuere,q̃ repente precidere. Commutato autem genere uite,omni ratione curãdum eſt ut id bono conſilio feciſſe uideamur. Sed quoniam paulo ante dictum eſt imitandos eſſe maiores, primum illud exceptum ſit,ne uitia ſint imitanda: deinde,ſi natura non feret ut quedam imitari poſſint,ut ſuperioris Aphricani F. qui hunc Paulo natum adoptauerat, propter infirmitatem ualetudinis non tam potuit patris ſimilis eſſe, q̃ ille fuerat ſui. Si igitur non poterit ſiue cauſas defenſitare,ſiue populum concionibus tenere,ſiue bella gerere: illa tamen preſtare debebit que erunt in ipſius poteſtate,iuſtitiam,fidem,liberalitatem,modeſtiam, temperantiam, quo minus ab eo id quod deſit requiratur. Optima autem hereditas à patribus traditur liberis,omniq; patrimonio præſtantior,gloria uirtutis,rerumq; geſtarũ: cui dedecori eſſe,nefas & uitium iudicandum eſt. Et quoniã officia nõ eadẽ diſparibus etatibus tribuuntur,aliaq; ſunt iuuenũ,alia ſeniorum, aliquid etiã de hac diſtinctione dicendũ eſt. Eſt igitur adoleſcẽtis,maiores natu uereri,exq; his deligere optimos & probatiſſimos,quorũ cõſilio atq; auctoritate nitat̃. Ineũtis enĩ ætatis inſcitia,ſenũ cõſtituenda & regẽda prudẽtia eſt. Maxime autem

hæc ætas à libidinibus arcenda eſt,exercendaq́ꝫ in labore patientiaq́ꝫ & animi & corporis,ut eorum & in bellicis & in ciuilibus officijs uigeat induſtria. Atque etiam quum relaxare animos,& dare ſe iucunditati uolent,caueant intemperantiam,meminerint uerecundiæ:quod erit facilius,ſi in eiuſmodi quidem rebus maiores natu uelint intereſſe. Senibus autem labores corporis minuendi,exercitationes animi etiam augendę uidentur.Danda uero opera,ut & amicos,& iuuentutem,& maxime Remp.conſilio & prudentia quãplurimum adiuuent.Nihil autem magis cauendum eſt ſenectuti,quàm ne lãguori ſe deſidięq́ꝫ dedat.Luxuria uero quum omni ætati turpis,tum ſenectuti fœdiſſima eſt.Sin autem libidinum etiam intemperantia acceſſerit, duplex malum eſt,quod & ipſa ſenectus dedecus concipit,& facit adoleſcentum impudentiorem intemperantiam. Ac ne illud quidem alienum eſt,de magiſtratuum,de priuatorum,de ciuium,de peregrinorum officijs dicere. Eſt igitur proprium munus magiſtratus,intelligere ſe gerere perſonam ciuitatis, debereq́ꝫ eius dignitatem & decus ſuſtinere,ſeruare leges,iura deſcribere , & fidei ſuę commiſſa meminiſſe.Priuatum autem oportet ęquo & pari cum ciuibus iure uiuere,neq́ꝫ ſummiſſum & abiectum,neq́ꝫ ſe efferẽtem,tum in repub. ea uelle, quæ tranquilla & honeſta ſint.Talem enim & ſentire bonum ciuem & dicere ſolemus. Peregrini autem atq́ꝫ incolæ officium eſt , nihil præter ſuum negociũ agere,nihil de alieno inquirere,minimeq́ꝫ eſſe ĩ aliena Repub. curioſũ.Ita fere officia reperientur , cũ quæretur quid deceat,& quid aptum ſit perſonis,tẽporibus,ætatibus.Nihil eſt autẽ quod tã deceat,q̃ in omni re gerenda cõſilioq́ꝫ capiendo ſeruare conſtantiam. Sed quoniam decorũ illud in omnibus factis,dictis,in corporis deniq́ꝫ motu & ſtatu cernitur, idq́ꝫ poſitum eſt in tribus rebus,formoſitate,ordine,ornatu ad actionem apto, difficilius ad eloquendum:ſed ſatis erit intelligi.In his autẽ tribus cõtinetur cura etiã illa,ut probemur ijs quibus cũ apud quosq́ꝫ uiuamus.His quoq́ꝫ de rebus pauca dicãtur. Prĩcipio corporis noſtri magnã natura ipſa uidetur habuiſſe rationẽ,quæ formã noſtram reliquamq́ꝫ figuram,in qua eſſet ſpecies honeſta,eam poſuit in promptu:quę autẽ partes corporis ad naturę neceſſitatem datę,aſpectum eſſent deformem habiturę atq́ꝫ formam,eas contexit atque abdidit.Hanc naturę tam diligentem fabricam imitata eſt hominum uerecundia.Quæ enim natura occultauit,eadem omnes qui ſana mente ſunt remouent ab oculis,ipſiq́ꝫ neceſſitati dant operã,ut q̃ occultiſſime pareant: quarumq́ꝫ partium corporis uſus ſunt neceſſarij,eas neq́ꝫ partes,neq́ꝫ earum uſus ſuis nominibus appellant:quodq́ꝫ facere turpe non eſt,modo occulte,id dicere,obſcœnum eſt.Itaq́ꝫ nec aperta actio rerum illarum petulantia uacat , nec orationis obſcœnitas.Nec uero audiendi ſunt Cynici,aut ſiqui fuerunt Stoici pene Cynici,qui reprehendunt & irrident ꝙ ea quæ turpia nõ ſunt, uerbis flagitioſa dicamus:illa autem quæ turpia ſunt , nominibus appellemus ſuis. Latrocinari,fraudare,adulterari, turpe eſt, ſed dicitur non obſcœne : liberis dare operam,re honeſtum eſt,nomine obſcœnum.pluraq́ꝫ in eam ſentẽtiam ab eiſdem contra uerecundiam diſputantur.Nos autem naturam ſequamur, & ab omni quod abhorret ab oculorum auriumq́ꝫ approbatione, fugiamus. Status,inceſſus , ſeſſio, accubatio, uultus, oculi,manuum motus,teneant illud decorum.Quibus in rebus maxime ſunt fugienda,ne quid effœminatum aut

molle,

molle,& ne quid durū aut ruſticum ſit. Nec uero hiſtrionibus oratoribusq́ concedendum eſt,ut his hæc apta ſint,nobis diſſoluta. Scenicorum quidem mos tantam habet uetere diſciplina uerecundiam,ut in ſcenam ſine ſubligaculo prodeat nemo. Verentur enim ne ſi quo caſu euenerit ut corporis partes quędam aperiantur,aſpiciantur non decore. Noſtro quidem more cum parētibus puberes filij,cum ſoceris generi non lauantur. Retinenda igitur eſt huius generis uerecundia,preſertim natura ipſa magiſtra & duce. Cum autem pulchritudinis duo genera ſint,quorum in altero uenuſtas ſit,in altero dignitas:uenuſtatem muliebrem dicere debemus,dignitatem uirilem. Ergo & á forma remoueatur omnis uiro non dignus ornatus,& huic ſimile uitium in geſtu motuq́ caueatur. Nam & palæſtrici motus ſępe ſunt odioſiores, & hiſtrionum nonnulli geſtus ineptijs non uacant:& in utroq; genere quę ſunt recta & ſimplicia,laudantur. Formæ autem dignitas,coloris bonitate tuenda eſt:colorq́ exercitatione corporis. Adhibēda preterea mūditia eſt,nō odioſa neque exquiſita nimis,tantum quæ fugiat agreſtem & inhumanam negligentiam. Eadem ratio eſt habenda ueſtitus:in quo,ſicut in pleriſq; rebus mediocritas optima eſt. Cauendum eſt autem ne aut tarditatibus utamur in greſſu mollioribus,ut pomparum ferculis ſimiles eſſe uideamur:aut in feſtinationibus ſuſcipiamus nimias celeritates. Quæ cum fiunt,anhelitus mouentur,uultus mutantur,ora torquentur:ex quibus magna ſignificatio fit nō adeſſe conſtantiam. Sed multo etiam magis elaborandum eſt,ne animi motus á natura recedant:quod aſſequemur,ſi cauebimus ne in perturbationes atque exanimationes incidamus,& ſi attentos animos ad decori conſeruationem tenebimus. Motus autem animorum duplices ſunt,alteri cogitationis, alteri appetitus. Cogitatio in uero exquirendo maxime uerſatur : appetitus impellit ad agendum. Curandum eſt igitur ut cogitatione ad res quàm optimas utamur,appetitum rationi obedientem præbeamus. Et quoniam magna uis orationis eſt,eaq́ duplex,altera contentionis,altera ſermonis:contentio diſceptationibus tribuatur iudiciorum,concionum, Senatus:ſermo in circulis,diſputationibus,congreſſionibus familiarum uerſetur, perſequatur etiamconuiuia. Contentionis præcepta rhetorum ſunt,nulla ſermonis quāquam haud ſcio an poſſint hæc quoque eſſe. Sed diſcentium ſtudijs inueniuntur magiſtri:huic autem qui ſtudeant, ſunt nulli:rhetorum turba referta omnia. quāquam quæ uerborum ſententiarumq́ pręcepta ſunt,eadem ad ſermonem pertinebunt. Sed cum orationis indicem uocem habeamus,in uoce autem duo ſequamur, ut clara ſit,ut ſuauis,utrumque omnino á natura petendum eſt:uerum alterum exercitatio augebit,alterum imitatio preſſe loquentium & leniter:nihil aliud fuit in Catulis,ut eos exquiſito iudicio putares uti literarum:quāquam erant literati,ſed & alij. Hi autem optime uti lingua latina putabantur:ſonus erat dulcis:literæ neq; expreſſæ,neq; oppreſſæ,ne aut obſcurum eſſet aut putidum. Sine contentione uox,nec languens,nec canora. Vberior oratio L. Craſſi,nec minus faceta:ſed bene loquendi de Catulis opinio non minor. Sale uero & facetijs Cęſar Catuli patris frater uicit omnes: ut in illo ipſo forenſi genere dicendi contentiones aliorum ſermone uinceret. In omnibus igitur his elaborandū eſt,ſi in omni re quid deceat exquirimus. Sit igitur hic ſermo,ī quo Socratici maxime excellūt,lenis minimeq́ pertinax.

Inſit in eo lepos. Nec uero tanq̃ in poſſeſſionem ſuam uenerit, excludat alios, ſed cum reliquis in rebus, tum etiam in ſermone communi uiciſſitudinem nō nunq̃ putet. Ac uideat in primis quibus de rebus loquatur. ſi ſerijs, ſeueritatē adhibeat: ſi iocoſis, leporem: in primiſq; prouideat ne ſermo uitium aliquod indicet ineſſē in moribus: quod maxime tum ſolet euenire, quū ſtudioſe de ab ſentibus detrahendi cauſa aut per ridiculum aut ſeuere, maledice, contumelio ſeq; dicitur. Habentur autem plerumq; ſermones aut de domeſticis negotijs, aut de rep. aut de artium ſtudijs atq; doctrina. Danda igitur opera eſt, ut etiam ſi aberrare ad alia cœperit, ad hæc reuocetur oratio. Sed utcunq; aderunt res, neq; enim ijſdem rebus, nec omni tempore, nec ſimiliter delectamur: animaduertendum eſt etiam quatenus ſermo delectationem habeat: & ut incipiendi ratio fuerit, ita ſit deſinendi modus. Sed quoniam in omni uita rectiſſime præcipitur ut perturbationes fugiamus, id eſt motus animi nimios rationi nō obtemperantes: ſic eiuſmodi motibus ſermo debet uacare, ne aut ira exiſtat, aut cupiditas aliqua, aut pigritia, aut ignauia, aut tale aliquid appareat. Maximeq; curandum eſt, ut eos quibus cum ſermonem conferemus, & uereri, & diligere uideamur. Obiurgationes etiam nonnunq̃ incidunt neceſſariæ: in quibus utendum eſt fortaſſe & uocis contentione maiore, & uerborū grauitate acriore. Id agendum etiam eſt, ut ne ea facere uideamur irati: ſed ut ad urendum & ſecandum, ſic ad hoc genus caſtigādi raro inuitiq; ueniemus, nec unq̃ niſi neceſſario, ſi nulla reperietur alia medicina. Sed tamen ira procul abſit, cum qua nihil recte fieri, nihil conſiderate poteſt. Magna autem parte clementi caſtigatione licet uti, grauitate tamē adiuncta: ut & ſeueritas adhibeatur, & contumelia repellatur. Atq; etiam illud ipſum quod acerbitatis habet obiurgatio, ſignificandum eſt ipſius id cauſa qui obiurgetur, ſuſceptum eſſe. Rectum eſt autem etiam in illis contentionibus quæ cum inimiciſſimis fiunt, etiam ſi nobis indigna audiamus, tamen grauitatem retinere, iracundiam pellere. Quæ enim cum aliqua perturbatione fiunt, ea nec conſtanter fieri poſſunt, neq; ijs qui adſunt probari. Deforme etiam eſt de ſeipſo prædicare, falſa preſertim, & cum irriſione audientium imitari militem glorioſum. Et quoniam omnia perſequimur, uolumus quidem certe, dicendum eſt etiā qualem hominis honorati & principis domum placeat eſſe, cuius finis eſt uſus: ad quem accommodanda eſt ædificandi deſcriptio: & tamen adhibenda cōmoditatis dignitatiſq; diligentia. Cn. Octauio qui primus ex illa familia Cōſul factus eſt, honori fuiſſe accepimus, q; præclaram ædificaſſet in Palatio & plenam dignitatis domum: quæ cum uulgo uiſeretur, ſuffragata domino nouo homini ad Conſulatum putabatur. Hanc Scaurus demolitus, acceſſionem adiunxit ædibus. Itaq; ille in ſuam domum Conſulatum primus attulit: hic ſūmi & clariſſimi uiri filius in domum multiplicatam non repulſam ſolum retulit, ſed ignominiam etiam & calamitatem. Ornanda enim eſt dignitas domo non ex domo tota quærenda: nec domo dominus, ſed domino domus honeſtanda eſt. Et ut in ceteris habenda ratio non ſui ſolum, ſed etiam aliorum: ſic in domo clari hominis, in quam & hoſpites multi recipiendi ſunt, & admittēda hominum cuiuſq; generis multitudo, adhibenda eſt cura laxitatis. Aliter ampla domus dedecori domino ſæpe fit, ſi eſt in ea ſolitudo, & maxime ſi aliquando alio domino ſolita eſt frequentari. Odioſum eſt enim cum à prætereuntibus

euntibus dicitur. O domus antiqua, heu q̄ diſpari dominare domino. Quod quidem his temporibus in multis licet dicere. Cauēdum autem eſt preſertim ſi ipſe ædifices, ne extra modum ſumptu & magnificentia prodeas: quo in genere multum mali etiam in exemplo eſt. Studioſe enim pleriqꝫ preſertim in hanc partem facta principum imitantur: ut L. Luculli ſummi uiri uirtutem quis? At q̄ multi uillarum magnificentiam imitati ſunt? Quarum quidē certe eſt adhibendus modus, ad mediocritatemq́ꝫ reuocandus: eademq́ꝫ mediocritas ad omnem uſum cultumq́ꝫ uitæ transferenda. Sed hæc hactenus.

In omni autem actione ſuſcipienda, tria ſunt tenenda. Primum, ut appetitus rationi pareat: quo nihil eſt ad officia conſeruanda accommodatius. Deinde ut animaduertatur quanta illa res ſit quam efficere uelimus, ut neue maior neue minor cura & opera ſuſcipiatur, q̄ cauſa poſtulet. Tertium eſt ut caueamus ut ea quæ pertinent ad liberalem ſpeciem, & dignitatem moderāda ſint. Modus autem eſt optimus, decus ipſum tenere, de quo ante diximus, nec progredi longius. Horum tamen trium prǽſtantiſſimum eſt, appetitum obtemperare rationi. Deinceps de ordine rerum, & de opportunitate temporum dicendum eſt. Hac autem ſcientia continetur ea quam Græci εὐταξίαν nominant, non hanc quam interpretamur modeſtiam, quo in uerbo modus ineſt: ſed illa eſt εὐταξία in qua intelligitur ordinis cōſeruatio. Itaqꝫ ut eandē nos modeſtiam appellemus, ſic definitur à Stoicis, ut modeſtia ſit ſcientia rerum earum quæ aguntur aut dicuntur, loco ſuo collocandarum. Ita uidetur eadem uis ordinis & collocationis fore. Nam & ordinem ſic definiunt, compoſitionem rerum aptis & accommodatis locis. Locum autem actionis, opportunitatem temporis eſſe dicunt. Tempus autē actionis opportunū, græce εὐκαιρία latine appellatur occaſio. Sic fit ut modeſtia hæc quam ita interpretamur, ut dixi, ſcientia ſit opportunitatis idoneorum ad agendum temporum. Sed poteſt eadem eſſe prudentiæ definitio, de qua principio diximus. Hoc autem loco de moderatione & temperātia, & harum ſimilibus uirtutibus quærimus. Itaque quæ erant prudentiæ propria, ſuo loco dicta ſunt. Quæ autem harum uirtutum, de quibus iam diu loquimur, pertinent ad uerecundiam, & ad eorum approbationem quibus cum uiuimus, nunc dicenda ſunt. Talis eſt igitur ordo actionum adhibendus, ut quemadmodum in oratione conſtanti, ſic in uita omnia ſint apta inter ſe & conuenientia. Turpe enim ualdeq́ꝫ uitioſum, in re ſeuera conuiuio dignum aut delicatum aliquem inferre ſermonem. Bene Pericles, cum haberet collegam in Prǽtura Sophoclem poetam, hiq́ꝫ de cōmuni officio conueniſſent, & caſu formoſus puer præteriret, dixiſſetq́ꝫ Sophocles, O puerum pulchrum Pericle: ait, At enim Prǽtorem Sophocle decet non ſolum manus, ſed etiam oculos abſtinentes habere. Atqui hoc idem Sophocles ſi in Athletarum probatione dixiſſet, iuſta reprehenſione caruiſſet. Tanta uis eſt & loci & temporis, ut ſi quis cum cauſam ſit acturus, in itinere aut in ambulatione ſecum ipſe meditetur, aut ſi quid aliud attentius cogitet, non reprehendatur. at hoc idem ſi in conuiuio faciat, inhumanus uideatur, in ſcientia temporis. Sed ea quæ multum ab humanitate diſcrepant, ut ſi quis in foro cantet, aut ſiqua eſt alia magna peruerſitas, facile apparent, nec magnopere admonitionem & præcepta deſiderant. Quǽ autem parua uidentur eſſe delicta, neqꝫ à multis intelligi poſſunt, ab ijs eſt diligentius declinandum. Vt

in fidibus aut tibijs,q̃uis paulum diſcrepent,tamen id à ſciente animaduerti ſolet:ſic uiuendum eſt,in uita ne forte quid diſcrepet:uel multo etiam magis, quo maior & melior actionum q̃ ſonorum concentus eſt.Itaꝗ ut in fidibus muſicorum aures uel minima ſentiunt,ſic nos,ſi acres ac diligentes eſſe uolumus animaduerſoresꝗ uitiorum,magna ſæpe intelligemus ex paruis. Ex oculorum obtutu,ſuperciliorum aut remiſſione aut contractione,ex mœſtitia,ex hilaritate,ex riſu,ex locutione,ex reticentia,ex contentione uocis, ex ſummiſſione,ex ceteris ſimilibus facile iudicabimus quid eorum apte fiat,quid ab officio naturaꝗ diſcrepet. Quo in genere non eſt incommodum quale quodꝗ eorum ſit,ex alijs iudicare:ut ſi quid dedeceat in illos, uitemus ipſi. Fit enim, neſcio quo modo,ut magis in alijs cernamus q̃ in nobiſmetipſis, ſi quid delinquitur. Itaꝗ facillime corriguntur in diſcendo,quorum uitia imitantur emendandi cauſa magiſtri. Nec uero alienum eſt ad ea eligenda quę dubitationem afferunt,adhibere doctos homines,uel etiam uſu peritos,& quid his de quoque officij genere placeat exquirere. Maior enī pars eo fere deferri ſolet,quo à natura ipſa deducitur. In quibus uidendum eſt non modo quid quiſꝗ loquatur,ſed etiam quid quiſꝗ ſentiat,atꝗ etiam qua de cauſa quiſꝗ ſētiat. Vt enim pictores,& ij qui ſigna fabricantur,& ueri etiam poetæ ſuū quiſꝗ opus à uulgo conſiderari uult,ut ſi quid reprehenſum ſit à pluribus,id corrigatur, hiꝗ & ſecum & cum alijs quid in eo peccatum ſit exquirunt:ſic aliorum iudicio permulta nobis & facienda & non facienda, & mutanda & corrigenda ſunt. Quæ uero more aguntur,inſtitutiſꝗ ciuilibus,de ijs nihil eſt præcipiendum,illa enim ipſa pręcepta ſunt:nec quēq̃ hoc errore duci oportet,ut ſi quid Socrates aut Ariſtippus contra morem conſuetudinemꝗ ciuilem fecerint, locuti ue ſint,idem ſibi arbitretur licere,magnis enim illi & diuinis bonis hanc licentiam aſſequebantur. Cynicorum uero ratio tota eſt eijciēda:eſt enim inimica uerecundiæ,ſine qua nihil rectum eſſe poteſt,nihil honeſtum. Eos autē quorum uita perſpecta in rebus honeſtis atque magnis eſt,bene de rep. ſentientes,ac bene meritos,aut merentes,aliquo honore aut imperio affectos, obſeruare & colere debemus. Tribuere etiam multum ſenectuti, cedere ijs qui magiſtratum habebunt,habere delectum ciuis & peregrini,in ipſoꝗ peregrino priuatim ne an publice uenerit. Ad ſummam,ne agam de ſingulis, communem totius generis hominum conciliationem & conſociationem colere,tueri ſeruare,debemus.

Iam de artificijs & quæſtibus, qui liberales habendi, qui ſordidi ſint,hęc ferè accepimus. Primum improbantur ij quæſtus qui in odia hominum incurrunt,ut portitorum,ut fœneratorum. Illiberales autem & ſordidi quæſtus mercenariorum,omniumꝗ quorum operæ,non quorum artes emuntur. Eſt enim in illis ipſa merces auctoramentum ſeruitutis. Sordidi etiam putantur qui mercantur à mercatoribus,quod ſtatim uendant:nihil enim proficiunt,niſi admodum mentiantur. nec uero quidquam eſt turpius uanitate,opificesꝗ omnes qui in ſordida arte uerſantur. Nec enim quidquam ingenuum habere poteſt officina:minimeꝗ artes eę probandæ, quæ miniſtræ ſunt uoluptatum,cetarij,lanij,coqui,fartores,piſcatores,ut ait Terētius. Adde huc,ſi placet,unguentarios,ſaltatores,totumꝗ ludum talarium. Quibus autem artibus aut prudentia maior ineſt,aut non mediocris utilitas quæritur,ut medicina,ut architectura,ut doctrina rerum honeſtarum,hæ ſunt ijs

quorum

quorum ordini conueniunt,honeſtæ.Mercatura autem ſi tenuis eſt , ſordida putanda eſt:ſin magna & copioſa,multa undiq; apportans,multisq; ſine uanitate impartiens,non eſt admodum uituperanda.Atque etiam ſi ſatiata quæſtu,uel contenta potius,ut ſæpe ex alto in portum,ſic ex ipſo portu ſe in agros poſſeſſionésque contulerit,uidetur iure optimo poſſe laudari.Omnium autē rerū ex quibus aliquid acquiritur,nihil eſt agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius,nihil homine libero dignius. De qua quoniam ī Catone maiore ſatis multa diximus,illinc aſſumes quæ ad hunc locum pertinebunt.

Sed ab ijs partibus quæ ſunt honeſtatis, quemadmodum officia ducerentur,ſatis expoſitum uidetur.Eorum autem ipſorum quæ honeſta ſunt poteſt incidere ſæpe contentio & comparatio de duobus honeſtis utrum honeſtius. qui locus à Panętio eſt prętermiſſus.Nam cum omnis honeſtas manet à partibus quatuor,quarum una ſit cognitionis,altera cōmunitatis,tertia magnanimitatis,quarta moderationis:hæ in deligendo officio ſæpe inter ſe comparentur neceſſe eſt.Placet igitur aptiora eſſe naturæ ea officia quæ ex communitate,quàm ea quæ ex cognitione ducantur.Idq; hoc argumento cōfirmari poteſt,q ſi contigerit ea uita ſapienti,ut omnium rerum affluentibus copijs, quis omnia quæ cognitione digna ſint,ſummo otio ſecum ipſe conſideret & contempletur,tamen ſi ſolitudo tanta ſit,ut hominem uidere non poſſit,excedat è uita.Princepsq; omnium uirtutum eſt illa ſapientia. quam σοφίαν Græci uocant.Prudentiam enim,quam Gręci φρόνησιν dicunt,aliam quandam intelligimus,quæ eſt rerum expetendarum fugiendarumq; ſcientia.Illa autem ſapientia quam principem dixi,rerum eſt diuinarum & humanarum ſcientia, in qua cōtinetur deorum & hominum communitas,atq; ſocietas inter ipſos. Ea ſi maxima eſt,ut eſt certe,neceſſe eſt quod à communitate ducatur officiū, id eſſe maximum.Etenim cognitio contemplatioq; naturæ manca quodammodo atq; inchoata ſit,ſi nulla actio rerum conſequatur.Ea autem actio ī hominum commodis tuendis maxime cernitur.Pertinet igitur ad ſocietatem generis humani.Ergo hæc cognitioni anteponenda eſt. Atq; id optimus quiſque re ipſa oſtendit & iudicat.Quis eſt enim tam cupidus in perſpicienda cognoſcendaq; rerum natura,ut ſi ei tractanti contemplantiq; res cognitione dignisſimas,ſubito ſit allatum periculum diſcrimenq; patriæ,cui ſubuenire opitulariq; poſſit,non illa omnia relinquat atque abijciat,etiam ſi dinumerare ſe ſtellas,aut metiri mundi magnitudinem poſſe arbitretur? Atque hoc idem in parentis,in amici re aut periculo fecerit.Quibus rebus intelligitur, ſtudijs officijsq; ſcientiæ præponenda eſſe officia iuſtitiæ,quæ pertinent ad hominū utilitatem,qua nihil homini eſſe debet antiquius.Atque illi quorum ſtudia uitáque omnis in rerum cognitione uerſata eſt,tamen ab augendis hominum utilitatibus & commodis non receſſerunt.Nā & erudierunt multos,quo meliores ciues utilioresq; rebus ſuis publicis eſſent, ut Thebanum Epaminondā Lyſias Pythagorēus,Syracuſium Dionem Plato,multiq; multos.Nosq; ipſi quidquid ad remp.attulimus,ſi modo aliquid attulimus,à doctoribus atque à doctrina inſtructi ad eam & ornati acceſſimus. Neq; ſolum uiui atq; pręſentes ſtudioſos diſcendi erudiunt atq; docent,ſed hoc idem etiā poſt mortem monumentis literarum aſſequuntur.Nec enim locus ullus prętermiſſus eſt ab ijs qui ad leges,qui ad mores,qui ad diſciplinam Reipu.pertineret: ita

ut otium ſuum ad noſtrum negocium contuliſſe uideantur. Ita illi ipſi doctrinę ſtudijs & ſapientię dediti,ad hominum utilitatem ſuam prudentiam intelligentiamq́ʒ potiſſimum conferunt.Ob eamq́ʒ etiam cauſam eloqui copioſe, modo prudenter,melius eſt q̃ uel acutiſſime ſine eloquentia cogitare: qꝛ cogitatio in ſe ipſa uertitur, eloquentia cõplectitur eos quibus cum communitate iuncti ſumus. Atqʒ ut apum examina non fingendorum fauorum cauſa congregantur,ſed cum congregabilia natura ſint,fingunt fauos:ſic homines, ac multo etiam magis,natura congregati adhibent agendi congregandiq́ʒ ſolertiam. Itaqʒ niſi ea uirtus quę conſtat ex hominibus tuendis,id eſt ex ſocietate generis humani,attingat cognitionem rerum,ſoliuaga cognitio & ieiuna uideatur. Itemq́ʒ magnitudo animi remota comitate coniunctioneq́ʒ humana feritas ſit quædam,& immanitas. Ita fit ut uincat cognitionis ſtudium, conſociatio hominum atqʒ communitas. Nec uerum eſt,quod dicitur à quibuſdam propter neceſſitatem uitę,qꝛ ea quę natura deſideraret,conſequi ſine alijs atque efficere non poſſemus,idcirco iſtam eſſe cum hominibus communitatem & ſocietatem: qꝛ ſi omnia nobis quæ ad uictum cultumq́ʒ pertinent,quaſi uirgula diuina,ut aiunt,ſuppeditarentur, tum optimo quiſqʒ ingenio, negocijs omnibus omiſſis totum ſe in cognitione & ſcientia collocaret. Nõ eſt ita. Nã & ſolitudinem fugeret,& ſocium ſtudij quęreret:tum docere,tum diſcere uellet:tum audire,tum dicere.Ergo omne officium quod ad coniunctionem hominum & ad ſocietatem tuendam ualet, anteponendum eſt illi officio quod cognitione & ſcientia continetur. Illud forſitan quęrendum ſit,num hęc communitas quę maxime eſt apta naturę,ſit etiam moderationi modeſtięqʒ ſemper anteponenda. Non placet. Sunt enim quędam partim ita fœda, partim ita flagitioſa,ut ea ne conſeruandę quidem patrię cauſa ſapiens facturus ſit. Ea Poſidonius collegit permulta,ſed ita tetra quędam,ita obſcœna,ut dictu quoqʒ uideantur turpia. Hęc igitur nõ ſuſcipiet quis Reip.cauſa,ne Reſp. quidem pro ſe ſuſcipi uolet. Sed & hęc commodius ſe res habet,qꝛ non poteſt accidere tempus ut interſit Reip.quidq̃ illorum facere ſapientem. Quare hoc quidem effectum ſit in officijs deligendis,id genus officiorum excellere,quod teneatur hominum ſocietate. Etenim cognitionem prudentiamq́ʒ ſequitur cõſiderata actio. Ita fit ut agere conſiderate pluris ſit,q̃ cogitare prudenter.

Atqʒ hęc quidem hactenus. Patefactus eſt enim locus ipſe,ut non difficile ſit in exquirendo officio quid cuiqʒ ſit pręponendum uidere. In ipſa autem cõmunitate ſunt gradus officiorum,ex quibus quid cuiqʒ pręſtet,intelligi poſſit:ut prima dijs immortalibus,ſecunda patriæ,tertia parentibus, deinceps gradatim reliquis debeãtur. Quibus ex rebus breuiter diſputatis intelligi poteſt non ſolũ id homines ſolere dubitare,honeſtum ne an turpe ſit,ſed etiam duobus propoſitis honeſtis utrum honeſtius ſit. Hic locus à Panætio eſt,ut ſupra dixi,prętermiſſus. Sed iam ad reliqua pergamus.

MARCI TVLLII CICERONIS DE OFFICIIS, LIBER SECVNDVS.

QVemadmodū officia ducerentur ab honeſtate, Marce fili, atque ab omni genere uirtutis, ſatis explicatum arbitror libro ſuperiore. Sequitur ut hæc officiorum genera perſequamur, quæ pertinent ad uitæ cultum, & ad earum rerum, quibus utuntur homines, facultatem, ad opes, ad copias. In quo tum quæri dixi, quid utile, quid inutile: tum ex utilibus quid utilius, aut quid maxime utile: de quibus dicere aggrediar, ſi pauca prius de inſtituto ac de iudicio meo dixero. Quanquam enim libri noſtri complures non modo ad legendi, ſed etiam ad ſcribendi ſtudium excitauerunt, tamē interdum uereor ne quibuſdam bonis uiris philoſophiæ nomen ſit inuiſum, mirenturq; in ea tantum me operæ & temporis ponere. Ego autem quamdiu Reſpub. per eos gerebatur quibus ſe ipſa commiſerat, omnes meas curas cogitationesq; in eam conferebam. Cum autem dominatu unius omnia tenerentur, neq; eſſet uſquam conſilio aut auctoritati locus, ſocios denique tuendæ Reipub. ſummos uiros amiſiſſem, nec me angoribus dedidi, quibus eſſem cōſectus, niſi his reſtitiſſem: nec rurſum indignis homine docto uoluptatibus. Atq; utinam Reſpub. ſtetiſſet quo cœperat ſtatu, nec in homines non tam cōmutandarum q̃ euertendarum rerum cupidos incidiſſet. Primum enim, ut ſtante rep. facere ſolebamus, in agendo plus quàm in ſcribendo operæ poneremus. Deinde ipſis ſcriptis non ea quæ nunc, ſed actiones noſtras mandaremus, ut ſæpe fecimus. Cum autem Reſpub. in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni ſolebat, nulla eſſet omnino, illæ ſcilicet literæ conticuere omnes ſorenſes & ſenatoriæ. Nihil agere autem cum animus non poſſet, in his ſtudijs ab initio uerſatus ętatis, exiſtimaui honeſtiſſime poſſe deponi, ſi me ad philoſophiam retuliſſem. Cui cum multum adoleſcens diſcendi cauſa temporis tribuiſſem, poſtea q̃ honoribus inſeruire cœpi, meq; totum Reipub. tradidi, tantum erat philoſophiæ loci, quantum ſuperfuerat amicorum & Reipub. temporis. Id autem omne conſumebatur in legendo: ſcribendi otium non erat. Maximis igitur in malis hoc tamen boni aſſecuti uidemur, ut ea literis mandaremus, quę nec erant ſatis nota noſtris, & erant cognitione digniſſima. Quid enim eſt per deos, optabilius ſapientia? quid pręſtantius? quid homini melius? quid homine dignius? Hanc igitur qui expetunt, philoſophi nominantur: nec quidq̃ aliud eſt phyloſophia, ſi interpretari uelis, q̃ ſtudium ſapientiæ. Sapientia autem eſt, ut à ueteribus philoſophis definitum eſt, rerum diuinarum & humanarum, cauſarumq; quibus hę res continentur, ſcientia. Cuius ſtudium qui uituperat, haud ſanè intelligo quidnam ſit quod laudandum putet. Nam ſiue oblectatio quæritur animi, requieſq; curarum: quæ conferri cum eorum ſtudijs poteſt, qui ſemper aliquid inquirunt quod ſpectet & ualeat ad bene beateq; uiuendum? Siue ratio conſtantiæ uirtutiſq; ducitur: aut hęc ars eſt, aut nulla omnino, per quam eas aſſequamur. Nullam dicere maximarum rerum artem eſſe, cum minimarum ſine arte nulla ſit, hominū eſt pa-

rum conſiderate loquentium, atq; in maximis rebus errantium. Si autem eſt aliqua diſciplina uirtutis, ubi ea quæretur cum ab hoc diſcendi genere diſceſſeris? Sed hęc, quũ ad philoſophiam cohortamur, accuratius diſputari ſolent: quod alio quodam libro fecimus. Hoc autem tempore tantum nobis declarandum fuit, cur orbati Reipu. muneribus, ad hoc nos ſtudium potiſſimum contuliſſemus. Occurritur autem nobis, & quidem à doctis & eruditis, quęrentibus ſatis ne conſtanter facere uideamur, qui cum percipi nihil poſſe dicamus, tamen & alijs de rebus pręcipere ſoleamus, & hoc ipſo tempore pręcepta officij perſequamur. Quibus uellem ſatis cognita eſſet noſtra ſententia. Non enim ſumus ij quorum uagetur animus errore, nec habeat unq̃ quid ſequatur. Quæ enim eſſet iſta mens, uel quæ uita potius, non modo diſputandi, ſed etiam uiuendi ratione ſublata? Nos autem ut ceteri alia certa, alia incerta eſſe dicunt: ſic ab his diſſentientes, alia probabilia, alia non probabilia eſſe dicimus. Quid eſt igitur quod me impediat ea quę mihi probabilia uideantur, ſequi: quæ contra, improbare, atq; affirmandi arrogantiam uitantem, fugere temeritatem, quę à ſapientia diſſidet plurimum? Contra autem omnia diſputatur à noſtris, quo hoc ipſum probabile elucere non poſſit, niſi ex utraq; parte cauſarum eſſet facta contentio. Sed hęc explanata ſunt in Academicis noſtris, ſatis, ut arbitror, diligenter. Tibi autem mi Cicero, q̃q̃ in antiquiſſima nobiliſſimaq; philoſophia Cratippo auctore uerſaris, ijs ſimillimo qui iſta pręclara pepererunt, tamen noſtra hæc finitima ueſtris ignota eſſe nolui. Sed iam ad inſtituta pergamus. Quinq; igitur rationibus propoſitis officij perſequendi, quarum duę ad decus honeſtatemq; pertinent, duæ ad commoda uitę, copias, opes, facultates, quinta ad eligendi iudicium, ſiquando ea quæ dixi pugnare inter ſe uiderentur, honeſtatis pars perfecta eſt: quam quidem tibi cupio eſſe notiſſimam. Hoc autem de quo nunc agimus, id ipſum eſt quod utile appellatur. In quo uerbo lapſa cõſuetudo deflexit de uia, ſenſimq; eo deducta eſt, ut honeſtatem ab utilitate ſecernens conſtitueret honeſtum eſſe aliquid, quod utile non eſſet: & utile, quod nõ honeſtum. Qua nulla pernicies maior hominum uitæ potuit afferri. Summa quidem auctoritate philoſophi ſeuere ſanè atque honeſte hæc tria genera confuſa, cogitatione diſtinguunt. Quidquid enim iuſtum ſit, id etiam utile eſſe cenſent. Itemq; quod honeſtum, id iuſtum. Ex quo efficitur, ut quidquid honeſtum ſit, idem ſit utile. Quod qui parum perſpiciunt, ij ſæpe uerſutos homines & callidos admirantes, malitiam ſapientiam iudicant. Quorum error eripiendus eſt, opinióque omnis ad eam ſpeciem traducenda, ut honeſtis conſilijs, iuſtisq; factis non fraude & malitia ſe intelligant ea quæ uelint conſequi poſſe. Quæ ergo ad uitam hominum tuendam pertinent, partim ſunt inanima, ut aurum, argẽtum, ut ea quæ gignuntur è terra, ut alia generis eiuſdẽ: partim animalia, quæ habent ſuos impetus, & rerum appetitus. Eorum autem alia rationis expertia ſunt, alia ratione utentia. Expertes rationis ſunt equi, boues, reliquæ pecudes, apes, quarum opera efficitur aliquid ad uſum hominum atque uitam. Ratione autem utentium duo genera ponũt, unum deorum, alterum hominum. Deos placatos pietas efficit & ſanctitas. Proxime autem & ſecundum deos homines hominibus maxime utiles eſſe poſſunt. Earumq; item rerum quæ noceant & obſint, eadem diuiſio eſt. Sed quia deos nocere non putant, his ex-

ptis homines hominibus plurimum obeſſe uel prodeſſe arbitrantur. Ea enim ipſa quæ inanima diximus, pleraq; ſunt hominum operis effecta, quæ nec haberemus niſi manus & ars acceſſiſſent, nec his ſine hominum adminiſtratione uteremur. Neque enim ualetudinis curatio, neque nauigatio, neq; agricultura, neq; frugum fructuumq; reliquorum perceptio & cōſeruatio ſine hominum opera ulla eſſe potuiſſet. Iam uero & earum rerum quibus abūdaremus, exportatio, & earum quibus egeremus, inuectio, certe nulla eſſet, niſi his muneribus homines ſungerentur. Eademq; ratione nec lapides ex terra exciderētur ad uſum noſtrum neceſſarij, nec ferrum, æs, aurum, argētum effoderetur, penitus abditum, ſine hominum labore & manu. Tecta uero, quibus & frigorum uis pelleretur, & calorum moleſtiæ ſedarentur, unde aut in initio generi humano dari potuiſſent, aut poſtea ſubuenire ſi aut ui tempeſtatis, aut terræmotu, aut uetuſtate cecidiſſent, niſi cōmunis uita ab hominibus harum rerū auxilia petere didiciſſet? Adde ductus aquarum, deriuationes fluminū, agrorum irrigatiōes, moles oppoſitas fluctibus, portus manu factos: quę unde ſine hominū opera habere poſſemus? Ex quibus, multiſq; alijs, perſpicuū eſt, qui fructus, quæq; utilitates ex rebus ijs quæ ſunt inanimæ percipiantur, eas nos nullo modo ſine hominū manu atq; opera capere potuiſſe. Qui deniq; ex beſtijs fructus, aut quæ cōmoditas, niſi homines adiuuarent, percipi poſſet? Nam & qui principes inueniendi fuerunt, quem ex quaq; belua uſum habere poſſemus, homines certe fuerunt. Nec hoc tempore ſine hominum opera aut paſcere eas, aut domare, aut tueri, aut tēpeſtiuos fructus ex his capere poſſemus. Ab eiſdemq; & ea quæ nocent interficiuntur, & quę uſui poſſunt eſſe capiuntur. Quid enumerem artium multitudinem, ſine quibus uita omnino nulla eſſe potuiſſet? Quis enim ægris ſubueniſſet, quæ eſſet oblectatio ualentium, qui uictus aut cultus, niſi tam multæ nobis artes miniſtrarentur? Quibus rebus exculta hominum uita tantum deſtitit à cultu & uictu beſtiarum. Vrbes uero ſine hominum cœtu non potuiſſent nec ædificari, nec frequentari. Ex quo leges moreſq; conſtituti, tum iuris æqua deſcriptio, certaq; uiuendi diſciplina: quas res & manſuetudo animorum conſecuta, & uerecundia eſt, effectumq; ut eſſet uita munitior, atque ut dando & accipiendo, mutandiſq; facultatibus & commodis, nulla re egeremus. Longiores hoc loco ſumus, quàm neceſſe eſt. Quis eſt enim cui non perſpicua ſint illa quæ pluribus uerbis à Panętio commemorantur, neminem neque ducem bello, nec principem domi magnas res & ſalutares ſine hominū ſtudijs gerere potuiſſe? Cōmemorantur ab eo Themiſtocles, Pericles, Cyrus, Ageſilaus, Alexander: quos negat ſine adiumentis hominum tantas res efficere potuiſſe. Vtitur in re nō dubia teſtibus non neceſſarijs. Atque ut magnas utilitates adipiſcimur conſpiratione hominum atque conſenſu, ſic nulla tam deteſtabilis peſtis eſt quæ non homini ab homine naſcatur. Eſt Dicæarchi liber de interitu hominum, Peripatetici magni & copioſi: qui collectis ceteris cauſis eluuionis, peſtilentiæ, uaſtitatis, beluarum etiam repentinæ multitudinis, quarum impetu docet quædam hominum genera eſſe conſumpta: deinde comparat quanto plures deleti ſint homines hominū impetu, id eſt bellis aut ſeditionibus, q̄ omni reliqua calamitatę. Cum igitur hic locus nihil habeat dubitationis quin homines plurimū hominibus & proſint & obſint: proprium hoc ſtatuo eſſe uirtutis, cōci

liare animos hominũ,& ad uſus ſuos adiũgere. Itaq; quæ in rebus inanimis, quæq; in tractatione beluarũ fiunt, utiliter ad hominum uitam, artibus ea tribuũtur operoſis. Hominũ autem ſtudia ad amplificationem noſtrarum rerũ prompta & parata, uirorum præſtãtium ſapiẽtia & uirtute excitãtur. Etenim uirtus omnis tribus in rebus ferè uertitur. Quarũ una eſt in perſpiciẽdo quid in quaq; re uerum ſyncerumq; ſit, quid conſentaneum cuiq;, quid conſequẽs, ex quo quæq; gignãtur, quæ cuiuſq; rei cauſa ſit. Alterũ, cohibere motus animi turbatos, quos Græci πάθη nominãt: appetitionesq;, quas illi ὁρμὰς, obedientes efficere rationi. Tertium, ijs quibus cum congregemur, uti moderate & ſciẽter, quorũ ſtudijs ea quæ natura deſiderat, expleta cumulataq; habeamus: per eoſdemq; ſi quid importetur nobis incõmodi propulſemus, ulciſcamurq; eos qui nocere nobis conati ſunt, tantaq; pœna afficiamus, quantã æquitas humanitasq; patitur. Quibus autẽ rationibus hãc facultatem aſſequi poſſimus, ut hominũ ſtudia cõplectamur, eaq; teneamus, dicemus, neq; ita multo poſt: ſed pauca ante dicenda ſunt. Magnam uim eſſe in fortuna in utranq; partem, uel ſecundas ad res, uel aduerſas, quis ignorat? Nã & cum proſpero flatu eius utimur, ad exitus peruehimur optatos: & cum reflauit, affligimur. Hæc igitur ipſa fortuna ceteros caſus rariores habet, primum ab inanimis procellas, tempeſtates, naufragia, ruinas, incendia: deinde à beſtijs ictus, morſus, impetus. Hæc ergo, ut dixi, rariora. At uero interitus exercituum, ut proxime trium, ſæpe multorum, clades Imperatorum, ut nuper ſummi ac ſingularis uiri, inuidiæ præterea multitudinis, atq; ob eas benemeritorum ſæpe ciuium expulſiones, calamitates, fugæ, rurſusq; ſecundæ res, honores, imperia, uictoriæ, q̃q̃ fortuita ſunt, tamen ſine hominum opibus & ſtudijs neutram in partem effici poſſunt. Hoc igitur cognito, dicẽdum eſt quonam modo hominum ſtudia ad utilitates noſtras allicere atq; excitare poſſimus. Quæ ſi longior fuerit oratio, cũ magnitudine utilitatis comparetur, ita fortaſſis etiam breuior uidebitur.

Quæcunq; igitur homines homini tribuunt ad eum agendum atq; honeſtandum, aut beneuolentiæ gratia faciunt, cum aliqua de cauſa quempiam diligũt: aut honoris, ſi cuius uirtutem ſuſpiciunt, quemq; dignum fortuna q̃ampliſſima putant, aut cui fidem habent, & bene rebus ſuis conſulere arbitrantur, aut cuius opes metuunt, aut contra à quibus aliquid expectant, ut quũ Reges populares ue homines largitiones aliquas proponunt, aut poſtremo precio ac mercede ducuntur. quæ ſordidiſſima eſt illa quidem ratio & inquinatiſſima, & iis qui ea tenentur, & illis qui ad eam confugere conantur. Male enim ſe res habet, quũ quod uirtute effici debet, id tentatur pecunia. Sed quoniam nonnunquam hoc ſubſidium neceſſarium eſt: quemadmodum ſit eo utẽdum dicemus, ſi prius ijs de rebus quæ uirtuti propiores ſunt, dixerimus. Atque etiam ſubijciunt ſe homines imperio alterius & poteſtati pluribus de cauſis. Ducuntur enim aut beneuolentia, aut beneficiorum magnitudine, aut dignitatis præſtantia, aut ſpe ſibi id utile futurum, aut metu ne ui parere cogantur, aut ſpe largitionis promiſſionisq; capti, aut poſtremo (ut ſæpe in noſtra repub. uidemus) mercede conducti. Omnium autem rerum nec aptius eſt quidquam ad opes tuendas ac tenendas, q̃ diligi, nec alienius, q̃ timeri.
» Præclare enim Ennius. Quẽ metuunt, oderunt, quem quiſq; odit, periſſe ex
» petit. Multorum autem odijs nullas opes poſſe obſiſtere, ſi antea fuit ignotũ,

nuper

nuper eſt cognitum. Nec uero huius tyranni ſolum, quē armis oppreſſa pertulit ciuitas, interitus declarat quantum hominum odium ualet ad peſtem, ſed reliquorum ſimiles exitus tyrannorum, quorum haud ferè quiſquam talē interitum effugit. Malus enim eſt cuſtos diuturnitatis metus: contraq́; beneuolentia fidelis uel ad perpetuitatem. Sed ijs qui ui oppreſſos imperio coercent, ſit ſanè adhibenda ſæuitia, ut heris in famulos, ſi aliter teneri non poſſunt: qui uero in libera ciuitate ita ſe inſtruunt, ut metuantur, his nihil poteſt eſſe dementius. Quãuis enim demerſæ ſint leges alicuius opibus, quãuis timefacta libertas, emergunt tamen hæc aliquando aut iudicijs tacitis, aut occultis de honore ſuffragijs. Acriores autem morſus ſunt intermiſſæ libertatis quàm retentæ. Quod igitur latiſſime patet, neq; ad incolumitatem ſolum, ſed etiam ad opes & potentiam ualet plurimum, id amplectamur, ut metus abſit, caritas retineatur. Ita facillime quæ uolumus & priuatis in rebus & in repub. conſequemur. Etenim qui ſe metui uolent, à quibus metuentur, eoſdem metuant ipſi, neceſſe eſt. Quid enim cenſemus ſuperiorem illum Dionyſium, quo cruciatu timoris angi ſolitum? qui cultros metuens tonſorios, candente carbone ſibi adurebat capillum? Quid Alexandrum Phæreum? quo animo uixiſſe arbitramur? qui ut ſcriptum legimus, cum uxorem Theben admodũ diligeret, tamen ad eam ex epulis in cubiculũ ueniens, barbarum, & eum quidem, ut ſcriptum eſt, compunctum notis Treicijs, diſtricto gladio iubebat anteire? præmittebatq́; de ſtipatoribus ſuis, qui ſcrutarentur arculas muliebres, & ne quod in ueſtimentis telum occultaretur exquirerent. O miſerum, qui fideliorem & barbarum & ſticmatiam putaret quàm coniugem. Nec eum fefellit opinio: ab ea enim eſt ipſe propter pellicatus ſuſpitionem interfectus. Necuero ulla uis imperij tanta eſt quæ premente metu poſſit eſſe diuturna. Teſtis eſt Phalaris, cuius eſt præter ceteros nobilitata crudelitas: qui non ex inſidijs interijt, ut is quem modo dixi, Alexander: non à paucis, ut hic noſter: ſed in quem uniuerſa Agrigentinorum multitudo impetum fecit. Quid? Macedones nónne Demetriũ reliquerũt, uniuerſiq́; ſe ad Pyrrhũ cõtulerũt? Quid Lacedæmonios iniuſte imperantes nónne repente omnes ferè ſocij deſeruerunt, ſpectatoresq́; ſe otioſos præbuerunt Leuctricæ calamitatis? Externa libentius in tali re, quàm domeſtica recordor. Verumtamen quamdiu imperium populi R. beneficijs tenebatur, non iniurijs, bella aut pro ſocijs, aut de imperio gerebantur: erant exitus bellorum, aut mites, aut neceſſarij. Regum, populorum, nationum portus erat & refugium Senatus. Noſtri autem magiſtratus Imperatoresq́;, ex hac una re maximam laudem capere ſtudebant, ſi prouincias, ſi ſocios æquitate & fide defendiſſent. Itaque illud patrocinium orbis terrę uerius quàm imperium poterat nominari. Senſim hanc conſuetudinem & diſciplinam iam antea minuebamus, poſt uero Syllæ uictoriam penitus amiſimus. Deſitum eſt enim uideri quidq̃ in ſocios iniquũ, cum extitiſſet in ciues tãta crudelitas. Ergo in illo ſecuta eſt honeſtam cauſam nõ honeſta uictoria. Eſt enim auſus dicere haſta poſita, cũ bona in foro uẽderet & bonorũ uirorum, & locupletum, & certe ciuium, prædam ſe ſuã uẽdere. Secutus eſt qui in cauſa impia, uictoria etiam fœdiore, non ſingulorũ ciuiũ bona publicaret, ſed uniuerſas prouincias regionesq́; uno calamitatis iure cõprehẽderet. Itaq; uexatis ac perditis exteris nationibus, ad exẽplũ amiſſi

imperij portari in triumpho Maſſiliam uidimus,& ex ea urbe triumphari,ſine qua nunq̃ noſtri Imperatores ex Tranſalpinis bellis triumpharunt. Multa præterea commemorarem nefaria ĩ ſocios,ſi hoc uno quidq̃ ſol uidiſſet indignius.Iure igitur plectimur,niſi enim multorum impunita ſcelera tuliſſemus,nunq̃ ad unum tanta perueniſſet licentia:à quo quidem rei familiaris ad paucos cupiditatum,ad multos improbos uenit hęreditas.Nec uero unq̃ bellorum ciuilium ſemen & cauſa deerit,dum homines perditi haſtam illam cruentam & meminerint, & ſperabunt,quam L.Sylla cum uibraſſet Dictatore propinquo ſuo,idem ſexto & triceſimo anno poſt à ſceleratiore haſta nõ receſſit. Alter autẽ qui in illa Dictatura Scriba fuerat,in hac fuit Quæſtor urbanus.Ex quo debet intelligi,talibus pręmijs propoſitis nunq̃ defutura bella ciuilia.Itaq; parietes urbis modo ſtant & manent,ijq; ipſi iã extrema ſcelera metuẽtes:rem uero publicam penitus amiſimus,atq; in has clades incidimus: redeũdum eſt enim ad propoſitum,dum metui,q̃ cari eſſe & diligi malumus. Quæ ſi populo R.iniuſte imperanti accidere potuerunt,quid debent putare ſinguli? Quod quum perſpicuum ſit, beneuolentiæ uim eſſe magnam,metus imbecillam,ſequitur ut diſſeramus quibus rebus facillime poſſimus eam quã uolumus adipiſci cum honore & fide caritatem. Sed ea non pariter omnes egemus.Nam ad cuiuſq; uitam inſtituendam accommodandum eſt,à multis ne opus ſit,an ſatis ſit à paucis diligi. Certum igitur hoc ſit,idq; & primum & maxime neceſſarium, familiaritates habere fidas amantium nos amicorum,& noſtra mirantium. Hæc eſt una res prorſus ut non multum differat inter ſummos & mediocres uiros,eaq; utriſq; eſt propemodum comparanda honore & gloria & beneuolentia ciuium. Fortaſſe non æque omnes egent: ſed tamen ſi cui hæc ſuppetunt adiuuant aliquantum cum ad cetera, tum ad amicitias comparandas.Sed de amicitia alio libro dictum eſt,qui inſcribitur Lælius.Nunc dicamus de gloria ; quãquam ea quoque de re noſtri libri duo ſunt.Sed attingamus:quandoquidem ea in rebus maioribus adminiſtrandis adiuuat plurimum. Summa igitur & perfecta gloria cõſtat ex tribus his, ſi diligit multitudo, ſi fidem habet, ſi cum admiratione quadam honore dignos putat.Hæc autem,ſi eſt ſimpliciter breuiterq; dicendum, quibus rebus pariuntur à ſingulis, eiſdem ferè à multitudine.Sed eſt alius quoque quidam aditus ad multitudinem,ut in uniuerſorum animos tanq̃ influere poſſimus.

Ac primum de illis tribus quæ ante dixi beneuolentiæ præcepta,uideamus,quæ quidem beneficijs capitur maxime. Secundo autem loco,benefica uoluntate beneuolentia mouetur,etiam ſi res forte non ſuppetit. Vehementer autem amor multitudinis commouetur ipſa fama & opinione liberalitatis, beneficentię,iuſtitię,fidei,omniumq; earum uirtutum quæ pertinent ad manſuetudinem morum, ac facilitatem. Etenim illud ipſum quod honeſtum decorumq; dicimus, quia per ſe nobis placet, animoſq; omnium natura & ſpecie ſua commouet, maximeq; quaſi perlucet ex ijs quas cõmemoraui uirtutibus : idcirco illos in quibus eas uirtutes eſſe remur à natura ipſa diligere cogimur. Atque hę quidem ſunt cauſæ diligendi grauiſſimę.Poſſunt enim præterea nonnullæ eſſe leuiores. Fides autem ut habeatur, duabus rebus effici poteſt, ſi exiſtimabimur adepti coniunctam cum iuſtitia prudentiam.Nã & ijs fidem habemus quos plus intelligere q̃ nos arbitramur, quoſq;

& futura proſpicere credimus,& cum res agatur, in diſcrimenq́ue uentum ſit, expedire rem,& conſilium ex tempore capere poſſe. Hanc enim utilem homines exiſtimant ueramq́ue prudentiam. Iuſtis autem & fidis hominibus, id eſt uiris bonis, ita fides habetur, ut nulla in his fraudis ſit iniuriæq́ue ſuſpicio. Itaque his ſalutem noſtram, his fortunas, his liberos rectiſſime committi arbitramur. Harum igitur duarum ad fidem faciẽdam iuſtitia plus pollet, quippe cũ ea ſine prudentia ſatis habeat auctoritatis: prudentia ſine iuſtitia nihil ualet ad faciendã fidem. Quo enim quis uerſutior & callidior eſt, hoc inuiſior & ſuſpectior, detracta opinione probitatis. Quãobrem intelligentiæ iuſtitia cõiuncta, quantum uolet habebit ad faciendam fidem uiriũ. Iuſtitia ſine prudentia multũ poterit, ſine iuſtitia nihil ualebit prudentia. Sed ne quis ſit admiratus, cur quũ inter omnes philoſophos conſtet, à meq́ue ipſo ſæpe diſputatum ſit, qui unam haberet, omnes habere uirtutes: nunc ita ſeiungam, quaſi poſſit quiſquam qui non idem prudens ſit, iuſtus eſſe: alia eſt illa cum ueritas ipſa limatur in diſputatione, ſubtilitas: alia cum ad opinionem communem omnis accõmodatur oratio. Quãobrẽ ut uulgus, ita nos hoc loco loquimur, ut alios fortes, alios uiros bonos, alios prudẽtes eſſe dicamus. Popularibus enĩ uerbis eſt agẽdũ & uſitatis cũ loquamur de opinione populari: idq́ue eodẽ modo fecit Panætius. Sed ad propoſitum reuertamur. Erat igitur ex tribus quæ ad gloriam pertinent, hoc tertium, ut cum admiratione hominum honore ab his digni iudicaremur. Admirantur igitur communiter illi quidem omnia quæ magna, & prệter opinionem ſuam animaduertunt: ſeparatim autem in ſingulis, ſi perſpiciunt nec opinata quædam bona. Itaque eos uiros ſuſpiciunt, maximiſq́ue efferunt laudibus, in quibus exiſtimant ſe excellentes quaſdam & ſingulares perſpicere uirtutes. Deſpiciunt autem eos & contemnunt, in quibus nihil uirtutis, nihil animi, nihil neruorum putant. Non enim omnes eos contemnunt de quibus male exiſtimant. Nam quos improbos, maledicos, fraudulentos putant, & ad faciendam iniuriam inſtructos, eos haud cõtemnunt quidem, ſed de his male exiſtimant. Quamobrem, ut ante dixi, contemnuntur ij qui nec ſibi nec alteri: ut dicitur: in quibus nullus labor, nulla induſtria, nulla cura eſt. Admiratione autem afficiuntur ij qui anteire ceteris uirtute putantur, & cum omni carere dedecore, tum uero ijs uitijs quibus alij non facile poſſunt obſiſtere. Nam & uoluptates blandiſſimæ dominę maiores partes animi à uirtute detorquent, & dolorum cum admouentur faces, præter modum pleriq́ue exterrentur. Vita, mors, diuitiæ, paupertas, omnes homines uehementiſſime permouent. Quæ qui in utranq́ue partem excelſo animo magnoq́ue deſpiciunt, cumq́ue his aliqua ampla & honeſta res obiecta eſt, totos ad ſe conuertit & rapit, tum quis non admiretur ſplendorem pulchritudinemq́ue uirtutis? Ergo & hæc animi deſpicientia admirabilitatem magnam facit: & maxime iuſtitia, ex qua una uirtute uiri boni appellantur, mirifica quædam multitudini uidetur: nec iniuria. Nemo enim iuſtus eſſe poteſt, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egeſtatem timet, aut qui ea quæ ſunt his contraria, æquitati anteponit. Maximeq́ue admirantur eum qui pecunia non mouetur: quod in quo uiro perſpectum ſit, hunc dignum ſpectatu arbitrantur. Itaque illa tria, quæ propoſita ſunt ad gloriam omnia iuſtitia cõficit & beneuolentia, q́ꝫ prodeſſe uult plurimis: & ob eandẽ

cauſam, fidem & admirationem, q eas res ſpernit & negligit, ad quas pleriq; inflammati auiditate rapiuntur. Ac mea quidem ſententia omnis ratio atque inſtitutio uitæ, hominum adiumenta deſiderat, in primisq; ut habeat quibus cum poſſit familiares conferre ſermones: quod eſt difficile, niſi ſpeciem præ te boni uiri feras. Ergo etiam ſolitario homini, atq; in agro uitam agenti, opinio iuſtitiæ neceſſaria eſt: eoq; etiam magis, q eam ſi nō habebunt, iniuſti habebuntur: nullis præſidijs ſepti, multis afficientur iniurijs. Atq; ijs etiam qui uendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendisq; negocijs implicantur, iuſtitia ad rem gerendam neceſſaria eſt: cuius tanta uis eſt, ut ne illi quidem qui maleficio & ſcelere paſcuntur, poſſint ſine ulla particula iuſtitiæ uiuere. Nam qui eorū cuipiam qui una latrocinantur, furatur aliquid aut eripit, is ſibi ne in latrocinio quidē relinquit locum. Ille autē qui archipirata dicitur, niſi ęquabiliter prædam diſpertiat, aut occiditur à ſocijs, aut relinquitur. Quinetiam leges latronum eſſe dicuntur, quibus pareant, quas obſeruent. Itaque propter æquabilem prǣde partitionem & Bargulus Illyricus latro, de quo eſt apud Theopompum, magnas opes habuit, & multo maiores Viriatus Luſitanus, cui quidem etiam exercitus noſtri Imperatoresq; ceſſerunt: quem C. Lælius, is qui ſapiens uſurpatur, Prætor fregit & comminuit, ferocitatemq; eius ita repreſſit, ut facile bellum reliquis traderet. Cum igitur tanta uis iuſtitiæ ſit, ut ea etiam latronum opes firmet atq; augeat, quantam eius uim inter leges & iudicia & inſtituta Reip. fore putamus? Mihi quidem non apud medos ſolum, ut ait Herodotus, ſed etiam apud maiores noſtros iuſtitiæ fruendę cauſa uidētur olim bene morati Reges conſtituti. Nam cum premeretur in initio multitudo ab ijs qui maiores opes habebant, ad unum aliquem cōfugiebant uirtute præſtantem: qui quū prohiberet iniuriam tenuioris æquitate conſtituēda ſummos cum infimis pari iure retinebat. Eademq; conſtituendarum legū fuit cauſa, quę Regum. Ius enim ſemper eſt quæſitum æquabile, neq; enim aliter eſſet ius. Id ſi ab uno bono & iuſto uiro conſequebantur, eo erant contenti: cum id minus cōtingeret, leges ſunt inuētæ, quæ cum omnibus ſemper una atq; eadem uoce loquerentur. Ergo hoc quidem perſpicuum eſt, eos ad imperandum deligi ſolitos, quorum de iuſtitia magna eſſet opinio multitudinis. Adiuncto uero, ut ijdem etiam prudentes haberentur, nihil erat quod homines his auctoribus nō poſſe conſequi ſe arbitrarentur. Omni ergo ratione colenda & retinenda iuſtitia eſt, tum ipſa per ſeſe, nam aliter iuſtitia non eſſet, tū propter amplificationem honoris & gloriæ. Sed ut pecuniæ non quærendæ ſolum ratio eſt, ſed etiam collocandæ, quæ perpetuos ſumptus ſuppeditet, nec ſolum neceſſarios, ſed etiam liberales: ſic gloria & quærēda & collocanda ratione eſt, Quanq̄ præclare Socrates hanc uiam ad gloriam proximam, & quaſi compēdiariam dicebat eſſe, ſi quis id ageret, ut qualis haberi uellet, talis eſſet. Q; ſi qui ſimulatione & inani oſtentatione, & ficto non modo ſermone, ſed etiam uultu ſtabilem ſe gloriam cōſequi poſſe rentur, uehementer errant. Vera gloria radices agit, atq; etiā propagatur: ficta omnia celeriter tanq̄ floſculi decidunt: nec ſimulatum poteſt quidquā eſſe diuturnum. Teſtes ſunt permulti in utrāq; partem: ſed breuitatis cauſa familia contenti erimus una. Ti. enim Gracchus P.F. tam diu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit. At eius filij nec uiui probabātur bonis, & mortui numerum obtinent iure

cęſorum.

cæſorum. Qui igitur adipiſci ueram iuſtitiæ gloriam uolet, fungatur officijs. Ea quæ eſſent, dictum eſt in libro ſuperiore. Sed ut facillime quales ſimus, tales eſſe uideamur, etſi in eo ipſo uis maxima eſt, ut ſimus ij qui haberi uelimus, tamen quædam pręcepta danda ſunt. Nam ſi quis ab ineunte ętate habet cauſam celebritatis & nominis aut à patre acceptam, quam tibi mi Cicero arbitror contigiſſe, aut aliquo caſu atq; fortuna: in hunc oculi omnium conijciuntur, atq; in eum quid agat, quemadmodum uiuat, inquiritur: & tanq̃ in clariſſima luce uerſetur, ita nullum obſcurum poteſt nec dictum eius eſſe, nec factū. Quorum autem prima ętas propter humilitatem & obſcuritatem in hominū ignoratione uerſatur, hi ſimul ac iuuenes eſſe cœperunt, magna ſpectare, & ad ea rectis ſtudijs debent contendere. Quod eo firmiore animo facient, quia nō modo non inuidetur illi ętati, uerum etiam fauetur. Prima eſt igitur adoleſcenti commendatio ad gloriam, ſi qua ex bellicis rebus comparari poteſt: ĩ qua multi apud maiores noſtros extiterunt. ſemper enim ferè bella gerebantur. Tua autem ętas incidit in id bellum, cuius altera pars ſceleris nimium habuit, altera felicitatis parum. Quo tamen in bello cum te Pompeius alę alteri pręfeciſſet, magnam laudē & à ſummo uiro & ab exercitu conſequebare, equitando, iaculãdo, omni militari labore tolerando. Atq; ea quidem tua laus pariter cum Rep. cecidit. Mihi autem hęc oratio ſuſcepta non de te eſt, ſed de genere toto. Quãobrem ad ea quę reſtãt pergamus. Vt igitur in reliquis rebus multo maiora ſunt opera animi, q̃ corporis: ſic eę res quas ingenio ac ratione perſequimur, gratiores ſunt q̃ illę quas uiribus. Prima igitur commendatio proficiſcitur à modeſtia, cū pietate, ĩ parētes, tum in ſuos beneuolentia. Facillime autē & in optimã partē cognoſcuntur adoleſcentes, qui ſe ad claros & ſapientes uiros bene cōſulentes Reip. contulerūt: quibus cum ſi frequentes ſūt, opinionem afferunt populo eorum ſe fore ſimiles, quos ſibi ipſi delegerūt ad imitandum. P. Rutilij adoleſcentiam ad opinionem & innocentię, & iuris ſcientię, P. Mutij cōmēdauit domus. Nam L. quidem Craſſus cum eſſet admodum adoleſcens, non aliunde mutuatus eſt, ſed ſibi ipſe peperit maximã laudē ex illa accuſatione nobili & glorioſa. Ex qua ętate qui exercentur, laude affici ſolent: ut Demoſthenem accepimus. Ea ętate L. Craſſus oſtēdit id ſe in foro optime iam facere, quod etiam tum poterat domi cū laude meditari. Sed quū duplex ratio ſit orationis, quarum in altera ſermo ſit, in altera contentio: non eſt id quidem dubium, quin contentio orationis plurimum ualeat, & maiorē uim habeat ad gloriam. ea eſt enim quam eloquētiam dicimus. ſed tamen difficile dictu eſt quãtopere cōciliet animos comitas affabilitasq; ſermonis. Extant epiſtolæ & Philippi ad Alexandrum, & Antipatri ad Caſſandrum, & Antigoni ad Philippū filium, trium prudentiſſimorum, ſic enim accepimus, quibus præcipiunt ut oratione benigna multitudinis animos ad beneuolentiam alliciãt, militesq; blando appellando ſermone, deliniant. Quæ autem in multitudine cum contentione habetur oratio, ea ſæpe uniuerſam excitat gloriam. Magna eſt enim admiratio copioſe ſapienterq; dicentis: quem qui audiunt, intelligere etiam & ſapere plus q̃ ceteros arbitrantur. Si uero ineſt in oratione miſta modeſtiæ grauitas, nihil admirabilius fieri poteſt: eoq; magis, ſi ea ſunt in adoleſcente. Sed cum ſint plurima cauſarum genera quæ eloquentiam deſiderant, multiq; in noſtra Rep. adoleſcentes & apud iudices & apud

Senatum dicendo laudem aſſecuti ſunt, maxima eſt admiratio ī iudicijs: quorum ratio duplex eſt. nam ex accuſatione & defenſione conſtat. Quarum etſi laudabilior eſt defenſio tamen accuſatio probata perſępe eſt. Dixi paulo ante de Craſſo. Idem fecit adoleſcens M. Antonius. P. Sulpitij eloquentiam accuſatio illuſtrauit, quū ſeditioſum & inutilem ciuem C. Norbanum in iudicium uocauit. Sed hoc quidem non eſt ſæpe faciendum, nec unq̄ niſi aut Reip. cauſa, ut duo Luculli: aut patrocinij, ut nos pro Siculis, pro Sardis, pro M. Albutio Iulius. In accuſando etiam Manilio L. Fuſii cognita induſtria eſt. Semel igitur, aut non ſæpe certe. Sin erit cur faciendum ſit ſępius, Reip. tribuat hoc muneris, cuius inimicos ulciſci ſępius, non eſt reprehendendum. Modus tamen adſit. Duri enim hominis uel potius uix hominis uidetur, periculum capitis inferre multis. Id cum perículoſum ipſi eſt, tum etiam ſordidum ad famā committere ut accuſator nominere. Quod contigit M. Bruto ſummo genere nato, illius filio qui iuris ciuilis in primis peritus fuit. Atq; etiam hoc præceptum officij diligenter tenendum eſt, ne quem unq̄ innocentem iudicio capitis arceſſas. Id enim ſine ſcelere fieri nullo modo poteſt. Nam quid eſt tam inhumanum, q̄ eloquentiam à natura ad ſalutem hominum & ad conſeruationem datam, ad bonorum peſtem perniciemq; conuertere? Nec tamen ut hoc fugiendum eſt, ita habendum eſt religioni, nocentem aliquādo & nefariū impiumq; defendere. Vult hoc multitudo, patitur conſuetudo, fert etiam humanitas. Iudicis eſt ſemper in cauſis uerum ſequi: patroni, nonnunq̄ ueriſimile, etiam ſi minus ſit uerum, defendere. Quod ſcribere, preſertim cum de philoſophia ſcriberem, non auderem, niſi idem placeret grauiſſimo Stoicorum Panætio. Maxime autem & gloria paritur & gratia defenſionibus: eoq; maior, ſiquando accidit ut ei ſubueniatur qui potentis alicuius opibus circumueniri urgeriq; uideatur: ut nos & ſæpe aliàs, & adoleſcentes contra L. Syllæ dominantis opes pro Sexto Roſcio Amerino fecimus: quæ, ut ſcis, extat oratio.

Sed expoſitis adoleſcentum officijs quæ ualeant ad gloriam adipiſcendam, deinceps de beneficentia ac liberalitate dicendum eſt. Cuius eſt ratio duplex. Nam aut opera benigne fit indigentibus, aut pecunia. Facilior eſt hæc poſterior, locupleti preſertim, ſed illa lautior ac ſplendidior, & uiro forti claroq; dignior. Quāquā enī in utroq; ineſt gratificādi liberalis uolūtas, tamē altera ex arca, altera ex uirtute depromitᷣ. Largitioq; quę fit ex re familiari, fontē ipſū benignitatis exhaurit. ita benignitate benignitas tollitur. Qua quo in plures uſus ſis, eo minus in multos uti poſſis. At qui opera, id eſt uirtute & induſtria benefici & liberales erunt, primum quo pluribus profuerint, eo plures ad benigne faciendū adiutores habebūt: deinde cōſuetudine beneficentiæ paratiores erunt, & tanquam exercitatiores ad bene de multis promerendum. Præclare in epiſtola quadam Alexandrum filium Philippus accuſat, φ largitione beneuolentiam Macedonum conſectetur. Quod te malū, inquit, rationis in iſtam ſpem induxit, ut eos tibi fideles putares fore, quos pecunia corrupiſſes? An tu id agis, ut Macedones non te regem ſuum, ſed miniſtrum & præbitorem putēt? Quo quid ſordidius Regi? Melius etiam, q̄ largitionem corruptelam dixit eſſe. Fit enim deterior qui accipit, atq; ad idem ſemper expectandum paratior. Hoc ille filio: ſed præceptum putemus omnibus. Quamobrem id quidem non dubium eſt, quin illa benignitas quæ conſtat ex opera

& induſtria,

& īduſtria,& honeſtior ſit,& latius pateat,& poſſit prodeſſe pluribus. Nō-nunquam tamen eſt largiendum: nec hoc benignitatis genus omnino repudiandum eſt: & ſæpe idoneis hominibus indigentibus de re familiari impartiēdum, ſed diligenter atque moderate. Multi enim patrimonia effuderunt inconſulte largiendo. Quid autem eſt ſtultius, q̃, quod libenter facias, curare ut id diutius facere non poſſis? Atq; etiam ſequuntur largitionem rapinę. Cum enim dando egere cœperint, alienis bonis manus afferre coguntur. Ita quum beneuolentiæ cōparandæ cauſa benefici eſſe uelint, non tanta ſtudia aſſequūtur eorum quibus dederunt, quanta odia eorum quibus ademerunt. Quamobrem nec ita claudenda eſt res familiaris, ut eam benignitas aperire nō poſſit: nec ita reſeranda, ut pateat omnibus. Modus adhibeatur, isq; referatur ad facultates. Omnino meminiſſe debemus, id quod à noſtris hominibus ſæpiſſime uſurpatum, iam in prouerbij conſuetudinem uenit (Largitionem Fundū non habere.) Etenim quis poteſt modus eſſe, quū idem & qui conſueuerunt, & idem illud alij deſiderent? Omnino duo genera ſunt largorum, quorum alteri prodigi dicūtur, alteri liberales. Prodigi, qui epulis & uiſcerationibus & gladiatorum muneribus, ludorum uenationumq; apparatu pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut breuem aut nullam omnino ſunt relicturi. Liberales autē, qui ſuis facultatibus aut captos à prædonibus redimūt, aut æs alienum ſuſcipiūt amicorum, aut in filiarum collocatione adiuuant, aut opitulantur uel in re quærenda, uel augenda. Itaq; miror quid in mentem uenerit Theophraſto in eo libro quem de diuitijs ſcripſit, in quo multa præclare, illud abſurde. Eſt enim multus in laudanda magnificentia & apparatione popularium munerum: taliumq; ſumptuum facultatem, fructum diuitiarū putat. Mihi autē ille fructus liberalitatis, cuius pauca exempla poſui, multo etiā maior uidetur, & certior. Quanto Ariſtoteles grauius & uerius nos reprehēdit, qui has pecuniarū effuſiones non admiremur, quæ fiunt ad multitudinem deliniendam: at ij qui ab hoſte obſidentur, ſi emere aquæ ſextarium mina cogerentur, hoc primo incredibile nobis uideri, omnesq; mirari, ſed quū attenderint, ueniam neceſſitati dari: in his immanibus iacturis infinitisq; ſumptibus nihil nos magnopere mirari, quumpreſertim nec neceſſitati ſubueniatur, neq; dignitas augeatur: ipſaq; illa delectatio multitudinis ad breue tēpus exiguumq;, eaq; à leuiſſimo quoq;: in quo tamen ipſo unà cum ſatietate memoria quoq; moriatur uoluptatis. Bene etiam colligit hæc pueris & mulierculis, & ſeruis, & ſeruorū ſimillimis liberis eſſe grata: graui uero homini, & ea quæ fiunt iudicio certo ponderāti, probari poſſe nullo modo. Q₇q̃ intelligo in noſtra ciuitate inueteraſſe iam bonis temporibus ut ſplendor Aedilitatum ab optimis uiris poſtuletur. Itaq; & P. Craſſus cum cognomine diues, tum etiā copijs, functus eſt Aedilicio maximo munere: & paulo poſt L. Craſſus cum omnium hominum moderatiſſimo Q. Mutio magnificentiſſima Aedilitate functus eſt. Deinde C. Claudius Appij F. Multi poſt, Lucullus, Hortenſius, Syllanus. Omnes autem P. Lentulus me Conſule uicit ſuperiores. Hunc eſt Scaurus imitatus. Magnificentiſſima uero noſtri Pompeij munera ſecundo Conſulatu. In quibus omnibus quid mihi placeat uides. Vitāda tamen eſt ſuſpicio auaritiæ. Mamerco homini ditiſſimo Aedilitatis prętermiſſio, Conſulatus repulſam attulit. Quare & ſi poſtulatur à populo, bonis uiris ſi non deſi

derantibus, attamen approbantibus faciendum eſt, modo pro facultatibus, nos ipſi ut fecimus: & ſi quando aliqua res maior atq; utilior populari largitione acquiritur, ut Oreſti nuper prandia in ſemitis decumæ nomine, magno honori fuerunt. Ne Marco quidem Seio uitio datum eſt ꝙ in caritate aſſe modiũ populo dedit. magna enim ſe & inueterata inuidia, nec turpi iactura, quãdo erat Aedilis, nec maxima liberauit. Sed honori ſummo nuper noſtro Miloni fuit, ꝙ gladiatoribus emptis Reipub. cauſa, quæ ſalute noſtra continebatur, omnes P. Clodij conatus furoresq; compreſſit. Cauſa igitur largitionis eſt, ſi aut neceſſe eſt, aut utile. In his autem ipſis mediocritatis regula optima eſt. L. quidem Philippus Q. F. uir magno ĩgenio, in primisq; clarus, gloriari ſolebat ſe ſine ullo munere adeptum eſſe omnia quæ haberentur ampliſſima. Dicebat idem Cotta Curio. Nobis quoq; licet in hoc quodammodo gloriari. Nam pro amplitudine honorum, quos cunctis ſuffragijs adepti ſumus, noſtro quidem anno, quod contigit eorum nemini quos modo nominaui, ſanè exiguus ſumptus Aedilitatis fuit: atq; etiam illæ impenſæ meliores, muri, naualia, portus, aquarum ductus, omniaq; quæ ad uſum Reipub. pertinent, Quanquam quod præſens tanquam in manum datur, iucundius eſt, tamen hæc in poſterum gratiora. Theatra, porticus, noua templa uerecundius reprehendo, propter Pompeium: ſed doctiſſimi improbant, ut & hic ipſe Panætius, quem multum in his libris ſecutus ſum, non interpretatus: & Phaleræus Demetrius, qui Periclem principem Græciæ uituperat quòd tantam pecuniam in præclara illa Propylæa coniecerit. Sed de hoc genere toto in his libris quos de Repub. ſcripſi, diligenter eſt diſputatum. Tota igitur ratio talium largitionum genere uitioſa eſt, temporibus neceſſaria: & tum ipſa & ad facultates accommodanda, & mediocritate moderanda eſt. In illo autem altero genere largiendi, quod à liberalitate proficiſcitur, non uno modo in diſparibus cauſis affecti eſſe debemus. Alia cauſa eſt eius qui calamitate premitur, & eius qui res meliores quærit, nullis rebus ſuis aduerſis. Propenſior benignitas eſſe debebit in calamitoſos, niſi forte erunt digni calamitate. In ijs tamen qui ſe adiuuari uolent, non ſolum ut ne affligantur, ſed ut altiorẽ gradum aſcẽdant, reſtricti omnino eſſe nullo modo debemus, ſed in deligendis idoneis iudicium & diligentiam adhibere. Nam præclare Ennius,

Benefacta male locata, malefacta arbitror.

Quod autem tributum eſt bono uiro & grato, in eo cum ex ipſo fructus eſt, tum etiam ex ceteris. Temeritate enim remota gratiſſima eſt liberalitas: eoq; eam ſtudioſiſſime pleriq; laudãt, ꝙ ſummi cuiuſq; bonitas cõmune profugiũ eſt omnium. Danda igitur opera eſt ut his beneficijs q̃ plurimos afficiamus, quorum memoria liberis poſteriſq; prodatur, ut his ingratis eſſe non liceat. Omnes enim immemorem beneficij oderunt, eamq; iniuriam in deterrenda liberalitate ſibi etiam fieri, eumq; qui faciat, communem hoſtem tenuiorum putant. Atq; hæc benignitas etiam Reip. eſt utilis, redimi è ſeruitute captos, locupletari tenuiores. Quod quidem uulgo ſolitum fieri ab ordine noſtro, in oratione Craſſi ſcriptũ copioſe uidemus. Hanc ergo conſuetudinem benignitatis largitioni munerum longe antepono. Hæc eſt grauium hominũ atq; magnorum, illa quaſi aſſentatorum populi, multitudinis leuitatẽ uoluptate quaſi titillãtium. Conuenit autem cum in dando munificum eſſe, tum in exigẽdo

non

non acerbum: in omniq́ꝫ re contrahenda, uendendo, emendo, conducendo, locando, uicinitatibus & confinijs æquum & facilem, multa multis de iure ſuo cedentem: à litibus uero quantum liceat, & neſcio an paulo plus etiam q̃ liceat, abhorrentem. Eſt enim non modo liberale, paululum nõnunquã de ſuo iure decedere, ſed interdum etiam fructuoſum. Habenda autem eſt ratio rei familiaris: quam quidem delabi ſinere, flagitioſum eſt: ſed ita, ut illiberalitatis auaritiæq́ꝫ abſit ſuſpicio. Poſſe enim liberalitate uti, non ſpoliantem ſe patrimonio, nimirum eſt pecuniæ fructus maximus. Recte etiam à Theophraſto eſt laudata hoſpitalitas. Eſt enim, ut mihi quidem uidetur, ualde decorum, patere domos hominum illuſtrium illuſtribus hoſpitibus. Idq́ꝫ etiam Reip. eſt ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in urbe noſtra nõ egere. Eſt autem etiam uehementer utile ijs qui honeſte multum poſſe uolũt, per hoſpites apud externos populos ualere opibus & gratia. Theophraſtus ſcribit quidẽ Cimonem Athenis etiam in ſuos curiales Laciadas hoſpitalẽ fuiſſe. Ita enim inſtituiſſe, & uillicis imperauiſſe, ut omnia præberentur quicũq́ꝫ Laciades in uillam ſuam diuertiſſet. Quæ autem opera, non largitione, beneficia dantur, hæc tum in uniuerſam remp. tum in ſingulos ciues cõferuntur. Nam in iure cauere, conſilio iuuare, atq́ꝫ hoc ſcientiæ genere prodeſſe q̃pluri mis, uehementer & ad opes augendas pertinet, & ad gratiam. Itaq́ꝫ cum multa præclara maiorum, tum q̃ optime conſtituti iuris ciuilis ſummo ſemper in honore fuit cognitio, atq́ꝫ interpretatio: quam quidem ante hanc confuſionẽ temporum in poſſeſſione ſua principes retinuerunt: nunc ut honores, ut omnes dignitatis gradus, ſic huius ſcientię ſplẽdor deletus eſt. Idq́ꝫ eo indignius, ꝙ eo tempore hoc contigit, cum is eſſet qui omnes ſuperiores quibus honore par eſſet, ſcientia facile uiciſſet. Hęc igitur grata opera multis, & ad beneficijs obſtringendos homines accommodata. Atque huic arti finitima eſt dicendi grauior facultas, & gratior, & ornatior. Quid enim eloquentia pręſtabilius uel admiratione audientium, uel ſpe indigentium, uel eorum qui defenſi ſunt gratia? Huic quoq́ꝫ ergo à maioribus noſtris eſt ĩ tota dignitate principatus datus. Diſerti igitur hominis, & facile laborantis, quodq́ꝫ in patrijs eſt moribus, multorum cauſas & non grauate & gratuito defendentis, beneficia & patrocinia late patẽt. Admonebat me res, ut hoc quoq́ꝫ loco intermiſſionem eloquentię, ne dicam interitum, deplorarem, ni uererer ne de me ipſo aliquid uiderer queri. Sed tamẽ uidemus quibus extĩctis oratoribus, q̃ in paucis ſpes, quãto in paucioribus facultas, q̃ in multis ſit audacia. Cũ autẽ omnes non poſſint ne multi quidem, aut iuris periti eſſe, aut diſerti, licet tamen opera prodeſſe multis, beneficia petentem, commendantem iudicibus aut magiſtratibus, uigilantem pro re alterius, eos ipſos qui aut conſuluntur, aut defendunt rogantem. quod qui faciunt, plurimum gratiæ conſequuntur, latiſſimeq́ꝫ eorum manat induſtria. Iam illud nõ ſunt admonẽdi, eſt enim in prõptu, ut animaduertant, cum iuuare alios uelint, ne quos offendant. Sæpe enim aut eos lædunt quos non debent, aut eos quos non expedit. ſi imprudentes, negligentiæ eſt, ſi ſcientes, temeritatis. Vtendum etiam eſt excuſatione aduerſus eos quos inuitus offendas, quacũq́ꝫ poſſis, quare id quod feceris, neceſſe fuerit, nec aliter facere potueris: ceterisq́ꝫ operis & officijs erit id quod uiolatum eſt pẽſandum

Sed cũ in hominibus iuuandis, aut mores ſpectari, aut fortuna ſoleat, dictu

quidem eſt procliue,itaq; uulgo loquuntur,ſe in beneficijs collocandis mores hominum non fortunam ſequi.Honeſta oratio eſt,ſed quis eſt tandem , qui inopis & optimi uiri cauſę non anteponat in opera danda gratiam fortunati & potentis? A quo enim expeditior & celerior remuneratio fore uidetur, in eum fere eſt uoluntas noſtra propenſior.Sed animaduertendum eſt diligentius quæ natura rerum ſit.Nimirum enim inops ille ſi bonus eſt uir,etiam ſi referre gratiam non poteſt:habere certe poteſt. Commode autem, quicunq; dixit,Pecuniam qui habeat,non reddidiſſe:qui reddiderit,non habere:gratiam autem & qui retulerit,habere: & qui habeat,retuliſſe. At qui ſe locupletes, honoratos,beatos putant,hi ne obligari quidem beneficio uolunt: quinetiam beneficium ſe dediſſe arbitrãtur,quũ ipſi quamuis magnum aliquid acceperint:atque etiam à ſe aut poſtulari aut expectari aliquid ſuſpicantur. Patrocinio uero ſe uſos,aut clientes appellari,mortis inſtar putant. At uero ille tenuis,quũ quidquid factum ſit,ſe ſpectatum,non fortunam putat:non modo illi qui eſt meritus,ſed etiam illis à quibus expectat(eget enim multis)gratum ſe uideri ſtudet.Neque uero uerbis auget ſuum munus,ſi quo forte fungitur,ſed etiam extenuat.Videndumq; illud eſt, quòd ſi opulentum fortunatumq; defenderis,in uno illo aut forte in liberis eius manet gratia. Sin autem inopem,probum tamen & modeſtum,omnes non improbi humiles,quæ magna in populo multitudo eſt,præſidium ſibi paratum uident. Quammobrẽ melius apud bonos quàm apud fortunatos beneficium collocari puto. Danda omnino opera eſt,ut omni generi ſatiſfacere poſſimus.Sed ſi res in contentionem ueniet,nimirum Themiſtocles eſt auctor adhibendus,qui quũ conſuleretur utrum bono uiro pauperi,an minus probato diuiti filiã collocaret. Ego uero,inquit,malo uirum qui pecunia egeat,q̃ pecuniã quæ uiro.Sed corrupti mores deprauatiq; ſunt admiratione diuitiarum: quarum magnitudo quid ad unumquenq; noſtrum pertinet? Illum fortaſſe adiuuat qui habet: ne id quidem ſemper.Sed fac iuuare:potentior ſanè ſit:honeſtior uero quo modo? Quòd ſi etiã bonus erit uir,ne impediant diuitiæ quo minus iuuetur, modo ne adiuuent : ſitq; omne iudicium,non quàm locuples,ſed qualis quiſq; ſit.Extremum autem præceptum in beneficijs operaq; danda eſt,ne quid cõtra æquitatem contendas,ne quid pro iniuria.Fundamentum enim perpetuę cõmendationis & famæ eſt iuſtitia,ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile. Sed quoniã de eo genere beneficiorũ dictum eſt, quæ ad ſingulos ſpectant:deinceps de ijs quæ ad uniuerſos,quæque ad remp.pertinent,diſputandũ eſt. Eorum autẽ ipſorum partim eiuſmodi ſunt,ut ad uniuerſos ciues pertineant,partim ut ſingulos attingãt,quæ ſunt etiam gratiora.Danda eſt opera omnino,ſi poſſit,utriſque,nec minus ut etiã ſingulis conſulatur,ſed ita,ut ea res aut proſit,aut certe ne obſit. Reipu. Ti.Gracchi frumentaria magna largitio exhauriebat ærarium.modica M.Octauij,& Reip.tolerabilis, & plebi neceſſaria: ergo & ciuibus,& Reip.ſalutaris. In primis autẽ uidendum erit ei qui Remp. adminiſtrabit,ut ſuum quiſque teneat,neque de bonis priuatorum publice diminutio fiat.Pernicioſe enim Philippus in Tribunatu, cum legem agrariam ferret(quã tamen antiquari facile paſſus eſt)& in eo uehementer ſe moderatum prębuit. ſed cũ in agendo multa populariter,tũ illud male dixit,non eſſe in ciuitate duo millia hominum qui rem haberent. Capitalis oratio eſt, ad

æquationem

æquationẽ bonorum pertinens: qua peſte quæ poteſt eſſe maior? Hanc enim ob cauſam maxime, ut ſua tenerentur, Reſpp. ciuitatesq́ conſtitutæ ſunt. Nam etſi duce natura congregabantur homines, tamen ſpe cuſtodiæ rerum ſuarum, urbium præſidia quærebant. Danda etiam opera eſt, ne, quod apud maiores noſtros ſæpe fiebat, propter ærarij tenuitatem, aſſiduitatemq́ bellorum, tributum ſit conferendum. Idque ne eueniat, multo ante erit prouidendum. Sin quæ neceſſitas huius muneris alicui Reipub. obuenerit, (malo enim quàm noſtræ ominari: neque tantum de noſtra, ſed de omni Repub. diſputo) danda erit opera ut omnes intelligant, ſi ſalui eſſe uelint, neceſſitati eſſe parendum. Atque etiam omnes qui Rempub. gubernant, conſulere debebunt ut earum rerum copia ſit, quæ ſunt neceſſariæ. Quarum qualis comparatio fieri ſoleat, & debeat, non eſt neceſſe diſputare: eſt enim in promptu: tantum locus attingendus fuit. Caput autem eſt in omni procuratione negocij & muneris publici, ut auaritiæ pellatur etiam minima ſuſpicio. Vtinam, inquit C. Pontius Samnis, ad illa tempora fortuna me reſeruaſſet, & tunc eſſem natus, quando Romani dona accipere cœpiſſent, non eſſem paſſus diutius eos imperare. Nec illi multa ſecula expectanda fuerunt. Modo enim hoc malum in hanc Remp. inuaſit. Itaq́ facile patior tunc potius Pontium fuiſſe, ſiquidem in illo tantum fuit roboris. Nondum centum & decem anni ſunt, cum de pecunijs repetundis à L. Piſone lata eſt lex, nulla antea cum fuiſſet. At uero poſteà tot leges, & proximę quæq́ duriores, tot rei, tot damnati, tantum Italicum bellum propter iudiciorum metum excitatum, tanta ſublatis legibus & iudicijs expilatio direptioq́ ſociorum: ut imbecillitate aliorum, non noſtra uirtute ualeamus. Laudat Aphricanum Panætius, q́ fuerit abſtinens. quid ni laudet? Sed in illo alia maiora. Laus enim abſtinentiæ non hominis eſt ſolum, ſed etiam temporum illorum. Omni Macedonũ gaza, quæ fuit maxima, potitus eſt Paulus: tantum in ærarium pecuniæ inuexit, ut unius Imperatoris prędа finem attulerit tributorum. At hic nihil in domum ſuam intulit præter memoriã nominis ſempiternam. Imitatus patrem Aphricanus, nihilo locupletior Carthagine euerſa. Quid? qui eius Collega in Cẽſura fuit L. Mũmius, nunquid copioſior cum copioſiſſimam urbem funditus ſuſtuliſſet? Italiam ornare, q̃ domum ſuam maluit. Q; q̃ Italia ornata, domus ipſa mihi uidetur ornatior. Nullum igitur uitium tetrius eſt, ut eo unde egreſſa eſt, referat ſe oratio, q̃ auaritia, preſertim in principibus, & remp. gubernantibus. Habere enim queſtui remp. non modo turpe eſt, ſed ſceleratum etiam & nefarium. Ita quod Apollo Pythius oraculum edidit, Spartã nulla re alia niſi auaritia eſſe perituram. id uidetur non ſolum Lacedæmonijs, ſed etiam omnibus opulentis populis prædixiſſe. Nulla autem re conciliare facilius beneuolentiam multitudinis poſſunt ij qui Reip. præſunt, q̃ abſtinentia & continentia. Qui uero ſe populares uolunt, ob eamq́ cauſam aut agrariam rem tentant, ut poſſeſſores pellantur ſuis ſedibus, aut pecunias creditas debitoribus condonandas putant, labefactant fundamenta Reip. concordiam primum, quæ eſſe non poteſt, cum alijs adimuntur, alijs condonantur pecuniæ: deinde æquitatem, quę tollitur omnis, ſi habere ſuum cuiq́ non licet. Id enim eſt proprium, ut ſupra dixi, ciuitatis atq́ urbis, ut ſit libera & non ſolicita ſuæ rei cuiuſq́ cuſtodia. Atque in hac pernicie Reipub. ne illam quidem conſequuntur quam

putant gratiam. Nam cui res erepta eſt, eſt inimicus: cui data eſt, etiam diſſimulat ſe accipere uoluiſſe, & maxime in pecunijs creditis, occultat ſuum gaudium, ne uideatur nõ fuiſſe ſoluendo. At uero ille qui accipit iniuriam, & meminit, & prę ſe fert dolorem ſuum: nec ſi plures ſunt ij quibus improbe datum eſt, q̃ illi quibus iniuſte adeptum eſt, idcirco plus etiam ualent. Non enim numero hæc iudicantur, ſed pondere. Quam autem habet æquitatem, ut agrum multis annis aut etiam ſeculis ante poſſeſſum qui nullum habuit, habeat: qui autem habuit, amittat? Ac propter hoc iniuriæ genus Lacedæmonij Lyſandrum Ephorum expulerunt: Agin Regem, quod nunquam antea apud eos acciderat, necauerunt. Ex eoq; tempore tantæ diſcordiæ ſecutæ ſunt, ut & tyranni exiſterent, & optimates exterminarentur, & prçclariſſime conſtituta Reſp. dilaberetur. Nec uero ſolum ipſa cecidit, ſed etiam reliquam Græciam euertit contagionibus malorum, quæ à Lacedæmonijs profectæ manarunt latius. Quid? noſtros Gracchos Ti. Gracchi ſummi uiri filios, Aphricani nepotes, nónne agrariæ contentiones perdiderũt? At uero Aratus Sicyonius iure laudatur, qui cum eius ciuitas quinquaginta annos à tyrannis teneretur, profectus Argis Sicyonem, clandeſtino introitu urbe eſt potitus, cumq; tyrãnum Nicoclem improuiſo oppreſſiſſet, ſexcentos exules qui fuerant eius ciuitatis locupletiſſimi, reſtituit, remq; publicam aduẽtu ſuo liberauit. Sed cum magnam animaduerteret in bonis & poſſeſſionibus difficultatem, ꝙ & eos quos ipſe reſtituerat, quorum bona alij poſſederant, egere iniquiſſimum eſſe arbitrabatur, & quinquaginta annorũ poſſeſſiones mouere non nimis æquũ putabat, propterea ꝙ tam longo ſpatio multa hæreditatibus, multa emptionibus, multa dotibus tenebantur, ſine iniuria iudicauit, neq; illis adimi, neque his non ſatis fieri quorum illa fuerant, oportere. Cum igitur ſtatuiſſet opus eſſe ad eam rem conſtituendam pecunia, Alexandriam ſe proficiſci uelle dixit, remq; integram ad reditum ſuum iuſſit eſſe. Iſq; celeriter ad Ptolemæum ſuũ hoſpitem uenit, qui tum regnabat alter poſt Alexandriam conditam. Cui cũ expoſuiſſet patriam ſe liberare uelle, cauſamq; docuiſſet, à Rege opulẽto uir ſummus facile impetrauit ut grandi pecunia adiuuaretur. Quam cum Sicyonem attuliſſet, adhibuit ſibi in cõſilium quindecim principes, cũ quibus cauſas cognouit, & eorũ qui aliena tenebãt, & eorum qui ſua amiſerant: perfecitq; æſtimãdis poſſeſſionibus ut perſuaderent alijs ut pecuniã accipere mallent, poſſeſſionibus cederent: alijs, ut cõmodius putarent numerari ſibi quod tanti eſſet, q̃ ſuum recuperare. Ita perfectum eſt ut omnes concordia conſtituta ſine querela diſcederẽt. O uirum magnum, dignumq; qui in noſtra Rep. natus eſſet. Sic par eſt agere cũ ciuibus, nõ, ut bis iam uidimus, haſtã in foro ponere, & bona ciuiũ uoci ſubijcere prçconis. At ille Grçcus, id quod fuit ſapiẽtis & pręſtãtis uiri, omnibus conſulẽdum putauit. Eaq; eſt ſumma ratio & ſapiẽtia boni ciuis, cõmoda ciuium defendere, nõ diuellere, atq; omnes æquitate eadẽ cõtinere. Habitãt gratis ĩ alieno. Quid ita? ut quum ego emerim, ędificauerim, tuear, impẽdã, tu me inuito fruare meo? Quid ẽ aliud quàm alijs ſua eripere, alijs dare aliena? Tabulæ uero nouæ quid habẽt argumenti, niſi ut emas tibi mea pecunia fundũ, eum tu habeas, ego nõ habeam pecuniã? Quãobrẽ ne ſit ęs alienũ quod Reip. noceat prouidendum eſt, quod multis rationibus caueri poteſt, hoc ſi non fuerit, ut locupletes ſuum perdant, debitores lucrentur alie-

num.Nec enim ulla res uehementius Remp.continet,q̃ fides: quæ eſſe nulla
poteſt,niſi erit neceſſaria ſolutio rerum creditarum.Nunq̃ uehementius actũ
eſt,q̃ me Conſule,nè ſolueretur.Armis & caſtris tentata res eſt ab omni gene
re hominum & ordine:quibus ita reſtiti ut totum hoc malum de Rep.tollere
tur.Nunquã nec maius æs alienum fuit,nec melius nec facilius diſſolutum eſt.
Fraudandi enim ſpe ſublata,ſoluendi neceſſitas conſecuta eſt. At uero hic no
ſter uictor,tum quidem uictus,quæ cogitarat ea perfecit cũ eius iam nihil in-
tereſſet. Tanta in eo peccãdi libido fuit,ut hoc ipſum eum delectaret peccare,
etiam ſi cauſa non eſſet. Ab hoc igitur genere largitionis,ut alijs detur,alijs au
feratur,aberunt ij qui Remp.tuebuntur:in primisq; operam dabunt ut iuris
& iudiciorum æquitate ſuum quiſq; teneat,& neq; tenuiores propter humili
tatem circũueniantur,neque locupletibus ad ſua uel tenenda uel recuperanda
obſit inuidia.Præterea quibuſcunq; rebus uel bello uel domi poterunt,Rẽp.
augeãt,imperio,agris,uectigalibus.Hæc magnorum hominũ ſunt,hæc apud
maiores noſtros factitata.Hæc genera officiorum qui perſequuntur,cum ſũ-
ma utilitate Reip.magnam ipſi adipiſcentur & gratiam & gloriam.In his au
tem utilitatum præceptis Antipater Tyrius Stoicus, qui Athenis nuper eſt
mortuus,duo præterita cenſet eſſe à Panætio,ualetudinis curationẽ & pecu-
niæ.Quas res à ſummo philoſopho præteritas arbitror,q; eſſent faciles, ſunt
certe utiles. Sed ualetudo ſuſtentatur notitia ſui corporis,& obſeruatione,
quæ res aut prodeſſe ſoleant aut obeſſe,& continentia in uictu omni atq; cul
tu corporis tuendi cauſa,& prætermittendis uoluptatibus:poſtremo arte eo-
rum,quorum ad ſcientiam hęc pertinent. Res autem familiaris quæri de-
bet ijs rebus à quibus abeſt turpitudo,conſeruari autem diligẽtia & parſimo
nia:eiſdem etiam rebus augeri.Has res commodiſſime Xenophon Socrati-
cus perſecutus eſt in eo libro qui Oeconomicus inſcribitur:quem nos iſta ferè
ætate cum eſſemus,qua es tu nũc,è græco in latinum conuertimus. Sed uti-
litatum comparatio,quoniam hic locus erat quartus à Panętio prętermiſſus,
ſæpe eſt neceſſaria.Nam & corporis commoda cum externis & externa cum
corporis,& ipſa inter ſe corporis,& externa cum externis comparari ſolent.
Cum externis corporis,hoc modo comparantur,ualere ut malis q̃ diues eſſe.
Cum corporis externa,hoc modo,diues eſſe potius q̃ maximis corporis uiri-
bus.Ipſa inter ſe corporis ſic,ut bona ualetudo uoluptati anteponatur, uires
celeritati.Externorum autem,ut gloria diuitijs,uectigalia urbana ruſticis.Ex
quo genere comparationis illud eſt Catonis ſenis,à quo quũ quęreretur quid
maxime in re familiari expediret,reſpondit, Bene paſcere. Quid ſecundum?
Satis bene paſcere.Quid tertium? Bene ueſtire. Quid quartum? Arare. Et
quum ille qui quæſierat,dixiſſet.Quid fœnerari? Tum Cato.Quid hominẽ,
inquit,occidere? Ex quo & multis alijs intelligi debet utilitatũ comparatio-
nes fieri ſolere,& recte hoc adiunctum eſſe quartum exquirendorum officio-
rum genus.Sed toto hoc de genere,de quærenda, de collocanda pecunia,eti-
am de utenda,commodius à quibuſdam optimis uiris ad Ianum medium ſe-
dentibus,quàm ab ullis philoſophis ulla in ſchola diſputatur.Sunt
tamen ea cognoſcenda. Pertinent enim ad utilitatem,
de qua hoc libro diſputatum eſt.Reliqua
deinceps perſequemur.

MARCI TVLLII CICERONIS DE OFFICIIS, LIBER TERTIVS.

P. Scipionem, Marce fili, eũ qui primus Aphricanus appellatus eſt, dicere ſolitum ſcripſit Cato, qui fuit eius ferè ęqualis. Nunq̃ ſe minus otioſum eſſe, q̃ quum otioſus: nec minus ſolũ, q̃ quum ſolus eſſet. Magnifica uero uox, & magno uiro ac ſapiente digna, quæ declarat illum & in otio de negotijs cogitare, & in ſolitudine ſecum loqui ſolitum: ut neq; ceſſaret unq̃, & interdum colloquio alterius non egeret. Ita duæ res quæ languorem afferunt ceteris, illum acuebant, otium & ſolitudo. Vellem nobis hoc idem uere dicere liceret. Sed ſi minus imitatione tantam ingenij præſtantiam conſequi poſſumus, uoluntate certe proxime accedimus. Nam & à Rep. forenſibusq; negocijs armis impijs, uiq; prohibiti, otiũ perſequimur, & ob eam cauſam urbe relicta, rura peragrantes ſæpe ſoli ſumus. Sed nec otium hoc quum Aphricani otio, nec hæc ſolitudo cum illa comparanda eſt. Ille enim requieſcens à Reip. pulcherrimis muneribus, otium ſibi ſumebat aliquãdo: & à cœtu hominũ frequentiaq; interdũ tanq̃ in portum ſe in ſolitudinẽ recipiebat. Noſtrũ autẽ otium, negocij inopia, non requieſcendi ſtudio cõſtitutum eſt. Extincto enim Senatu, deletisq; iudicijs, quid eſt quod dignũ nobis aut in curia aut in foro agere poſſimus? Ita qui in maxima celebritate, in oculis ciuium quondã uiximus, nunc fugiẽtes conſpectum ſceleratorum, quibus omnia redundant, abdimus nos quãtum licet, & ſæpe ſoli ſumus. Sed quia ſic ab hominibus doctis accepimus, nõ ſolũ ex malis eligere minima oportere, ſed etiã excerpere ex his ipſis ſi quid ineſſet boni: propterea & otio fruor, non illo quidem quo debeat is, qui quondam peperiſſet otium ciuitati: nec eam ſolitudinem languere patior, quam mihi affert neceſſitas, nõ uolũtas. Quanq̃ Aphricanus maiorẽ laudem meo iudicio aſſequebatur, nulla tamen eius ingenij monumenta mandata literis, nullum opus otij, nullum ſolitudinis munus extat. Ex quo intelligi debet, illum mentis agitatione, inueſtigationeq; earum rerum quas cogitando cõſequebatur, nec otioſum nec ſolum unquã fuiſſe. Nos autẽ qui non tantũ roboris habemus, ut cogitatione tacita à ſolitudine abſtrahamur, ad hanc ſcribẽdi operã omne ſtudium curamq; cõuertimus. Itaq; plura breui tempore euerſa, q̃ multis annis ſtante Repu. ſcripſimus. Sed cum tota philoſophia, mi Cicero, frugifera & fructuoſa, nec ulla pars eius inculta ac deſerta ſit, tum nullus feracior in ea locus eſt, nec uberior, q̃ de officijs, à quibus conſtãter honeſteq; uiuẽdi pręcepta ducũtur. Quare quanq̃ à Cratippo noſtro, principe huius memoriæ philoſophorum, hæc te aſſidue audire atq; accipere confido: tamen cõducere arbitror talibus aures tuas uocibus undiq; circunſonare, nec eas ſi fieri poſſit, quidquam aliud audire. Quod cum omnibus eſt faciendum qui uitam honeſtam ingredi cogitãt, tum aut ſcio an nemini potius quàm tibi. Suſtines enim non paruam expectationem imitandæ induſtriæ noſtræ, magnam honorũ, nonnullam fortaſſe nominis. Suſcepiſti onus præterea graue, & Athenarum, & Cratippi: ad quos quum tãquam ad mercaturam bonarum artium

ſis profectus, inanem redire turpiſſimum eſt, dedecorantem & urbis auctoritatem & magiſtri. Quare quantum conniti animo potes, quantum labore cõtendere, ſi diſcendi labor eſt potius q̃ uoluptas, tantum fac ut efficias: ne ue cõmittas, ut quum omnia ſuppeditata ſint à nobis, tute tibi defuiſſe uideare. Sed hæc hactenus. multa enĩ ſæpe ad te cohortandi gratia ſcripſimus. Nunc ad reliquam partem propoſitæ diuiſionis reuertamur. Panætius igitur, qui ſine controuerſia de officijs accuratiſſime diſputauit, quemq́ nos correctione quadam adhibita potiſſimum ſequuti ſumus, tribus generibus propoſitis, in quibus deliberare homines & conſultare de officio ſolerent, uno quum dubitarent honeſtúm ne id eſſet de quo ageretur, an turpe: altero, utiléne eſſet, an inutile: tertio, ſi id quod ſpecimen haberet honeſti, pugnaret cum eo quod utile uideretur, quomodo ea diſcerni oporteret: de duobus generibus primis tribus libris explicauit: de tertio autem genere deinceps ſe ſcripſit dicturum: nec exſoluit id quod promiſerat. Quod eo magis miror, quia ſcriptum à diſcipulo eius Poſidonio eſt, triginta annis uixiſſe Panætium poſteaq̃ eos libros edidiſſet. Quem locum miror à Poſidonio breuiter eſſe tactũ in quibuſdã cõmẽtarijs, preſertim quũ ſcribat nullum eſſe locũ in tota philoſophia tam neceſſarium. Minime uero aſſentior ijs qui negant eum locum à Panætio prætermiſſum, ſed conſulto relictum, nec omnino ſcribendum fuiſſe, quia nunq̃ poſſet utilitas cum honeſtate pugnare. De quo alterum poteſt habere dubitationem adhibendum ne fuerit hoc genus quod in diuiſione Panætij tertium eſt, an plane fuerit omittendum: alterum dubitari non poteſt, quin à Panætio ſuſceptum ſit, ſed relictum. Nam qui è diuiſione tripertita duas partes abſoluerit, huic neceſſe eſt reſtare tertiam. Preterea in extremo libro tertio de hac parte pollicetur ſe deinceps eſſe dicturum. Accedit eodem teſtis locuples Poſidonius, qui etiam ſcribit in quadam epiſtola P. Rutilium Ruffum dicere ſolere, qui Panætium audierat, ut nemo pictor eſſet inuentus, qui Coę Veneris eam partem quam Apelles inchoatam reliquiſſet, abſolueret, (oris enim pulchritudo, reliqui corporis imitandi ſpem auferebat) ſic ea quæ Panætius prætermiſiſſet, & non perfeciſſet, propter eorum quæ perfeciſſet, præſtantiam, neminẽ perſequutũ. Quã ob rem de iudicio Panætij dubitari non poteſt: recténe autẽ hanc tertiam partem ad exquirendum officiũ adiunxerit, an ſecus, de eo fortaſſe dubitari poteſt. Nam ſiue honeſtũ ſolũ bonũ eſt, ut Stoicis placet: ſiue quod honeſtũ eſt, id ita ſummum bonũ eſt, quemadmodũ Peripateticis ueſtris uidetur, ut omnia ex altera parte collocata uix minimi momẽti inſtar habeant: dubitandum non eſt quin nunquam poſſit utilitas cum honeſtate contẽdere. Itaq́ accepimus Socratem execrari ſolitum eos qui primũ hæc natura cohærẽtia, opinione diſtraxiſſent. Cui quidem ita ſunt Stoici aſſenſi, ut quidquid honeſtũ eſſet, id utile eſſe cenſerent: nec utile quidq̃, quod non honeſtũ. Q, ſi is eſſet Panætius, qui uirtutem propterea colendam diceret, ꝙ ea efficiens utilitatis eſſet, ut ij qui res expetendas uel uoluptate uel indolentia metiũtur: licet ei dicere utilitatem aliquando cum honeſtate pugnare. Sed quum ſit is qui id ſolum bonum iudicet quod honeſtum ſit, quæ autem huic repugnent ſpecie quadam utilitatis, eorum neque acceſſione meliorem uitam fieri, nec deceſſione peiorem: nõ uideatur debuiſſe eiuſmodi deliberationem introducere, in qua quod utile uideretur, cũ eo quod honeſtũ eſt cõpararetur.

Etenim quod ſummum bonum à Stoicis dicitur, conuenienter naturæ uiue-
re: id habet hanc, ut opinor, ſententiam, cum uirtute congruere ſemper: cete-
ra autem quæ ſecundum naturam eſſent, ita legere, ſi ea uirtuti non repugna-
rent. Quod quum ita ſit, putant quidam hanc comparationem non recte in-
troductam, nec omnino de eo genere quidquam præcipiendum fuiſſe. Atque
illud quidem honeſtum quod proprie uereq́ dicitur, id in ſapientibus eſt ſo-
lis, neque à uirtute diuelli unquam poteſt. In ijs autem in quibus ſapientia per
fecta non eſt, ipſum illud quidem perfectum honeſtum nullo modo, ſed ſimili
tudines honeſti eſſe poſſunt. Hæc enim officia de quibus his libris diſputa-
mus, media Stoici appellant: & ea communia, & late patent: quæ & ingenij
bonitate multi aſſequuntur, & progreſſione diſcendi. Illud autem officium
quod rectum ijdem appellant, perfectum atque abſolutum eſt, & ut ijdem di-
cunt, omnes numeros habet, nec præter ſapientem cadere in quenquã poteſt.
Quum autem aliquid actum eſt in quo media officia compareant, id cumu-
late uidetur eſſe perfectum: propterea q uulgus quid abſit à perfecto, non fe-
rè intelligit: quatenus autem intelligit, nihil putat prætermiſſum. Quod au-
tem in poematibus in picturisq́ uſu uenit, in alijsq́ compluribus, ut delecten
tur imperiti, laudentq́ ea quę laudanda non ſunt: ob eam credo cauſam, q in-
ſit in his aliquid probi, quod capiat ignaros, qui ijdem quid ĩ unaquaq́ re ui-
tij ſit, nequeant iudicare. Itaque quum ſint docti à peritis, facile deſiſtunt à ſen
tentia. Hæc igitur officia de quibus his libris diſſerimus, quaſi ſecunda quæ-
dam honeſta eſſe dicunt, non ſapientum modo propria, ſed cum omni homi-
num genere communia. Itaque his omnes, in quibus eſt uirtutis indoles, com
mouentur. Nec uero quũ duo Decij, aut quũ duo Scipiones fortes uiri com-
memorantur, aut quum Fabricius aut Ariſtides iuſti nominantur, aut ab illis
fortitudinis, aut ab his iuſtitiæ tanquam à ſapiente petitur exemplum. Nemo
enim horum ſic ſapiens eſt, ut ſapientem uolumus intelligi. Nec ij qui ſapien-
tes habiti ſunt, & nominati, M. Cato, & C. Lęlius, ſapiẽtes fuerunt: ne illi qui-
dem ſeptem: ſed ex mediorum officiorum frequentia ſimilitudinem quãdam
gerebant ſpeciemq́ ſapientum. Quocirca nec id quod uere honeſtum eſt, fas
eſt cum utilis repugnantia comparari: nec id quod communiter appellamus
honeſtum, quod colitur ab ijs qui bonos ſe uiros haberi uolunt, cum emolu-
mentis unquam eſt comparãdum. Tamq́ id honeſtum quod in noſtram in-
telligentiam cadit, tuendum conſeruãdumq́ nobis eſt, q̃ illud quod proprie
dicitur uereq́, eſt honeſtum ſapientibus. Aliter enim teneri non poteſt, ſiqua
ad uirtutem eſt facta progreſſio. Sed hæc quidem de ijs qui conſeruatione of-
ficiorum exiſtimantur boni. Qui autem omnia metiuntur emolumẽtis & cõ-
modis, neque ea uolunt præponderari honeſtate, ij ſolent in deliberando ho-
neſtum cum eo quod utile putant, comparare: boni uiri nõ ſolent. Itaq́ exiſti
mo Panætium quum dixerit homines ſolere in hac comparatione dubitare,
hoc ipſum ſenſiſſe quod dixerit, ſolere modo, non etiam oportere. Etenim nõ
modo pluris putare quod utile uideatur, q̃ illud quod honeſtum, ſed etiã hæc
ĩter ſe cõparare, & in his addubitare turpiſſimũ eſt. Quid eſt ergo quod nõ-
nunquam dubitationem afferre ſoleat, conſiderandumq́ uideatur? Credo ſi
quando dubitatio accidit, quale ſit id de quo conſideretur. Sæpe enim tempo
re fit, ut quod turpe plerũq́ haberi ſoleat, inueniatur non eſſe turpe. Exempli

cauſa

cauſa ponatur aliquid quod pateat latius. Quod poteſt maius eſſe ſcelus, quàm non modo hominem, ſed etiam familiarem hominem occidere? Num igitur ſe obſtrinxit ſcelere, ſi quis tyrannum occidit, quãuis familiarẽ? Populo quidem R. non uidetur, qui ex omnibus præclaris factis illud pulcherrimum exiſtimat. Vicit ergo utilitas honeſtatem, imò uero honeſtas utilitatem ſecuta ẽ.

Itaque ut ſine ullo errore diiudicare poſſimus, ſiquando cum illo quod honeſtum intelligimus, pugnare id uidebitur quod appellamus utile, formula quædam conſtituenda eſt: quam ſi ſequemur in comparatione rerum, ab officio nunquam recedemus. Erit autem hæc formula Stoicorum rationi diſciplinæq; maxime conſentanea: quam quidem in his libris propterea ſequimur, quod quãquam & à ueteribus Academicis, & à Peripateticis ueſtris, qui quondam iĵdem erant qui Academici, quæ honeſta ſunt anteponunt iĵs quæ uidentur utilia: tamen ſplendidius hæc ab eis diſſeruntur, quibus quidquid honeſtum eſt, idem utile uidetur: nec utile quidquam, quod non honeſtum: quàm ab iĵs quibus aut honeſtum aliquid non utile, aut utile non honeſtum eſt. Nobis autem noſtra Academia magnam licentiam dat, ut quodcunque maxime probabile occurrat, id noſtro iure liceat defendere. Sed redeo ad formulam. Detrahere igitur aliquid alteri, & hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, magis eſt cõtra naturam, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cetera quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Nam principio tollit conuictum humanum, & ſocietatem. Si enim ſic erimus affecti, ut quiſque propter ſuum emolumentum ſpoliet, aut uiolet alterum, dirumpi neceſſe eſt eam, quæ maxime eſt ſecũdum naturam, humani generis ſocietatem. Vt ſi unumquodq; membrum ſenſum hũc haberet, ut poſſe putaret ſe ualere ſi proximi membri ualetudinem ad ſe traduxiſſet, debilitari & interire totum corpus neceſſe eſſet: ſic ſi unuſquiſq; noſtrum ad ſe rapiat cõmoda aliorum, detrahatq; quod cuiq; poſſit, emolumenti ſui gratia, ſocietas hominum & communitas euertatur neceſſe ẽ. Nam ut ſibi quiſq; malit quod ad uſum uitæ pertineat, quàm alteri acquirere, conceſſum eſt, non repugnante natura. Illud natura non patitur, ut aliorum ſpoliĵs noſtras facultates, copias, opes augeamus. Neque uero hoc ſolum natura, id eſt iure gentium, ſed etiam legibus populorum, quibus in ſingulis ciuitatibus Reſpublicæ continentur, eodem modo conſtitutum eſt, ut non liceat ſui commodi cauſa nocere alteri. Hoc enim ſpectant leges, hoc uolunt, incolumẽ eſſe ciuium coniunctionem: quam qui dirimunt, eos morte, exilio, uinculis dãno coercent. Atque hoc multo magis efficit ipſa naturæ ratio, quæ eſt lex diuina & humana cui parere qui uelit (omnes autem parebunt qui ſecundum naturam uiuere uolunt) nunquã committet ut alienum appetat, & id quod alteri detraxerit, ſibi aſſumat. Etenim multo magis eſt ſecũdum naturam excelſitas animi & magnitudo, itẽq; comitas, iuſtitia, liberalitas, quàm uoluptas, quàm uita, quàm diuitiæ. Quæ quidem contemnere, & pro nihilo ducere, comparãtem cum utilitate communi & magni animi eſt & excelſi. Detrahere autem alteri ſui commodi cauſa, magis eſt contra naturam quàm mors, quàm dolor, quàm cetera generis eiuſdem. Itemq; magis eſt ſecũdum naturam pro omnibus gentibus (ſi fieri poſſit) conſeruandis aut iuuandis, maximos labores moleſtiasq; ſuſcipere, imitãtem Herculem illum, quem hominum fama beneficiorum memor in concilio cœleſtium collocauit, quàm ui-

uere in ſolitudine non modo ſine ullis moleſtijs,ſed etiam in maximis uoluptatibus,abundantē omnibus copijs,ut etiam excellas pulchritudine & uiribus. Quocirca optimo quiſq; ſplendidiſſimoq; ingenio longe illā uitam huic anteponit.Ex quo efficitur,hominem naturæ obedientem,homini nocere nō poſſe.Deinde qui alterum uiolat ut ipſe aliquid commodi conſequatur: aut nihil ſe exiſtimat contra naturam facere,aut magis fugienda cenſet mortem, paupertatem,dolorem,amiſſionem etiam liberorum,propinquorum, amicorum,q̄ facere cuipiam iniuriam.Si nihil exiſtimat contra naturam fieri hominibus uiolandis,quid cum eo differas,qui omnino hominem ex homine tollat? Sin fugiendum quidem id cenſet,ſed & multo illa peiora, mortem, paupertatem,dolorem:errat in eo quod ullum aut corporis aut fortunę uitium animi uitijs grauius exiſtimat.Ergo unum debet eſſe omnibus propoſitum, ut eadem ſit utilitas uniuſcuiuſq;,& uniuerſorum: quam ſi ad ſe quiſq; rapiet, diſſoluetur omnis humana conſortio. Atq; etiam ſi hoc natura præſcribit,ut homo homini,quicunque ſit,ob eam cauſam quod is homo ſit,conſultum uelit: neceſſe eſt ſecundum eandem naturam omnium utilitatem eſſe communē. Quod ſi ita eſt,una continemur omnes & eadem lege naturæ. Idq; ipſum ſi ita eſt,certe uiolare alterum naturę lege prohibemur. Verum autem primū, uerum igitur extremum.Nam illud quidem abſurdum eſt,quod quidam dicunt,parenti ſe aut fratri nihil detracturos commodi ſui cauſa, aliam rationē eſſe ciuium reliquorum.Hi ſibi nihil iuris & nullam ſocietatem communis utilitatis cauſa ſtatuunt eſſe cum ciuibus: quę ſententia omnem ſocietatem diſtrahit ciuitatis.Qui autem ciuium rationem dicunt habēdā, externorum negāt, hi dirimunt communem humani generis ſocietatem: qua ſublata beneficentia liberalitas,bonitas,iuſtitia funditus tollitur: quę qui tollunt, etiam aduerſus deos immortales impij iudicandi ſunt:ab his enim conſtitutam inter homines ſocietatem euertunt.Cuius ſocietatis arctiſſimum uinculum eſt,magis arbitrari eſſe contra naturam,hominem homini detrahere ſui commodi cauſa q̄ omnia incommoda ſubire uel externa,uel corporis,uel etiam ipſius animi quæ uacent iuſtitia.Hęc enim una uirtus omnium eſt domina & regina uirtutum.Forſitan quiſpiam dixerit.Nónne igitur ſapiens ſi fame ipſe conficiatur abſtulerit cibum alteri homini ad nullam rem utili? Minime uero.Non enim mihi eſt uita mea utilior q̄ animi talis affectio,neminem ut uiolem commodi mei gratia.Quid? ſi Phalarim crudelem tyrannum & immanem uir bonus, ne ipſe frigore conficiatur,ueſtitu ſpoliare poſſit,nónne faciat? Hęc ad iudicādum ſunt facillima.Nam ſi quid ab homine ad nullam partem utili, utilitatis tuæ cauſa detraxeris,inhumane feceris,contraq; naturæ legem. Sin autem is tu ſis,qui multam utilitatem Reip. atq; hominum ſocietati,ſi in uita remaneas,afferre poſſis: ſi quid ob eam cauſam alteri detraxeris,non ſit reprehendendum.Sin autem id non ſit eiuſmodi,ſuum cuiq; incommudum ferendum eſt potius q̄ de alterius commodis detrahendum. Non igitur magis eſt contra naturā morbus aut egeſtas,aut quid eiuſmodi,q̄ detractio aut appetitio alieni. Sed communis utilitatis derelictio contra naturam eſt:eſt enim iniuſta. Itaq; lex ipſa naturæ,quæ utilitatem hominum conſeruat & continet, decernit profecto ut ab homine inerti atq; inutili ad ſapientem,bonum,fortem uirum, traſſerantur res ad uiuendum neceſſariæ: qui ſi occiderit,multum de cōmuni

muni utilitate detraxerit: modo hoc ita faciat, ut ne ipſe de ſe bene exiſtimans ſeſeq́ꝫ diligens, hanc cauſam habeat ad iniuriam. Ita ſemper officio fungatur, utilitati conſulens hominum, & ei quam ſæpe commemoro humanę ſocietati. Nam quod ad Phalarim attinet, perfacile iudiciũ eſt. Nulla enim nobis cum tyrannis ſocietas eſt, ſed potius ſumma diſtractio eſt: neq́ꝫ eſt contra naturam ſpoliare eum ſi poſſis, quem honeſtum eſt necare, atq́ꝫ hoc omne genus peſtiferum atque impium ex hominum communitate exterminandum eſt. Etenim ut membra quædam amputantur, ſi & ipſa ſanguine & tanquam ſpiritu carere cœperunt, & nocent reliquis partibus corporis: ſic iſta in figura hominis feritas & immanitas beluæ à communi tanquam humanitate corporis ſegreganda eſt. Huius generis quæſtiones ſunt omnes eæ in quibus ex tempore officium exquiritur. Eiuſmodi igitur credo res Panætium perſecuturum fuiſſe, niſi aliqui caſus aut occupatio conſilium eius peremiſſet. Ad quas ipſas cõſultationes ex ſuperioribus libris ſatis multa præcepta ſunt, quibus perſpici poſſit quid ſit propter turpitudinem fugiendum, quid ſit quod idcirco fugiendum non ſit, quod omnino turpe non ſit. Sed quoniam operi inchoato, propè tamen abſoluto, tanquam faſtigium imponimus, ut geometræ ſolent non omnia docere, ſed poſtulare ut quædam ſibi concedantur, quò facilius quæ uolunt explicent: ſic ego à te poſtulo mi Cicero, ut mihi concedas (ſi potes) nihil prę ter id quod honeſtum ſit, propter ſe eſſe expetendum. Sin hoc non licet per Cratippum, at illud certe dabis, quod honeſtum ſit, id eſſe maxime propter ſe expetendum. Mihi utrũuis ſatis eſt, & cum hoc, tum illud probabilius uidetur, nec præterea quidquam probabile. Ac primum Panætius in hoc defendendus eſt, ꝙ non utilia cum honeſtis pugnare aliquando poſſe dixerit (neque enim fas erat) ſed ea quæ uiderentur utilia. Nihil uero utile, quod non idem honeſtum: nihil honeſtum, quod non idem utile ſit, ſæpe teſtatur: negatq́ꝫ ullam peſtẽ maiorem uitam hominum inuaſiſſe, quàm eorum opinionem qui iſta diſtraxerint. Itaque non ut aliquando anteponeremus utilia honeſtis, ſed ut ea ſine errore diiudicaremus, ſi quãdo incidiſſent, induxit eã quę uideretur eſſe, non quę eſſet, repugnantiam. Hanc igitur partem relictam explebimus, nullius adminiculis, ſed (ut dicitur) Marte noſtro. Neq́ꝫ enim quidq̃ de hac parte poſt Panætium explicatum eſt, quod quidẽ mihi probaretur de ijs quę in manus meas uenerint. Quum igitur aliqua ſpecies utilitatis obiecta eſt, commoueri neceſſe eſt. Sed ſi quum animum attẽderis, turpitudinem uideas ei rei adiunctam quæ ſpeciem utilitatis attulerit, tum non utilitas relinquenda eſt, ſed intelligendum ubi turpitudo ſit, ibi utilitatem eſſe non poſſe. Quod ſi nihil eſt tam contra naturam q̃ turpitudo (recta enim & conuenientia & cõſtantia natura deſiderat, aſpernaturq́ꝫ contraria) nihilq́ꝫ tam eſt ſecundũ naturam, q̃ utilitas: certe in eadem re utili & turpitudo eſſe non poteſt. Itemq́ꝫ ſi ad honeſtatem nati ſumus, eaq́ꝫ aut ſola expetenda eſt, ut Xenoni uiſum eſt: aut certe omni pondere grauior habenda, q̃ reliqua omnia, quod Ariſtoteli placet: neceſſe eſt quod honeſtum ſit, id eſſe aut ſolum, aut ſummum bonũ. Quod autem bonum, id certe utile. Ita quidquid honeſtum, id utile. Quare error hominum non proborum, quũ aliquid quod utile uiſum eſt arripuit, id continuo ſecernit ab honeſto. Hinc ſicæ, hinc uenena, hinc falſa teſtamenta naſcuntur, hinc furta, peculatus, expilationes, di

reptionesq; ſociorum & ciuium,hinc opum nimiarum potentiæ non ferendę
poſtremo etiam in liberis ciuitatibus exiſtunt regnandi cupiditates, quibus
nihil nec tetrius,nec fœdius excogitari poteſt.Emolumenta enim rerum falla
cibus iudicijs uident:pœnam non dico legum,quas ſæpe perrumpunt,ſed ip-
ſius turpitudinis,quæ acerbiſſima eſt,non uident.Quamobrem hoc quidem
deliberantium genus pellatur è medio,(eſt enim totum ſceleratum & impiũ)
qui deliberant utrum id ſequantur quod honeſtum eſſe uideant,an ſe ſcien-
tes ſcelere contaminent.In ipſa enim dubitatione facinus ineſt etiam ſi ad id
non peruenerint.Ergo ea deliberanda omnino non ſunt,in quibus eſt turpis
ipſa deliberatio.Atq; etiam ex omni deliberatione celandi & occultandi ſpes
opinioq; remouẽda eſt.Satis enĩ nobis,ſi modo in philoſophia aliquid profe
cimus,perſuaſũ eſſe debet,ſi omnes deos hominesq; celare poſſimus,nihil ta-
men auare, nihil iniuſte,nihil libidinoſe,nihil incontinenter eſſe faciendum.
Hinc ille Gyges inducitur à Platone,qui cũ terra diſceſſiſſet magnis quibuſ-
dam imbribus,in illum hiatum deſcendit,æneumq; equum,ut ferunt fabulę,
animaduertit,cuius in lateribus fores eſſent: quibus apertis,hominis mortui
corpus uidit magnitudine inuſitata, anulumq; aureum in digito.Quẽ ut de-
traxit,atq; ipſe induit,(erat autem regius paſtor)tum in concilium paſtorũ
ſe recepit.Ibi quum palam eius anuli ad palmam conuerterat,à nullo uideba
tur,ipſe autem omnia uidebat:idem rurſus uidebatur quum in locum anulũ
inuerterat.Itaq; hac opportunitate anuli uſus,reginę ſtuprũ intulit:eaq; ad-
iutrice Regem dominum interemit,ſuſtulit quos obſtare arbitrabatur. Nec
in his facinoribus eum quiſq̃ uidere potuit. Sic repente anuli beneficio Rex
exortus eſt Lydiæ.Hunc igitur ipſum anulum ſi habeat ſapiens nihil plus ſi-
bi licere putet,q̃ ſi non haberet.Honeſta enim bonis uiris,non occulta quęrũ
tur.Atqui hoc loco philoſophi quidam,minime mali illi quidem,ſed non ſa-
tis acuti,fictam & commentitiam fabulam prolatam dicunt à Platone: quaſi
uero ille aut factum id eſſe,aut fieri potuiſſe defendat.Hęc eſt uis huius anuli,
& huius exempli.Si nemo ſciturus,nemo ne ſuſpicaturus quidem ſit, quum
aliquid diuitiarum,potentię,dominationis,libidinis cauſa feceris,ſi id dijs ho
minibusq; futurum ſit ſemper ignotum, ſis ne facturus? Negant id fieri poſſe
quanquam poteſt id quidem.Sed quæro, quod negant poſſe,id ſi poſſent,
quidnam facerent? Vrgent ſanè ruſtice,negant enim poſſe,& in eo perſtant.
Hoc uerbum,quid ualeat,non uident.Quum enim quęrimus ſi celare poſſint
quod facturi ſint,non quęrimus poſſint ne celare:ſed tanq̃ tormenta quędam
adhibemus:ut ſi reſponderint,ſe impunitate propoſita facturos quod expedi
at,facinoroſos ſe eſſe fateantur:ſi negent,omnia turpia per ſe ipſa fugienda eſ
ſe concedant.Sed iam ad propoſitum reuertamur.Incidunt ſæpe multæ cauſę
quæ conturbent animos utilitatis ſpecie,non cum hoc deliberetur, relinquen
dane ſit honeſtas propter utilitatis magnitudinem (nam id quidem impro-
bum eſt)ſed illud,poſſit ne id quod utile uideatur,fieri nõ turpiter.Cum Col
latino Collegæ Brutus imperium abrogabat,poterat uideri facere id iniuſte.
fuerat enim in Regibus expellendis ſocius Bruti & conſiliorum etiam adiu-
tor.Quum autem conſilium hoc principes cepiſſent,cognationem Superbi,
nomenq; Tarquiniorum,& memoriam regni eſſe tollendam,quod erat uti-
le patrię conſulere,id erat ita honeſtum,ut etiam ipſi Collatino placere debe-

ret

ret. Itaq; utilitas ualuit propter honeſtatem, ſine qua ne utilitas quidem eſſe potuiſſet. At in eo Rege qui urbem condidit, non ita. Species enim utilitatis animum pepulit eius. Cui quum uiſum eſſet utilius ſolum q̃ cum altero regnare, fratrem interemit. Omiſit hic & pietatem & humanitatem, ut id quod utile uidebatur, neque erat, aſſequi poſſet: & tamen muri cauſam oppoſuit ſpeciem honeſtatis, nec probabilem, nec ſanè idoneam. Peccauit igitur, pace uel Quirini uel Romuli dixerim. Nec tamen noſtræ nobis utilitates omittendæ ſunt, alijsq; tradendæ, quum his ipſi egeamus: ſed ſuæ cuiq; utilitati, quod ſine alterius iniuria fiat, ſeruiendum eſt. Scite Chryſippus, ut multa. Qui ſtadium (inquit) currit, eniti & contendere debet q̃ maxime poſſit, ut uincat: ſupplantare eum qui cum certet, aut manu depellere, nullo modo debet. Sic in uita ſibi quenq; petere quod pertineat ad uſum, non iniquum eſt: alteri diripere, ius non eſt. Maxime autem perturbantur officia in amicitijs, quibus & non tribuere quod recte poſſis, & tribuere quod non ſit æquum, contra officium eſt. Sed huius generis totius breue & non difficile præceptum eſt. Quæ enim uidentur utilia, honores, diuitiæ, uoluptates, ceteraq; generis eiuſdem, hæc amicitiæ nunquam anteponenda ſunt. Ac neque contra Rempub. neque contra iuſiurandum ac fidem, amici cauſa, uir bonus faciet, ne ſi iudex quidem erit de ipſo amico. Ponit enim perſonam amici, quum induit iudicis. Tantum dabit amicitiæ, ut ueră amici cauſam eſſe malit, & ut orandæ liti tempus, quoad per leges liceat, accommodet. Quum uero iurato ſententia dicenda ſit, meminerit deum ſe habere teſtem, id eſt (ut ego arbitror) mentem ſuam, qua nihil homini dedit deus ipſe diuinius. Itaq; præclarum à maioribus morem accepimus rogandi iudicis, ſi eum teneremus, quæ ſalua fide facere poſſit. Hæc rogatio ad ea pertinet quæ paulo ante dixi, honeſta amico à iudice poſſe concedi. Nam ſi omnia facienda ſint, quæ amici uelint, non amicitiæ tales, ſed coniurationes putandæ ſunt. Loquor autem de communibus amicitijs. Nam in ſapientibus uiris perfectisq; nihil poteſt eſſe tale. Damonem & Pythiam Pythagoreos ferunt hoc animo inter ſe fuiſſe, ut quum eorum alteri Dionyſius tyrannus diem necis deſtinauiſſet, & is qui morti addictus eſſet, paucos ſibi dies cōmēdandorū ſuorū cauſa poſtulauiſſet, uas factus eſt alter ſiſtēdi eius: ut ſi ille nō reuertiſſet, moriendum eſſet ipſi. Qui quum ad diem ſe recepiſſet, admiratus eorum fidem tyrannus, petiuit, ut ſe ad amicitiam tertium adſcriberent. Quum igitur id quod utile uidetur in amicitia, cum eo quod honeſtum eſt comparatur, iaceat utilitatis ſpecies, ualeat honeſtas. Quum autem in amicitia quæ honeſta non ſunt poſtulabuntur, religio & fides anteponantur amicitiæ. Sic habebitur is, quem exquirimus, delectus officij. Sed utilitatis ſpecie in Repub. ſæpiſſime peccatur, ut in Corinthi diſturbatione noſtri. Durius etiam Athenienſes, qui ſciuerunt, ut Aeginetis, qui claſſe ualebant, pollices præciderentur, hoc uiſum eſt utile: nimis enim imminebat propter propinquitatem Aegina Piræo. Sed nihil quod crudele utile. Eſt enim hominum naturæ, quam ſequi debemus, maxime inimica crudelitas. Male etiam qui peregrinos urbibus uti prohibent, eosq; exterminant, ut Pennius apud patres noſtros, Papius nuper. Nam eſſe pro ciue, qui ciuis non ſit, rectum eſt non licere, quam legem tulerunt ſapientiſſimi Conſules Craſſus & Scæuola. Vſu ue-

ro urbis prohibere peregrinos, ſanè inhumanum eſt. Illa præclara ſunt, in qui
bus publicæ utilitatis ſpecies prę honeſtate contemnitur. Plena exemplorũ
eſt noſtra Reſp. cum ſępe, tum maxime bello Punico ſecundo, quæ Cannen-
ſi calamitate accepta maiores animos habuit quàm unq̃ rebus ſecundis. Nulla
timoris ſignificatio, nulla mentio pacis. Tanta uis eſt honeſti, ut ſpeciem uti-
litatis obſcuret. Athenienſes quum Perſarum impetum nullo modo poſſent
ſuſtinere, ſtatuerentq́ ut urbe relicta, coniugibus & liberis Trœzene depoſi
tis, naues conſcenderent, libertatemq́ Græciæ claſſe defenderent, Cyrſilum
quendam ſuadentem ut in urbe manerent, Xerxemq́ reciperent, lapidibus
obruerunt. Atqui ille utilitatem ſequi uidebatur: ſed ea nulla erat, repugnante
honeſtate. Themiſtocles poſt uictoriam eius belli quod cum Perſis fuit, dixit
in concione ſe habere conſilium Reipub. ſalutare, ſed id ſciri opus non eſſe: po
ſtulauit ut aliquem populus daret qui cum communicaret. Datus eſt Ariſti-
des. Huic ille claſſem Lacedæmoniorum, quæ ſubducta eſſet ad Gytheum,
clàm incendi poſſe: quo facto frangi Lacedæmoniorum opes neceſſe eſſet.
Quod Ariſtides quum audiſſet, in concionem magna expectatione uenit, di
xitq́ perutile eſſe conſilium quod Themiſtocles afferret, ſed minime hone-
ſtum. Itaque Athenienſes, quod honeſtum non eſſet, id ne utile quidem puta-
uerunt: totamq́ eam rem, quam ne audierant quidem, auctore Ariſtide repu
diauerunt. Melius hi quàm nos, qui piratas immunes, ſocios uectigales habe-
mus. Maneat ergo, quod turpe ſit, id nunquàm eſſe utile: ne tum quidem, quũ
id quod utile eſſe putes, adipiſcare. Hoc enim ipſum utile putare, quod turpe
ſit, calamitoſum eſt. Sed incidunt (ut ſupra dixi) ſæpe cauſę quum repugna
re utilitas honeſtati uideatur, ut animaduertendum ſit, repugnétne planè an
poſſit cum honeſtate coniungi. Eius generis hæ ſunt quæſtiones, ſi (exempli
gratia) uir bonus Alexandria Rhodum magnum frumenti numerum adue-
xerit, in Rhodiorum inopia & fame, ſummaq́ annonę caritate, ſi idem ſciat
complures mercatores Alexandria ſoluiſſe, nauesq́ in curſu frumēto onuſtas
petentes Rhodum uiderit, dicturus ne ſit Rhodijs id an ſilentio ſuum quam
plurimo uenditurus? Sapientem & bonum uirum fingimus, de eius delibera
tione & conſultatione quærimus, qui celaturus Rhodios non ſit, ſi id turpe iu
dicet, ſed dubitet an turpe non ſit. In huiuſmodi cauſis aliud Diogeni Baby-
lonio uideri ſolet, magno & graui Stoico: aliud Antipatro diſcipulo eius, ho-
mini acutiſſimo. Antipatro, omnia patefacienda: ut ne quid omnino quod
uenditor norit, emptor ignoret. Diogeni, uenditorem, quatenus iure ciuili cõ
ſtitutum ſit, dicere uitia oportere: cetera ſine inſidijs agere: & quoniam uen-
dat, uelle quàm optime uendere. Aduexi, expoſui, uendo meum non pluris q̃
ceteri, fortaſſe etiam minoris, quum maior eſt copia, cui fit iniuria? Exoritur
Antipatri ratio ex altera parte. Quid ais? Tu cum hominibus conſulere de-
beas, & ſeruire humanæ ſocietati, eaq́ lege natus ſis, & ea habeas principia
naturæ, quibus parere, & quæ ſequi debeas, ut utilitas tua communis ſit utili
tas, uiciſſimq́ communis utilitas tua ſit, celabis homines quid his adſit com-
moditatis & copiæ? Reſpõdebit Diogenes fortaſſe ſic. Aliud eſt celare, aliud
tacere. Neq́ ego nunc te celo, ſi tibi non dico quæ natura deorum ſit, qui ſit fi-
nis bonorum; quę tibi plus prodeſſent cognita, quàm tritici uilitas: ſed non
quidquid

quidquid tibi audire utile eſt, idem mihi dicere neceſſe eſt. Imo uero (inquiet ille) neceſſe eſt, ſi quidem meminiſti eſſe inter homines natura coniunctam ſocietatem. Memini, inquiet ille: ſed num iſta ſocietas talis eſt, ut nihil ſuum cuiusque ſit? Quod ſi ita eſt, ne uendendum quidem quidquam eſt, ſed donandum. Vides in hac tota diſceptatione non illud dici, quãuis hoc turpe ſit, tamen quoniam expedit, faciam: ſed ita expedire, ut turpe non ſit. Ex altera autem parte, ea re, quia turpe ſit, non eſſe faciendum. Vendat ędes uir bonus propter aliqua uitia quæ ipſe norit, ceteri ignorent, peſtilentes ſint, & habeantur ſalubres: ignoretur in omnibus cubiculis apparere ſerpentes, male materiatæ, ruinoſæ: ſed hoc præter dominum nemo ſciat, quæro, ſi hæc emptoribus uenditor non dixerit, ædesque uendiderit, pluris multo, quàm ſe uenditurum putarit, num id iniuſte aut improbe fecerit? Ille uero, inquit Antipater. Quid enim eſt aliud quàm uiam erranti non monſtrare (quod Athenis execrationibus publicis ſanctum eſt) ſi hoc non eſt emptorem pati ruere, & per errorem alterum inducere? Diogenes contra. Num te emere coegit, qui ne hortatus quidem eſt? Ille quod non placebat proſcripſit: tu quod placebat emiſti. Quòd ſi qui proſcribunt uillam bonam, beneque ædificatam, non exiſtimantur feſelliſſe, etiam ſi illa nec bona eſt, nec ædificata ratione: multo minus qui domum non laudarunt. Vbi enim iudicium emptoris eſt, ibi fraus uenditoris quæ poteſt eſſe? Sin autem dictum nõ omne præſtandũ eſt, quod dictum non eſt, id præſtandum putas? Quid uero eſt ſtultius, quàm uẽditorẽ eius rei quã uẽdat uitia narrare? Quid autẽ tam abſurdũ, quàm ſi domini iuſſu ita præco prædicet. Domũ peſtilentem uendo? Sic ergo in quibuſdã cauſis dubijs ex altera parte defenditur honeſtas, ex altera ita de utilitate dicit, ut id quod utile uideatur, non modo facere honeſtum ſit, ſed etiam nõ facere, turpe. Hæc eſt illa quæ uidetur utilium fieri cum honeſtis ſæpe diſſenſio. Quæ dijudicanda ſunt. Non enim ut quæreremus expoſuimus, ſed ut explicaremus. Non igitur uidetur nec frumentarius ille Rhodios, nec hic ędium uenditor celare emptores debuiſſe. Neque enim ideſt celare, quidquid reticeas, ſed quum quod tu ſcias, id ignorare emolumenti tui cauſa uelis eos, quorum interſit id ſcire. Hoc autem celandi genus quale ſit, & cuius hominis, quis nõ uidet? Certe nõ aperti, non ſimplicis, non ingenui, non iuſti, non uiri boni: uerſuti potius, obſcuri, aſtuti, fallacis, malitioſi, callidi, ueteratoris, uafri. Hæc tot & alia plura nónne inutile eſt uitiorum ſubire nomina? Quod ſi uituperandi ſunt qui reticuerunt, quid de ijs exiſtimandum eſt qui orationis uanitatem adhibuerunt? C. Cannius eques R. nec infacetus, & ſatis literatus, quum ſe Syracuſas ociandi (ut ipſe dicere ſolebat) non negociandi cauſa contuliſſet, dictabat ſe hortulos aliquos emere uelle, quo inuitare amicos, & ubi ſe oblectare ſine interpellatoribus poſſet. Quod quum percrebuiſſet, Pythius ei quidam, qui argentariam faceret Syracuſis, uenales quidem ſe hortos non habere, ſed licere uti Cannio (ſi uellet) ut ſuis: & ſimul ad cœnam hominem in hortos inuitauit in poſterum diem. Quum ille promiſiſſet, tum Pythius, qui eſſet, ut argentarius, apud omnes ordines gratioſus, piſcatores ad ſe conuocauit, & ab his petiuit ut ante ſuos hortulos poſtridie piſcarentur: dixitque quid eos facere uellet. Ad cœnam tempore uenit Cannius. opipare à Pythio apparatum conuiuium: cymbarum ante hortulos multitudo. Pro

ſe quiſque quod ceperat afferebat: ante pedes Pythij piſces proijciebantur. Tum Cannius. Quæſo, inquit, quid eſt hoc Pythij? tantúmne piſcium? tantúmne cymbarum? Et ille. Quid mirum? inquit, hoc loco eſt, Syracuſis quidquid eſt piſcium: hic aquatio, hac uilla iſti carere non poſſunt. Incenſus Cannius cupiditate, cõtendit à Pythio ut uenderet. Grauate ille primo. Quid multa? Impetrat. Emit homo cupidus & locuples tanti quanti Pythius uoluit: & emit inſtructos. Nomina facit, negocium conficit. Inuitat Cannius poſtridie familiares ſuos. Venit ipſe mature. ſcalmum nullum uidet. Quærit ex proximo uicino, num feriæ quædam piſcatorum eſſent, q̃ eos nullos uideret. Nullæ, quod ſciam, inquit ille, ſed hic piſcari nulli ſolent: itaq; heri mirabar quid accidiſſet. Stomachari Cannius, ſed quid faceret? Nondum enim Aquilius collega & familiaris meus pertulerat de dolo malo formulas. In quibus ipſis quum ex eo quærerem quid eſſet dolus malus, reſpondebat, quum eſſet aliud ſimulatum, aliud actum. Hoc quidem ſane luculenter, ut ab homine perito definiendi. Ergo & Pythius & omnes aliud agentes, aliud ſimulantes, perfidi, improbi, malitioſi ſunt. Nullum igitur eorum factum poteſt utile eſſe, quum ſit tot uitijs inquinatum. Q; ſi Aquiliana definitio uera eſt, ex omni uita ſimulatio diſſimulatióq; tollenda eſt. ita nec ut emat melius, nec ut uendat, quidquam ſimulabit aut diſſimulabit uir bonus. Atque iſte dolus malus etiam legibus erat uindicatus, ut tutela. XII. tabulis, & circunſcriptio adoleſcentiũ lege Latoria: & ſine lege iudicijs, in quibus ex fide bona additur. Reliquorum autem iudiciorum hęc uerba maxime excellunt. In arbitrio rei uxorię, melius ęquius: In fiducia, ut inter bonos bene agier. Quid ergo? aut in eo quod melius æquius eſt, poteſt ulla pars ineſſe fraudis, aut quum dicitur inter bonos bene agier, quidquam agi doloſe aut malitioſe poteſt? Dolus autem malus in ſimulatione (ut ait Aquilius) continetur. Tollendum eſt igitur ex rebus contrahendis omne mendacium. Non licitatorem uenditor, nec qui cõtra ſe liceatur, emptor opponet. Vterq; ſi ad eloquendum uenerit, non plus quàm ſemel eloquetur. Q. quidem Scæuola P. filius, quum poſtulaſſet ut ſibi fundus cuius emptor erat ſemel indicaretur, idq; uenditor ita feciſſet, dixiſſetq; ſe pluris æſtimare, addidit centum millia. Nemo eſt qui hoc uiri boni fuiſſe neget, ſapiẽtis negant: ut ſi minoris quàm potuiſſet uendidiſſet. Hæc igitur eſt illa pernicies, q̃ alios bonos, alios ſapientes exiſtimant. Ex quo Ennius, Nequidq̃ ſapere ſapiẽtem, qui ipſe ſibi prodeſſe non quiret. Vere id quidem, ſi, quid eſſet prodeſſe, mihi cum Ennio cõueniret. Hecatonẽ quidẽ Rhodium diſcipulum Panætij uideo in his libris quos de officio ſcripſit Q. Tuberoni, dicere, ſapientis eſſe nihil contra mores, leges, inſtituta facientem, habere rationem rei familiaris. Neq; enim ſolum nobis diuites eſſe uolumus, ſed liberis, propinquis, amicis, maximeq; Reip. Singulorum enim facultates & copiæ, diuitiæ ſunt ciuitatis. Huic Scæuolę factum (de quo paulo ante dixi) placere nullo modo poteſt. Etenim omnino tantum ſe negat facturum compendij ſui cauſa quod non liceat. Huic nec laus magna tribuenda, nec gratia eſt. Sed ſiue ſimulatio & diſſimulatio dolus malus eſt, perpaucæ res ſunt in quibus non dolus iſte malus uerſetur: ſiue uir bonus eſt is qui prodeſt quibus poteſt, nocet nemini, recte iuſtum uirum bonum non facile reperimus. Nunquã igitur eſt utile peccare, quia ſemper eſt turpe. Et quia ſemper honeſtũ eſt

uirum bonum eſſe, ſemper eſt utile. Ac de iure quidem prædiorum ſanctum eſt apud nos iure ciuili, ut in his uendendis uitia dicerentur quę nota eſſent uenditori. Nam quum ex XII. tabulis ſatis eſſet ea præſtari quæ eſſent lingua nuncupata, quæ q inficiatus eſſet, dupli pœnã ſubiret: à iureconſultis etiam reticentiæ pœna eſt conſtituta. Quidquid enim eſt in prædio uitij id ſtatuerunt, ſi uenditor ſciret, niſi nominatim dictum eſſet, præſtari oportere: ut quũ in arce augurium Augures acturi eſſent, iuſſiſſentq; T. Claudium Cẽtimalum, qui ædes in Cœlio monte habebat, demoliri ea quorum altitudo officeret auſpicijs: Claudius proſcripſit inſulam, uendidit. Emit P. Calpurnius Lanarius. Huic ab Auguribus illud idem denunciatum eſt. Itaque Calpurnius quum demolitus eſſet, cognoſſetq; Claudium ædes poſtea proſcripſiſſe, quàm eſſet ab Auguribus demoliri iuſſus, arbitrum illum adegit, quidquid ſibi dare facere oporteret ex fide bona. M. Cato ſententiam dixit, huius noſtri Catonis pater. Vt enim ceteri ex patribus, ſic hic qui illud lumen progenuit, ex filio eſt nominandus. Is igitur iudex ita pronunciauit, quum in uendendo rem eam ſciſſet, & non pronũciâſſet, emptori damnum præſtari oportere. Ergo ad fidem bonã ſtatuit pertinere, notum eſſe emptori uitium quod noſſet uenditor. Quod ſi recte iudicauit, non recte frumentarius ille, non recte ædium peſtilentium uenditor tacuit. Sed huiuſmodi reticentiæ iure ciuili comprehendi non poſſunt: quæ autem poſſunt, diligenter tenentur. M. Marius Gratidianus, propinquus noſter, C. Sergio Oratæ uendiderat ædes eas quas ab eodem ipſe paucis ante annis emerat. Eæ Sergio ſeruiebant: ſed hoc in mancipio Marius non dixerat. Adducta res in iudicium eſt. Oratam Craſſus, Gratidianum defendebat Antonius. Ius Craſſus urgebat, quod uitij uenditor non dixiſſet, ſciens id oportere præſtari. Aequitatem Antonius, quoniam id uitium ignotum Sergio non fuiſſet, qui illas ædes uendidiſſet, nihil fuiſſe neceſſe dici: nec eum eſſe deceptum, qui id quod emerat, quo iure eſſet teneret. Quorſum hæc? Vt illud intelligas, non placuiſſe maioribus noſtris aſtutos. Sed aliter leges, aliter philoſophi tollũt aſtutias. Leges, quatenus manu tenere poſſunt: philoſophi, quatenus ratione & intelligentia. Ratio ergo hoc poſtulat, ne quid inſidioſe, ne quid ſimulate, ne quid fallaciter. Sunt ne igitur inſidiæ, tendere plagas, etiam ſi excitaturus non ſis, nec agitaturus? Ipſe enim ferè nullo inſequente ſæpe incidunt. Si tu ædes proſcribas, tabulam tanquam plagam ponas, domum propter uitia uendas, in eam aliquis incurrat imprudens: hoc quanquam uideo propter deprauationem conſuetudinis neque more turpe haberi, neque aut lege ſanciri aut iure ciuili, tamen naturæ lege ſancitum eſt. Societas enim eſt, quod etſi ſæpe dictum eſt, dicendum tamen eſt ſæpius, latiſſime quidem quæ pateat omnium inter omnes, interior eorum qui eiuſdem gentis ſunt, propior eorum qui eiuſdem ciuitatis. Itaq; maiores aliud ius gentium, aliud ius ciuile eſſe uoluerunt. Quod ciuile, non idẽ continuo gentium: quod autem gentium, idem ciuile eſſe debet. Sed nos ueri iuris germanęq; iuſtitię ſolidã & expreſſam effigiem nullã tenemus, umbra & imaginibus utimur: eas ipſas utinam ſequeremur. Feruntur enim ex optimis naturæ & ueritatis exemplis. Nam quanti uerba illa. Vti ne propter te, fidémue tuam captus fraudatúsue ſim? Q illa aurea. Vt inter bonos bene agier oportet & ſine fraudatione? Sed qui ſint boni, & quid ſit bene agi,

magna quæſtio eſt. Q. quidem Scæuola Pontif. Max. ſummam uim eſſe dicebat in omnibus ijs arbitrijs in quibus adderetur, ex fide bona: fideiq́ bonæ nomen exiſtimabat manare latiſſime, idq́ uerſari in tutelis, ſocietatibus, fiducijs, mandatis, rebus emptis, uenditis, conductis, locatis, quibus uitæ ſocietas continetur. In his magni eſſe iudicis ſtatuere (preſertim quum in pleriſq́ eſſent iudicia contraria) quid quenq́ cuiq́ præſtare oporteret. Quocirca aſtutiæ tollendæ ſunt, eaq́ malitia, quę uult illa quidem uideri ſe eſſe prudentiam, ſed abeſt ab ea, diſtatq́ plurimum. Prudentia eſt enim locata in delectu bonorum & malorum: malitia ſi omnia quæ turpia ſunt, mala ſunt, mala bonis anteponit. Nec uero in prædijs ſolum ius ciuile ductum à natura malitiã fraudemq́ uindicat: ſed etiam in mancipiorum uenditione uenditoris fraus omnis excluditur. Qui enim ſcire debuit de ſanitate, de fuga, de furtis, præſtat edicto Aedilium. Hæredum alia cauſa eſt. Ex quo intelligitur, quoniam iuris natura fons ſit, hoc ſecundum naturam eſſe, neminem id agere, ut ex alterius prædetur inſcitia. Nec ulla pernicies uitæ maior inueniri poteſt, quàm in malitia ſimulatio intelligentiæ: ex quo iſta innumerabilia naſcuntur, ut utilia cũ honeſtis pugnare uideantur. Quotus enim quiſque reperietur, qui impunitate & ignoratione omnium propoſita, abſtinere poſſit iniuria? Periclitemur ſi placet, & in ijs quidem exemplis, in quibus peccari uulgus hominum fortaſſe non putat. Neque enim de ſicarijs, ueneficis, teſtamentarijs, furibus, peculatoribus hoc loco diſſerendum eſt: qui non uerbis ſunt & diſputatione philoſophorum, ſed uinculis & carcere fatigandi. Sed hæc conſideremus quæ faciunt ij qui habentur boni. L. Mutij Baſilij locupletis hominis falſum teſtamẽtum quidam è Gręcia Romam attulerunt: quod quo facilius obtinerent, ſcripſerunt hæredes ſecum M. Craſſum, & Q. Hortenſium, homines eiuſdem ciuitatis potentiſſimos: qui quum illud falſum eſſe ſuſpicarentur, ſibi autem nullius eſſent conſcij culpæ, alieni facinoris munuſculum non repudiauerunt. Quid ergo? ſatin' hoc eſt ut non deliquiſſe uideantur? Mihi quidem non uidetur: q̃q̃ alterum uiuum amaui, alterum non odi mortuum. Sed quum Baſilius M. Satrium ſororis filium nomen ſuum ferre uoluiſſet, eumq́ feciſſet hæredem, hunc autem dico patronum agri Piceni & Sabini (O turpem notam temporum) non erat ęquum principes ciuis rem habere, ad Satrium nihil pręter nomen peruenire. Etenim ſi is qui non defendit iniuriam, neq́ propulſat à ſuis quum poteſt, iniuſte facit, ut in primo libro diſſerui: qualis habendus eſt is, qui non modo non repellit, ſed etiã adiuuat iniuriam? Mihi quidem uere etiã hæreditates non honeſtę uidentur, ſi ſunt malitioſis blanditijs officiorum, nõ ueritate, ſed ſimulatione quæſitę. Atqui in talibus rebus aliud utile interdum, aliud honeſtum uideri ſolet. Falſo. Nam eadẽ utilitatis, quę honeſtatis eſt regula. Qui hoc non peruiderit, ab hoc nulla fraus aberit, nullum facinus. Sic enim cogitans. Eſt enim iſtuc honeſtum, uerum hoc expedit: res à natura copulatas audebit errore diuellere, qui fons eſt fraudum, maleficiorum, ſcelerũ omnium. Itaque ſi uir bonus habeat hanc uim, ut ſi digitis concrepuerit, poſſit in locupletum teſtamenta nomen eius irrepere, hac ui non utatur, ne ſi exploratum quidem habeat id omnino neminem unq̃ ſuſpicaturum? At ſi dares hãc uim M. Craſſo ut digitorũ percuſſione hæres poſſet ſcriptus eſſe, qui reuera non eſſet hæręs, in foro mihi crede ſaltaret. Homo autem iuſtus, iſq́

quem ſentimus uirum bonum, nihil cuiquam quod in ſe tranſferat detrahet. Hoc qui admiratur, is ſe, qui ſit uir bonus, neſcire fateatur. At uero ſi quis uoluerit animi ſui complicatam notionem euoluere, iam ſe ipſe doceat eum uirū bonum eſſe, qui proſit quibus poſſit: noceat nemini, niſi laceſſitus iniuria. Quid ergo? hic non noceat, qui quodam quaſi ueneno perficiat ut ueros heredes moueat, in eorum locum ipſe ſuccedat? Non igitur faciat (dixerit quis) quod utile ſit, quod expediat? Imo intelligat nihil nec expedire, nec utile eſſe, quod ſit iniuſtum. Hoc qui non didicerit, bonus uir eſſe non poterit. Fimbriam Conſularem audiebam de patre noſtro puer iudicem M. Luctatio Pinthiæ fuiſſe Equiti R. ſanè honeſto, quum is ſponſionem feciſſet niſi uir bonus eſſet. Itaque ei dixiſſe Fimbriam, ſe illam rem nunquam iudicaturum, ne aut ſpoliaret fama probatum hominem ſi contra iudicauiſſet: aut ſtatuiſſe uideretur uirum bonum eſſe aliquem, quum ea res īnumerabilibus officijs & laudibus contineretur. Huic igitur uiro bono, quem Fimbria etiam, non modo Socrates nouerat, nullo modo uideri poteſt quidquam eſſe utile quod non honeſtum ſit. Itaq; talis uir non modo facere, ſed ne cogitare quidem quidquā audebit quod non audeat prædicare. Hoc non turpe eſt dubitare philoſophos, quod ne ruſtici quidem dubitent? à quibus natum eſt id quod iam tritum eſt uetuſtate prouerbium. Quum enim fidem alicuius bonitatemq; laudant, dignum eſſe dicunt qui cum in tenebris mices. Hoc quam habet uim, niſi illam, nihil expedire quod non deceat, etiam ſi id poſſis nullo refellente obtinere? Vidésne hoc prouerbio neque Gygi illi poſſe ueniam dari, neque huic quem paulo ante fingebam digitorum percuſſione hæreditates omnium poſſe conuertere? Vt enim quod turpe eſt, id quāuis occultetur, tamen honeſtum fieri nullo modo poteſt: ſic quod honeſtum non eſt, id utile ut ſit, effici nō poteſt, aduerſante & repugnante natura. Atenim quum permagna præmia ſunt, eſt causa peccandi. C. Marius quum à ſpe Conſulatus longe abeſſet, & iam ſeptimum annum poſt Præturam iaceret, neq; petiturus unquā Conſulatum uideretur. Q. Metellum, cuius Legatus erat ſummum uirum & ciuem, quū ab eo Imperatore ſuo Romam miſſus eſſet, apud Populum R. criminatus eſt bellum illum ducere: ſi ſe Conſulem feciſſent, breui tempore aut uiuum aut mortuum Iugurtham ſe in poteſtatem Populo R. redacturum. Itaq; factus eſt ille quidem Conſul, ſed à fide iuſtitiaq; diſceſſit, qui optimum & grauiſſimum ciuem, cuius Legatus, & à quo miſſus eſſet, in inuidiam falſo crimine adduxerit. Ne noſter quidem Gratidianus officio boni uiri functus eſt tum quum Prætor eſſet, collegiumq; prætorum Tribb. pl. adhibuiſſent, ut res nummaria de communi ſententia conſtitueretur. iactabatur enim temporibus illis nummus, ſic ut nemo poſſet ſcire quid haberet. Conſcripſerunt communiter edictum cum pœna atque iudicio, conſtitueruntq; ut omnes ſimul in Roſtra poſt meridiem deſcenderent. Et ceteri quidem alius aliò Marius à ſubſellijs in Roſtra recta: idq; quod communiter compoſitum fuerat, ſolus edixit. Et ea res (ſi quæris) ei magno honori fuit: omnibus uicis ſtatuæ ad eas thus & cerei. Quid multa? Nemo unquam multitudini fuit carior. Hæc ſunt quæ conturbant in deliberatione nonnunquam, quum id in quo uiolatur æquitas eſt non ita magnum: illud autem quod ex eo paritur, permagnum uidetur: ut Mario præripere Collegis & Tribunis plebis po

pularem gratiam, non ita turpe: Conſulem ob eam rem fieri, quod ſibi tum propoſuerat, ualde utile uidebatur. Sed omnium una regula eſt, quam tibi cupio eſſe notiſſimam, aut illud quod utile uidetur, turpe ne ſit: aut ſi turpe eſt, ne eſſe utile uideatur. Quid igitur? Poſſumus ne aut illum Marium uirum bonum iudicare, aut hunc? Explica atq; excute intelligētiam tuam, ut uideas quæ ſit in ea ſpecie, forma & notio uiri boni. Cadit ergo in uirum bonum mentiri emolumenti ſui cauſa, criminari, præripere, fallere? Nihil profecto minus. Eſt ergo ulla res tanti, aut commodum ullum tam expetendum, ut uiri boni & ſplendorem & nomen amittas? Quid eſt quod afferre tantum utilitas iſta quæ dicitur poſſit? quantum auferre, ſi boni uiri nomen eripuerit, fidem iuſtitiamq; detraxerit? Quid enim intereſt utrum ex homine ſe cōuertat quis in beluam, an hominis figura immanitatem gerat beluæ? Quid? qui omnia recta & honeſta negligunt dummodo potentiam conſequantur, nónne idē faciunt quod is qui etiam ſocerum habere uoluit eum cuius ipſe audacia potēs eſſet? Utile ei uidebatur plurimum poſſe alterius inuidia: id q̄ iniuſtum in patriam, & q̄ turpe eſſet, nō uidebat. Ipſe autem ſocer in ore ſemper Græcos uerſus de Phœniſſis habebat, quos dicam ut potero, incondite fortaſſe, ſed tamē ut res poſſit intelligi,

Nam ſi uiolandum eſt ius, regnandi gratia
Violandum eſt: alijs rebus pietatem colas.

Capitalis Eteocles, uel potius Euripides, qui id unum quod omnium ſceleratiſſimū fuerat, exceperit. Quid igitur minuta colligimus? hereditates, mercaturas, uenditiones fraudulentas? Ecce tibi qui Rex Populi R. dominusq; omnium gentium eſſe concupiuerit, idq; perfecerit. Hanc cupiditatem ſi honeſtam quis eſſe dicat, amens eſt. Probat enim legum & libertatis interitum, earumq; oppreſſionem tetram & deteſtabilem, glorioſam putat. Qui autem fatetur honeſtum non eſſe in ea ciuitate quæ libera fuit, quæq; eſſe debeat, regnare, ſed ei qui id facere poſſit, eſſe utile: qua hunc obiurgatione, aut quo potius conuicio à tanto errore coner euellere? Poteſt enī (dij immortales) cuiq̄ eſſe utile fœdiſſimū & teterrimum parricidium patriæ, quāuis is qui ſe eo obſtrinxerit, ab oppreſſis ciuibus parens nominetur? Honeſtate igitur dirigenda utilitas eſt, & quidem ſic, ut hæc duo uerba inter ſe diſcrepare, unum ſonare uideantur. Nunc abeo ad uulgi opinionem, quæ maior utilitas, q̄ regnandi eſſe poſſit: nihil contra inutilius ei qui id iniuſte conſecutus ſit, inuenio, quū ad ueritatē cœpi reuocare rationē. Poſſunt enī cuiquā eſſe utiles angores, ſolicitudines, diurni & nocturni metus, uita inſidiarū periculorūq; pleniſſima?

Multi iniqui atq; infideles regno, pauci boni ſunt,

inquit Accius. At cui regno? Quod à Tantalo & Pelope proditum iure obtinebatur. Nam quanto plures ei Regi putas, qui exercitu populi R. populū ipſum R. oppreſſiſſet, ciuitatemq; non modo liberam, ſed etiam gētibus imperantem, ſeruire ſibi coegiſſet? Hunc tu quas conſcientiæ labes in animo cēſes habuiſſe? quę uulnera? Cuius autem uita ipſi poteſt utilis eſſe, quum eius uitę cōditio ſit, ut qui illam eripuerit, in maxima & gratia futurus ſit & gloria? Q; ſi hæc utilia non ſunt, quæ maxime uidentur, quia plena ſunt dedecoris ac turpitudinis: ſatis perſuaſum eſſe debet, nihil eſſe utile, quod non honeſtū ſit. Quanq̄ id quidem quum ſępe aliàs, tum Pyrrhi bello à C. Fabricio Conſule

iterum,

iterum,& à Senatu noſtro iudicatum eſt. Quum enim Rex Pyrrhus Populo R. bellum ultro intuliſſet, quumq́ de imperio certamen eſſet cum Rege generoſo ac potente, perfuga ab eo uenit in caſtra Fabricij, eiq́ eſt pollicitus, ſi pręmium ſibi propoſuiſſet, ſe ut clam ueniſſet, ſic clam in Pyrrhi caſtra rediturũ, & eum ueneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curauit ad Pyrrhũ. Idq́ eius factum à Senatu laudatũ eſt. Atqui ſi ſpeciẽ utilitatis opinionemq́ quærimus, magnum illud bellum perfuga unus, & grauem aduerſarium imperij ſuſtuliſſet. Sed magnum dedecus & flagitium, qui cum laudis certamen fuiſſet, eum non uirtute, ſed ſcelere ſuperatum. Viſum igitur utilius uel Fabricio, qui talis ĩ hac urbe, qualis Ariſtides Athenis fuit, uel Senatui noſtro, qui nunquam utilitatem à dignitate ſeiunxit, armis cum hoſte certare, non uenenis. Si gloriæ cauſa imperium expetendum eſt, ſcelus abſit, in quo non poteſt eſſe gloria: Sin ipſę opes expetuntur, quoquo modo non poterunt utiles eſſe cum infamia. Non igitur utilis illa L. Philippi Q. F. ſententia, quas ciuitates L. Sylla pecunia accepta. S. C. liberauiſſet, ut eæ rurſus uectigales eſſent: neq́ his pecuniam quam pro libertate dederant, redderemus. Ei Senatus eſt aſſenſus. Turpe imperio. Piratarum enim melior fides q̃ Senatus. At Aucta uectigalia. Vtile igitur. Quouſq́ audebunt dicere quidquam utile quod non honeſtum? Poteſt autem ulli imperio, quod gloria debet fultum eſſe, & beneuolẽtia ſociorum, utile eſſe odium & infamia? Ego etiã cum Catone meo ſæpe diſſenſi. Nimis mihi pręfracte uidebatur ęrarium uectigaliaq́ defendere, omnia publicanis negare, multa ſocijs, quum in hos benefici eſſe deberemus: cum illis ſic agere, ut cum colonis noſtris ſoleremus: eoq́ magis quo illa ordinũ coniunctio ad ſalutem Reip. pertinebat. Male etiam Curio, quum cauſam Tranſpadanorum æquam eſſe dicebat, ſemper autem addebat, Vincat utilitas. Potius diceret non eſſe æquam, quia non eſſet utilis Reip. quam quum utilem eſſe diceret, non eſſe æquam fateretur. Plenus eſt ſextus liber de officijs Hecatonis talium quæſtionum, ſit ne boni uiri in maxima caritate annonæ familiam nõ alere. In utranq́ partem diſputat, ſed tamen ad extremum utilitate ut putat officium dirigit magis q̃ humanitate. Quærit, ſi in mari iactura faciẽda ſit, equi ne precioſi potius iacturam faciat, an ſeruuli uilis. Hic alið res familiaris, aliò ducit humanitas. Si tabulã de naufragio ſtultus arripuerit, extorquebit ne eam ſapiẽs, ſi potuerit? Negat, quia ſit iniurium. Quid dominus nauis? eripiétne ſuum? Minime, non plus q̃ ſi nauigantem in alto eijcere de naui uelit, quia ſua ſit. Quoad enim peruentum ſit eò quò ſumpta nauis eſt, nõ domini eſt nauis, ſed nauigantium. Quid ſi una tabula ſit, duo naufragi, hiq́ ſapientes, ſibi ne uterq́ rapiat? an alter cedat alteri? Cedat uero, ſed ei cuius magis interſit uel ſua uel Reip. cauſa uiuere. Quid ſi hæc paria ĩ utroq́? Nullum erit certamen, ſed quaſi ſorte aut dimicando uictus alteri cedat alter. Quid ſi pater fana expilet, cuniculos agat ad ærarium, indicétne id magiſtratibus filius? Nefas id quidem eſt: quinetiam defendat patrem ſi arguatur. Non igitur patria pręſtat omnibus officijs. Imo uero: ſed ipſi patriæ conducit pios babere ciues in parentes. Quid ſi tyrannidem occupare, ſi patriam prodere conabitur pater? ſilebit ne filius? Imo uero obſecrabit patrẽ ne id faciat: ſi nihil proficiat, accuſabit: minabitur etiam: ad extremum, ſi ad perniciem patrię res ſpectabit, patrię ſalutem anteponet ſaluti patris. Quęrit etiam, ſi ſapiẽs adulteri-

nos nummos acceperit imprudens pro bonis,quum id reſcierit, ſoluturúsne ſit eos,ſi cui debeat,pro bonis? Diogenes ait, Antipater negat. Cui potius aſſentiar? Qui uinum fugiens uendat ſciens,debeátne dicere? Non neceſſe putat Diogenes: Antipater uiri boni exiſtimat. Hęc ſunt quaſi controuerſa iura Stoicorum,in mancipio uendendo dicendáne uitia, non ea quæ niſi dixeris, redhibeatur mancipium iure ciuili: ſed hæc,mendacem eſſe,aleatorem,furacē, ebrioſum. Alteri dicenda uidentur,alteri non uidentur. Si quis aurum uendens,orichalcum ſe putet uendere,indicétne ei uir bonus aurum illud eſſe? an emat denario,quod ſit mille denarium? Perſpicuum eſt iam & quid mihi uideatur,& quę ſit inter eos philoſophos quos nominaui,cōtrouerſia. Pacta & promiſſa ſemper ne ſeruanda ſint,quę nec ui nec dolo malo (ut Prętores ſolent) facta ſint? Si quis medicamentum cuipiam dederit ad aquam intercutē, pepigeritq́; ſi eo medicamēto ſanus factus eſſet,ne illo medicamento unquám poſtea uteretur: ſi eo medicamento ſanus factus ſit,& annis aliquot poſt inciderit in eundem morbum,nec ab eo qui quum pepigerat impetret ut item eo liceat uti: quid faciendum ſit,quum ſit is inhumanus,qui non concedat,nec ei quidq̃ fiat iniurię? Vitę & ſaluti conſulendum eſt. Quid? ſi ſapiens rogatus ſit ab eo qui eum hęredem faciat,quum ei teſtamento ſeſtertium milies relinquatur,ut anteq̃ hęreditatem adeat,luce palám in foro ſaltet,idq́; ſe facturum promiſerit,quòd aliter hęredem eum ſcripturus ille non eſſet: faciat quod promiſerit,necne? Promiſiſſe nollem: & id arbitror fuiſſe grauitatis: ſed quoniam promiſit,ſi ſaltare in foro turpe ducet,honeſtius mentietur ſi ex hæreditate nihil ceperit,q̃ ſi ceperit: niſi forte eam pecuniam in Reip. magnum aliquod tēpus contulerit: ut uel ſaltare,quum patrię conſulturus ſit,turpe non ſit. Ac ne illa quidem promiſſa ſeruanda ſunt,quæ non ſunt ijs ipſis utilia, quibus illa promiſeris. Sol Phaethōti filio (ut redeamus ad fabulas) facturum ſe eſſe dixit quidquid optaſſet. Optauit ut in curru patris tolleretur. Sublatus eſt: atq́; is antequā conſtitit, ictu fulminis deflagrauit. Quanto melius fuerat in hoc promiſſum patris non eſſe ſeruatum? Quid quod Theſeus exegit promiſſum à Neptuno? cui quum tres optationes Neptunus dediſſet, optauit interitum Hippolyti filij,quum is patri ſuſpectus eſſet de nouerca. Quo optato impetrato, Theſeus in maximis fuit luctibus. Quid? Agamemnon quum deuouiſſet Dianę quod in ſuo regno pulcherrimum natum eſſet illo anno,immolauit Iphigeniam,qua nihil erat eo quidem anno natum pulchrius. Promiſſum potius non faciendumq̃ tam tetrum facinus admittendum fuit. Ergo & promiſſa non facienda nonnunq̃,neq́; ſemper depoſita reddenda. Si gladiū quis apud te ſana mente depoſuerit,repetat inſaniens: reddere , peccatum ſit : non reddere,officium. Quid ſi is qui apud te pecuniam depoſuerat,bellum inferat patrię? Reddésne depoſitum? Non credo,facies enim contra Remp. quæ debet eſſe cariſſima. Sic multa quæ honeſta natura uidentur eſſe, temporibus fiunt inhoneſta. Facere promiſſa,ſtare conuentis,reddere depoſita, commutata utilitate fiunt inhoneſta. Ac de ijs quidem quæ uidentur eſſe utilitates contra iuſtitiam ſimulationę prudentiæ,ſatis arbitror dictum. Sed quoniam à quatuor fontibus honeſtatis primo libro officia duximus,in eiſdem uerſabimur quum docebimus ea quæ uideantur eſſe utilia,neq́; ſint,q̃ ſint uirtutis inimica. Ac de prudentia quidem,quam uult imitari malitia,itemq́; de iuſtitia,

tia,quæ ſemper eſt utilis,diſputatum eſt. Reliquæ ſunt duæ partes honeſtatis,quarum altera in animi excellentis magnitudine & præſtantia cernitur,altera in conſormatione & moderatione continentiæ & temperantiæ. Vtile uidebatur Vlyſſi,ut quidam poetę tragici prodiderunt:nam apud Homerum, optimum auctorem,talis de Vlyſſe nulla ſuſpicio eſt:ſed inſimulant eum tragœdię ſimulatione inſaniæ militiam ſubterfugere uoluiſſe.Non honeſtū conſilium:at utile(ut aliquis fortaſſe dixerit)regnare,& Ithacæ uiuere ocioſe cū parentibus,cum uxore,cum filio. Vllum tu decus in quotidianis laboribus & periculis cum hac tranquillitate conſerendum putas? Ego uero iſtam contemnendam & abijciendam:quoniam quæ honeſta non ſit,ne utilem quidem eſſe arbitror.Quid enī auditurū putas fuiſſe Vlyſſem,ſi in illa ſimulatione perſeueraſſet:qui quū maximas res geſſerit in bello,tamen hæc audiat ab Aiace,

Cuius ipſe princeps iuriſiurandi fuit,
Quod omnes ſcitis,ſolus neglexit fidem.
Furere aſſimulauit,ne quò iret:inſtitit.
Quòd ni Palamedis perſpicax prudentia
Iſtius percepſet malitioſam audaciam,
Fide ſacratum ius perpetuo falleret.

Illi uero non modo cum hoſtibus,uerumetiam cum fluctibus,id quod fecit,dimicare melius fuit,q̃ deſerere conſentientem Gręciam ad bellum Barbaris inferendū.Sed omittamus & fabulas,& externa:ad rem factā,noſtramq́ꝫ ueniamus.M.Attilius Regulus,quum Conſul iterum,in Aphrica ex inſidijs captus eſſet duce Xantippo Lacedæmonio. Imperatore autem patre Annibalis Hamilcare,iuratus miſſus eſt ad Senatum, ut niſi redditi eſſent Pœnis captiui nobiles quidam,rediret ipſe Carthaginem. Is quum Romam ueniſſet,utilitatis ſpeciem uidebat,ſed eam (ut res declarat)falſam iudicauit: quæ erat talis,manere in patria,eſſe domi ſuæ cum uxore, cum liberis:quam calamitatem accepiſſet in bello,communem fortunæ bellicæ iudicantem, tenere Conſularis dignitatis gradum.Quis hæc negat eſſe utilia? Quem cẽſes? Magnitudo animi & fortitudo negat.Num locupletiores quęris auctores? Harum enim eſt uirtutum proprium nihil extimeſcere, omnia humana deſpicere,nihil quod homini accidere poſſit,intolerandum putare.Itaqꝫ quid fecit? In Senatum uenit? mādata expoſuit:ſententiam ne diceret, recuſauit, quādiu iureiurādo hoſtium teneretur,non eſſe Senatorem. Atqꝫ illud etiam(O ſtultum hominem dixerit quiſpiam,& repugnātem utilitati ſuę)reddi captiuos, negauit eſſe utile. Illos enim adoleſcentes eſſe,& bonos duces,ſe iam confectū ſenectute.Cuius quum ualuiſſet auctoritas,captiui retenti ſunt,ipſe Carthaginem redijt:neqꝫ eum caritas patrię retinuit,nec ſuorum.Neqꝫ uero tum ignorabat ſe ad crudeliſſimum hoſtem,& ad exquiſita ſupplicia proficiſci:ſed iuſiurandum conſeruandum putabat.Itaqꝫ tum quum uigilādo necabatur, erat in meliore cauſa,q̃ ſi domi ſenex captiuus periurus Cōſularis remanſiſſet. At ſtulte,qui non modo non cenſuerit captiuos remittendos,uerumetiam diſſuaſerit.Quomodo ſtulte? Etiámne ſi Reip.cōducebat? Poteſt autem quod inutile Reip.ſit,id cuiq̃ ciui utile eſſe? Peruertunt homines ea quæ ſunt fundamenta naturę,quum utilitatem ab honeſtate ſeiungunt.Omnes enim expetimus utilitatem,ad eamq́ꝫ rapimur,nec facere aliter ullo modo poſſumus. Nā

quis eſt qui utilia fugiat? Aut quis potius qui ea non ſtudioſiſſime perſequatur? Sed quia nuſquam poſſumus, niſi in laude, decore, honeſtate, utilia reperire: propterea illa prima & ſumma habemus: utilitatis nomen non tam ſplẽdidum q̃ neceſſarium ducimus. Quid eſt igitur (dixerit quis) in iureiurãdo? Num iratum timemus Iouem? At hoc quidem commune eſt omnium philoſophorum, non eorum modo qui deum nihil habere ipſum negocij dicunt, nihil exhibere alteri: ſed eorum etiam qui deum ſemper agere aliquid & moliri uolunt, nunq̃ nec iraſci deum, nec nocere. Quid autem iratus Iupiter plus nocere potuiſſet, q̃ nocuit ſibi ipſe Regulus? Nulla igitur uis fuit religionis quæ tantam utilitatem peruerteret. An ne turpiter faceret? Primum minima de malis. Num igitur tantum mali turpitudo iſta habebat, quantum ille cruciatus? Deinde illud etiam apud Accium Fregiſti ne fidem? Neq; dedi, neq; do infideli cuiq̃: quanq̃ ab impio Rege dicitur, luculente tamen dicitur. Addunt etiam, quemadmodum nos dicamus uideri quędam utilia quæ non ſint, ſic ſe dicere uideri quædam honeſta, quæ non ſunt: ut hoc ipſum uidetur honeſtum, conſeruandi iuriſiurandi cauſa ad cruciatum reuertiſſe: ſed fit non honeſtum, quia quod per uim hoſtium eſſet actum, ratum eſſe non debuit. Addũt etiam, quidquid ualde utile ſit, id fieri honeſtum, etiam ſi antea non uideretur, Hæc fere contra Regulum. Sed prima uideamus. Non fuit Iupiter metuẽdus ne iratus noceret: qui neq; iraſci ſolet, nec nocere. Hæc quidem ratio non magis contra Reguli, q̃ contra omne iuſiurandum ualet. Sed in iureiurando, nõ qui metus, ſed quæ uis ſit, debet intelligi. Eſt enim iuſiurandum affirmatio religioſa. Quod autem affirmate quaſi deo teſte promiſeris, id tenendum eſt. Iã enim nõ ad iram deorum, quæ nulla eſt, ſed ad iuſtitiam & ad fidem pertinet. Nam præclare Ennius,

O fides alma, apta pinnis, & iuſiurandum Iouis.

Qui igitur iuſiurandum uiolat, is fidem uiolat, quam in Capitolio uicinam Iouis Opt. Max. (ut in Catonis oratione eſt) maiores noſtri eſſe uoluerunt. Atenim ne iratus quidem Iupiter plus Regulo nocuiſſet, q̃ ſibi nocuit ipſe Regulus. Certe, ſi nihil malum eſſet niſi dolere. Id autem non modo non ſummum malum, ſed ne malum quidem eſſe, maxima auctoritate philoſophi affirmant. Quorum quidem teſtem nõ mediocrem, ſed haud ſcio an grauiſſimũ, Regulum nolite, quęſo, uituperare. Quem enim locupletiorem quęrimus, q̃ principem populi R. qui retinendi officij cauſa cruciatum ſubierit uoluntarium? Nam quod aiunt, minima de malis, id eſt ut turpiter potius q̃ calamitoſe: an eſt ullum maius malum turpitudine? Quæ ſi ĩ deformitate corporis habeat aliquid offenſionis, quanta illa deprauatio & fœditas turpificati animi debet uideri? Itaque neruoſius qui iſta differunt, ſolum audent malum dicere id quod turpe ſit: qui autem remiſſius, hi tamen non dubitant ſummum malum dicere. Nam illud quidẽ. Neq; dedi, neq; do infideli cuiq̃: idcirco recte a poeta, quia, quum tractaretur Atreus, perſonæ ſeruiendum fuit. Sed ſi hoc ſibi ſumant, nullam eſſe fidem quę infideli data ſit, uideant ne quęratur latebra periurio. Eſt autem ius etiam bellicũ fidesq; iuriſiurandi ſæpe cũ hoſte ſeruãda. Quod enim ita iuratum eſt, ut mens conciperet fieri oportere, id ſeruãdũ eſt. Quod aliter id ſi non feceris, nullum periurium eſt: ut ſi prędonibus pactum pro capite precium non attuleris, nulla fraus eſt, ne ſi iuratus quidem id non feceris,

feceris. Nam pirata nō eſt ex perduellium numero definitus, ſed cōmunis hoſtis omniū. Cum hoc nec fides debet, nec iuſiurandū eſſe commune. Nō enim falſum iurare, peierare eſt: ſed quod ex animi tui ſententia iuraris, ſicut uerbis concipitur more noſtro, id non facere, periurium eſt. Scite enim Euripides,

Iuraui lingua, mentem iniuratam gero.

Regulus uero nō debuit conditiones pactiones'q; bellicas & hoſtiles perturbare periurio. Cum iuſto enim & legitimo hoſte res gerebatur: aduerſus quē & totū ius fœciale, & multa ſunt iura cōmunia. Quod ni ita eſſet, nunquā claros uiros Senatus uinctos hoſtibus dedidiſſet. At uero Ti. Veturius, & Sp. Poſthumius, quum iterum Cōſules eſſent, quia quum male pugnatum apud Caudiū eſſet, legionibus noſtris ſub iugū miſſis, pacem cum Sānitibus fecerāt, dediti ſunt his. Iniuſſu enim Populi Senatus'q; fecerant. Eodem tempore Ti. Minutius, Q. Aemilius, qui tum Tribb. pl. erant, quod eorū auctoritate pax erat facta dediti ſunt, ut pax Samnitium repudiaretur. Atq; huius deditionis ipſe Poſthumius, qui dedebatur, ſuaſor & auctor fuit. Quod idem multis annis poſt C. Mancinus, qui ut Numantinis, quibuſcū ſine Senatus auctoritate fœdus fecerat, dederetur, rogationē ſuaſit eam, quam L. Furius & Sextus Attilius ex S.C. ferebant: qua accepta, eſt hoſtibus deditus. Honeſtius hic quam Q. Pompeius, quo, quum in eadem cauſa eſſet, deprecante, accepta lex nō eſt. Hic ea quæ uidebatur utilitas, plus ualuit quam honeſtas. Apud ſuperiores utilitatis ſpecies falſa, ab honeſtatis auctoritate ſuperata eſt. At non debuit ratum eſſe, quod erat actum per uim. Quaſi uero forti uiro uis poſſit adhiberi. Cur igitur ad Senatū proficiſcebatur, quum preſertim de captiuis diſſuaſurus eſſet? Quod maximū in eo eſt, id reprehēditis. Non enim ſuo iudicio ſtetit, ſed ſuſcepit cauſam, ut eſſet iudicium Senatus: cui niſi ipſe auctor fuiſſet, captiui profecto Pœnis redditi eſſent. ita incolumis in patria Regulus reſtitiſſet. Quod quia patrię non utile putauit, idcirco ſibi honeſtum & ſentire illa, & pati credidit. Nam (quod aiūt) quod ualde utile ſit, id fieri honeſtum: imo uero eſſe, non fieri. Eſt enim nihil utile, quod idem non honeſtum. Nec quia utile, honeſtum eſt: ſed quia honeſtum, utile. Quare ex multis mirabilibus exemplis haud facile quis dixerit hoc exemplo, aut laudabilius aut præſtantius. Sed ex tota hac laude Reguli, unum illud eſt admiratione dignum, quod captiuos retinendos cenſuit. Nam quod rediſt, nobis nūc mirabile uidetur: illis quidem temporibus aliter facere non potuit. Itaq; iſta laus non eſt hominis, ſed temporū. Nullum enim uinculum ad aſtringendam fidem iureiurando Maiores arctius eſſe uoluerunt. Id indicant leges in. xii. tabulis, indicant ſacratę, indicāt fœdera, quibus etiā cū hoſte deuincitur fides. Indicāt notationes animaduerſiones'q; Cēſorum, qui nulla de re diligentius quam de iureiurādo iudicabāt. L. Mālio Auli F. quum Dictator fuiſſet, M. Pōponius Trib. pl. diem dixit, quod is paucos ſibi dies ad Dictaturā gerēdam addidiſſet: criminabatur etiam quod Titum F. qui poſtea eſt Torquatus appellatus, ab hominibus relegaſſet, & ruri habitare iuſſiſſet. Quod quum audiuiſſet adoleſcens filius negocium exhiberi patri, accurriſſe Romam, & cum prima luce Pomponij domum ueniſſe dicitur. Cui quum eſſet nunciatum: quod illum iratum allaturum ad ſe aliquid cōtra patrē arbitraretur, ſurrexit è lectulo, remotis'q; arbitris, ad ſe adoleſcentē iuſſit uenire. At ille ut ingreſſus eſt, confeſtim gladium diſtrinxit, iurauit'q; ſe

illum ſtatim interfecturũ, niſi iuſiurandum dediſſet, ſe patrem miſſum eſſe factūrum. Iurauit hoc terrore coactus Põponius. Rem ad populum detulit: docuit cur ſibi cauſa deſiſtere neceſſe eſſet. Manlium miſſum fecit. Tantũ tẽporibus illis iuſiurãdum ualebat. Atq; hic T. Manlius is eſt, qui ad Anienem, Galli, quẽ ab eo prouocatus occiderat, torque detracto cognomen inuenit: cuius tertio conſulatu Latini ad Veſerim fuſi, & fugati ſunt. Magnus uir in primis, & qui perindulgens in patrẽ, idem acerbe ſeuerus in filium. Sed ut laudandus Regulus in conſeruando iureiurãdo, ſic decem illi quos poſt Cannenſem pugnam iuratos ad Senatũ miſit Annibal ſe in caſtra reuerſuros, ea quorũ erant potiti Pœni, niſi de redimendis captiuis impetrauiſſent: ſi non redierunt, uituperãdi: de quibus nõ omnes uno modo. Nã Polybius bonus author in primis, ex decem nobiliſſimis qui tum erãt miſſi, nouẽ reuertiſſe dicit re à Senatu nõ impetrata: unum ex decẽ, qui paulo poſt q̃ erat egreſſus è caſtris, rediſſet quaſi aliquid eſſet oblitus, Romę remanſiſſe. Reditu enim in caſtra, liberatũ ſe eſſe iureiurando interpretabatur. Non recte. Fraus enim diſtringit, nõ diſſoluit periuriũ. Fuit igitur ſtulta calliditas peruerſe imitata prudentiam. Itaq; decreuit Senatus ut ille ueterator & callidus, uinctus ad Annibalem duceretur. Sed illud maximum. Octo hominum milia tenebat Annibal, non quos in acie cepiſſet, aut qui periculo mortis diffugiſſent, ſed qui relicti in caſtris fuiſſent à Paulo & Varrone Coſs. Eos Senatus non cenſuit redimendos, cum id parua pecunia fieri poſſet: ut eſſet inſitum militibus noſtris aut uincere aut emori. Qua quidem re audita, fractum animũ Annibalis ſcribit idem, quod Senatus populusq; Romanus rebus afflictis tam excelſo animo fuiſſet. Sic honeſtatis comparatione, ea quæ uidentur utilia, uincuntur. Acilius autem, qui græce ſcripſit hiſtoriam, plures ait fuiſſe qui in caſtra reuertiſſent eadem fraude, ut iureiurando liberarentur: eosq; à Cenſoribus omnibus ignominijs notatos. Sit iam huius loci finis. Perſpicuum eſt enim ea quæ timido animo, humili, demiſſo, fractoq; fiant, (quale fuiſſet Reguli factum, ſi aut de captiuis quod ipſi opus eſſe uideretur, non quod Reipub. cenſuiſſet, aut domi remanere uoluiſſet) non eſſe utilia, quia ſint flagitioſa, fœda & turpia. Reſtat quarta pars, quæ decore, moderatione, modeſtia, continentia, temperantia continetur. Poteſt igitur quidquam utile eſſe, quod ſit huic talium uirtutum choro contrarium? Atqui ab Ariſtippo Cyrenaici atque Annicerij philoſophi nominati, omne bonum in uoluptate poſuerunt, uirtutemq; cenſuerunt ob eam rem eſſe laudandam, quód efficiens eſſet uoluptatis. Quibus obſoletis, floret Epicurus, eiuſdem ferè adiutor auctorq; ſententiæ. Cum his uelis equisq; (ut dicitur) ſi honeſtatem tueri ac retinere ſententia eſt, decertandum eſt. Nam ſi non modo utilitas, ſed uita omnis beata, corporis firma conſtitutione, eiusq; conſtitutionis ſpe explorata (ut à Metrodoro ſcriptum eſt) continetur: certe hęc utilitas, & quidem ſumma, (ſic enim cenſent) cum honeſtate pugnabit. Nam ubi primum prudentiæ locus dabitur? An ut conquirat undiq; ſuauitates? Q̃ miſer uirtutis famulatus ſeruientis uoluptati? Quod autem munus prudentiæ? An legere intelligetur uoluptates? Fac nihil iſto eſſe iucundius: quid cogitari poteſt turpius? Iam qui dolorem ſummum malum dicat, apud eum quẽ habet locum fortitudo, quę eſt dolorum laborumq; contemptio? Quãuis enim multis locis dicat Epicurus (ſicut hic dicit) ſatis,

fortiter

ſortiter de dolore: tamen non id ſpectandum eſt quid dicat, ſed quid conſentaneum ſit ei dicere, qui bona uoluptate terminauerit, mala dolore. Vt ſi illum audiam de continentia & temperantia, dicit ille quidem multa multis locis, ſed aqua hæret, ut aiunt. Nam qui poteſt temperantiam laudare is qui ponat ſummum bonum in uoluptate? Eſt enim temperantia libidinum inimica: libidines autem conſectatrices uoluptatis. Atq; in his tamen tribus generibus quoquo modo poſſunt, non incallide tergiuerſantur: prudentiam introducunt, ſcientiam ſuppeditantem uoluptates, depellentem dolores. Fortitudinē quoq; aliquo modo expediunt, quum tradunt rationem negligendę mortis, perpetiendiq́; doloris. Etiam temperantiam inducunt, non facillime illi quidem, ſed tamen quo modo poſſunt, Dicunt enim uoluptatis magnitudinem doloris detractione fieri. Iuſtitia uacillat, uel iacet potius, omnesq́; eę uirtutes quæ in communitate cernuntur & in ſocietate generis humani. Neq; enim bonitas, nec liberalitas nec comitas eſſe poteſt, non plus q̃ amicitia, ſi hæc nō per ſe expetantur, ſed ad uoluptatem utilitatémue referantur. Conferamus igitur in pauca. Nam ut utilitatem nullam eſſe docuimus quę honeſtati eſſet contraria, ſic omnem uoluptatem dicimus honeſtati eſſe contrariam. Quo magis reprehendendos Calliphonem & Dinomachum iudico, qui ſe dirempturos controuerſiam putauerunt, ſi cum honeſtate uoluptatem tanq̃ cum homine pecudem copulauiſſent. Non recipit iſtam coniunctionem honeſtas, aſpernatur, repellit. Nec uero finis bonorum & malorum, qui ſimplex eſſe debet, ex diſſimillimis rebus miſceri & temperari poteſt. Sed de hoc (magna enim res eſt) alio loco pluribus. Nunc ad propoſitum. Quemadmodum igitur ſiquando ea quę uideretur utilitas, honeſtati repugnat, diiudicanda res ſit, ſatis eſt ſupra diſputatum. Sin autem ſpeciem utilitatis etiam uoluptas habere dicetur, nulla poteſt eſſe ei cum honeſtate coniunctio. Nam ut tribuamus aliquid uoluptati, condimenti fortaſſe nonnihil, utilitatis certe nihil habebit. Habes à patre munus, Marce fili, mea quidem ſententia magnum, ſed perinde erit ut acceperis. Q; q̃ & hi tibi tres libri inter Cratippi cōmētarios tanq̃ hoſpites erunt recipiendi. Sed ut ſi ipſe ueniſſem Athenas (quod quidem eſſet factū, niſi me è medio curſu clara uoce patria reuocaſſet) aliquando me quoq; audires: ſic quoniā his uoluminibus ad te profecta uox mea eſt, tribues his tēporis quantum poteris: poteris autem quantum uoles. Cum uero intellexero te hoc ſcientię genere gaudere, tum & præſens tecū propediem (ut ſpero) & dum aberis, abſens loquar. Vale igitur mi Cicero, tibiq́; perſuade, eſſe te quidem mihi cariſſimum, ſed multo fore cariorem, ſi talibus monimentis præceptisq́; lætabere.

MM

MARCI TVLLII CICERONIS LELIVS, SIVE DE AMICITIA DIALOGVS, AD T. POMPONIVM ATTICVM CVIVS HAEC PRAEFATIO.

QVINTVS Mucius Augur multa narrare de C. Lælio ſocero ſuo memoriter & iucunde ſolebat, nec dubitare illum in omni ſermone appellare ſapientem. Ego autem à patre ita eram deductus ad Scæuolam ſumpta uirili toga, ut quoad poſſem, & liceret, à ſenis latere nũq̃ diſcederem. Itaq; multa ab eo prudenter diſputata, multa breuiter & commode dicta, memoriæ mandabam, fieriq; ſtudebã eius prudentia doctior. Quo mortuo, me ad pontificem Scæuolam contuli, quem unum noſtræ ciuitatis & ingenio & induſtria pręſtantiſſimum audeo dicere. Sed de hoc aliàs. Nunc redeo ad Augurem. Cum ſæpe multa, tum memini domi in hemicyclo ſedentem, ut ſolebat, quum & ego eſſem una, & pauci admodum familiares, in eum ſermonem illum incidere, qui tum ferè multis erat ĩ ore. Meminiſti enim profecto, ut opinor, Attice, & eo magis, quod P. Sulpicio utebare multũ, quum is Trib. pl. capitali odio à Q. Pompeio, qui tum erat Conſul, diſſideret: quicum coniunctiſſime & amantiſſime uixerat, quanta eſſet hominum uel admiratio, uel querela. Itaque tum Scæuola quum in eam ipſam mentionem incidiſſet, expoſuit nobis ſermonem Lælij de amicitia habitum ab illo ſecum, & cum altero genero C. Fannio M. F. paucis diebus poſt mortem Aphricani. eius diſputationis ſententias memorię mandaui, quas in hoc libro expoſui meo arbitratu. Quaſi enim ipſos induxi loquentes, ne inquam & inquit ſæpius interponeretur. Atque ideo feci, ut tanquàm à pręſentibus coram haberi ſermo uideretur. Quum enim ſæpe mecum ageres ut de amicitia ſcriberem aliquid, digna mihi res cum omnium cognitione, tum noſtra familiaritate uiſa eſt. Itaque feci non inuitus, ut prodeſſem multis tuo rogatu. Sed ut in Catone Maiore feci, qui eſt ſcriptus ad te de ſenectute, Catonem induxi ſenem diſputantem, quia nulla uidebatur aptior perſona quæ de illa ætate loqueretur. quàm eius, qui & diutiſſime ſenex fuiſſet, & in ipſa ſenectute pręceteris floruiſſet: ſic cum accepiſſemus à patribus maxime memorabilẽ. C. Lælij & P. Scipionis familiaritatem fuiſſe C. Lælij Perſona uiſa eſt idonea mihi, quę de amicitia ea ipſa diſſereret, quæ diſputata ab eo meminiſſet Scæuola. Genus autem hoc ſermonum poſitum in hominum ueterum auctoritate, & eorum illuſtrium, plus neſcio quo pacto uidetur habere grauitatis. Itaque ipſe mea legens, ſic afficior interdum, ut Catonem, non me loqui exiſtimem. Sed ut tum ad ſenẽ ſenex de ſenectute, ſic hoc libro ad amicũ amiciſſimus ſcripſi de amicitia. Tũ eſt Cato locutus, quo erat nemo ferè ſenior temporibus illis, nemo prudentior. Nunc Lęlius, & ſapiens (ſic enim eſt habitus) & amicitiæ gloria excellens de amicitia loquitur. Tu uelim à me animum parumper auertas, Læliũ loqui ipſum putes. C. Fannius, & Q. Mucius ad ſocerũ ueniũt poſt mortem

tem Africani.ab his ſermo oritur.Reſpondet Lęlius:cuius tota diſputatio eſt de amicitia: quam legens tu ipſe cognoſces. FANNIVS. Sunt iſta Læli. Nec enim melior uir fuit Africano quiſq̃ nec clarior. Sed exiſtimare debes omnium oculos in te eſſe coniectos. Vnum te ſapientem & appellant & exiſtimant. Tribuebatur hoc modo M.Catoni. Scimus L. Acilium apud patres noſtros appellatũ eſſe ſapientẽ. Sed uterq; alio quodam modo. Acilius, quia prudens eſſe in iure ciuili putabatur. Cato, quia multarum rerum uſum habebat, multa eius & in Senatu & in foro uel prouiſa prudenter, uel acta conſtanter, uel reſponſa acute ferebantur, propterea quaſi cognomen iam habebat in ſenectute ſapientis. Te autem alio quodam modo, non ſolum natura & moribus, uerum etiam ſtudio & doctrina eſſe ſapientem: nec ſicut uulgus, ſed ut eruditi ſolent appellare ſapientem, qualem in reliqua Græcia neminem. Nã qui ſeptem appellantur, eos, qui iſta ſubtilius quęrunt, in numero ſapientum non habent. Athenis unum accepimus, & eum quidem Apollinis oraculo ſapientiſſimum iudicatum. Hanc eſſe in te ſapientiam exiſtimant, ut omnia tua in te poſita eſſe ducas, humanosq; caſus uirtute inferiores putes. Itaque ex me quærunt, credo ex hoc item Scæuola, quonam pacto mortem Africani feras, eoq; magis quod proximis Nonis cum in hortos D.Bruti Auguris cõmentandi cauſa (ut aſſolet) ueniſſemus, tu nõ affuiſti, qui diligentiſſime ſemper illum diem & illud munus ſolitus eſſes obire. SCAEVOLA. Quęrunt quidem C.Læli multi, ut eſt à Fannio dictum. Sed ego id reſpondeo, quod animaduerti te dolorem quem acceperis cum ſummi uiri tum amiciſſimi morte, ferre moderate, nec potuiſſe non commoueri, nec fuiſſe id humanitatis tuæ. Q; autem in noſtro collegio non affuiſſes, ualetudinem reſpondeo cauſam non mœſtitiam fuiſſe. LAEL. Recte tu quidem Scæuola, & uere. Nec enim ab iſto officio, quod ſemper uſurpaui cum ualerem, abduci incommodo meo debui. Nec ullo caſu arbitror hoc conſtanti homini poſſe contingere, ut ulla intermiſſio fiat officij. Tu autem Fanni quod mihi tantum tribui dicis, quantum ego nec agnoſco, nec poſtulo, facis amice: ſed, ut mihi uideris, non recte iudicas de Catone. Aut enim nemo (quod quidem magis credo) aut ſi quiſq̃, ille ſapiens fuit. Quomodo (ut alia omittam) mortem filij tulit? Meminerã Paulum, uideram Caium. ſed hi ne comparentur Catoni maximo & ſpectato uiro. Quamobrem caue Catoni anteponas, ne iſtum quidem ipſum quem Apollo (ut ais) ſapientiſſimum iudicauit. Huius enim facta, illius dicta laudantur. De me autem (ut iam cum utroq; loquar) ſic habetote. Ego ſi Scipionis deſiderio me moueri negem, q̃ id recte faciam, uiderint ſapientes: ſed certe mentiar. Moueor enim tali amico orbatus, qualis, ut arbitror, nemo unq̃ erit: &, ut confirmare poſſum, nemo certe fuit. Sed non egeo medicina, me ipſe cõſolor, & maxime illo ſolatio, q; eo errore careo, quo amicorum deceſſu plerique angi ſolent. Nihil enim mali accidiſſe Scipioni puto: mihi accidit, ſi quid accidit. Suis autẽ incõmodis grauiter angi, nõ amicũ, ſed ſeipſũ amãtis eſt. Cũ illo uero quis neget actũ eſſe pręclare? Niſi enĩ (quod ille minime putabat) ĩmortalitatẽ optare uellet, quid non eſt adeptus, quod homini fas eſſet optare? Qui ſummã ſpẽ ciuiũ, quã de eo iã puero habuerãt, cõtinuo adoleſcẽs ĩcredibili uirtute ſuperauit. qui Cõſulatũ petijt nũq̃, factus eſt Cõſul bis, primũ ante tẽpus, iterũ ſibi ſuo tẽpore, Reipu. penè ſero, qui duabus urbibus euerſis

ſnimiciſſimis huic imperio, non modo præſentia, uerumetiam futura bella deleuit. Quid dicam de moribus facillimis, de pietate in matrem, liberalitate in ſorores, bonitate in ſuos, iuſtitia in omnes? Hęc nota ſunt uobis. Quàm autem ciuitati carus fuerit, mœrore funeris indicatum eſt. Quid igitur hunc paucorum annorum acceſſio iuuare potuiſſet? Senectus enim quàmuis non ſit grauis (ut memini Catonem anno anteq̃ mortuus eſt, mecum & cum Scipione diſſerere) tamen aufert eam uiriditatem, in qua etiam tunc erat Scipio. Quamobrē uita quidē talis fuit, uel fortuna, uel gloria, ut nihil poſſet accedere. Moriendi autem ſenſum celeritas abſtulerit. Quo de genere mortis difficile dictu eſt. Quid homines ſuſpicētur, uidetis. Hoc tamen uere licet dicere, P. Scipioni ex multis diebus, quos in uita celeberrimos lętiſſimosq́ uiderit, illum diem clariſſimum fuiſſe, cum Senatu dimiſſo domum reductus ad ueſperam eſt à patribus conſcriptis, à populi R. ſocijs, & Latinis, pridie q̃ exceſſit è uita: ut ex tam alto dignitatis gradu ad ſuperos uideatur potius q̃ ad inferos perueniſſe. Neq; enim aſſentior ijs qui hæc nuper diſſerere cœperunt, cum corporibus ſimul animos interire, atq; omnia morte deleri. Plus apud me antiquorū auctoritas ualet, uel noſtrorum maiorum, qui mortuis tam religioſa iura tribuerunt: quod non feciſſent profecto, ſi nihil ad eos pertinere arbitrarentur. Vel eorum qui in hac terra fuerunt, magnamq́ Gręciam (quę nunc quidem deleta eſt, tum florebat) inſtitutis & præceptis ſuis erudierunt. Vel eius qui Apollinis oraculo ſapientiſſimus eſt iudicatus, qui non tum hoc, tum illud (ut in pleriſq;) ſed idē ſemper, animos hominum eſſe diuinos, ijsq́, cum è corporibus exceſſiſſent, reditum in cœlū patere, optimoq́ & iuſtiſſimo cuiq; expeditiſſimum. quod idem Scipioni uidebatur. Qui quidem, quaſi pręſagiret. perpaucis ante mortem diebus, cum & Philus & Manilius adeſſent, & alij plures tuq́ etiam Scæuola mecum ueniſſes, triduum diſſeruit de Rep. cuius diſputationis fuit extremum ferè de immortalitate animorum: quę ſe in quiete per uiſum ex Africano audiſſe dicebat. Id ſi ita eſt, ut optimi cuiusq; animus in morte facillime euolet, tanquam è cuſtodia uinculisq́ corporis: cui cenſemus curſum ad deos faciliorem fuiſſe quàm Scipioni? Quocirca mœrere hoc eius euentu, uereor ne inuidi magis quàm amici ſit. Sin autem illa uereor, ut idem interitus ſit animorum & corporum, nec ullus ſenſus maneat: ut nihil boni eſt in morte, ſic certe nihil eſt mali. Senſu enim amiſſo fit idem, quaſi natus non eſſet omnino. Quem tamen eſſe natum & nos gaudemus, & hæc ciuitas, dum erit, lætabitur. Quamobrem cum illo quidem (ut ſupra dixi) actum optime eſt, mecum autem incommodius: quem fuerat æquius, ut prius introieram, ſic prius exire de uita. Sed tamen recordatione noſtræ amicitiæ ſic fruor, ut beate uixiſſe uidear, quia cum Scipione uixerim, quo cum mihi coniuncta cura de republica & de priuata fuit: quo cum domus fuit & militia communis, & id in quo eſt omnis uis amicitię uoluntatum, ſtudiorum, ſententiarum ſumma conſenſio. Itaque non tam iſta me ſapientię (quam modo Fannius commemorauit) fama delectat, falſa præſertim, q̃ q amicitiæ noſtræ memoriā ſpero ſempiternā fore: idq́ mihi eo magis eſt cordi q ex omnibus ſeculis uix tria aut quatuor nominātur paria amicorū: quo in genere ſperare uideor Scipionis amicitiā & Lælij notā poſteritati fore. FAN. Iſtud quidē Leli ita neceſſe eſt. Sed quoniā amicitię mētionē feciſti, & ſumus otioſi,

pergratum

pergratum mihi feceris,ſpero item Sçuolæ,ſi queadmodum ſoles de ceteris rebus cum ex te queruntur,ſic de amicitia diſputaris,quid ſentias,qualem exiſtimes,quę pręcepta des. SCAE.Mihi uero erit gratum:atq; id ipſum cum tecum agere conarer,Fannius anteuertit.Quamobrem utriq; noſtrum gratum admodum feceris. LAEL.Ego uero non grauarer,ſi mihi ipſe confiderē.Nam & præclara res eſt,& ſumus (ut dixit Fānius) otioſi. Sed quis ego ſum?aut quæ in me eſt facultas?Doctorum eſt iſta cōſuetudo,eaq; Græcorū, ut ijs id ponatur de quo diſputent q̃uis ſubito.Magnū opus eſt,egetq; exercitatione nō parua.Quomobrē quæ diſputari de amicitia poſſunt,ab eis cenſeo petatis,qui iſta profitētur.Ego uos hortari tantum poſſum,ut amicitiam omnibus rebus anteponatis.nihil eſt enim tam naturæ aptum,tam conueniens ad res uel ſecundas,uel aduerſas.Sed hoc primum ſentio,niſi in bonis amicitiam eſſe non poſſe.Neq; id ad uiuum reſeco,ut illi qui hæc ſubtilius diſſerunt,fortaſſe uere,ſed ad communem utilitatem parum. Negant enim quenq̃ uirum bonum eſſe,niſi ſapientem.Sit ita ſanè. Sed eam ſapientiam interpretantur,quam adhuc mortalis nemo eſt conſecutus.Nos autem ea quę ſunt in uſu uitaq; communi,non ea quę finguntur,aut optantur, ſpectare debemus. Nunq̃ ego dicam C. Fabricium,M.Curium,T.Coruncanium, quos ſapientes noſtri maiores iudicabant,ad iſtorum normam fuiſſe ſapientes.Quare ſibi habeant ſapientię nomen,& inuidioſum,& obſcurum : concedantq; ut hi boni uiri fuerint.Ne id quidem facient.negabunt id niſi ſapienti poſſe concedi. Agamus ergo pingui Minerua,ut aiunt.Qui ita ſe gerunt,ita uiuunt,ut eorum probetur fides,integritas,ęqualitas,liberalitas,nec ſit in eis ulla cupiditas,libido,audacia:ſintq; magna conſtantia,ut ij fuerunt quos modo nominaui:hos uiros bonos,ut habiti ſunt,ſic etiam appellandos putemus,qui ſequantur,quantum homines poſſunt,naturam optimam recte uiuendi ducem. Sic enim mihi perſpicere uideor,ita natos eſſe nos,ut inter omnes eſſet ſocietas quædam:maior autem,ut quiſq; proxime accederet.Itaq; ciues potiores ſunt q̃ peregrini,& propinqui q̃ alieni.cum his enim amicitiam natura ipſa peperit:ſed ea nō ſatis habet firmitatis.Nāq; hoc pręſtat amicitia propinquitati, q̄ ex propinquitate beneuolentia tolli poteſt,ex amicitia non poteſt. Sublata enim beneuolentia,amicitiæ nomen tollitur,propinquitatis manet. Quanta autem uis amicitię ſit,ex hoc intelligi maxime poteſt,q̄ ex infinita ſocietate generis humani, quam conciliauit ipſa natura,ita contracta res eſt & adducta in anguſtum,ut omnis caritas aut inter duos, aut inter paucos iungeretur.Eſt enim amicitia nihil aliud,niſi omnium diuinarum humanarumq; rerum cum beneuolentia & caritate ſumma conſenſio. Qua quidem, haud ſcio an,excepta ſapientia quidq̃ melius homini ſit à dijs immortalibus datum.Diuitias alij præponunt,bonam alij ualetudinem, alij potentiam,alij honores, multi etiam uoluptates.Beluarum hoc quidem extremum eſt:illa autem ſuperiora caduca ſunt & incerta,poſita non tam in noſtris conſilijs, quàm in fortunæ temeritate.Qui autem in uirtute ſummum bonum ponunt, pręclare illi quidem:ſed hæc ipſa uirtus amicitiam & gignit,& continet.Nec ſine uirtute amicitia eſſe ullo pacto poteſt.Iam uirtutē ex cōſuetudine uitæ ſermonisq; noſtri interpretemur:nec metiamur eam,ut quidam docti,uerborum magnificētia;uirosq; bonos,eos qui habētur, numeremus,Paulos,Catones,Caios.

Scipiones,Philos.His communis uita contenta eſt. Hos autem omittamus qui omnino nuſq̃ reperiuntur. Tales igitur inter uiros amicitia tantas oppor tunitates habet,quantas uix queo dicere. Principio cui poteſt eſſe uita uitalis, ut ait Ennius,qui non in amici mutua beneuolentia conquieſcat? Quid dulci us,q̃ habere quo cum omnia audeas ſic loqui,ut tecum? Quis eſſet tantus fru- ctus in proſperis rebus,niſi haberes qui illis ęque ac tu ipſe gauderet? Aduer ſas uero ferre difficile eſſet ſine eo,qui illas grauius etiam q̃ tu ferret. Deniq; ceteræ res quæ expetuntur,opportunæ ſunt,ſingulæ rebus ferè ſingulis, diui tiæ ut utare,opes ut colare,honores ut laudere,uoluptates ut gaudeas, ualetu- do ut dolore careas,& muneribus fungare corporis. Amicitia plurimas res cõtinet:quoquo te uerteris, præſto eſt:nullo loco excluditur:nunq̃ intempe ſtiua,nunq̃ moleſta eſt. Itaq; non aqua,non igni,(ut aiunt)pluribus locis utimur,q̃ amicitia. Neq; ego nunc de uulgari aut de mediocri(quæ tamen ip- ſa delectat,& prodeſt) ſed de uera & perfecta loquor: qualis eorum,qui pau ci nominantur,fuit. Nam & ſecundas res ſplẽdidiores facit amicitia: & aduer ſas partiens,communicansq́;,leuiores. Quũq; plurimas & maximas commo ditates amicitia contineat,tum illa nimirum præſtat omnibus , q bona ſpe prælucet in poſterum:nec debilitari animos,aut cadere patitur, uerumetiam iam amicum qui intuetur,tanquã exemplar aliquod intuetur ſui. Quocirca & abſentes adſunt,& egentes abundant,& imbecilli ualent,& (quod difficili- us dictu eſt)mortui uiuunt. Tantus eos honos,memoria,deſideriũ proſequi- tur amicorum. Ex quo illorum beata mors uidetur ,& horum uita laudabi- lis. Quod ſi exemeris ex rerum natura beneuolentiæ coniunctionem:nec do mus ulla,nec urbs ſtare poterit, ne agri quidem cultus permanebit. Id ſi mi- nus intelligitur: quanta uis amicitiæ concordiæq́; ſit,ex diſſenſionibus atque diſcordijs percipi poteſt. Quæ autem domus tam ſtabilis, quæ tam firma ci- uitas eſt,quæ non odijs atque diſſidijs funditus poſſit euerti? Ex quo quantũ boni ſit in amicitia,iudicari poteſt. Agrigentinum quidem doctum quen- dam uirum carminibus Græcis uaticinatum ferunt,quæ in rerum natura, to- toq; mundo conſtarent,quæq́; mouerentur,ea contrahere amiciciam,diſſipa re diſcordiam. Atque hoc quidem omnes mortales & intelligunt, & re pro- bant. Itaque ſiquando aliquod officium extitit amici in periculis aut adeũdis aut communicandis,quis eſt qui id non maximis efferat laudibus? Qui cla- mores tota cauea nuper in hoſpitis & amici mei Pacuuij fuerunt noua fabula quũ ignorante Rege uter eorum eſſet Oreſtes, Pylades Oreſtem eſſe ſe dice ret,ut pro illo necaretur, Oreſtes autem,ita ut erat,Oreſtem ſe eſſe perſeuera- ret? Stantes plaudebant in re ficta,quid arbitramur in uera fuiſſe facturos? Facile indicabat ipſa natura uim ſuam,cum homines quod facere ipſi non poſ ſent,id recte fieri in altero iudicarent. Hactenus mihi uideor de amicitia quod ſentirem potuiſſe dicere. ſi qua pręterea ſunt (credo autem eſſe multa) ab ijs,ſi uidebitur,qui iſta diſputant,quæritote. FAN. Nos autem à te potius: q̃q̃ eti- am ab iſtis ſæpe quæſiui,& audiui,non inuitus equidem. Sed aliud quoddam filum orationis tuæ. SCAE. Tu magis id diceres Fãni,ſi nuper in hortis Sci pionis, quũ eſt de Rep. diſputatum,affuiſſes,qualis tum patronus iuſtitiæ fuit contra accuratam orationem Phili. FAN. Facile id quidem fuit iuſtitiam iu- ſtiſſimo uiro defendere. SCAE. Quid amicitiam? Nonne facile ei qui ob eã

ſumma

ſumma fide,cõſtantia,iuſtitiaq́ʒ ſeruatã,maximam gloriam ceperit? LAEL. Vim hoc quidem eſt afferre. Quid enim refert qua me ratione cogatis? Cogitis certe. ſtudijs enim generorum,preſertim in re bona,cum difficile eſt, tũ ne æquum quidem obſiſtere. Sępiſſime igitur mihi de amicitia cogitanti, maxime illud conſiderandum uideri ſolet,num propter imbecillitatem atqʒ inopiam deſiderata ſit amicitia,ut dandis recipiendisqʒ meritis,quod quiſqʒ minus per ſe ipſe poſſet,id acciperet ab alio,uiciſſimq́ʒ redderet:an eſſet hoc quidem proprium amicitię,ſed antiquior & pulchrior,& magis à natura ipſa profecta alia cauſa. Amor enim (ex quo amicitia eſt nominata) princeps eſt ad beneuolentiam coniungendam. Nam utilitates quidem etiam ab ijs percipiuntur,qui ſimulatione amicitię coluntur,& obſeruantur cauſa temporis, In amicitia autem nihil eſt fictum,nihil ſimulatum:& quidquid eſt,id eſt uerum & uoluntarium. Quapropter à natura mihi uidetur potius q̃ ab indigentia orta amicitia:& applicatione animi magis cum quodam ſenſu amandi, q̃ cogitatione quantum illa res utilitatis eſſet habitura. Quod quidem quale ſit etiam in beſtijs quibuſdam animaduerti poteſt,quæ ex ſe natos ita amant ad quoddam tempus,& ab eis ita amãtur,ut facile earum appareat ſenſus. Quod in homine multo eſt euidentius. Primum ex ea caritate quę eſt inter natos & parentes,quę dirimi niſi deteſtabili ſcelere non poteſt: Deinde cum ſimilis ſenſus extitit amoris,ſi aliquem nacti ſumus,cuius cum moribus & natura congruamus, qꝫ in eo quaſi lumen aliquod probitatis & uirtutis proſpicere uideamur. Nihil eſt enim amabilius uirtute,nihil quod magis alliciat homines ad diligẽdum quippe quũ propter uirtutem & probitatem eos etiam quos nũq̃ uidimus,quodammodo diligamus. Quis enim eſt qui C. Fabricij, M. Curij cum caritate aliqua & beneuolentia memoriam non uſurpet,quos nunq̃ uiderit? Quis autem eſt qui Tarquinium Superbum,qui P. Caſſium, Sp. Melium non oderit? Cum duobus ducibus de Imperio in Italia decertatum eſt,Pyrrho,& Annibale. Ab altero propter probitatem eius,non nimis alienos animos habemus:alterum propter crudelitatem ſemper hæc ciuitas oderit. Qꝫ ſi tanta uis probitatis eſt,ut eam uel in eis quos nunq̃ uidimus,uel, quod maius eſt,in hoſte etiam diligamus:quid mirum eſt ſi animi hominum moueantur,cum eorum quibus cum uſu coniũcti eſſe poſſint,uirtutem & bonitatem perſpicere uideantur? Qꝫq̃ confirmatur amor & beneficio accepto, & ſtudio perſpecto,& conſuetudine adiuncta: quibus rebus ad illum primũ motum animi & amoris adhibitis,admirabilis quædam exardeſcit beneuolentiæ magnitudo. Quam,ſi qui putant ab imbecillitate proficiſci,ut ſit per quam aſſequatur quod quiſqʒ deſideret, humilem ſanè relinquũt,& minime generoſum(ut ita dicam)ortum amicitiæ, quam ab inopia atqʒ indigentia naſci uolunt. Quod ſi ita eſſet:ut quiſqʒ minimum in ſe eſſe arbitraretur, ita ad amicitiam eſſet aptiſſimus. quod lõge ſecus eſt. Vt enim quiſqʒ ſibi plurimum confidit,& ut quiſqʒ maxime uirtute & ſapientia ſic munitus eſt ut nullo egeat,ſuaq́ʒ omnia in ſeipſo poſita iudicet:ita in amicitijs expetendis colendisqʒ maxime excellit. Quid enim? Africanus indigens mei? Minime hercle. At ne ego quidem illius:ſed ego admiratione quadam uirtutis eius, ille uiciſſim opinione fortaſſe nonnulla,quam de meis moribus habebat,me dilexit: auxit beneuolentiã conſuetudo. Sed q̃q̃ utilitates multæ & magnæ conſecutæ

ſunt,non ſunt tamen ab earum ſpe cauſę diligendi profectę. Vt enim benefici liberalesqꝫ ſumus,non ut exigamus gratiam(neqꝫ enim beneficium fœneramur,ſed natura propenſi ad liberalitatem ſumus) ſic amicitiam,non ſpe mercedis adducti,ſed ꝙ omnis eius fructus in ipſo ſit amore , expetendam putamus. Ab ĳs qui pecudum ritu ad uoluptatem omnia referunt,longe diſſentimus. Nec mirum. Nihil enim altum,nihil magnificum ac diuinum ſuſpicere poſſunt qui ſuas omnes cogitationes abiecerunt in rem tam humilem, tamqꝫ contemptam. Quamobrem hos quidem ab hoc ſermone remoueamus : ipſi autem intelligamus à natura gigni ſenſum diligendi,& beneuolentię caritatẽ facta ſignificatione probitatis: quam qui appetiuerunt,applicant ſeſe,& propius admouent,ut & uſu eius quem diligere cœperint, fruantur & moribus: ſintqꝫ pares in amore & æquales,propenſioresqꝫ ad bene merẽdum q̃ ad repoſcẽdum. Atqꝫ hæc inter eos ſit honeſta certatio. Sic & utilitates ex amicitia maxime capientur,& erit eius ortus à natura,q̃ ab imbecillitate , & grauior & uerior. Nam ſi utilitas amicitias conglutinaret, eadem commutata diſſolueret. Sed quia natura mutari non poteſt,idcirco ueræ amicitiæ ſempiternæ ſunt. Ortum quidem amicitiæ uidetis, niſi quid ad hęc forte uultis. SCAE. Tu uero perge Læli. pro hoc enim,qui minor eſt natu,meo iure reſpondeo. FAN. Recte tu quidem. quamobrem audiamus. LAE. Audite uero optimi uiri ea quæ ſæpiſſime inter me & Scipionem de amicitia diſſerebantur. Qꝫ q̃ ille quidem nihil difficilius eſſe dicebat,q̃ amicitiam uſqꝫ ad extremum uitæ diem permanere. Nam uel ut non idem expediret,incidere ſępe: uel ut de Rep. non idem ſentiretur: mutari etiam mores hominum ſępe dicebat , aliàs aduerſis rebus,aliàs ætate ingraueſcente. Atqꝫ earum rerum exemplum ex ſimilitudine capiebat ineuntis ætatis,ꝙ ſummi puerorum amores ſępe unà cũ prętexta toga deponerentur. Sin autem ad adoleſcentiam perduxiſſent,dirimi tamen interdum contentione,uel luxurię conditione,uel commodi alicuius,quod idem adipiſci uterqꝫ non poſſet. Qꝫ ſi qui longius in amicitia prouecti eſſent,tamen ſæpe lebeſactari,ſi in honoris contentionem incidiſſent. Peſtem enim maiorem eſſe nullam in amicitĳs,q̃ in pleriſqꝫ pecunię cupiditatẽ; in optimis quibuſqꝫ honoris certamen & gloriæ,ex quo inimicitias maximas ſępe inter amiciſſimos extitiſſe. Magna etiam diſſidia,& plerunqꝫ iuſta naſci, quũ aliquid ab amicis quod rectum non eſſet, poſtularetur,ut aut libidinis miniſtri,aut adiutores eſſent ad iniuriam. Quod qui recuſarent,q̃uis honeſte id facerent,ius tamen amicitiæ deſerere arguerẽtur ab ĳs,quibus obſequi nollent: illos autem qui quiduis ab amico auderent poſtulare, poſtulatione ipſa profiteri omnia ſe amici cauſa eſſe facturos. Eorum querela inueterata nõ modo familiaritates extingui ſolere,ſed etiam odia gigni ſempiterna. Hęc ita multa quaſi fato impendere amicitĳs,ut omnia ſubterfugere,nõ modo ſapientiæ, ſed etiam felicitatis diceret ſibi uideri. Quamobrem id primum uideamus , ſi placet,quatenus amor ĩ amicitia progredi debeat. Num ſi Coriolanus habuit amicos,ferre contra patriam arma illi cum Coriolano debuere? Num Becillinum amici regnum appetentem,num Sp. Melium iuuare debuerunt? Ti. quidem Gracchum Remp. uexantem à Q. Tuberone æqualibusqꝫ amicis derelictũ uidebamus. At C. Bloſius Cumanus hoſpes familię ueſtrę, Scæuola , cũ ad me,qui aderam Lenate & Rutilio Coſs. in conſilio deprecatum ueniſſet,

hanc

hanc ut ſibi ignoſcerem cauſam afferebat, ꝙ tanti Ti. Gracchũ feciſſet, ut quid quid ille uellet, ſibi faciendum putaret. Tum ego, Etiámne, inquam, ſi te in Capitolium faces ferre uellet? Nunq̃, inquit, uoluiſſet id quidem: ſed ſi uoluiſſet, paruiſſem. Videtis q̃ nefaria uox. Et hercle ita fecit, uel plus etiam q̃ dixit. Non enim paruit ille Ti. Gracchi temeritati, ſed præfuit: nec ſe comitem illius furoris, ſed ducem præbuit. Itaq; hac amẽtia quæſtione noua perterritus, in Aſiam profugit, ad hoſtes ſe contulit, pœnas Reip. graues iuſtasq́; perſoluit. Nulla eſt igitur excuſatio peccati, ſi amici cauſa peccaueris. Nam cum conciliatrix amicitię uirtutis opinio fuerit, difficile eſt amicitiam manere ſi à uirtute defeceris. Q, ſi rectum ſtatuerimus uel cõcedere amicis quidquid uelint, uel impetrare ab amicis quidquid uelimus, perfecta quidem ſapientia ſumus, ſi nihil habeat res uitij. Sed loquimur de ijs amicis, qui ante oculos ſunt, quos uidemus, aut de quibus memoriam accepimus, aut quos nouit uita communis Ex hoc numero nobis exempla ſumenda ſunt, & eorum quidem maxime, qui ad ſapientiam proxime accedunt. Vidimus Paulum Aemilium C. Lucinio familiarem fuiſſe (ſic à patribus accepimus) bis unà Conſules, & Collegas ĩ Cenſura. Tum etiam cum ijs, & inter ſe coniunctiſſimos fuiſſe M. Curium & T. Coruncanium, memoriæ proditum eſt. Igitur ne ſuſpicari quidem poſſumus quenq̃ horum ab amico quippiam contendiſſe quod contra fidem, cõtra iuſiurandum, contra Remp. eſſet. Nam hęc quidem in talibus uiris quid attinet dicere? Si contendiſſent, ſcio impetraturos non fuiſſe: cum illi ſanctiſſimi uiri fuerint. Aeque autem nefas ſit tale aliquid & facere rogatum, & rogaſſe. At uero Ti. Gracchum ſequebantur C. Carbo, C. Cato, & minime tunc quidem C. frater, nunc idem acerrimus inimicus. Hęc igitur prima lex in amicitia ſanciatur, ut neq; rogemus res turpes, nec faciamus rogati. Turpis enim excuſatio eſt, & minime accipienda, cum in ceteris peccatis, tum ſi quis contra Remp. ſe amici cauſa feciſſe fateatur. Etenim eo loco, Fanni & Scæuola, locati ſumus, ut nos longe proſpicere oporteat futuros caſus Reipu. Deflexit enim iam aliquantulum de ſpatio curriculoq́; conſuetudo maiorum. Tib. Gracchus regnum occupare conatus eſt, uel regnauit is quidẽ paucos menſes. Nunquid ſimile populus R. audierat, aut uiderat? Hunc etiam poſt mortẽ ſecuti amici & propinqui. Quid in P. Scipionem fecerint, ſine lacrimis non queo dicere. Nam Carbonem quoq;, quem modo poſuimus, propter recentem pœnam T. Gracchi ſuſtinuimus. De C. Gracchi autem Tribunatu quid expectẽ, non libet augurari. Serpit enim deinde res, quæ procliuius ad perniciem, cum ſemel cœpit, labitur. Videtis in tabella iam ante quãta ſit facta labes, primo Gabinia lege, biennio autem poſt Caſſia. Videre iam uideor Populum à Senatu diſiunctum & multitudinis arbitrio res maximas agi. Plures enim diſcent quemadmodum hęc fiant, q̃ quemadmodum his reſiſtatur. Quorſum hæc? quia ſine ſocijs nemo quidq̃ tale conatur. Præcipiendum eſt igitur bonis, ut ſi in eiuſmodi amicitias ignari caſu aliquo inciderint, ne exiſtiment ita ſe alligatos, ut ab amicis in magnã aliquam rem peccantibus non diſcedant. Improbis autem pœna ſtatuẽda eſt: nec minor uero ijs qui ſecuti erunt alterum, q̃ ijs qui ipſi fuerint impietatis duces. Quis clarior in Græcia Themiſtocle? quis potẽtior? qui cum Imperator bello Perſico ſeruitute Gręciam liberaſſet, propterq; inuidiam in exilium miſſus eſſet, ingratæ patriæ iniuriam non tulit,

quam ferre debuit. Fecit idem quod uiginti annis ante apud nos fecerat Co-
riolanus. His adiutor contra patriã inuentus eſt nemo, itaq; mortẽ ſibi uterq;
conſciuit. Quare talis improborum conſenſio non modo excuſatione amici-
tiæ tegenda non eſt, ſed potius omni ſupplicio uindicanda eſt: ut ne quis con-
ceſſum putet, amicum bellum patriæ inferentem ſequi. Quod quidem, ut res
cœpit ire, haud ſcio an aliquando futurum ſit. Mihi autem non minori curæ
eſt qualis Reſp. poſt mortem meam futura ſit, q̃ qualis hodie ſit. Hæc igi-
tur prima lex amicitię ſanciatur, ut ab amicis honeſta petamus, amicorum cau
ſa honeſta faciamus: ne expectemus quidem dum rogemur, ſtudium ſemper
adſit, cunctatio abſit. conſilium uerum dare gaudeamus libere. Plurimum in
amicitia amicorum bene ſuadentium ualeat auctoritas: eáque adhibeatur ad
monendum, non modo aperte, ſed etiam acriter, ſi res poſtulabit: & auctorita
ti adhibitæ pareatur. Nam quibuſdam, quos audio ſapientes fuiſſe habitos in
Græcia, placuiſſe opinor mirabilia quædam. Sed nihil eſt quod illi non perſe
quantur ſuis argutijs, partim fugiẽdas eſſe nimias amicitias, ne neceſſe ſit unũ
ſolicitum eſſe pro pluribus: ſatis ſuperq; eſſe ſibi ſuarum cuiq; rerum curam.
Alienis nimis implicari, moleſtum eſſe: commodiſſimum eſſe quàm laxiſſi-
mas habenas habere amicitię, quas uel adducas cum uelis, uel remittas. Caput
enim eſſe ad beate uiuendum ſecuritatem, qua frui non poſſit animus, ſi tan-
quam parturiat unus pro pluribus. Alios autem dicere aiunt etiam multo in-
humanius (quem locum breuiter perſtrinxi paulo ante) præſidij adiumẽtiq;
cauſa, non beneuolentiæ neque caritatis amicitias eſſe expetendas. Itaque ut
quiſq; minimum firmitatis habeat, minimumq; uirium, ita amicitias appete-
re maxime. Et eo fieri, ut mulierculæ magis amicitiarum præſidia quærant,
quàm uiri: & inopes, quàm opulenti: & calamitoſi, quàm ij qui putantur bea
ti. O præclaram ſapientiam. Solem enim è mundo tollere uidentur, qui amici
tiam è uita tollunt, qua à dijs immortalibus nihil melius habemus, nihil iucũ
dius. Quæ eſt enim iſta ſecuritas? Specie quidem blanda, ſed re ipſa multis lo
cis repudianda eſt. Neque enim eſt conſentaneum, ullam honeſtam rem actio
némue, ne ſolicitus ſis, aut non ſuſcipere, aut ſuſceptam deponere. Quod ſi cu-
ram fugimus, uirtus fugienda eſt, quæ neceſſe eſt ut cum aliqua cura res ſibi cõ
trarias aſpernetur, atque oderit: ut bonitas malitiam, temperantia libidinẽ,
ignauiam fortitudo. Itaque uideas rebus iniuſtis iuſtos maxime dolere, im-
becillibus fortes, flagitioſis modeſtos. Ergo hoc proprium eſt animi bene cõ
ſtituti, & lætari bonis rebus, & dolere contrarijs. Quamobrem ſi cadit in ſa-
pientem animi dolor, qui profecto cadit, niſi ex eius animo extirpatam huma
nitatem arbitremur: quæ cauſa eſt cur amicitiam funditus tollamus è uita, ne
aliquas propter eam ſuſcipiamus moleſtias? Quid enim intereſt motu animi
ſublato, non dico inter pecudem & hominem, ſed inter hominem & ſaxum,
aut truncum aut quiduis generis eiuſdem? Neq; enim ſunt iſti audiendi, qui
uirtutem duram, & quaſi ferream eſſe quandam uolunt: quæ quidem eſt tum
multis in rebus, tum in amicitia tenera atq; tractabilis, ut ex bonis amici qua-
ſi diffundatur, & incommodis contrahatur. Quamobrem angor iſte qui pro
amico ſæpe capiendus eſt, non tantum ualet ut tollat è uita amicitiam, nõ plus
q̃ ut uirtutes, quia nonnullas curas & moleſtias afferunt, repudientur. Cũ au-
tem contrahat uirtus amicitiam, (ut ſupra dixi) ſi qua ſignificatio uirtutis elu
ceat,

ceat,ad quam ſe ſimilis animus applicet,& adiungat:id cum contigerit, amor exoriatur neceſſe eſt. Quid enim tam abſurdum,quàm delectari multis inanibus rebus,ut honore, ut gloria,ut ædificio,ut ueſtitu cultuq́ corporis, animo autem uirtute prædito, eo qui uel amare, uel(ut ita dicam)redamare poſſit non admodum delectari? Nihil eſt enim remuneratione beneuolentiæ, nihil uiciſſitudine ſtudiorum officiorumq́ iucundius. Q. ſi etiam illud addimus, quod recte addi poteſt,nihil eſſe quod ad ſe rem ullam tam alliciat,tam attrahat,quàm ad amicitiam ſimilitudo:concedatur profecto uerum eſſe ut bonos boni diligant,adſciſcantq́ ſibi quaſi propinquitate coniunctos atq; natura. Nihil eſt enim appetentius ſimilium ſui,nihil rapacius,q̃ natura. Quamobrē hoc quidem Fanni,& Scæuola,conſtat(ut opinor)bonis inter bonos quaſi neceſſariam beneuolentiam eſſe,qui eſt amicitię fons à natura cōſtitutus. Sed eadem bonitas etiam ad multitudinem pertinet. Non eſt enim inhumana uirtus,neq; immunis,neq; ſuperba: quæ etiam populos uniuerſos tueri,eisq́ optime conſulere ſoleat. quod non faceret profecto,ſi à caritate uulgi abhorreret. Atq; etiam mihi quidem uidentur qui utilitatis cauſa fingunt amicitias, amabiliſſimum nodum amicitiæ tollere. Non enim tam utilitas parta per amicum,q̃ amici amor ipſe delectat. Tumq́ illud fit quod ab amico eſt profectum,iucundum,ſi cum amore & ſtudio eſt profectum. Tantumq́ abeſt ut amicitiæ propter indigentiam colantur,ut ij qui opibus & copijs, maximeq́ uirtute præditi (in qua plurimum eſt præſidij)minime alterius indigeant, liberaliſſimi ſint,& beneficentiſſimi. Atq; haud ſcio an ne opus ſit quidem nihil unq̃ omnino deeſſe amicis. Vbi enim ſtudia noſtra uiguiſſent,ſi nunq̃ cōſilio,nunq̃ opera noſtra,nec domi nec militiæ Scipio eguiſſet? Non igitur utilitatem amicitia,ſed utilitas amicitiam conſecuta eſt. Non ergo erunt homines delicijs diffluentes audiendi,ſi quãdo de amicitia,quam nec uſu nec ratione habent cognitam,diſputabunt. Nam quis eſt prò deum fidem atq; hominum,qui uelit ut neq; diligat quenq̃,nec ipſe ab ullo diligatur,circũfluere omnibus copijs,atq; in omnium rerum abundantia uiuere? Hæc enim eſt tyrannorum uita: nimirum in qua nulla fides,nulla caritas,nulla ſtabilis beneuolētiæ poteſt eſſe fiducia: omnia ſemper ſuſpecta atque ſolicita ſunt: nullus locus eſt amicitiæ. Quis enim aut eum diligat quem metuat,aut eum à quo ſe metuī putet? Coluntur tamen ſimulatione amicitiæ duntaxat ad tempus. Quod ſi forte(ut fit plerunque)ceciderint,tum intelligitur quàm fuerint inopes amicorum. Quod Tarquinium dixiſſe fertur tum cum exul eſſet, ſe intellexiſſe quos fidos amicos habuiſſet,quosq́ infidos,cum iam neutris gratiam referre poſſet. Quanq̃ miror illa ſuperbia & importunitate ſi quenq̃ habere potuit. Atque ut huius quem dixi,mores,ueros amicos parare non potuere: ſic multorū opes præpotentium excludunt amicitias fideles. Non enim ſolum ipſa fortuna cęca eſt,ſed eos etiam plerunq; effecit cæcos,quos complexa eſt. Itaq; efferuntur faſtidio ferè & contumacia: neq; quidq̃ inſipiente fortunato intolerabilius fieri poteſt. Atq; hoc quidem uidere licet,eos qui antea commodis fuerunt moribus,imperio,poteſtate,proſperis rebus immutari,ſperni ab ijs ueteres amicitias,ĩdulgere nouis. Quid autē ſtultius,q̃ ut plurimũ copijs, facultatibus,opibus poſſint,cetera parare quæ parantur pecuniam, equos, famulos, ueſtem egregiam,uaſa precioſa: amicos non parare,optimam & pulcherrimā

uitæ (ut ita dicam) ſupellectilem? Etenim cetera cum parantur, cui parentur neſciunt, nec cuius cauſa laborent. Eius enim eſt iſtorum quidquid eſt, qui uincit uiribus. Amicitiarum ſua cuique permanet ſtabilis & certa poſſeſſio: ut etiam ſi illa maneant, quæ ſunt quaſi dona fortunæ, tamen uita inculta & deſerta ab amicis non poſſit eſſe iucunda. Sed hæc hactenus. Conſtituendi autē ſunt qui ſint in amicitia fines, & quaſi termini diligendi: de quibus tres uideo ſententias ferri, quarum nullam probo. Vnam, ut eodem modo erga amicum affecti ſimus, quo erga noſmetipſos. Alteram, ut noſtra in amicos beneuolentia, illorum erga nos beneuolentiæ pariter æqualiterq; reſpondeat. Tertiam ut quanti quiſq; ſeipſum facit, tanti fiat ab amicis. Harum trium ſententiarum nulli prorſus aſſentior. Nec enim illa prima uera eſt, ut quemadmodum in ſe quiſq;, ſic ī amicum ſit animatus. Quàm multa enim quæ noſtra cauſa nunq̄ faceremus, facimus cauſa amicorum: precari amicis ab indigno, ſupplicare, tū acerbius in aliquē inuehi, inſectariq; uehementius: quæ in noſtris rebus non ſatis honeſte, in amicorū fiūt honeſtiſſime. Multæ quoq; res ſūt in quibus de ſuis commodis uiri boni multa detrahunt, detrahiq; patiuntur, ut ijs amici potius q̄ ipſi fruantur. Altera ſententia eſt, quæ definit amicitiam paribus officijs ac uoluntatibus. Hoc quidem eſt nimis exigue & exiliter ad calculos uocare amicitiam, ut par ſit ratio acceptorum & datorum. Ditior mihi & affluentior uidetur eſſe uera amicitia, nec obſeruare reſtricte ne plus reddat q̄ acceperit. Neque enim uerendum eſt ne quid excidat, aut ne quid in terram defluat, aut ne plus æquo quid in amicitia congeratur. Tertius uero ille finis deterrimus, ut quanti quiſq; ſeipſum faciat, tanti fiat ab amicis. Sæpe enim in quibuſdam aut animus abiectior eſt, aut ſpes amplificandæ fortunæ fractior. Non eſt igitur amici talem eſſe in eum, qualis ille in ſe eſt: ſed potius eniti & efficere ut amici iacentē animum excitet, inducatq; in ſpem cogitationemq; meliorem. Alius igitur finis ueræ amicitiæ conſtituendus eſt, ſi prius, quod maxime reprehendere Scipio ſolitus ſit, edixero. Negabat ullam uocem inimiciorem amicitiæ potuiſſe reperiri, q̄ eius qui dixiſſet ita amare oportere, ut aliquando eſſet oſurus. Nec uero ſe adduci poſſe, ut hoc, quemadmodum putaretur, à Biante eſſe dictum crederet, qui ſapiens habitus eſſet unus è ſeptem: ſed impuri cuiuſdam & ambitioſi, aut omnia ad ſuam potentiam reuocantis eſſe ſententiam. Quonam enim modo quiſq̄ amicus eſſe poterit, cui ſe putabit inimicum eſſe poſſe? Qui etiam neceſſe erit cupere & optare ut q̄ ſæpiſſime peccet amicus, quo plures det ſibi tanq̄ anſas ad reprehendendum. Rurſum autem recte factis commodisq; amicorum neceſſe erit angi, dolere, inuidere. Quare hoc quidem pręceptum, cuiuſcunq; eſt, ad tollendam amicitiam ualet. Illud potius pręcipiendum fuit, ut eam diligentiam adhiberemus in amicitijs comparandis, ut nequando amare inciperemus eum, quem aliquando odiſſe poſſemus. Quinetiam ſi minus felices in deligendo fuiſſemus, ferendum id Scipio potius, q̄ inimicitiarum tempus cogitandum putabat. His ergo finibus utendum arbitror ut cum emendati mores amicorum ſint, tum ſit inter eos omnium rerum, conſiliorum, & uoluntatum ſine ulla exceptione communitas: ut etiam ſiqua fortuna acciderit, ut minus iuſtæ amicorum uoluntates adiuuandę ſint, in quibus eorum aut caput agatur, aut fama, declinādum eſt de uia, modo ne ſumma turpitudo ſequatur. Eſt enim quatenus amicitiæ dari uenia poſſit, nec uero negligenda

genda eſt ſama. Nec mediocre telum ad res gerendas exiſtimare oportet beneuolentiam ciuium: quam blanditijs & aſſentationibus colligere turpe eſt. Virtus quam ſequitur caritas, minime repudianda eſt. Sed ſæpe (redeo enim ad Scipionem, cuius omnis ſermo erat de amicitia) querebatur, quod in omnibus rebus homines diligentiores eſſent, ut capras, & oues quot quiſque haberet, dicere poſſet: amicos quot haberet, dicere non poſſet: & in illis quidem parandis curam adhibere, in amicis eligendis negligentes eſſe, nec habere quaſi ſigna quædam & notas quibus eos qui ad amicitiam eſſent idonei, iudicarent. Sunt igitur firmi & ſtabiles & conſtantes eligendi: cuius generis eſt magna penuria, & iudicare difficile ſanè, niſi expertum. Experiendum autem eſt in ipſa amicitia. Ita præcurrit amicitia iudicium, tollitque experiendi poteſtatem. Eſt igitur prudentis ſuſtinere ut currum ſic impetum beneuolentiæ: quo utamur quaſi aquis tentatis, ſic amicitijs, aliqua parte periclitatis moribus amicorum. Quidam ſæpe in parua pecunia perſpiciuntur quàm ſint leues. Quidam autem, quos parua mouere non potuit, cognoſcuntur in magna. Si uero erunt aliqui reperti qui pecuniam præferre amicitiæ ſordidum exiſtiment: ubi eos inueniemus, qui honores, magiſtratus, imperia, poteſtates, opes amicitiæ nō anteponant, ut cum ex altera parte propoſita hæc ſint, ex altera uis amicitiæ, non multo illa malint? Imbecilla enim natura eſt ad contemnendam potentiam: quam etiam ſi neglecta amicitia conſecuti ſunt, excuſatum iri ſe arbitrantur, quia non ſine magna cauſa ſit neglecta amicitia. Itaque ueræ amicitiæ difficillime reperiuntur in ijs, qui in honoribus reque publica uerſantur. Vbi enim iſtum inuenias, qui honorem amici anteponat ſuo? Quid (hæc ut omittam) quàm graues, quàm difficiles pleriſque uidentur calamitatum ſocietates, ad quas non eſt facile inuentu qui deſcendat. Quanquam Ennius rectè,

Amicus certus in re incerta cernitur.

tamen hæc duo leuitatis & infirmitatis pleroſque conuincunt, aut ſi in bonis rebus contemnunt, aut ſi in malis deſerunt. Qui igitur utraque in re grauem, conſtantem, ſtabilem ſe in amicitia præſtiterit, hunc ex maxime raro hominum genere iudicare debemus, & penè diuino. Firmamentum autem ſtabilitatis conſtantięque eſt eius quam in amicitia quærimus, fides. Nihil enim ſtabile eſt, quod infidum eſt. Simplicem præterea, & cōmunē, & conſentientem, & qui rebus ijſdem moueatur, eligi par eſt, quæ omnia pertinent ad fidelitatē. neque enim fidum poteſt eſſe multiplex ingeniū & tortuoſum. Neque uero qui non ijſdem rebus mouetur: & natura conſentit, fidus aut ſtabilis poteſt eſſe. Addendum eodem eſt, ut ne criminibus aut inferēdis delectetur, aut credat oblatis: quæ omnia pertinent ad eam quam iamdudum tracto conſtātiam. Ita fit uerū illud quod initio dixi, amicitiam niſi inter bonos eſſe nō poſſe. Eſt enim boni uiri (quem eundem ſapientem licet dicere) hæc duo tenere in amicitia. Primum, ne quid fictum ſit, ne ue ſimulatū. Aperte enim uel odiſſe magis ingenui eſt, quàm fronte occultare ſententiam. Deinde nō ſolum ab aliquo allatas criminationes repellere, ſed ne ipſum quidem eſſe ſuſpicioſum, ſemper aliquid exiſtimātē ab amico eſſe uiolatum. Accedat huc ſuauitas quędam oportet ſermonum atque morum, haudquaquam mediocre cōdimentum amicitiæ. Triſtitia autem, & in omni re ſeueritas habet illa quidem grauitatem; ſed amicitia remiſſior eſſe debet, & liberior, & dulcior, & ad

omnem comitatem facilitatemq́ procliuior.

Exiſtit autem hoc loco quædam quæſtio ſubdifficilis. Num quando amici noui digni amicitia, ueteribus ſint anteponendi, ut equis uetulis teneros anteponere ſolemus? Indigna homine dubitatio. Non enim amicitiarum eſſe debent ſicut aliarum rerum ſatietates. Veterrima quæq; (ut ea uina quę uetuſtatem ferunt) eſſe debent ſuauiſſima: uerumq́ illud eſt quod dicitur, Multos modios ſalis ſimul edendos eſſe, ut amicitiæ munus expletũ ſit. Nouitates autem ſi ſpem afferunt, ut tanq̃ in herbis non fallacibus fructus appareat, non ſunt illæ quidem repudiandæ, uetuſtas tamen ſuo loco conſeruanda eſt. Maxima eſt enim uis uetuſtatis & conſuetudinis. Atqui in ipſo equo (cuius modo mentionem feci) ſi nulla res impediat, nemo eſt qui non eo quo conſueuit, libentius utatur, q̃ intractato & nouo. Nec uero in hoc, quod eſt animal, ſed in ijs etiam quę ſunt inanima, cõſuetudo ualet: cum locis etiam ipſis montuoſis delectemur & ſyluestribus, in quibus diutius commorati ſumus. Sed maximum eſt in amicitia, ſuperiorem parem eſſe inferiori. Sępe enim excellentię quædam ſunt, qualis erat Scipionis in noſtro (ut ita dicam) grege. Nunq̃ ſe ille Philo, nunq̃ Rutilio, nunq̃ Nummio antepoſuit, nunq̃ inferioris ordinis amicis. Q. uero Maximum fratrẽ, egregium uirum omnino ſibi nequaq̃ parem, q; is anteibat ætate, tanq̃ ſuperiorem colebat: ſuos uero omnes per ſe eſſe ampliores uolebat. Quod faciendum imitandumq́ eſt omnibus: ut ſi quam præſtantiam uirtutis, ingenij, fortunæ conſecuti ſunt, impertiant eam ſuis, cõmunicentq́ cum proximis: ut ſi parentibus nati ſunt humilibus, ſi propinquos habeant imbecilliores uel animo uel fortuna, eorum augeant opes, eiſq́ honori ſint & dignitati: ut in fabulis, qui aliquandiu propter ignorantiã ſtirpis & generis in famulatu fuerint, cum cogniti ſunt, & aut deorum aut Regũ filij inuenti, retinent tamen caritatem in paſtores, quos patres permultos annos eſſe duxerunt. Quod quidem eſt multo profecto magis in ueris patribus certiſq́ faciendum. Fructus enim ingenij & uirtutis omniſq́ præſtantię tum maximus accipit, cum in proximum quenq; cõfertur. Vt igitur ij qui ſunt in amicitiæ coniunctioniſq́ neceſſitudine ſuperiores, ſe æquare cum inferioribus debent: ſic inferiores non dolere ſe à ſuis aut ingenio, aut fortuna, aut dignitate ſuperari. Quorum plerique aut queruntur ſemper aliquid, aut etiam exprobrant: eoq́ magis, ſi aliquid habere ſe putant quod officioſe, amice, & cum labore aliquo ſuo factum queãt dicere. Odioſum ſanè genus hominum, officia exprobrantium, quæ meminiſſe debet is in quem collata ſunt, non cõmemorare qui contulit. Quamobrem ut ij qui ſuperiores ſunt, ſubmittere ſe debent in amicitia, ſic quodammodo inferiores extollere. Sunt enim quidam qui moleſtas amicitias faciunt, cum ipſi ſe contemni putant. Quod non ferè contingit niſi ijs qui etiam contemnendos ſe arbitrantur: qui hac opinione non modo uerbis, ſed etiam opere leuandi ſunt. Tantum autem cuique tribuendum eſt primum, quantum ipſe efficere poſſis: deinde quantum ille quẽ diligas atque adiuues, ſuſtinere. Non enim tu poſſis, quantumuis licet excellas, omnes tuos ad honores ampliſſimos perducere: ut Scipio P. Rutilium potuit Conſulem efficere, fratrem eius Lucium non potuit. Q; ſi etiam poſſis quiduis deferre ad alterũ, uidẽdũ tamen eſt quid ille poſſit ſuſtinere. Omnino amicitiæ corroboratis iã confirmatiſq́ & ingenijs & ætatibus iudicãdę ſũt.

Nec

Nec ſi qui ineunte ætate uenandi aut pilæ ſtudioſi fuerint, eos habere neceſſarios oportet, quos tum eodem ſtudio præditos dilexerunt. Iſto enim modo nutrices & pędagogi iure uetuſtatis plurimum beneuolentiæ poſtulabunt: qui negligendi quidẽ nõ ſunt, ſed alio quodã modo colendi. aliter enim amicitiæ ſtabiles permanere non poſſunt. Diſpares enim mores diſparia ſtudia ſequũtur, quorũ diſſimilitudo diſſociat amicitias. Nec ob aliam cauſã ullã boni improbis, improbi bonis amici eſſe non poſſunt, niſi ꝙ tãta eſt inter eos, quãta maxima poteſt eſſe, morum ſtudiorumꝙ diſtantia. Recte etiam præcipi poteſt in amicitijs, ne quis intemperata quadam beneuolentia (quod perſępe fit) impediat magnas utilitates amicorum. Nec enim (ut ad fabulas redeam) Troiam Neoptolemus capere potuiſſet, ſi Lycomedẽ, apud quẽ erat educatus, multis cum lacrimis iter ſuũ impedientẽ audire uoluiſſet. Et ſæpe incidũt magnæ res ut diſcedendũ ſit ab amicis: quas qui impedire uult, ꝙ deſiderium nõ facile ferat, is & infirmus eſt, mollisꝙ natura, & ob eã ipſã cauſam in amicitia parum iuſtus. Atꝙ in omni re conſiderandum eſt & quid poſtules ab amico, & quid patiare à te impetrari. Eſt etiã quaſi quædã calamitas in amicitijs dimittẽdis, nõnunq̃ neceſſaria. Iã enim à ſapientũ familiaritatibus ad uulgares amicitias oratio noſtra delabitur. Erũpunt ſępe uitia amicorũ tũ ĩ ipſos amicos, tum in alienos, quorum tamen ad amicos redundet infamia. Tales igitur amicitię ſunt remiſſione uſus eleuãdę, & (ut Catonẽ dicere audiui) diſſuẽdæ magis q̃ diſcindendę, niſi quędã admodũ intolerabilis iniuria exarſerit, ut neꝙ rectum, neꝙ honeſtum ſit, nec fieri poſſit ut non ſtatim alienatio diſiũctioꝙ facienda ſit. Sin autẽ morũ aut ſtudiorum cõmutatio quędam (ut fieri ſolet) facta erit, aut in Reip. partibus diſſenſio interceſſerit (loquor enim ut paulo ante dixi, non de ſapientum, ſed de cõmunibus amicitijs) cauendũ erit ne non ſolum amicitiæ depoſitæ, ſed inimicitiæ etiam ſuſceptæ uideantur. Nihil enim turpius, q̃ cũ eo bellum gerere, qui cum familiariter uixeris. Ab amicitia Q. Pompeij meo nomine ſe remouerat (ut ſcitis) Scipio: propter diſſenſionẽ autẽ quæ erat in Repu. alienatus eſt à Collega noſtro Metello. Vtrũꝙ egit grauiter, auctoritate & offenſione animi non acerba. Quamobrem primum danda opera eſt ne qua amicorum diſſidia fiant: ſin tale aliquid euenerit, ut extinctæ potius amicitiæ, q̃ oppreſſæ uideantur. Cauendũ uero ne etiã in graues inimicitias conuertant ſe amicitiæ, è quibus iurgia, maledicta, contumeliæ gignuntur: quę tamẽ ſi tolerabiles erunt, ferendę ſunt: & hic honos ueteri amicitiæ tribuẽdus, ut is in culpa ſit qui faciat, non is qui patiatur iniuriã. Omnino omnium horum uitiorum atꝙ incommodorum una cautio eſt atꝙ una prouiſio, ut ne nimis cito diligere incipiamus, ne ue nõ dignos. Digni autem ſunt amicitia, quibus in ipſis ineſt cauſa cur diligantur. Rarum genus (& quidem omnia præclara rara) nec quidq̃ difficilius, q̃ reperire quod ſit omni ex parte in ſuo genere perfectum. Sed pleriꝙ neꝙ in rebus humanis quidq̃ bonum norunt, niſi quod fructuoſum ſit, & amicos tanq̃ pecudes, eos potiſſimum diligunt, ex quibus ſperant ſe maximum fructum eſſe capturos. Ita pulcherrima illa & maxime naturali carẽt amicitia, per ſe & propter ſe expetita: nec ſibi ipſi exemplo ſunt, hæc uis amicitiæ qualis & quanta ſit. Ipſe enim ſe quiſꝙ diligit, nõ ut aliquam à ſeipſo mercedem exigat caritatis ſuę, ſed ꝙ per ſe ſibi quiſꝙ carus eſt. quod niſi idẽ in amicitiã trãſferatur, uerus amicus nunq̃

reperietur, eſt enim is, qui eſt tanq̃ alter idem. Q. ſi hæc apparent in beſtijs, uolucribus, agreſtibus, nantibus, ſuibus, cicuribus, feris, primum ut ſe diligãt (id enim pariter cum omni animante naſcitur) deinde ut requirant atq; appetant ad quas ſe applicent, eiuſdem generis animantes idq; faciunt cum deſiderio, & cum quadam ſimilitudine amoris humani: quanto id magis in homine fit natura, qui & ſe ipſe diligit, & alterum anquirit, cuius animum ita cum ſuo miſceat, ut efficiat penè unũ ex duobus? Sed pleriq; peruerſe, ne dicam impudenter, amicum habere talem uolunt, quales ipſi eſſe non poſſunt: quæq; ipſi non tribuunt amicis, hęc ab his deſiderant. Par eſt autem, primum ipſum eſſe uirum bonum, tum alterum ſimilem ſui quęrere. In talibus ea quam iãdudũ tractabamus ſtabilitas amicitiæ confirmari poteſt, cum homines beneuolentia coniuncti, primum cupiditatibus ijs quibus ceteri ſeruiunt, imperabunt: deinde æquitate iuſtitiaq; gaudebunt, omniaq; alter pro altero ſuſcipiet: neque quidq̃ unq̃ niſi honeſtum & rectum alter ab altero poſtulabit: neq; ſolũ colent inter ſe, ac diligent, ſed etiam uerebuntur. Nam maximum ornamentũ amicitiæ tollit, qui ex ea tollit, uerecundiam. Itaq; in ijs pernicioſus eſt error, qui exiſtimant libidinum peccatorumq; omnium patere in amicitia licentiã. Virtutum amicitia adiutrix à natura data eſt, non uitiorum comes: ut quoniã ſolitaria non poteſt uirtus ad ea quæ ſumma ſunt peruenire, coniuncta & ſociata cum altera perueniret: quæ ſi quos inter ſocietas aut eſt, aut fuit, aut futura eſt, eorum eſt habendus ad ſummũ naturæ bonum optimus beatiſſimusq; comitatus. Hæc eſt inquam ſocietas in qua omnia inſunt quę putant homines expetenda, honeſtas, gloria, tranquillitas animi, atq; iucunditas: ut cum hæc adſint, beata uita ſit, & ſine his eſſe non poſſit. Quod cùm optimũ maximũq; ſit, ſi id uolumus adipiſci, uirtuti opera dãda eſt, ſine qua neq; amicitiam neq; ullam rem expetendam conſequi poſſumus. Ea uero neglecta, qui ſe amicos habere arbitrantur, tum ſe deniq; erraſſe ſentiunt, cum eos grauis aliquis caſus experiri cogit. Quocirca (dicendum eſt enim ſępius) cum iudicaris, diligere oportet: non cum dilexeris, iudicare. Sed cum multis in rebus negligentia plectimur, tum maxime in amicis & deligendis, & colendis. Præpoſteris enĩ utimur conſilijs, & acta agimus, quod uetamur uetere prouerbio. Nam implicati ultro & citro, uel uſu diuturno, uel etiam officijs, repente in medio curſu amicitias, exorta aliqua offenſione dirumpimus. Quo etiam magis uituperãda eſt rei maxime neceſſariæ tanta incuria. Vna eſt enim amicitia in rebus humanis, de cuius utilitate omnes uno ore conſentiunt, quanq̃ à multis ipſa uirtus contemnitur, & uenditatio quædam atque oſtentatio eſſe dicitur. Multi diuitias deſpiciunt, quos paruo contentos tenuis uictus cultusq; delectat. Honores uero, quorum cupiditate quidam inflammantur, quàm multi ita contemnunt, ut nihil inanius eſſe, nihil leuius exiſtiment? Item cetera quæ quibuſdam admirabilia uidentur, permulti ſunt qui pro nihilo putent. De amicitia omnes ad unum idem ſentiunt, & ij qui ad Remp. ſe contulerunt, & ij qui rerum cognitione doctrinaq; delectantur, & ij qui ſuum negocium gerunt otioſi, poſtremo ij qui ſe totos tradiderunt uoluptatibus, ſine amicitia uitam eſſe nullam ſentiunt, ſi modo uelint aliqua ex parte liberaliter uiuere. Serpit enim neſcio quomodo per omnium uitam amicitia, nec ullam ætatis degendę, rationẽ patitur eſſe expertẽ ſui. Quinetiã ſi quis

aſperitate ea eſt & immanitate naturę, cõgreſſus ut hominum fugiat atq; oderit, qualem fuiſſe Athenis Timonem neſcio quem accepimus, tamen is pati non poſſit ut non anquirat aliquem apud quem euomat uirus acerbitatis ſuę. Atq; hoc maxime iudicaretur, ſi quid tale poſſet contingere, ut aliquis nos deus ex hac hominum frequentia tolleret, & in ſolitudine uſpiam collocaret, atque ibi ſuppeditans omnium rerum quas natura deſiderat, abundantiam & copiam, hominis omnino aſpiciendi poteſtatem eriperet: quis tam eſſet ferreus, qui eam uitam ferre poſſet, cuiq; non auferret fructum uoluptatum omniũ ſolitudo? Verum ergo illud eſt, quod a Tarentino Archita (ut opinor) dici ſolitum noſtros ſenes commemorare audiui, ab alijs ſenibus auditum. Si quis in cœlum aſcendiſſet, naturamq; mundi & pulchritudinem ſyderum perſpexiſſet, inſuauem illam admirationem ei fore: quæ iucundiſſima fuiſſet, niſi aliquem cui narraret, habuiſſet. Sic natura ſolitarium nihil amat, ſemperq; ad aliquid tanq̃ adminiculum annititur: quod in amiciſſimo quoque dulciſſimum eſt. Sed cum tot ſignis eadem natura declaret quid uelit ac anquirat, quid deſideret, obſurdeſcimus tamen neſcio quomodo, nec ea quæ ab ea monemur audimus. Eſt enim uarius & multiplex uſus amicitiæ, multæq; cauſæ ſuſpicionum offenſionumq; dantur, quas tum euitare, tum eleuare, tum ferre ſapientis eſt. Vna illa ſubleuanda offenſio eſt, ut & utilitas in amicitia & fides retineatur. Nam & monendi amici ſæpe ſunt, & obiurgãdi: & hæc accipienda amice, cũ beneuole fiunt. Sed neſcio quomodo uerum eſt quod ĩ Andria familiaris meus dixit. Obſequium amicos, ueritas odium parit. Moleſta ueritas eſt, ſi quidẽ ex ea naſcitur odium, quod eſt uenenum amicitię: ſed obſequium multo moleſtius, quod peccatis indulgens, pręcipitem amicum ferri ſinit. Maxima autem culpa in eo eſt, qui & ueritatẽ aſpernatur, & in fraudem obſequio impellitur. Omni igitur hac in re habẽda ratio & diligentia eſt, primum ut monitio acerbitate, deinde ut iurgatio contumelia careat. In obſequio autem (quoniã Terentiano uerbo libenter utimur) comitas adſit, aſſentatio uitiorum adiutrix procul amoueatur: quæ non modo amico, ſed ne libero quidem digna eſt. Aliter enim cum tyranno, aliter cum amico uiuitur. Cuius autem aures clauſæ ueritati ſunt, ut ab amico uerũ audire nequeat, huius ſalus deſperãda eſt. Scitũ eſt enĩ illud Catonis. Multo melius de quibuſdã acerbos inimicos mereri, q̃ eos amicos qui dulces uideãtur. illos uerũ ſępe dicere, hos nũquã. Atq; illud abſurdũ eſt, q; ij ſcilicet, qui monentur, eã moleſtiã quã debent capere, nõ capiunt: eã capiunt qua debẽt uacare. peccaſſe enĩ ſe nõ anguntur, obiurgari moleſte ferunt: q; contra oportebat, delicto dolere, correctione gaudere. Vt igitur & monere & moneri propriũ eſt uerę amicitię & alterũ libere facere, nõ aſpere, alterũ patienter accipere, nõ repugnãter: ſic habendũ eſt nullã in amicitijs peſtẽ eſſe maiorẽ, q̃ adulationẽ, blanditias, aſſentationem. Quis enim multis nominibus eſt hoc uitium notandum leuium hominum atq; fallacium, ad uoluptatem loquentium omnia nihil ad ueritatem. Cum autem omnium rerũ ſimulatio eſt uitioſa (tollit enim iudicium ueri, idq; adulterat) tum amicitiæ repugnat maxime. delet enim ueritatem, ſine qua nomen amicitiæ ualere nõ poteſt. Nam cũ amicitię ius ſit in eo, ut unus quaſi animus fiat ex pluribus: qui fieri poterit ſi ne in uno quidem quoq; unus animus erit, idemq; ſemper, ſed uarius, commutabilis, multiplex? Quid enim poteſt eſſe tam flexibile,

tam deuium,q̃ animus eius qui ad alterius non modo ſenſum ac uoluntatem, » ſed etiam uultum atq; nutum conuertitur? Negat quis? Nego. Ait? Aio. Po » ſtremo imperaui egomet mihi omnia aſſentari. ut ait idem Terentius, ſed ille ſub Gnathonis perſona. quod amici genus adhibere, omnino leuitatis eſt. Multi autem Gnathonum ſimiles, cum ſint loco, fortuna, fama ſuperiores: horum eſt aſſentatio moleſta, cum ad uanitatem acceſſit auctoritas. Secerni autẽ blandus amicus à uero & internoſci tam poteſt adhibita diligentia, q̃ omnia fucata & ſimulata à ſynceris atq; ueris. Concio quę ex imperitiſſimis conſtat, tamen iudicare ſolet quid interſit inter popularem, id eſt aſſentatorem, & leuem ciuem, & inter conſtantem ſeuerum & grauem. Quibus blanditijs C. Papyrius Conſul nuper influebat in aures concionis, cum ferret legem de Tribunis plebis reficiendis. Diſſuaſimus nos. Sed nihil de me: de Scipione dicã libentius. Quanta illi (dij immortales) fuit grauitas, quanta in oratione maieſtas? ut facile ducem Populi R. non comitem diceres. ſed affuiſtis, & eſt in manibus oratio. Itaq; lex popularis ſuffragijs populi repudiata eſt. Atq; (ut ad me redeã) meminiſtis Q. Maximo fratre Scipionis, & L. Mãcino Coss. q̃ popularis lex de ſacerdotijs C. Licinij Craſſi uidebatur. Cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur. Atq; is primum inſtituit in forum uerſibus agere cum populo. Tamẽ illius uendibilẽ orationem religio deorũ immortaliũ nobis defendẽtibus facile uincebat. Atq; id actum eſt Prętore me, quinquẽnio anteq̃ Cõſul ſim factus. Ita re magis q̃ auctoritate cauſa illa defenſa eſt. Quod ſi in ſcena, id eſt in cõcione, in qua rebus fictis & adũbratis loci plurimũ eſt, tamẽ uerũ ualet, ſi modo id patefactũ & illuſtratũ eſt: quid in amicitia fieri oportet, quę tota ueritate perpẽditur? In qua niſi (ut dicitur) apertũ pectus uideas, tuũq; oſtendas, nihil fidũ, nihil exploratũ habeas, ne amare quidẽ aut amari poſſis, cũ id q̃ uere fiat ignores. Quanq̃ iſta aſſẽtatio quamuis pernicioſa ſit, nocere tamẽ nemini poteſt niſi ei qui eã recipit atq; ea delectatur. Ita fit, ut is aſſentatoribus patefaciat aures ſuas maxime, qui ipſe ſibi aſſentetur, & ſe maxime delectet. Omnino eſt amans ſui uirtus, optime enĩ ſe ipſa nouit, q̃q; amabilis ſit intelligit. Ego autẽ nõ de uirtute nũc loquor, ſed de uirtutis opinione. Virtute enĩ ipſa nõ tã multi prędití eſſe, q̃ uideri uolunt. Hos delectat aſſentatio. His fictus ad ipſorũ uoluptatẽ ſermo cũ adhibetur, orationẽ illã uanã, teſtimoniũ eſſe laudũ ſuarum putant. Nulla hæc igitur amicitia, cũ alter uerũ audire nõ uult, alter ad mẽtiẽdũ paratus eſt. Nec paraſitorũ in comœdijs aſſentatio nobis faceta uideretur, niſi eſſent milites glorioſi. Magnas uero agere gratias Thais mihi? Satis erat reſpondere, magnas: ingẽtes inquit. Semper auget aſſentator id quod is cuius ad uolũtatem dicitur, uult eſſe magnum. Quãobrem q̃uis blãda iſta uanitas apud eos ualeat qui ipſi illam allectant & inuitant, tamen etiam grauiores conſtantioresq; admonendi ſunt, ut animum aduertant ne callida aſſentatione capiãtur. Aperte enim adulantem nemo non uidet, niſi qui admodum eſt excors. Callidus ille & occultus ne ſe inſinuet ſtudioſe cauẽdũ eſt. Nec enĩ facile agnoſcitur quippe qui etiã aduerſãdo ſępe aſſẽtetur, & litigare ſe ſimulans blãdiatur atq; ad extremũ det manus, uinciq; ſe patiatur, ut is qui illuſus ſit, plus illuſiſſe uideatur. Quid aũt turpius, q̃ illudi? Quod ne accidat, magis cauẽdũ eſt: ut ĩ Epicureo.

Hodie me ante omneis coamicos ſtultos ſenes

Verſaris,

Verſaris,atq; luſeris lautiſſime.

Hæc enim in fabulis ſtultiſſima perſona eſt improuidorum & credulorũ ſenum. Sed neſcio quo pacto ab amicitijs perfectorum hominum, id eſt ſapiẽtum (de hac dico ſapientia, quæ uidetur in hominem cadere poſſe) ad leues amicitias defluxit oratio. Quamobrem ad illam primam redeamus, eamq; ipſam concludamus aliquando. Virtus uirtus inquam, C. Fãni, & tu Q. Muci, & conciliat amicitias, & conſeruat. In ea eſt enim conuenientia rerum, in ea ſtabilitas, in ea conſtantia. Quæ cum ſe extulit, & oſtendit ſuum lumẽ, & idẽ aſpexit agnouitq; in alio, ad id ſe admouet, uiciſſimq; accipit illud quod in altero eſt: ex quo eorum exardeſcit ſiue amor, ſiue amicitia. utrunq; enim dictũ eſt ab amando. Amare autem nihil aliud eſt, niſi eum ipſum diligere, quem ames, nulla indigentia, nulla utilitate quæſita. Quæ tamen ipſa effloreſcit ex amicitia, etiam ſi tu eam minus ſecutus ſis. Hac nos adoleſcentes beneuolentia ſenes illos L. Paulum, M. Catonem, C. Gallum, P. Naſicam, Ti. Gracchum Scipionis noſtri ſocerum dileximus. Hæc etiam magis elucet inter æquales, ut inter me & Scipionem, L. Furium, P. Rupilium Sp. Mummium. Viciſſim autem ſenes in adoleſcentium caritate acquieſcimus: ut in ueſtra, & in Q. Tuberonis equidem admodum adoleſcentis, & P. Rutilij Virginij familiaritate delector. Quoniamq; ita ratio comparata eſt uitæ naturęq; noſtræ, ut alia ætas oriatur ex alia: maxime quidem optandum eſt, ut cum æqualibus poſſis uiuere, quibus cum tanquam è carceribus emiſſus, cum ijſdem ad calcem (ut dicitur) peruenire poſſis. Sed quoniam res humanæ fragiles caducæq; ſunt, ſemper aliqui anquirendi ſunt quos diligamus, & à quibus diligamur. Caritate enim beneuolentiaq; ſublata, omnis eſt è uita ſublata iucunditas. Mihi quidem Scipio, q̃q̃ eſt ſubito ereptus, uiuit tamen, ſemperq; uiuet. Virtutem enim amaui illius uiri, quæ extincta non eſt: nec mihi ſoli uerſatur ante oculos, qui illam ſemper in manibus habui, ſed etiam poſteris erit clara & inſignis. Nemo unquam animo aut ſpe maiora concipiet, qui ſibi non illius memoriam atque imaginem proponendam putet. Equidem ex omnibus rebus quas mihi aut fortuna aut natura tribuit, nihil habeo quod cum amicitia Scipionis poſſit comparari. In hac mihi de Repub. conſenſus: in hac rerum priuatarum conſilium: in eadem requies plena oblectationis fuit. Nunquam illum ne minima quidem re offendi, quod quidem ſenſerim. Nihil audiui ex eo ipſe quod nollem. Vna domus erat, idem uictus, iſq; cõmunis: neque ſolum militia, ſed etiam peregrinationes ruſticationesq; communes. Nam quid ego de ſtudijs dicã cognoſcendi ſemper aliquid aut diſcendi? in quibus remoti ab oculis populi omne otioſum tempus contriuimus. Quarum rerum recordatio & memoria ſi una cum illo occidiſſet, deſiderium coniunctiſſimi uiri atq; amantiſſimi ferre nullo modo poſſem. Sed nec illa extincta ſunt, aluunturq; potius & augentur cogitatione & memoria. Et ſi illis plane orbatus eſſem, magnum tamen afferret mihi ætas ipſa ſolatium. Diutius enim iam in hoc deſiderio eſſe non poſſum. Omnia tamen breuia, tolerabilia eſſe debent, etiam ſi magna ſint. Hæc habui de amicitia quæ dicerem. Vos autem hortor, ut ita uirtutem locetis, ſine qua amicitia eſſe non poteſt, ut ea excepta nihil amicitia prǽſtabilius putetis.

MARCI TVLLII CICERONIS CATO MAIOR, SEV DE SENECTVTE, AD T. POMPONIVM ATTICVM PRAEFATIO.

O Tite,ſi quid ego adiuto,curámue leuaſſo,
Quæ nunc te coquit & uerſat ſub pectore fixa,
Ecquid erit pręmĳ?

Licet enim uerſibus eiſdem mihi affari te Attice, quibus affatur Flaminium ille uir haud magna cum re,ſed fidei plenus:q̃q̃ certo ſcio non ut Flaminium ſolicitari te Attice ſic noctes dieſq́;.Noui enim moderationem animi tui & ęquitatem:teq́; non cognomen ſolũ Athenis deportaſſe,ſed humanitatem & prudentiam intelligo:& tamen ſuſpicor ĳſdem rebus te,quibus meipſum interdum,grauius commoueri.Quarum cõſolatio & maior eſt,& in aliud tempus differenda. Nunc autem mihi uiſum eſt de ſenectute aliquid ad te ſcribere.Hoc enim onere(quod mihi tecum commune eſt)aut iam urgentis,aut certe aduentantis ſenectutis, & te, & me ipſũ leuari uolo:etſi te quidem id modice ac ſapienter (ſicut omnia)& ferre,& laturum eſſe certo ſcio.Sed mihi cum de ſenectute aliquid uellem ſcribere,tu occurrebas dignus eo munere,quo uterq; noſtrum communiter uteretur.Mihi quidem ita iucunda huius libri confectio fuit,ut non modo omnes abſterſerit ſenectutis moleſtias,ſed effecerit mollem etiã & iucundã ſenectutem. Nũq̃ igitur ſatis laudari digne poterit philoſophia, cui qui pareat, omne tempus ætatis ſine moleſtia poſſit degere.Sed de ceteris & diximus multa,& ſæpe dicemus.Hunc uero librum de ſenectute ad te miſimus. Omnem autem ſermonem tribuimus non Tithono,ut Ariſto Chius,ne parum eſſet auctoritatis in fabula: ſed M.Catoni ſeni,quo maiorem auctoritatẽ haberet oratio. Apud quem Lælium & Scipionem facimus admirantes ꝙ is tam facile ſenectutem ferat,ĳsq́; eum reſpondẽtẽ.Qui ſi eruditius uidebitur diſputare q̃ conſueuit ipſe in ſuis libris,attribuito Gręcis literis,quarum conſtat eũ perſtudioſũ fuiſſe in ſenectute.Sed quid opus eſt plura? Iã enĩ ipſius Catonis ſermo explicabit noſtram omnem de ſenectute ſententiam.

SCIPIO.

SAepenumero admirari ſoleo cum hoc C.Lęlio,cum ceterarum rerum tuam excellentem.M.Cato, perfectamq́; ſapientiam:tum uel maxime ꝙ ſenectutem nũquam tibi grauem eſſe ſenſerim, quæ pleriſq; ſenibus ſic odioſa eſt,ut onus ſe Aetna grauius dicãt ſuſtinere. CATO.Rem haud ſane Scipio & Læli difficilẽ admirari uidemini. Quibus enim nihil opis eſt in ipſis ad bene beateq́; uiuẽdum,ĳs omnis grauis eſt ętas: qui autem omnia bona à ſeipſis petunt,ĳs nihil poteſt malum uideri quod naturæ neceſſitas afferat.Quo in genere in primis eſt ſenectus:quam ut adipiſcãtur omnes optant,eandem accuſant adepti.Tanta eſt in conſtantia, ſtultitia,

atq;

atq; peruerſitas. Obrepere aiunt eam citius q̃ putaſſent. Primum, quis coegit eos falſum putare? Qui enim citius adoleſcentiæ ſenectus, q̃ pueritiæ adoleſcentia obrepit? Deinde, qui minus grauis eſſet ijs ſenectus, ſi octingenteſimũ annũ agerent, quàm octogeſimum? Præterita enim ætas quamuis longa, cũ effluxiſſet, nulla conſolatione permulcere poſſet ſtultam ſenectutẽ. Quocirca ſi ſapientiam meam admirari ſoletis (quæ utinam digna eſſet opinione ueſtra noſtroq́; cognomine) in hoc ſumus ſapientes, quod naturam optimam ducẽ tanquam deum ſequimur, eiq́; paremus: à qua non uerisimile eſt, cum ceteræ partes ætatis bene deſcriptæ ſint, extremum actum tanquam ab inerti poeta eſſe neglectum. Sed tamen neceſſe fuit aliquod eſſe extremum, & tanquam in arborum bacis terręq; frugibus maturitate tempeſtiua quaſi uietum & caducum: quod ferendum eſt molliter ſapienti. Quid enim eſt aliud gigantũ modo bellare cũ dijs, niſi naturæ repugnare? LAELIVS. Atqui, Cato, gratiſſimum nobis (ut etiam pro Scipione pollicear) feceris, ſi quoniam uolumus, ſperamus quidem ſenes fieri, ante multo à te didicerimus quibus facillime rationibus ingraueſcentem ætatem ferre poſſimus. CATO. Faciam uero Læli, preſertim ſi utriq; ueſtrũ gratum, ut dicis, futurũ eſt. LAELIVS. Volumus ſanè, niſi moleſtum eſt, Cato, tanq̃ aliquam uiam lõgam confeceris, quam nobis quoq; ingrediendum ſit, iſtuc quo perueniſti, uidere quale ſit. CATO. Faciam ut potero Læli. Sæpe enim interſui querelis meorum æqualium (Pares autem cum paribus, ueteri prouerbio, facillime congregantur) quæ C. Salinator, quæ Sp. Albinus, homines Conſulares, noſtri ferè æquales deplorare ſolebant: tum quod uoluptatibus carerent, ſine quibus uitam nullam putarent: tũ quod ſpernerentur ab ijs à quibus eſſent coli ſoliti. Qui mihi non uidebantur accuſare quod eſſet accuſandum. Nam ſi id culpa ſenectutis accideret, eadem mihi uſu euenirent, reliquisq́; omnibus maioribus natu: quorum ego multorũ cognoui ſenectutem ſine querela, qui ſe à libidinum uinculis laxatos eſſe non moleſte ferrent, nec à ſuis deſpicerentur. Sed omnium iſtiuſmodi querelarum in moribus eſt culpa, non in ætate. Moderati enim, & nec difficiles nec inhumani ſenes, tolerabilem agunt ſenectutem, importunitas autem & inhumanitas omni ætati moleſta eſt. LAELIVS. Eſt ut dicis, Cato, Sed fortaſſe dixerit quiſpiam, tibi propter opes & copias, & dignitatem tuam, tollerabilem ſenectutem uideri: id autem non poſſe multis contingere. CATO. Eſt iſtud quidem Læli aliquid, ſed nequaq̃ in iſto ſunt omnia: ut Themiſtocles fertur Seriphio cuidam in iurgio reſpondiſſe, cum ille dixiſſet, non eum ſua, ſed patriæ gloria ſplendorem aſſecutum. Nec hercle, inquit, ſi ego Seriphius eſſem nobilis: nec tu ſi Athenięſis eſſes, clarus unquam fuiſſes. Quod eodem modo de ſenectute poteſt dici. Nec enim in ſũma inopia leuis eſſe ſenectus poteſt ne ſapienti quidem, nec inſipienti etiam in ſumma copia non grauis. Aptiſſimà omnino ſunt, Scipio & Læli, arma ſenectutis, artes exercitationesq́; uirtutũ quæ in omni ætate cultæ, cũ diu multũq; uixeris, mirificos afferunt fructus, nõ ſolum quia nunq̃ deſerunt, ne in extremo quidem tempore ætatis (q̃q̃ id quidem maximum eſt) uerumetiam quia conſcientia bene actæ uitæ, multorũq; bene factorum recordatio iucundiſſima eſt. Ego Q. Maximum, eum qui Tarentum recepit, adoleſcens ita dilexi ſenem, ut ęqualem. Erat enim in illo uiro comitate grauitas condita, nec ſenectus mores mutauerat: q̃q̃ eum colere coe-

pi non admodum grandem natu,ſed tamen iam ætate prouectũ. Anno enim poſt Conſul primũ fuerat quã ego natus ſum:cumq́ eo.IIII.Conſule adoleſcẽtulus miles profectus ſum ad Capuã,quintoq́ anno poſt ad Tarẽtũ Quæſtor,deinde Aedilis,quadriennio poſt factus ſũ Prætor:quẽ magiſtratũ geſſi Coss. Tuditano & Cethego,tũ quidẽ ille admodũ ſenex ſuaſor legis Cinciæ de donis & muneribus fuit. Hic & bella gerebat ut adoleſcens, cũ plane grãdis eſſet.& Annibalẽ iuueniliter exultãtẽ,patientia ſua molliebat:de quo præclare familiaris noſter Ennius,

Vnus qui nobis cunctando reſtituit rem.
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.
Ergo poſtq́ magisq́ uiri nunc gloria claret.

Tarentũ uero qua uigilantia,quo cõſilio recepit? Cũ quidem me audiẽte, Salinatori,qui amiſſo oppido fugerat in arcẽ,glorianti,atq́ ita dicenti, Mea opera Q.Fabi Tarentũ recepiſti:Certe,inquit ridens.nam niſi tu amiſiſſes, nunq̃ recepiſſem.Nec uero in armis præſtantior q̃ in toga:qui Conſul iterũ Sp.Caruilio Collega quieſcente,C.Flãminio Trib.pl.quoad potuit reſtitit, agrũ Picenũ & Gallicũ uiritim cõtra Senatus auctoritatẽ diuidẽti. Augurq́ cũ eſſet dicere auſus eſt,optimis auſpicijs ea geri,quæ pro Reip.ſalute gererẽtur: quę cõtra Rẽp. ferrentur, cõtra auſpicia ferri.Multa pręclara in eo uiro cognoui,ſed nihil eſt admirabilius,q̃ quomodo ille mortẽ M.filij tulit, clari uiri,& Conſularis.Eſt in manibus laudatio:quã cũ legimus,quẽ philoſophũ nõ contẽnimus? Nec uero ille in luce modo atq́ in oculis ciuiũ magnus,ſed intus domiq́ præſtantior.Qui ſermo? quæ precepta? quanta notitia antiquitatis? quæ ſcientia iuris augurandi? Multæ etiam ut in homine Romano literę. omnia memoria tenebat,non domeſtica ſolũ,ſed etiã externa bella.Cuius ſermone ita tum cupide fruebar,quaſi iam diuinarem,id quod euenit,illo extincto,fore unde diſcerẽ,neminẽ. Quorſũ igit̃ hæc tã multa de Maximo? Quia profectouidetis nefas eſſe dictu,miſerã fuiſſe talẽ ſenectutẽ.Nec tamẽ omnes poſſunt eſſe Scipiones,aut Maximi:ut urbium expugnationes, ut pedeſtres naualesq́ pugnas,ut bella à ſe geſta,triũphosq́ recordẽtur.Eſt enĩ quiete & pure & elegãter actę ætatis placida ac lenis ſenectus.Qualẽ accepimus Platonis,qui & uno & octogeſimo ãno ſcribens,mortuus eſt. Qualẽ Iſocratis,qui eũ librũ qui Panathenaicus inſcribitur,quarto & nonageſimo anno ſcripſiſſe dicitur,uixitq́ quinquẽniũ poſtea:cuius magiſter Leontinus Gorgias cẽtũ & ſeptẽ cõpleuit annos,neq́ unq̃ in ſuo ſtudio atq́ opere ceſſauit.Qui, cũ ex eo quęreretur cur tãdiu uellet eſſe in uita, Nihil habeo,inquit,quod accuſẽ ſenectutẽ.Præclarũ reſponſũ,& docto homine dignum.Sua enim uitia inſipientes,& ſuam culpam in ſenectutem transferũt.Quod non faciebat is cuius modo mentionem feci,Ennius

Sicut fortis equus ſpatio qui ſæpe ſupremo
Vicit Olympia,nunc ſenio confectus quieſcit.

Equi fortis & uictoris ſenectuti cõparat ſuã.quẽ q̃dẽ ꝓbe meminiſſe poteſtis:anno enĩ undeuigeſimo poſt eius mortẽ hi Cõſules,T. Flãminius & M. Attilius facti ſũt:Ille autẽ Cœpione & Philippo iter.Coss.mortuus eſt,(cũ ego.V.&,LX.annos natus legẽ Voconiã magna uoce &bonis lateribus ſuaſiſſem)annos. LXX.natus.tot enim uixit Ennius.Ita ferebat duo quæ maxima

ma putātur onera,paupertatē,& ſenectutē,ut eis penè delectari uideretur.Et-enim quū cōplector animo,quatuor cauſas reperio cur ſenectus miſera uideatur,unā quòd auocet à rebus gerēdis:alterā,quòd corpus faciat īfirmum:tertiam, quòd priuet omnibus ferè uoluptatibus:quartā,quòd haud procul abſit à morte.Earū ſi placet,cauſarū quātū quæque ualeat,quātumque iuſta ſit unaquæque, uideamus. A rebus gerendis ſenectus abſtrahit,Quibus? an ijs quæ gerūtur in iuuentute & uiribus? Nullę ne igitur res ſeniles ſunt quæ uel infirmis corporibus,animo tamen adminiſtrētur? Nihil ergo agebat Q.Maximus, nihil L. Paulus pater tuus,Scipio ſocer,optimi uiri filij mei, & ceteri ſenes? Fabricij, Curij, Coruncani,cum Rēp.conſilio & auctoritate defendebant,nihil agebant? Ad Appij Claudij ſenectutem accedebat etiam ut cęcus eſſet:tamen is, cum ſententia Senatus inclinaret ad pacem & fœdus faciendūm cum Pyrrho,non dubitauit dicere illa,quæ uerſibus perſecutus eſt Ennius,

Quo uobis mentes,rectę quæ ſtare ſolebant
Antehac,dementi ſeſe flexere ruina?

Ceteraque grauiſſime.Notū enim uobis carmen ē,& tamē ipſius Appij extat oratio:atque hanc ille egit ſeptē & decē annos poſt alterum Conſulatū,cū inter duos Conſulatus anni decē interfuiſſent,Cenſorque ante Conſulatum ſuperiorem fuiſſet.Ex quo intelligitur Pyrrhi bello grādem ſanè fuiſſe: & tamen ſic à patribus accepimus.Nihil igitur afferunt qui in re gerenda uerſari ſenectutem negāt:ſimileſque ſunt,ut ſi qui gubernatorem in nauigādo agere nihil dicāt,quum alij malos ſcandāt,alij per foros curſent, alij ſentinam exhauriant: ille autē clauum tenens ſedeat in puppi quietus, non faciat ea quæ iuuenes. At uero multo maiora & meliora facit.Non uiribus,aut uelocitatibus,aut celeritate corporū res magnæ geruntur,ſed conſilio,auctoritate,ſententia: quibus non modo nō orbari,ſed etiā augeri ſenectus ſolet:niſi forte ego uobis qui & miles,& Tribunus,& Legatus,& Cōſul uerſatus ſum in uario genere bellorum,ceſſare nunc uideor quum bella non gero. At Senatui quę ſunt gerenda præſcribo,& quomodo Carthagini male iam diu cogitanti bellum inferatur, multo ante denuncio:de qua non ante uereri deſinam,quàm illam exciſam eſſe cognouero.Quam palmā utinam dij immortales tibi Scipio reſeruēt,ut aui reliquias perſequare:cuius à morte hic tertius & trigeſimus ē annus:ſed memoriam illius uiri excipient omnes anni conſequentes.Anno ante me Cenſorem mortuus eſt.VIIII.annis poſt meum Conſulatum,quum Conſul iterum me Conſule creatus eſſet.Num igitur ſi ad centeſimum annum uixiſſet,ſenectutis eum ſuę pœniteret? Nec enim excurſione,nec ſaltu,nec eminus haſtis,aut cominus gladijs uteretur:ſed conſilio,ratione,ſententia.Quæ niſi eſſent in ſenibus,non ſummum cōſilium maiores noſtri appellaſſent Senatum.Apud Lacedęmonios quidem ij qui ampliſſimum magiſtratum gerunt,ut ſunt,ſic etiā appellantur,ſenes. Quod ſi legere & audire uoletis externa,maximas Reſp.ab adoleſcentibus labefactatas,à ſenibus ſuſtentatas & reſtitutas reperietis. Cedo,qui ueſtram Remp.tantam amiſiſtis tam cito? ſic enim percōtanti,ut eſt in Neuij poetæ ludo,reſpondentur & alia,& hæc in primis,

Proueniebant oratores noui,ſtulti,adoleſcentuli.

Temeritas eſt uidelicet florentis ætatis,prudentia ſenectutis. At memoria minuitur.Credo,niſi exerceas eam aut etiam ſi ſis natura tardior. Themiſtocles

omnium ciuiũ nomina perceperat. Num igitur cẽſetis eum, quum ætate proceſſiſſet, qui Ariſtides eſſet, Lyſimachum ſalutare ſolitũ? Equidẽ non modo eos noui qui ſunt, ſed eorum patres etiam, & auos. Nec ſepulcra legẽs uereor (quod aiunt) ne perdã memoriã: his enim ipſis legẽdis redeo in memoriam mortuorũ. Nec uero quẽquam ſenum audiui oblitũ quo loco theſaurum obruiſſet: omnia quæ curãt meminerũt, uadimonia cõſtituta qui ſibi, cui ipſi debeant. Quid Iuriſconſulti? quid Pontifices? quid Augures? quid Philoſophi ſenes? q̃ multa meminerũt? Manẽt ingenia ſenibus, modo permaneat ſtudiũ & induſtria: nec ea ſolum in claris & honoratis uiris, ſed ĩ uita etiã priuata & quieta. Sophocles ad ſummã ſenectutẽ tragœdias fecit: quod propter ſtudiũ quum rem familiarem negligere uideretur, à filijs in iudicium uocatus eſt, ut quẽadmodũ noſtro more male rem gerẽtibus patribus, bonis interdici ſolet: ſic illũ quaſi deſipientẽ à re familiari remouerẽt iudices. Tum ſenex dicitur eã fabulam quam ĩ manibus habebat, & proxime ſcripſerat, Oedipum Coloneum recitaſſe iudicibus, quæſiſſeq; num illud carmen deſipiẽtis uideretur: quo recitato, ſentẽtijs iudicum eſt liberatus. Num igitur hunc, num Heſiodũ, num Simonidem, num Steſichorum, num, quos ante dixi, Iſocratem, Gorgiam num Homerum, num philoſophorum principes Pythagoram, Democritũ, num Platonem, num Xenocratem, num poſtea Zenonem, Cleanthem, aut eum quem uos etiam Romæ uidiſtis, Diogenem Stoicum, coegit in ſuis ſtudijs obmuteſcere ſenectus? An nõ ĩ omnibus ijs ſtudiorũ agitatio uitæ æqualis fuit? Age ut iſta diuina ſtudia omittamus. Poſſum nominare ex agro Sabino ruſticos Romanos uicinos & familiares meos, quibus abſentibus nũq̃ ferè ulla ĩ agro maiora opera fiunt, nõ ſerendis, nõ percipiẽdis fructibus, nõ condendis. Quanq̃ in illis hoc minus mirum. Nemo enim eſt tam ſenex, qui ſe annum non putet poſſe uiuere. Sed ijdem laborant in eis quæ ſciunt nihil ad ſe omnino pertinere. Serit arbores, quæ alteri ſeculo proſint, ut ait Statius noſter in Synephebis. Nec uero dubitat agricola, quãuis ſenex, quærenti cui ſerat, reſpondere, Dijs immortalibus: qui me non accipere modo hec à maioribus uoluerunt, ſed etiam poſteris prodere. Melius Cæcilius de ſene alteri ſeculo proſpiciente: quàm illud,

Aedepol ſenectus ſi nihil quidq̃ aliud uitij
Apportes tecum, quum aduenis, unum id eſt ſatis,
Q; diu uiuendo multa quæ non uolt uidet.

Et multa fortaſſe quę uult. Atq; in ea quidem quę non uult, ſępe etiam adoleſcentia incurrit. Illud uero idem Cæcilius uitioſius,

Tum etiam in ſenecta hoc deputo miſerrimum,
Sentire ea ætate eſſe odioſum ſe alteri,

Iucũdũ potius q̃ odioſũ. Vt enĩ adoleſcẽtibus bona indole prędítis ſapiẽtes ſenes delectãtur, leuiorq; fit eorũ ſenectus qui à iuuẽtute colũtur & diligũtur, ſic adoleſcẽtes ſenũ pręceptis gaudent, quibus ad uirtutũ ſtudia ducũtur. Nec minus intelligo me uobis q̃ uos mihi eſſe iucũdos. Sed uidetis ut ſenectus non modo lãguida atq; iners nõ ſit, uerũ etiã ſit operoſa, & ſemper agens aliqd, & moliẽs: tale ſcilicet, quale cuiuſq; ſtudiũ ĩ ſuperiore uita fuit. Quid? q; etiã addiſcũt aliqd, ut Solonẽ uerſibus gloriãtẽ uidimus, qui ſe cotidie aliquid addiſcentẽ ſenẽ fieri dicit: ut ego feci, qui græcas literas ſenex didici: quas quidẽ ſic

auide

auide arripui,quaſi diuturnã ſitim explere cupiens,ut ea ipſa mihi nota eſſent, quibus me nunc exẽplis uti uidetis. Quod quum feciſſe Socratẽ in fidibus audirẽ,uellem equidẽ & illud (diſcebãt enim fidibus antiqui) ſed in literis certe elaboraui. Nec nunc quidẽ uires deſidero adoleſcẽtis (is enim locus erat alter de uitijs ſenectutis) nõ plus q̃ adoleſcens tauri aut elephãtis deſiderabã: quod eſt,eo uti decet: & quidquid agas,agere pro uiribus. Quæ enim uox poteſt eſſe contẽptior,q̃ Milonis Crotoniatæ,qui quum iã ſenex eſſet,athletasq́ ſe in curriculo exercentes uideret,aſpexiſſe lacertos ſuos dicitur,illacrimansq́ dixiſſe. At hi quidẽ iam mortui ſunt. Nõ uero tã iſti q̃ tu ipſe nugator. Neq; enĩ ex te unq̃ es nobilitatus,ſed ex lateribus & lacertis tuis. Nihil Sex. Aemilius tale,nihil multis annis antè T. Coruncanius,nihil modo P. Craſſus,à quibus iura ciuibus præſcribebãtur,quorũ uſq; ad extremũ ſpiritũ prouecta eſt prudẽtia. Orator metuo ne lãgueſcat ſenectute. Eſt enim munus eius non ingenij ſolũ,ſed laterũ etiã & uirium. Omnino canorum illud in uoce ſplendeſcit etiã neſcio quo pacto in ſenectute: quod equidẽ non amiſi adhuc,& uidetis annos meos. Sed tamen decorus eſt ſermo ſenis,quietus & remiſſus,facitq́ perſæpe ipſa ſibi audiẽtiã diſerti ſenis cõpta & mitis oratio. Quod ſi exequi nequeas, poſſis tamen Scipioni præcipere & Lęlio. Quid enim eſt iucũdius ſenectute ſtipata ſtudijs iuuẽtutis? An ne eas quidẽ uires ſenectuti relinquimus,ut adoleſcẽtulos doceat,inſtituat,ad omne officij munus inſtruat? Quo quidẽ opere quid poteſt eſſe præclarius? Mihi uero Cn. & P. Scipiones,& aui tui duo L. Aemilius & P. Aphricanus comitatu nobiliũ iuuenũ fortunati uidebantur. Nec ulli bonarũ artium magiſtri nõ beati putãdi,q̃uis cõſenuerint uires atq; defecerint: etſi iſta ipſa defectio uirium adoleſcẽtię uitijs efficitur ſępius q̃ ſenectutis. Libidinoſa etenim & intẽperans adoleſcẽtia effœtum corpus tradit ſenectuti. Cyrus quidem apud Xenophontẽ eo ſermone quẽ moriens habuit, quum admodũ ſenex eſſet,negat ſe unq̃ ſenſiſſe ſenectutẽ ſuam imbeciliorem factã,q̃ adoleſcẽtia fuiſſet. Ego L. Metellum memini puer, qui cũ quadriẽnio poſt alterũ Conſulatum Pontifex maximus factus eſſet. XX. & duos annos ei ſacerdotio præfuit,ita bonis uiribus eſſe extremo tẽpore ætatis,ut adoleſcẽtiã non requireret. Nihil neceſſe eſt de meipſo dicere mihi: quãquã eſt id quidẽ ſenile,ætatiq́ noſtrę cõceditur. Videtis ne ut apud Homerũ ſępiſſime Neſtor de uirtutibus ſuis prædicet? Tertiã enim iam ętatẽ hominũ uiuebat, nec erat ei uerẽdum ne uera de ſe pręedicãs,nimis uideretur aut inſolẽs,aut loquax. Etenim ut ait Homerus,ex eius lingua melle dulcior fluebat oratio: quam ad ſuauitatẽ nullis egebat corporis uiribus: & tamen ille dux Gręcię nunq̃ optat ut Aiacis ſimiles decem habeat,at ut Neſtoris quãdoq;: quod ſi acciderit, nõ dubitat quin breui Troia ſit peritura. Sed redeo ad me. Quartum annũ ago & octogeſimum: equidẽ poſſe uellem idẽ gloriari quod Cyrus: ſed tamẽ hoc queo dicere,non me quidẽ his eſſe uiribus,quibus aut miles Punico bello,aut Quæſtor eodẽ bello, aut Cõſul in Hiſpania fuerim,aut quadriẽnio poſt quũ Tribunus militaris depugnaui apud Thermopylas, M. Attilio Glabrione Conſule: ſed tamen,ut uos uidetis,non planè me eneruauit, non afflixit ſenectus: non curia uires meas deſiderat,nõ roſtra,nõ amici,non cliẽtes,nõ hoſpites: nec enim unquã ſum aſſenſus illi ueteri laudatoq́ prouerbio,quod monet mature fieri ſenẽ,ſi diu uelis eſſe ſenex. Ego uero me minus diu ſenẽ eſſe mal

lem,q̃ eſſe ſenem anteq̃ eſſem. Itaq; nemo adhuc cõuenire me ualuit, quin fue-rim occupatus. At minus habeo uirium, q̃ ueſtrum uter uis. Ne uos quidem T. Pontij Centurionis uires habetis. Num idcirco ille eſt præſtantior? Mo-deratio modo uirium adſit, & tantum quantum quisq; poteſt nitatur næ ille non magno deſiderio tenebitur uirium. Olympiæ per ſtadium ingreſſus eſſe Milo dicitur, cum humeris ſuſtineret bouem uiuum. Vtrum igitur has corpo ris, an Pythagorę tibi malis uires ingenij dari? Deniq; iſto bono utare dum adſit, quum abſit ne requiras: niſi forte adoleſcentes pueritiam, paulum ætate progreſſi adoleſcẽtiam debeant requirere. Curſus eſt certus ætatis, & uia una naturæ, eaq; ſimplex: ſuaq; cuiq; parti ætatis, tempeſtiuitas eſt data. Vt enim infirmitas puerorum, & ferocitas iuuenũ, & grauitas iam conſtantis ætatis, ſic ſenectutis maturitas naturale quiddã habet, quod ſuo tempore percipi de-beat. Arbitror te audire Scipio hoſpes tuus habitus Maſiniſſa quæ faciat ho die. XC. annos natus: quum ingreſſus iter pedibus ſit, in equum omnino non aſcendere, cum equo, ex equo nõ deſcendere: nullo imbre, nullo frigore addu ci ut capite operto ſit: ſummã ĩ eo eſſe corporis ſiccitatem: itaq; exequi omnia Regis officia & munera. Poteſt igitur exercitatio & temperantia etiam in ſe-nectute conſeruare aliquid priſtini roboris. Non ſunt in ſenectute uires. Ne poſtulantur quidẽ uires à ſenectute. Ergo & legibus & inſtitutis uacat ætas noſtra, muneribus ijs quæ non poſſunt ſine uiribus ſuſtineri. Itaq; non modo quod non poſſumus, ſed ne quantũ poſſumus quidem cogimur. At multi ita ſunt imbecilli ſenes, ut nullũ officij aut omnino uitę munus exequi poſſint. At id quidẽ nõ propriũ ſenectutis eſt uitium, ſed cõmune ualetudinis. Q; fuit im becillus P. Aphricani filius, is qui te adoptauit? q̃ tenui, aut nulla potius uale-tudine? Quod ni ita fuiſſet, alterũ ille extitiſſet lumen ciuitatis. Ad paternam enim magnitudinem, animi doctrina uberior acceſſerat. Quid mirum igitur in ſenibus ſi infirmi ſunt aliquando, quum ne id quidem adoleſcentes effuge-re poſſint? reſiſtendum, Lęli & Scipio, ſenectuti eſt, eiusq; uitia diligentia cõ penſanda ſunt. Pugnãdũ tanq̃ contra morbum eſt, ſic contra ſenectutem: ha-benda ratio ualetudinis, utendum exercitationibus modicis. Tantum cibi & potionis adhibendum, ut reficiantur uires, nõ opprimantur. Nec uero corpo ri ſoli ſubueniendũ eſt, ſed menti, atq; animo multo magis: nanq; hęc quoq;, niſi tanq̃ lumini oleũ inſtilles, extinguntur ſenectute. Et corpora quidẽ exer-citationum defatigatione ingraueſcunt, animi autẽ ſe exercendo leuantur. Nã quos ait Cęcilius comicus ſtultos ſenes, hos ſignificat credulos, obliuioſos, diſ ſolutos: quæ uitia ſunt nõ ſenectutis, ſed inertis, ignauæ, ſomniculoſæ ſenectu-tis. Vt petulantia, ut libido magis eſt adoleſcentum q̃ ſenum, nec tamẽ omni-um adoleſcentum ſed non proborum: ſic iſta ſenilis ſtultitia (quę deliratio ap pellari ſolet) ſenũ leuium eſt, nõ omniũ. Quatuor robuſtos filios, quinq; fili-as, tantã domum, tantas cliẽtelas Appius regebat & ſenex & cæcus. Intentũ enim animũ tanq̃ arcũ habebat, nec langueſcens ſuccũbebat ſenectuti. Tene-bat nõ modo auctoritatẽ, ſed etiã imperiũ in ſuos: metuebant eum ſerui, uere-bantur liberi, carum omnes habebant: uigebat in illa domo patrius mos, & diſciplina. Ita enim ſenectus honeſta eſt, ſi ſe ipſa defendit, ſi ius ſuum retinet, ſi nemini mancipata eſt, ſi uſque ad ultimum ſpiritum dominatur in ſuos. Vt enim adoleſcentem in quo ſenile aliquid, ſic ſenem in quo eſt adoleſcen-

tis

tis aliquid probo. Quod qui ſequitur, corpore ſenex eſſe poterit, animo nunquam erit. ſeptimus mihi Originum liber eſt in manibus: omnia antiquitatis monimenta colligo: cauſarumq; illuſtrium quaſcunque defendi, nunc quàm maxime conficio orationes. Ius Augurum Pontificum, ciuile tracto: multum etiam græcis literis utor, Pythagoreorumq; more exercendæ memoriæ gratia, quid quoque die dixerim, audiuerim, egerim, commemoro ueſperi. Hæ ſunt exercitationes ingenij, hæc curricula mentis. In his deſudans atque elaborans, corporis uires non magnopere deſidero. Adſum amicis, uenio in Senatum frequens, ultroq; affero res multũ & diu cogitatas, easq; tueor animi non corporis uiribus. Quæ ſi exequi nequirem, tamen me lectulus oblectaret meus ea ipſa cogitantem, quæ iam agere non poſſem. Sed ut poſſim, facit acta uita. Semper enim in his ſtudijs laboribusq; uiuenti non intelligitur quando obrepat ſenectus. Ita ſenſim ſine ſenſu ætas ſeneſcit: nec ſubito frangitur, ſed diuturnitate extinguitur. Sequitur tertia uituperatio ſenectutis, quod eam carere dicunt uoluptatibus. O præclarum munus ætatis: ſiquidem id aufert nobis, quod eſt in adoleſcentia uitioſiſſimum. Accipite enim optimi adoleſcentes ueterem orationem Architę Tarentini, magni in primis & præclari uiri, quę mihi tradita eſt quũ eſſem adoleſcẽs Tarẽti cũ Q. Maximo. Nullã capitaliorẽ peſtẽ quàm uoluptatem corporis hominibus dicebat à natura datam, cuius uoluptatis auidæ libidines temere & effrenate ad potiundum incitarentur. Hinc patriæ proditiones, hinc rerum publicarum euerſiones, hinc cum hoſtibus clandeſtina colloquia naſci. Nullum deniq; ſcelus, nullum malum facinus eſſe, ad quod ſuſcipiendum non libido uoluptatis impelleret: ſtupra uero, adulteria, & omne tale flagitium, nullis alijs illecebris excitari, niſi uoluptatis. Quumq; homini ſiue natura ſiue quis deus nihil mente præſtabilius dediſſet, huic diuino muneri ac dono nihil tam eſſe inimicum, quàm uoluptatem. Nec enim libidine dominante temperantię locum eſſe omnino, nec in uoluptatis regno uirtutem poſſe conſiſtere. Quod quo magis intelligi poſſet, fingere animo aliquem iubebat tanta incitatum uoluptate corporis, quanta percipi poſſet maxima: nemini cenſebat fore dubium, quin tãdiu dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione conſequi poſſet. Quocirca nihil eſſe tam deteſtabile, tamq; peſtiferum, quàm uoluptatem. Siquidem ea quum maior eſſet atque longinquior, omne animi lumen extingueret. Hæc cum C. Pontio Samnite, patre eius, à quo Caudino prælio Sp. Poſthumius T. Veturius Coſs. ſuperati ſunt, locutum Architam Nearchus Tarentinus hoſpes noſter, qui in amicitia Populi R. permanſerat, ſe à maioribus natu accepiſſe dicebat, quum quidem ei ſermoni interſuiſſet Plato Athenienſis, quem Tarentum ueniſſe L. Aemilio, Appio Claudio Coſs. reperio. Quorſum hæc? Vt intelligatis, ſi uoluptatem aſpernari ratione & ſapientia non poſſumus, magnam habendam ſenectuti gratiam, quæ effecerit ut id non liberet, quod non oporteret. Impedit enim conſilium uoluptas rationi inimica, ac mentis (ut ita dicam) perſtringit oculos, nec habet ullum cum uirtute commercium. Inuitus quidem feci, ut fortiſſimi uiri Ti. Flãminij fratrem L. Flamminium è Senatu eijcerem ſeptem annis poſtq̃ Conſul fuiſſet: ſed notandam libidinem putaui. Ille enim cum eſſet Cõſul in Gallia exhortatus eſt in cõuiuio à ſcorto ut ſecuri feriret aliquẽ eorũ qui

in uinculis eſſent damnati rei capitalis. Hic Tito fratre ſuo Cenſore (qui proximus ante me fuerat) elapſus eſt. Mihi uero & Flacco neutiquā probari potuit tā flagitioſa & tā perdita libido, quę cū probro priuato cōiungeret imperij dedecus. Sæpe à maioribus natu audiui qui ſe porro pueros à ſenibus audiuiſſe dicebant, mirari ſolitum C. Fabricium ꝙ quum apud Regem Pyrrhum Legatus eſſet, audiſſet è Theſſalo Cinea, Athenis quendam eſſe qui ſe ſapientem profiteretur, eumq́ dicere, omnia quæ faceremus, ad uoluptatem eſſe referenda. Quod ex eo audientes. M. Curium & Ti. Coruncanium optare ſolitos ut id Samnitibus ipſiq́ Pyrrho perſuaderetur, quo facilius uīci poſſent, quum ſe uoluptatibus dediſſent. Vixerat M. Curius cum P. Decio, qui quinquennio ante eum Conſulem ſe pro Repub. quarto Conſulatu deuouerat. Norat eundem Fabricius, norat Coruncanius. Qui tum ex ſua uita, tum ex eius (quem dico) P. Decij facto iudicabant eſſe profecto aliquid natura pulchrum atq; præclarum, quod ſua ſponte peteretur, quodq́ ſpreta & contempta uoluptate optimus quiſque ſequeretur. Quorſum igitur tam multa de uoluptate? Quia non modo uituperatio nulla, ſed etiam ſumma laus ſenectutis ē, quòd ea uoluptates nullas magnopere deſiderat. Caret epulis, extructisq́ menſis, & frequentibus poculis. Caret ergo etiam uinolentia & cruditate, & inſomnijs. Sed ſi aliquid dandum eſt uoluptati (quoniam eius blanditijs non facile obſiſtimus. Diuine enim Plato eſcam malorum uoluptatem appellat, quòd ea uidelicet homines capiantur, ut hamo piſces) quanquam immoderatis epulis careat ſenectus, modicis tamen conuiuijs poteſt delectari. C. Duillum, M. filium, qui Pœnos primus claſſe deuicerat, redeuntem à cena ſenem ſępe uidebam puer: delectabatur crebro funali, & tibicine, quæ ſibi nullo exemplo priuatus ſumpſerat: tantum licentiæ dabat gloria, ſed quid ego alios? Ad meipſum iam reuertar. Primum habui ſemper ſodales. Sodalitates autem me Quæſtore conſtitutę ſunt, ſacris Idæis magnæ matris acceptis. Epulabar igitur cum ſodalibus omnino modice, ſed erat tamen quidam feruor ætatis: qua progrediente omnia fiunt etiam in dies mitiora. Neque enim ipſorum conuiuiorum delectationem corporis uoluptatibus magis quàm cœtu amicorum & ſermonibus metiebar. Bene enim maiores accubationem epularem amicorum, quia uitæ coniunctionem haberet, cōuiuium nominarunt, melius quàm Græci, qui hoc idem tum compotationem tum concenationem uocant: ut quod in eo genere minimum eſt, id maxime probare uideatur. Ego uero propter ſermonis delectationem tempeſtiuis quoq; conuiuijs delector: nec cum æqualibus ſolum, qui pauci admodum reſtant, ſed cum ueſtra etiam ætate, atq; uobiſcum: habeoq́ ſenectuti magnam gratiam, quæ mihi ſermonis auiditatem auxit, potionis & cibi ſuſtulit. Quod ſi quem etiam iſta delectant (ne omnino bellum indixiſſe uidear uoluptati, cuius eſt etiā fortaſſe quidā naturalis modus) nō intelligo ne in iſtis quidē uoluptatibus ipſis carere ſenſu ſenectutē. Me uero & magiſteria delectant à maioribus inſtituta: & is ſermo, qui more maiorū à ſummo adhibetur magiſtro in poculo: & pocula, ſicut in ſympoſio Xenophontis, minuta atque rorantia, & refrigeratio ęſtate, & uiciſſim aut ſol aut ignis hybernus: quæ quidem in Sabinis etiam perſequi ſoleo, conuiuiumq́ uicinorū cotidie compleo, quod ad multam noctem quàm maxime poſſumus uario ſermone producimus. At nō

eſt uoluptatum tanta quaſi titillatio in ſenibus.credo,ſed ne deſideratio qui-dem.Nihil autem eſt moleſtum quod non deſideres.Bene Sophocles, quum ex eo quidam iam confecto ętate quęreret,uteretúrne rebus uenereis,Dij me-liora,inquit,libenter uero iſtinc tanquam à domino agreſti ac furioſo profu-gi.Cupidis enim rerum talium,odioſum fortaſſe & moleſtum eſt carere: ſa-tiatis uero & expletis iucundius eſt carere. Quanquam non caret is qui non deſiderat.Ergo non deſiderare dico eſſe iucundius quàm frui. Quòd ſi iſtis ipſis uoluptatibus bona ætas fruitur, libentius primum paruulis fruitur re-bus,ut diximus:deinde ijs quibus ſenectus,etiam ſi non abunde potitur, non omnino caret:ut Turpione Ambiuio magis delectatur qui ĩ prima cauea ſpe-ctat,delectatur tamen etiam qui in ultima.Sic adoleſcentia uoluptates prope intuens,magis fortaſſe lætatur: ſed delectatur etiam ſenectus procul eas ſpe-ctans,tantum,quantum ſat eſt. At illa quanti ſunt, animum, tanquã emeritis ſtipendijs libidinis,ambitionis,cõtentionis,inimicitiarum,cupiditatum om-nium,ſecũ eſſe,ſecumq́ue (ut dicitur) uiuere.Si uero habet aliquod tãquam pa-bulum ſtudij & doctrinæ,nihil eſt otioſa ſenectute iucundius. Mori uideba-mus in ſtudio dimetiendi penè cœli atque terrę C.Gallum familiarem patris tui Scipio. Quoties illũ lux noctu aliquid deſcribere ingreſſum, quoties nox oppreſſit quum mane cœpiſſet? Quam delectabat eum defectiones ſolis & lu-næ multo nobis ante prędicere? Quid in leuioribus ſtudijs,ſed tamen acutis? Quam gaudebat bello ſuo punico Nęuius? quã Truculento Plautus? quã Pſeudo-lo? Vidi etiam ſenem Liuium,qui quum.VI.annis antequam ego natus ſum, fabulam docuiſſet,Cethego Tuditanoq́ue Cõſulibus,uſq́ue adoleſcentiam me-am proceſſit ætate.Quid de P.Licinij Craſſi & pontificij & ciuilis iuris ſtu-dio loquar? aut de huius P.Scipionis, qui his paucis diebus Pont. Max. fa-ctus eſt? Atqui eos omnes quos commemoraui,his ſtudijs flagrantes ſenes ui-dimus.M.uero Cethegum,quem recte ſuadæ medullam dixit Ennius, quan-to ſtudio exerceri in dicendo uidebamus etiam ſenem? Quæ ſunt igitur epu-larum,aut ludorum,aut ſcortorum uoluptates cum his uoluptatibus compa-randæ? Atq́ue hæc quidem ſtudia ſunt doctrinæ,quæ quidem prudentibus & bene inſtitutis pariter cum ętate creſcunt:ut honeſtum illud Solonis ſit,quod ait uerſiculo quodam, ut ante dixi, Seneſcere ſe multa in dies addiſcentem. Qua uoluptate animi nulla certe poteſt eſſe maior. Venio nũc ad uoluptates agricolarum,quibus ego incredibiliter delector,quæ nec ulla impediũtur ſe-nectute,& mihi ad ſapientis uitam proxime uidentur accedere. Habent enim rationem cum terra,quę nunquã recuſat imperium,nec unquã ſine uſura reddit quod accepit,ſed aliàs minore,plerunq́ue maiore cum fœnore.Quanquã nõ mo-do fructus quidem me,ſed etiam ipſius terræ uis ac natura delectat, quę cum gręmio mollito ac ſubacto ſemen ſparſum excepit, primum id occæcatum cohibet,ex quo occatio (quę hoc efficit) nominata eſt:deinde tepefactum ua-pore & complexu ſuo,diffundit & elicit herbeſcentem ex eo uiriditatem, quę nixa fibris ſtirpium ſenſim adoleſcit,culmoq́ue erecta geniculato,uaginis iam quaſi pubeſcens includitur. è quibus quum emerſerit, fundit frugem ſpicę ordine ſtructam, & contra auium minorum morſus munitur uallo ariſta-rum. Quid ego uitium ſatus,ortus,incrementa commemorem? Satiari dele-ctatione non poſſum:ut meę ſenectutis requietem oblectamẽtumq́ue noſcatis.

Omitto enim uim ipſam omnium quæ generantur e terra, quæ ex fici tantulo grano, aut ex acino uinaceo, aut ex ceterarum frugum aut ſtirpium minutiſſimis ſeminibus, tantos truncos ramosq́ procreat. Malleoli, plantę, ſarmenta, uites, traduces, propagines, nónne ita efficiunt, ut quemuis cum admiratione delectent? Vitis, quæ natura caduca eſt, & niſi fulta ſit, ad terram fertur: eadē ut ſe erigat, clauiculis ſuis quaſi manibus quidquid eſt nacta complectitur: quam ſerpentem multiplici lapſu & erratico, ferro amputans coercet ars agricolarum, ne ſylueſcat ſarmentis, & in omnes parteis nimia fundatur. Itaque ineunte uere, in ijs quæ relicta ſunt exiſtit tanq̄ ad articulos ſarmentorum ea quæ gemma dicitur: à qua oriens uua ſe oſtendit: quæ & ſuco terræ, & calore ſolis augeſcens, primo eſt peracerba guſtatu, deinde maturata dulceſcit, ueſtitaq́ pampinis nec modico tepore caret, & nimios ſolis defēdit ardores. Qua quid poteſt eſſe tum fructu lętius, tum aſpectu pulchrius? cuius quidem non utilitas me ſolum (ut ante dixi) ſed etiam cultura, & ipſa natura delectat, adminiculorum ordines, capitum coniugatio, religatio, propagatio uitium ſarmentorumq́, ea quam dixi, aliorum amputatio, & aliorum immiſſio. Quid ego irrigationes, quid agri foſſiones repaſtinationesq́ proferam, quibus fit terra multo fœcundior? Quid de utilitate loquar ſtercorandi? Dixi in eo libro quem de rebus ruſticis ſcripſi, de qua doctus Heſiodus ne uerbum quidē fecit, quum de cultura agri ſcriberet. At Homerus, qui multis, ut mihi uidetur ante ſeculis fuit, Laertem lenientem deſiderium quod capiebat è filio, colentē agrum, & eum ſtercorantem facit. Nec uero ſegetibus ſolum, & pratis, & uineis, & arbuſtis res ruſticæ lętæ ſunt, ſed etiam hortis, & pomarijs, tum pecudum paſtu, & apum examinibus, tum florum omnium uarietate. Nec conſitiones modo delectant, ſed etiam inſitiones, quibus nihil inuenit agricultura ſolertius. Poſſum perſequi permulta oblectamenta rerum ruſticarum, ſed ea ipſa quæ dixi, ſentio fuiſſe longiora. Ignoſcetis autem; nam & ſtudio rerum ruſticarum prouectus ſum, & ſenectus eſt natura loquacior, ne ab omnibus eam uitijs uidear uindicare. Ergo in hac uita M. Curius, quum de Samnitibus de Sabinis de Pyrrho triumphaſſet, conſumpſit extremum tempus ætatis: cuius quidem uillam ego contemplans (abeſt enim non longe à me) admirari ſatis non poſſum uel hominis ipſius continentiam, uel temporum diſciplinā. Curio ad focum ſedenti magnum auri pondus Samnites quum attuliſſent, repudiati ſunt. Non enim aurum habere prę clarum ſibi uideri dixit, ſed eis qui haberent aurum imperare. Poterátne tantus animus non efficere iucundam ſenectutem? Sed uenio ad agricolas, ne à me ipſo recedam. In agris erant tum Senatores, id eſt ſenes. Siquidem aranti L. Quintio Cincinnato nunciatum eſt eum Dictatorem eſſe factum: cuius Dictatoris iuſſu magiſter equitum C. Seruilius Ahala Sp. Melium regnum appetentem & occupare uolentem interemit. A uilla in Senatū arceſſebātur Curius & cęteri ſenes: ex quo qui eos arceſſebant, Viatores nominati ſunt. Num igitur horum ſenectus miſerabilis fuit, qui ſe agri cultione oblectabant? Mea quidem ſententia haud ſcio an ulla uita beatior eſſe poſſit: neq́ ſolum officio, q́ hominū generi uniuerſo cultura agrorum eſt ſalutaris; ſed & delectatione, quam dixi, & ſaturitate copiaq́ omnium rerum, quæ ad uictum hominum & cultum etiam deorum pertinēt. Et quoniam hęc quidam deſiderant, in gratiam iam cum uoluptate redeamus

Semper

Semper enim boni aſſiduiq́ domini referta cella uinaria, olearia, & penaria eſt, uillaq́ tota locuples eſt: abundat porco, hœdo, agno, gallina, lacte, caſeo, melle. Iam hortũ ipſi agricolæ ſuccidiã alterã appellant. Tum conditiora facit hæc ſuperuacanei etiam operis aucupium atq́ uenatio. Quid de pratorum uiriditate, aut arborum ordinibus, aut uinearum oliuetorúmue ſpecie dicam? breui pręcidam. Agro bene culto nil poteſt eſſe nec uſu uberius, nec ſpecie ornatius: ad quem fruẽdum non modo non retardat: uerumetiam inuitat atq́ allectat ſenectus. Vbi enim poteſt illa ætas aut æque caleſcere uel apricatione melius, uel igni: aut uiciſſim umbris aquis ue refrigerari ſalubrius? Sibi igitur habeant alij arma, ſibi equos, ſibi haſtas, ſibi clauam, ſibi pilã, ſibi natationes, & curſus, nobis ſenibus ex luſionibus multis talos relinquãt & teſſeras: id ipſum tamen ut libebit: quoniam ſine his beata eſſe ſenectus poteſt. Multas ad res perutiles Xenophõtis libri ſunt, quos legite quæſo ſtudioſe, ut facitis. Q; copioſe ab eo agricultura laudatur in eo libro qui ẽ de tuẽda re familiari, qui Oeconomicus inſcribitur? Atq́ ut ĩtelligatis nihil ei tam regale uideri, q̃ ſtudium agri colendi: Socrates in eo libro loquitur cum Critobulo, Cyrum minorem Perſarum Regem pręſtantem ingenio, atq́ imperij gloria, quum Lyſander Lacedæmonius uir ſummę uirtutis ueniſſet ad eum Sardis, eiq́ dona à ſocijs attuliſſet: & ceteris in rebus comem erga Lyſandrum atq́ humanum fuiſſe, & ei quendam conſeptum agrum diligenter conſitum oſtendiſſe. Quũ autem admiraretur Lyſander & proceritates arborum, & directos in quincuncem ordines, & humum ſubactam atque puram, & ſuauitatem odorũ qui afflarentur è floribus, tum eum dixiſſe. Mirari ſe non modo diligentiam, ſed etiam ſolertiam eius à quo eſſent illa dimenſa & deſcripta: Et ei Cyrum reſpõdiſſe. Atqui ego iſta ſum omnia dimenſus: mei ſunt ordines, mea deſcriptio, multæ etiam iſtarum arborum mea manu ſunt ſatę. Tum Lyſandrum intuentem eius purpuram, & nitorem corporis, ornatumq́ Perſicum, multo auro, multiſq́ gemmis, dixiſſe, Recte uero te Cyre beatum ferũt, quoniam uirtuti tuæ fortuna coniuncta eſt. Hac igitur fortuna frui licet ſenibus. Nec ætas impedit quo minus & ceterarum rerum, & in primis agri colendi ſtudia teneamus uſq́ ad ultimum tempus ſenectutis. M. quidem Valerium Coruinum accepimus ad centeſimum annum uitam produxiſſe. quum eſſet exacta iam ętate in agris, eoſq́ coleret. Cuius inter primũ & ſextum Conſulatum ſex & quadraginta anni interfuerant. Itaque quantum ſpatium ętatis maiores noſtri ad ſenectutis initium eſſe uoluerunt, tantus illi curſus honorum fuit: atque huius extrema ætas ĩ hoc beatior q̃ media, ꝙ auctoritatis plus habebat, laboris minus. Apex autem ſenectutis eſt auctoritas. Quãta fuit in L. Cęcilio Metello? quanta in Attilio Calatino? in quem illud elogium unicum plurimæ conſentiunt gentes, Populi primarium fuiſſe uirum. Notum eſt totum carmen inciſum in ſepulchro. Iure igitur grauis, cuius de laudibus omnium eſſet fama cõſentiens. Quem uirum nuper P. Craſſum Ponti. Max. quem poſtea M. Lepidum eodem ſacerdotio pręditum uidimus? Quid de Paulo aut Aphricano loquar? aut, ut iam ante, de Maximo? quorum non in ſententia ſolum, ſed etiam in nutu reſidebat auctoritas. Habet ſenectus, honorata preſertim, tantam auctoritatem, ut ea pluris ſit, quàm omnes adoleſcentiæ uoluptates. Sed in omni oratione mementote eam me laudare ſenectutem, quæ fundamentis

adoleſcentiæ conſtituta ſit. Ex quo id efficitur, quod ego magno quondam cum aſſenſu omnium dixi. Miſeram eſſe ſenectutem, quæ ſe oratione defenderet. Non cani, non rugæ repente auctoritatem arripere poſſunt: ſed honeſte acta, ſuperior ætas, fructus capit auctoritatis extremos. Hęc enim ipſa ſūt honorabilia, quæ uidentur leuia atq; communia, ſalutari, appeti, decedi, aſſurgi, deduci, reduci, cōſuli: quæ & apud nos, & in alijs ciuitatibus, ut quęq; optime morata eſt, ita diligentiſſime obſeruantur. Lyſandrum Lacedæmonium (cuius modo mentionem feci) dicere aiunt ſolitum, Lacedæmone eſſe honeſtiſſimum domicilium ſenectutis. Nuſq̃ enim tā tum tribuitur ætati, nuſq̃ eſt ſenectus honoratior. Quinetiam memorię proditum ē, cum Athenis Ludis quidam in theatrum grandis natu ueniſſet, in magno conſeſſu locum ei à ſuis ciuibus nuſquam datum. Quum autem ad Lacedæmonios acceſſiſſet, qui Legati quum eſſent, certo in loco conſederant, conſurrexiſſe omnes illi dicuntur, & ſenem ſeſſum recepiſſe. Quibus quum à cuncto conſeſſu plauſus eſſet multiplex datus, dixiſſe ex his quendam, Athenienſes ſcire quæ recta eſſent, ſed facere nolle. Multa in noſtro collegio præclara ſunt: ſed hoc de quo agimus, in primis, ꝙ ut quiſq; ætate antecellit, ita ſententiæ principatum tenet. Neq; enim ſolum honore antecedentibus, ſed ijs etiā q cum imperio ſunt maiores natu Augures anteponuntur. Quæ ſunt igitur uoluptates corporum cū auctoritatis præmijs comparandæ? Quibus qui ſplendide uſi ſunt, ij mihi uidentur fabulam ætatis peregiſſe, nec tanq̃ inexercitati hiſtriones in extremo actu corruiſſe. At ſunt moroſi, & anxij, & iracundi, & difficiles ſenes: ſi quærimus, etiam auari. Sed hæc morum uitia ſunt, non ſenectutis. At moroſitas tamen, & ea uitia quæ dixi, habent aliquid excuſationis, non illius quidem iuſtę ſed quæ probari poſſe uideatur. Contemni ſe putant, deſpici, illudi: præterea in fragili corpore odioſa omnis offenſio eſt. Quæ tamē omnia dulciora fiunt & bonis moribus & artibus. Idq; tum in uita, tum in ſcena intelligi poteſt ex ijs fratribus qui in Adelphis ſunt. Quāta in altero diritas, in altero comitas? Sic ſe res habent. Vt enim non omne uinum, ſic non omnis ætas uetuſtate coaceſcit. Seueritatem in ſenectute probo, ſed eam (ſicut alia) modicam: acerbitatem nullo modo. Auaritia uero ſenilis quid ſibi uelit, nō intelligo. Poteſt enī quidq̃ eſſe abſurdius, q̃ quo minus uiæ reſtat, eo plus uiatici quærere? Quarta reſtat cauſa, quæ maxime angere, atq; ſolicitam habere noſtram ætatem uidetur, appropinquatio mortis: quæ certe à ſenectute non poteſt longe abeſſe. O miſerum ſenem, qui mortem contemnendam eſſe in tam longa ætate non uiderit: quę aut planè negligenda eſt, ſi omnino extinguit animum: aut etiam optanda, ſi aliquo eum deducit ubi ſit futurus æternus: atqui tertium certe nihil inueniri poteſt. Quid igitur timeam, ſi aut nō miſer póſt mortem, aut beatus etiam futurus ſum? Quanq̃ quis eſt tam ſtultus, q̃uis ſit adoleſcens, cui ſit exploratum ſe ad ueſperum eſſe uicturum? Quinetiam ætas illa multo plures q̃ noſtra mortis caſus habet. Facilius in morbos incidunt adoleſcentes, grauius ęgrotant, triſtius curantur. Itaq; pauci ueniunt ad ſenectutem: quod niſi ita accideret, melius & prudentius uiueretur. Mens enim, ratio, & conſilium in ſenibus eſt: qui ſi nulli fuiſſent, nullæ omnino ciuitates fuiſſent. Sed redeo ad mortem impendentem. Quod illud eſt crimē ſenectutis, quum illud uideatis cum adoleſcentia eſſe commune? Senſi ego tum in optimo filio meo, tum

in

in expectatis ad ampliſſimam dignitatem fratribus tuis Scipio, omni ætati mortem eſſe communem. At ſperat adoleſcens diu ſe uicturum, quod ſperare idē ſenex non poteſt. Inſipienter ſperat. Quid enim eſt ſtultius, q̄ incerta pro certis habere, falſa pro ueris? Senex nec quod ſperet habet. At eſt eo meliore conditione q̄ adoleſcens, quum id quod ille ſperat, hic conſecutus eſt. Ille uult diu uiuere, hic diu uixit. Quanquam, o dij boni, quid eſt in hominis uita diu? Da enim ſupremum tempus, expectemus Tarteſiorum Regis ætatem. Fuit enim, ut ſcriptum uideo, Argātonius quidam Gadibus, qui. LXXX. regnauit annos, CXX. uixit. Sed mihi ne diuturnum quidem quidquam uidetur, in quo eſt aliquid extremum. Quum enim id aduenit, tum illud quod præterijt, effluxit: tantum remanet quod uirtute & recte factis ſis conſecutus. Horę quidem cedunt & dies, menſes & anni, nec præteritum tempus unquam reuertitur: nec quid ſequatur, ſciri poteſt. Quod cuique temporis ad uiuendum datur, eo debet contentus eſſe. Neq; enim hiſtrioni, ut placeat, peragenda eſt fabula, modo in quocunq; fuerit actu, probetur: nec ſapienti uſq; plaudite uiuendum. Breue enim tempus ętatis ſatis eſt longum ad bene honeſteq; uiuendum: Sin proceſſeris longius: non magis dolendū eſt, q̄ agricolę dolent pręterita uerni temporis ſuauitate ęſtatem autūnumq; ueniſſe. Ver enim tanquā adoleſcentiam ſignificat, oſtenditq; fructus futuros: reliqua tempora demetēdis fructibus, aut percipiendis accommodata ſunt. Fructus autem ſenectutis eſt (ut ſæpe dixi) ante partorum bonorum memoria & copia. Omnia uero quæ ſecundum naturam fiunt, ſunt habenda in bonis. Quid eſt autem tam ſecundum naturam, q̄ ſenibus emori? quod idem contingit adoleſcentibus, aduerſante & repugnante natura. Itaq; adoleſcētes mori ſic mihi uidentur, ut cū aquæ multitudine uis flammæ opprimitur: ſenes autem ſicut ſua ſponte nulla adhibita ui conſumptus ignis extinguitur. Et quaſi poma ex arboribus, ſi cruda ſunt, ui auellūtur: ſi matura & cocta, decidunt: ſic uitam adoleſcentibus uis aufert, ſenibus maturitas. Quę mihi quidem tam iucunda eſt, ut quo propius ad mortem accedam, quaſi terram uidear uidere, aliquādoq; in portum ex lōga nauigatione eſſe uenturus. Omnium ętatum certus eſt terminus: ſenectutis autē nullus certus eſt terminus: recteq; in ea uiuitur, quoad munus officij exequi & tueri poſſis, & tamen mortē contemnere. Ex quo fit, ut animoſior etiam ſenectus ſit q̄ adoleſcentia, & fortior. Hoc eſt illud quod Piſiſtrato tyrāno à Solone reſpōſum eſt, quum illi quærenti qua tandem ſpe fretus ſibi tam audaciter obſiſteret, reſpondiſſe dicitur, Senectute. Sed uiuendi eſt finis optimus, cum ītegra mēte, ceteriſq; ſenſibus, opus ipſa ſuum, eadem quę coagmētauit natura, diſſoluit. Vt nauem, ut ędificium idem deſtruit facillime qui conſtruxit: ſic hominem eadem optime quę conglutinauit natura diſſoluit. Iam omnis conglutinatio recens, ęgre: inueterata, facile diuellitur. Ita fit ut illud breue uitę reliquum nec auide appetendum ſenibus, nec ſine cauſa deſerēdum ſit: uetatq; Pythagoras iniuſſu Imperatoris, id eſt dei, de pręſidio & ſtatione uitę decedere. Solonis quidem ſapientis elogium eſt, quo ſe negat uelle ſuam mortem dolore amicorum lamentiſq; uacare. Vult ſe carum, credo, ſuis eſſe. Sed haud ſcio an melius Ennius,

Nemo me lacrimis decoret, neq; funera fletu Faxit.

Non cenſet lugendam eſſe mortem, quam immortalitas conſequatur. Iā ſen-

ſus moriendi ſi aliquis eſſe poteſt,is ad exiguum tempus,preſertim ſeni: poſt mortem quidem ſenſus aut optandus,aut nullus eſt.Sed hoc meditatum ab adoleſcentia debet eſſe,mortem ut negligamus: ſine qua meditatione trãquil lo eſſe animo nõ poteſt.Moriendum enim certe eſt,& id incertum an eo ipſo die.Mortem igitur omnibus horis impendentem timens quis poterit animo conſiſtere? De qua non ita longa diſputatione opus eſſe uidetur: quum recor der non ſolum L.Brutum,qui in liberanda patria eſt interfectus: non duos Decios,qui ad uoluntariam mortem curſum ęquorum incitauerunt: non M. Attilium qui ad ſupplicium eſt profectus,ut fidem hoſti datam conſeruaret: non duos Scipiones,qui iter Pœnis corporibus ſuis obſtruere uoluerunt: nõ auum tuum L.Paulum,qui morte luit Collegę in Cannenſi ignominia teme ritatem: non M.Marcellum,cuius interitum ne crudeliſſimus quidem hoſtis honore ſepulturæ carere paſſus eſt: ſed legiones noſtras (quod ſcripſi in Ori ginibus) in eum locum ſæpe profectas alacri animo & erecto,unde ſe nunꝗ redituras arbitrarentur.Quod igitur adoleſcentes, & ij quidem non ſolum indocti,ſed etiã ruſtici contemnunt,id docti ſenes extimeſcent? Omnino quidẽ (ut mihi uidetur) rerum omnium ſatietas,uitæ facit ſatietatem.Sunt pueritiæ certa ſtudia: num igitur ea deſiderant adoleſcẽtes? Sunt & ineuntis ado leſcentiæ: num ea iam conſtans requirit ætas,quæ dicitur media? Sunt etiam huius ætatis: ne ea quidem in ſenectute quæruntur.Sunt extrema quędam ſtu dia ſenectutis.Ergo ut ſuperiorum ætatum ſtudia occidunt, ſic occidunt etiã ſenectutis.Quod quum euenit,ſatietas uitæ tempus maturum mortis affert. Equidem non uideo cur quid ipſe ſentiam de morte,nõ audeam dicere uobis: quod eo melius cernere mihi uideor,ꝙ ab ea propius abſum.Ego ueſtros pa tres,P.Scipio,tuq́; C.Læli,uiros clariſſimos mihiq́; amiciſſimos uiuere arbi tror,& ea quidem uita,quæ eſt ſola uita nominanda.Nam dum ſumus in his incluſi compagibus corporis,munere quodã neceſſitatis,& graui opere perfungimur.Eſt enĩ animus cœleſtis ex altiſſimo domicilio depreſſus. & quaſi demerſus in terram,locum diuinæ naturæ æternitatiq́; contrarium.Sed cre do deos immortales ſparſiſſe animos in corpora humana,ut eſſent qui terras tuerentur, quiq́; cœleſtium ordinem contemplantes, imitarentur eum uitæ modo atq; conſtantia.Nec me ſolum ratio ac diſputatio impulit ut ita crederem,ſed nobilitas etiam ſummorum philoſophorum, & auctoritas. Audiebam Pythagorã Pythagoreosq́; , ĩcolas pene noſtros,qui eſſent Italici philoſophi quondam nominati,nunꝗ dubitaſſe quin ex uniuerſa mente diuina delibatos animos haberemus.Demonſtrabantur mihi præterea quæ Socrates ſupremo uitæ die de immortalitate animorum diſſeruiſſet,is qui eſſet ſapi entiſſimus oraculo Apollinis iudicatus.Quid multa? ſic mihi perſuaſi,ſic ſen tio,cum tanta celeritas animorum ſit,tanta memoria præteritorum,futurorũ prudentia,tot artes,tantæ ſcientiæ,tot inuenta: non poſſe eam naturam quæ res eas continet,mortalem eſſe: quumq́; animus ſemper agitetur,nec principi um motus habeat, quia ipſe ſe moueat,ne finẽ quidem habiturum eſſe motus qui nunꝗ ſe ipſe ſit relicturus.Et cum ſimplex animi natura eſſet,neq; haberet in ſe quidꝗ admixtum diſpar ſui atq; diſſimile,non poſſe eum diuidi: quod ſi non poſſit,nõ poſſe interire.Magnoq́; eſſe argumento homines ſcire pleraq; anteꝗ nati ſint,ꝙ iam pueri quum artes difficiles diſcant,ita celeriter res innu

merabiles

merabiles arripiant,ut eas non tum primum accipere uideantur, ſed remini-
ſci & recordari. Hæc Platonis ſunt ferè. Apud Xenophontem autem mori-
ens Cyrus maior hæc dicit. Nolite arbitrari ò mihi chariſſimi filij,me quum
à uobis diſceſſero,nuſquam,aut nullum fore:nec enim dum eram uobiſcum,
animum meum uidebatis: ſed eum eſſe in hoc corpore,ex ijs rebus quas gere-
bam,intelligebatis. Eundem igitur eſſe creditote etiam ſi nullum uidebitis.
Nec uero clarorum uirorum poſt mortem honores permanerent,ſi nihil eo-
rum ipſorum animi efficerent quo diutius memoriam ſui teneremus. Mihi
quidem nunquam perſuaderi potuit,animos dum in corporibus eſſent mor-
talibus,uiuere:quum exiſſent ex his,emori. Nec uero tum animum eſſe inſipi
entem,quum ex inſipienti corpore euaſiſſet: ſed quũ omni admiſtione corpo
ris liberatus,purus & integer eſſe cœpiſſet,tum eſſe ſapientem. Atque etiam
cum hominis natura morte diſſoluitur,ceterarum rerum perſpicuum eſt quo
queq; diſcedant. Abeunt enim illuc omnia,unde orta ſunt:animus autem ſo-
lus nec quum adeſt,nec quum diſcedit,apparet. Iam uero uidetis nihil morti
eſſe tam ſimile,q̃ ſomnum. Atqui dormientium animi maxime declarant di-
uinitatem ſuam,multa enim quum remiſſi & liberi ſunt,futura proſpiciunt.
Ex quo intelligitur quales futuri ſint quum ſe planè corporũ uinculis relaxa-
uerint. Quare ſi hęc ita ſunt,ſic me colitote inquit,ut deum. Sin unà interitu-
rus eſt animus cum corpore,uos tamen deos uerentes,qui hanc omnem pul-
chritudinem tuentur & regunt,memoriam noſtri pie inuiolateq; ſeruabitis.

Cyrus quidem hęc moriens. Nos (ſi placet) noſtra uideamus. Nemo un-
quam mihi Scipio perſuadebit aut patrem tuum Paulum,aut duos auos,Pau
lum & Aphricanum,aut Aphricani patrem,aut patruum,aut multos pręſtã
tes uiros,quos enumerare neceſſe non eſt,tanta eſſe conatos quę ad poſterita-
tis memoriam pertinerent,niſi animo cernerent poſteritatem ad ſe pertinere.
An cenſes (ut de meipſo aliquid more ſenum glorier) me tantos labores diur
nos nocturnoſq;, domi militięq; ſuſcepturum fuiſſe,ſi ijſdem finibus glori-
am meã,quibus uitam,eſſem terminaturus? Nónne melius multo fuiſſet otio-
ſam ętatem & quietam ſine ullo aut labore aut cõtentione traducere? Sed ne-
ſcio quomodo animus erigens ſe,poſteritatem ſemper ita proſpiciebat,quaſi
quum exceſſiſſet è uita,tum deniq; uicturus eſſet. Quod quidem ni ita ſe ha-
beret,ut animi ĩmortales eſſent,haud optimi cuiusq; animus maxime ad im-
mortalem gloriam niteretur. Quid? q; ſapientiſſimus quiſq; æquiſſimo ani-
mo moritur,ſtultiſſimus iniquiſſimo? Nónne uobis uidetur animus is qui
plus cernat & longius,uidere ſe ad meliora proficiſci: ille autem cuius obtuſi
or ſit acies,non uidere? Equidem efferor ſtudio patres ueſtros (quos colui &
dilexi) uidendi. Neq; uero eos ſolum conuenire aueo,quos ipſe cognoui, ſed
illos etiam de quibus audiui,& legi,& ipſe conſcripſi. Quo quidem me pro-
ficiſcentem haud ſanè quis facile retraxerit,neue tanq̃ Peliam recoxerit. Et ſi-
quis deus mihi largiatur ut ex hac ætate repueriſcam,& in cunis uagiam,ual-
de recuſem:nec uero uelim,quaſi decurſo ſpatio,à calce ad carceres reuocari.
Quid enim habet uita commodi? quid non potius laboris? Sed habeat ſanè:
habet certe tamen aut ſatietatem,aut modum. Nõ libet enim mihi deplorare
uitam,quod multi,& hi docti,ſæpe fecerunt. Nec me uixiſſe pœnitet:quoniã
ita uixi,ut non fruſtra me natum exiſtimem. Et ex hac uita ita diſcedo tanq̃ ex

hoſpitio,non tanq̃ è domo.Cõmorandi enim natura diuerſorium nobis, nõ habitandi dedit.O præclarum diem,quum ad illud diuinũ animorum concilium cœtumq; proficiſcar,quũq; ex hac turba & colluuione diſcedã: proficiſcar enim nõ ad eos ſolum uiros de quibus ante dixi, uerum etiã ad Catonem meũ,quo nemo uir melior natus eſt,nemo pietate preſtantior:cuius à me corpus crematum eſt,quod cõtra decuit ab illo meum. Animus uero non me deſerens,ſed reſpectans,in ea profecto loca diſceſſit, quò mihi ipſe cernebat eſſe ueniendum.Quem ego meum caſum fortiter ferre uiſus ſum, nõ quod æquo animo ferrem,ſed me ipſe conſolabar,exiſtimans non longinquum inter nos digreſſum & diſceſſum fore. His mihi rebus Scipio(id enim te cum Lęlio admirari ſolere dixiſti)leuis eſt ſenectus:nec ſolum non moleſta, ſed etiam iucunda. Q; ſi in hoc erro, ꝙ animos hominum immortales eſſe credam,libenter erro:nec mihi hũc errorem,quo delector,dum uiuo,extorqueri uolo. Sin mortuus(ut quidam minuti philoſophi cenſent)nihil ſentiam,non uereor ne hunc errorem meum mortui philoſophi irrideant. Q; ſi non ſumus immortales futuri,tamen extingui homini ſuo tempore optabile eſt.Nam habet natura,ſicut aliarum omnium rerum,ſic uiuẽdi modum. Senectus autem peractio ętatis eſt,tanq̃ fabulę:cuius defatigationem fugere debemus,preſertim adiuncta ſatietate.Hęc habui de ſenectute quę dicerem:ad quam utinam perueniatis,ut ea quæ ex me audiſtis,re experti probare poſſitis.

MARCI TVLLII CICERONIS PARADOXA AD M. BRVTVM.

ANIMADVERTI Brute,ſępe Catonem auunculũ tuũ,quum in ſenatu ſententiã diceret, locos graues ex philoſophia tractare,abhorrentes ab hoc uſu forẽſi & publico: ſed dicendo conſequi tamen,ut illa etiã populo probabilia uiderẽtur. Quod eo maius eſt illi,q̃ aut tibi, aut nobis, quia nos ea philoſophia plus utimur quę peperit dicẽdi copiã,& in qua dicuntur ea quę nõ multum diſcrepent ab opinione populari.Cato autem perfectus(mea ſentẽtia)Stoicus,& ea ſentit quę nõ ſanè probãtur in uulgus, & in ea eſt hęreſi, quę nullum ſequitur florẽ orationis,neq; dilatat argumentũ,ſed minutis interrogatiũculis,& quaſi punctis,quod propoſuit efficit. Sed nihil eſt tam incredibile quod non dicẽdo fiat probabile:nihil tam horridũ, tam incultũ,quod nõ ſplẽdeſcat oratione,& tanq̃ excolatur.Quod quum ita putarẽ,feci etiã audacius,q̃ ille ipſe de quo loquor.Cato enim dũtaxat de magnitudine animi,de continẽtia,de morte,de omni laude uirtutis,de dijs ĩmortalibus,de caritate patriæ,ſtoice ſolet,oratorijs ornamentis adhibitis,dicere. Ego tibi illa ipſa quæ uix in gymnaſiis & in otio Stoici probãt, ludens conieci in cõmunes locos. Quę quia ſunt admirabilia,contraq; opinionẽ omnium, ab ipſis etiam paradoxa appellantur, tentare uolui,poſſent ne proferri in lucem,id eſt in forum,& ita dici,ut probarentur:an alia quædam eſſet erudita, alia popularis oratio.Eoq; ſcripſi libentius,ꝙ mihi iſta paradoxa quæ appel

lant, maxime uidentur eſſe Socratica, longeq́ ueriſſima. Accipies igitur hoc paruum opuſculum lucubratum his iam contractioribus noctibus: quoniam illud maiorū uigiliarum munus in tuo nomine apparuit: & deguſtabis genus exercitationum mearū: quibus uti conſueui quum ea quæ dicuntur in ſcholis θετικὰ, ad noſtrum hoc oratorium trāſfero dicendi genus. Hoc tamen opus in apertum ut referas nihil poſtulo. Nō enim eſt tale, ut in arce poni poſſit, quaſi Minerua illa Phidię: ſed tamen, ut ex eadem officina exiſſe appareat.

ὅτι μόνον τὸ καλὸν ἀγαθόν — Quod honeſtum ſit, id ſolum bonum eſſe.

Vereor ne cui ueſtrum ex Stoicorum hominum diſputationibus, nō ex meo ſenſu deprompta hęc uideatur oratio. Dicā quod ſentio tamen, & dicam breuius q̄ res tāta dici poteſt. Nunquam mehercle ego neq́ pecunias iſtorū, neq́ tecta magnifica, neq́ opes, neq́ imperia, neq́ eas, quibus maxime aſtricti ſunt, uoluptates, ī bonis rebus aut expetendis eſſe duxi: quippe quum uiderem homines his rebus circunfluentibus, ea tamen deſiderare maxime, quibus abundarent. Neque enim unquam expletur, nec ſatiatur cupiditatis ſitis. Neque ſolum ea qui habent, libidine augendi cruciantur, ſed etiam amittendi metu. In quo equidem cōtinentiſſimorum hominum maiorum noſtrorum ſæpe requiro prudentiam, qui hæc imbecilla & commutabilia pecuniæ membra uerbo bona putauerunt appellanda, cum re ac factis longe aliter iudicauiſſent. Poteſt ne bonum cuiquam malo eſſe? aut poteſt quiſquam in abundantia bonorum ipſe eſſe non bonus? Atqui iſta omnia talia uidemus ut etiam improbi habeant, & obſint probis. Quamobrem licet inrideat ſiqui uult, plus apud me tamen uera ratio ualebit, quàm uulgi opinio. Neque ego unquam bona perdidiſſe dicam, ſiquis pecus aut ſuppellectilem amiſerit. Nec non ſæpe laudabo ſapientem illum Biantem (ut opinor) qui numeratur in ſeptem. Cuius quum patriam Prienen cepiſſet hoſtis, ceteriq́ ita fugerent, ut multa de ſuis rebus aſportarent: quum eſſet admonitus à quodam ut idem ipſe faceret. Ego uero, inquit, facio, nam omnia mecum porto mea. Ille hæc ludibria fortunæ, ne ſua quidē putauit, quæ nos appellamus etiam bona. Quid eſt igitur (quæret aliquis) bonum? Si quid recte fit, & honeſte, & cum uirtute, id bene fieri, uere dicitur: quod rectum & honeſtum & cum uirtute eſt, id ſolum opinor bonum. Sed hæc uideri poſſunt obſcuriora, cum lentius diſputantur, uita atque factis illuſtranda ſunt ſummorum uirorum hæc, quæ uerbis ſubtilius quàm ſatis eſt diſputari uidentur. Quæro enim à uobis, num ullam cogitationem habuiſſe uideantur ij qui hanc Rempub. tam præclare fundatam nobis reliquerunt, aut auri, aut argenti ad auaritiam, aut amœnitatum ad delectationem, aut ſuppellectilis ad delitias, aut epularum ad uoluptates? Ponite ante oculos unumquenq́ Regum, uultis à Romulo? uultis poſt liberam ciuitatem ab ijs ipſis qui liberauerunt eam? Quibus tandem Romulus gradibus aſcendit in cœlum? ijs ne quæ iſti bona appellant? an rebus geſtis atque uirtutibus? Quid à Numa Pompilio? Minúſne gratas dijs immortalibus capedines ac fictiles urnulas fuiſſe, q̄ filicatas aliorum pateras arbitramur? Omitto

reliquos. Sunt enim omnes pares inter ſe, præter Superbū. Brutum ſiqui roget quid egerit in patria liberanda, ſi quis item reliquos eiuſdem conſilij ſocios, quid ſpectauerint, quid ſecuti ſint, num quis exiſtat cui uoluptas, cui diuitiæ, cui denique præter officium fortis & magni uiri, quidquam aliud propoſitum fuiſſe uideatur? Quæ res ad necem Porſenæ Q. Mutium impulit ſine ulla ſpe ſalutis ſuę? Quæ uis Coclitem contra omnes hoſtium copias tenuit in ponte ſolum? Quæ patrem Decium, quæ filium deuouit, ac immiſit in armatas hoſtium copias? Quid continentia C. Fabricij? Quid tenuitas uictus M. Curij ſequebatur? Quid duo propugnacula belli punici C. & P. Scipiones, qui Carthaginenſium aduentum corporibus ſuis intercludendum putauerunt? Quid Aphricanus maior? quid minor? Quid inter horum ætates interiectus Cato? Quid innumerabiles alij? Nam domeſticis exemplis abundamus. An cogitaſſe quidquam in uita ſibi eſſe expetendum, niſi quod laudabile & præclarum uideretur? Veniant igitur iſti irriſores huius orationis ac ſententiæ, & iam uel ipſi iudicent utrum ſe horum alicuius qui marmoreis tectis ebore & auro fulgentibus, qui ſignis, qui tabulis, qui celato auro & argento, qui Corinthijs operibus abundant: an C. Fabricij qui nihil eorum habuit, nihil habere uoluit, ſe ſimiles eſſe malint? Atque hæc quidem quæ modo huc modo illuc tranſferuntur, facile adduci ſolent ut in bonis rebus eſſe negent. Illud arcte tenent, accurateq; defendunt. Voluptatem eſſe ſummum bonum. Quæ quidem mihi uox pecudum uidetur eſſe, nō hominum. Tu quum tibi ſiue deus ſiue mater (ut ita dicam) rerum omnium natura dederit animum, quo nihil eſt præſtantius, neque diuinius, ſic te ipſe abijcies atque proſternes, ut nihil inter te atque inter quadrupedem aliquam putes intereſſe? Quidquam bonum eſt, quod non eum qui id poſſidet, meliorem facit? Vt enim quiſque eſt maxime boni particeps, ita & laudabilis maxime. Neq; eſt ullum bonum, de quo non is qui id habeat, honeſte poſſit gloriari. Quid autem eſt horum in uoluptate? Meliorem ne efficit, aut laudabiliorem uirū? An quiſq; in potiundis uoluptatibus gloriando ſe & prædicatione effert? Atqui ſi uoluptas (quæ plurimorum patrocinijs defenditur) in rebus bonis habenda non eſt, eaq; quo eſt maior, eo magis mentem è ſua ſede & ſtatu dimouet, profecto nihil eſt aliud bene & beate uiuere, niſi honeſte & recte uiuere.

ὅτι αὐταρκὴς ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν. In quo uirtus ſit, ei nihil deeſſe ad beate uiuendum.

NEC uero ego M. Regulum erumnoſum, nec infelicem, nec miſerum unquam putaui. Non enim magnitudo animi eius cruciabatur à Pœnis, non grauitas, non fides, non conſtantia, non ulla uirtus, non denique animus ipſe, qui tot uirtutum præſidio, tantoq; comitatu, quū corpus eius caperetur, capi certe ipſe nō potuit. C. uero Mariū uidimus, qui mihi ſecūdis rebus unus ex fortunatis hominibus, aduerſis unus ex ſūmis uiris uidebat̄: quo beatius eſſe mortali nihil poteſt. Neſcis inſane, neſcis quātas uires uirtus habeat: nomē tātū uirtutis uſurpas: qd ipſa ualeat, ignoras. nemo poteſt nō beatiſſimus eſſe, qui eſt totus aptus ex ſeſe, quiq; ī ſe uno

ſua

ſua ponit omnia. Cui ſpes omnis & ratio & cogitatio pendet ex fortuna, huic nihil poteſt eſſe certi, nihil quod exploratū habeat permanſurū ſibi, unū diē. Eum tu hominem terreto, ſi quem eris nactus, iſtis mortis aut exilij minis. Mihi uero quidquid acciderit in tam ingrata ciuitate, ne recuſanti quidē euenerit, non modo non repugnanti. Quid ego enim laboraui, aut quid egi, aut in quo euigilarunt curæ & cogitationes meæ? Siquidem nihil peperi tale, nihil conſecutus ſum, ut eo ſtatu eſſem, quem neq; fortunæ temeritas, neq; inimicorum labefactaret iniuria. Mortémne mihi minitaris, ut omnino ab hominibus: an exilium, ut ab improbis demigrādum: ſit mors terribilis ijs quorum cum uita omnia extinguntur: nō ijs quorum laus emori non poteſt. Exilium autem illis quibus quaſi circunſcriptus eſt habitandi locus, non ijs qui omnē orbem terrarum unam urbē eſſe ducunt. Te miſeriæ, te erumnę premunt omnes, qui te beatum, qui florentem putas. Tuę libidines torquentur: tu dies noctesq; cruciaris: cui nec ſat eſt quod eſt, & id ipſum, ne non diuturnum ſit futurum, times. Te conſcientiæ ſtimulant maleficiorum tuorum, te metus exanimant iudiciorum atq; legum. Quocunq; aſpexiſti, ut furiæ, ſic tuæ tibi occurrunt iniuriæ, quæ te ſuſpirare non ſinunt. Quamobrem ut improbo, & ſtulto, & inerti, nemini bene eſſe poteſt: ſic bonus uir & ſapiens & fortis miſer eſſe nemo poteſt. Nec uero cuius uirtus moresq; laudandi ſunt, eius non laudāda uita eſt. Neq; porrò fugienda uita eſt, quæ laudanda eſt. Eſſet autem fugienda, ſi eſſet miſera. Quamobrem quidquid eſt laudabile, idem & beatum, & florens, & expetendum uideri decet.

ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα, καὶ τὰ κατηγορήματα.

PArua, inquit, eſt res, at magna culpa: nec enim peccata rerum euentis, ſed uitijs hominum metienda ſunt. In quo peccatur, id poteſt aliud alio maius eſſe, aut minus: ipſum quidem illud peccare, quoquò uerteris, unum eſt. Auri nauem euertat gubernator, an paleæ: in re aliquantum, in gubernatoris inſcitia nihil intereſt. Lapſa eſt libido in muliere ignota? dolor ad pauciores pertinet q̄ ſi petulans fuiſſet in aliqua generoſa ac nobili uirgine: peccauit uero nihilominus. Siquidem eſt peccare tanquam trāſire lineas. Quod quum feceris, culpa commiſſa eſt: q̄ longe progrediare, quum ſemel tranſieris, ad augendam tranſeundi culpam nihil pertinet. Peccare certe licet nemini. Quod autem non licet, id hoc uno tenetur, ſi arguitur non licere. Id ſi nec maius nec minus unquam fieri poteſt: quoniam in eo eſt peccatum, ſi nō licuit. Quod ſemper unum & idem eſt, quæ ex eo peccata naſcantur, ęqualia ſint oportet. Q, ſi uirtutes pares ſunt inter ſe, paria eſſe etiam uitia neceſſe eſt. Atqui pares eſſe uirtutes, nec bono uiro meliorem, nec temperante temperātiorem, nec forti fortiorem, nec ſapiente ſapientiorem poſſe fieri, facillime poteſt perſpici. An uirum bonū dices, qui depoſitum nullo teſte, quum lucrari impune poſſet, auri pōdo decē reddiderit, ſi idē in decē milibus pondo auri nō idem fecerit? Aut temperantem qui ſe in aliqua libidine continuerit, in aliqua effuderit? Vna uirtus eſt conſentiens cum ratione, & perpetua conſtantia. Nihil huc addi poteſt quo magis uirtus ſit: nihil demi ut uirtutis nomen relinquatur. Etenim ſi bene facta recte facta ſunt, & nihil recto rectius, certe ne bono quidem melius quidquam inueniri poteſt.

Sequitur igitur, ut etiam uitia ſint paria, ſiquidem prauitates animi recte uitia dicuntur. Atqui quoniam pares uirtutes ſunt, recte facta, quando à uirtutibus proficiſcuntur, paria eſſe debent. Itemq́ peccata quoniam ex uitijs manant, ſint æqualia neceſſe eſt. A' philoſophis, inquit, iſta ſumis. Metuebam ne à lenonibus diceres, Socrates diſputabat iſto modo. Bene hercule narras. Nam iſtum doctum & ſapientem uirum fuiſſe memoriæ traditum eſt. Sed tamen quæro ex te (quoniam uerbis inter nos contendimus, non pugnis) utrũ bonis eſt quærendum quid baiuli atque operarij, an quid homines doctiſſimi ſenſerint? preſertim quũ hac ſententia non modo uerior, ſed ne utilior quidem hominum uitæ reperiri ulla poſſit. Quæ uis eſt enim quæ magis arceat homines ab improbitate omni, q̃ ſi ſenſerint nullum in delictis eſſe diſcrimẽ, æque peccare ſe ſi priuatis, ac ſi magiſtratibus manus adferant? quãcunq́ in domum ſtuprum intulerint, eandem eſſe labem libidinis? Nihil ne igitur intereſt (nam hoc dicet aliquis) patrem quis necet, an ſeruum? Nuda iſta ſi ponas, iudicari qualia ſint, non facile poſſunt. Patrem uita priuare, ſi per ſe ſcelus eſt, Saguntini qui parentes ſuos liberos emori, q̃ ſeruos uiuere maluerunt, parricidę fuerunt. Ergo & parenti nonnunquam adimi uita ſine ſcelere poteſt, & ſeruo ſępe ſine iniuria non poteſt. Cauſa igitur hæc nõ natura diſtinguit. Quę quoniam utro acceſſit, id fit propenſius: ſi utroq́ adiuncta eſt, paria fiant neceſſe eſt. Illud tamen intereſt, q̃ in ſeruo necando, ſi id fit iniuria, ſemel peccatur: in patris uita uiolanda multa peccantur. Violatur is qui procreauit, is qui aluit, is qui erudiuit, is qui in ſede ac domo atq́ in Repu. collocauit. Multitudine peccatorum pręſtat, eoq́ pœna maiore dignus eſt. Sed nos in uita non quę cuiq́ peccato pœna ſit, ſed quantum cuiq́ liceat, ſpectare debemus. Quidquid non oportet, ſcelus eſſe: quidquid non licet, nephas putare debemus. Etiámne in minimis rebus? Etiam. Siquidem rerum modum fingere nõ poſſumus, animorũ modũ tenere poſſumus. Hiſtrio ſi paulum ſe mouit extra numerum, aut ſi uerſus pronunciatus eſt ſyllaba una breuior aut longior, exibilatur exploditur: in uita, quę omni geſtu moderatior, omni uerſu aptior eſſe debet, ut in ſyllaba te peccaſſe dices? Poetam non audio in nugis: in uitę ſocietate audiam ciuem digitis peccata dimetientem ſua? ſi uiſa ſint breuiora, leuiora uideãtur. Qui poſſint uideri? quum quidquid peccetur, perturbatione peccetur rationis atq́ ordinis. Perturbata autem ſemel ratione, & ordine, nihil poſſit addi quo magis peccari poſſe uideatur.

ὅτι πᾶς ἄφρων μαίνεται. Omnes ſtultos inſanire.

EGO uero te non ſtultum, ut ſępe: nõ improbum, ut ſemper: ſed dementem & inſanum rebus addicam neceſſarijs. Sapientis animus magnitudine conſilij, tolerantia rerum humanarum, contemptione fortunę, uirtutibus deniq́ omnibus ut mœnibus ſeptus, uĩcetur & expugnabitur, qui ne ciuitate quidem pelli poteſt? Quę eſt enim ciuitas? omnis ne conuentus, etiam ferorum & immanium? omnis ne etiam fugitiuorum ac latronum congregata unum in locum multitudo? Certe negabis. Nõ igitur erat illa tum ciuitas, quum leges in ea nihil ualebant, quum iudicia iacebant, quum mos patrius occiderat, quum ferro pulſis magiſtratibus Senatus nomen in Rep. nõ erat. Prędonum ille cõcurſus, & te duce latrocinium in fo

ro conſtitutum,& reliquiæ coniurationis à Catilinæ furijs ad tuum ſcelus furoremq́ cōuerſę,non ciuitas erat. Itaq; pulſus ego ciuitate non ſum,quæ nulla erat. Acceſſitus in ciuitatem ſum,quum eſſet in Rep.Cōſul,qui tum nullus fuerat:eſſet Senatus,qui tum occiderat:eſſet conſenſus populi liberi:eſſet iuris & æquitatis(quę uincula ſunt ciuitatis)repetita memoria. Ac uide q̃ iſta tui latrocinij tela contempſerim. Iactam & immiſſam à te nefariam in me iniuriam ſemper duxi,perueniſſe ad me nunquam putaui:niſi forte quum parietes diſturbabas,aut cum tectis ſceleratas faces īferebas,meorum aliquid ruere,aut deflagrare arbitrabare.Nihil neque meum eſt,neq; cuiuſquam, quod auferri,quod eripi,quod amitti poteſt. Si mihi eripuiſſes diuinam animi mei conſtantiam,meis curis,uigilijs,conſilijs ſtare te iuuitiſſimo Rempu.ſi huius æterni beneficij immortalem memoriam deleuiſſes, multo etiam magis ſi illam mentem unde hæc conſilia manarunt,mihi eripuiſſes: tum ego accepiſſe me confiterer iniuriam.Sed ſi hæc nec feciſti,nec facere potuiſti,reditum mihi glorioſum iniuria tua dedit,non exitum calamitoſum.Ergo ego ſemper ciuis, & tum maxime,quum meam ſalutem Senatus exteris nationibus,ciuis optimi,commendabat. Tu ne nunc quidem niſi forte idem hoſtis eſſe & ciuis poteſt. An tu ciuem ab hoſte,natura ac loco,non animo factisq́ diſtinguis? Cædem in foro feciſti: armatis latronibus templa tenuiſti:priuatorum domos, ędes ſacras incendiſti.Cur hoſtis Spartacus,ſi tu ciuis? Potes autem eſſe tu ciuis,propter quem aliquando ciuitas non fuit? Et me, tuo nomine appellas, quum omnes meo diſceſſu exulaſſe Remp.putent? Nūquam ne, homo amētiſſime,te circunſpicies? Nunquam nec quid facias conſiderabis, nec quid loquare? Neſcis exilium ſcelerum eſſe pœnam: meum illud iter ob præclariſſimas res à me ante geſtas eſſe ſuſceptum? Omnes ſcelerati atq; impij, quorum tu te ducem eſſe profiteris,quos leges exilio affici uolunt,exules ſunt, etiam ſi ſolum non mutarunt. An quum omnes te leges exulem eſſe iubeant,non appellet inimicus? qui cum telo fuerit:ante Senatum tua ſica deprehēſa eſt. Qui hominem occiderit:tu plurimos occidiſti. Qui incēdiū fecerit: Aedes Nympharum manu tua deflagrauit. Qui templa deorum occupauerit: In foro caſtra poſuiſti.Sed quid ego cōmunes leges profero,quibus omnibus es exul? Familiariſſimus tuus de te priuilegium tulit, ut ſi in opertum Bonæ deæ acceſſiſſes,exulares. At te id feciſſe etiam gloriari ſoles. Quomodo igitur tot legibus eiectus in exilium,nomen exulis non perhorreſcis? Romæ ſum,inquit. Et quidem in operto fuiſti.Non igitur ubi quiſque erit,eius loci ius tenebit,ſi ibi eum legibus eſſe non oportebit.

ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος καὶ πᾶς ἄφρων δοῦλος, Omnes ſapientes liberos eſſe,& ſtultos omnes ſeruos.

Laudetur uero hic Imperator,aut etiā appelletur, aut hoc nomine dignus putetur? Quo modo? aut cui tādē hic libero imperabit,qui nō poteſt cupiditatibus ſuis imperare? Refrenet primū libidines, ſpernat uoluptates,iracundiam teneat,coerceat auaritiam, ceteras animi labes repellat: tum īcipiat alijs imperare,quum ipſe improbiſſimis dominis dedecori ac turpitudini parere deſierit. Dum quidem his obedierit,nō

modo Imperator,ſed liber habendus omnino non erit. Prǽclare enim eſt hoc uſurpatum à doctiſſimis: quorum ego auctoritate non uterer,ſi mihi apud aliquos agreſtes hæc habenda eſſet oratio. Quum uero apud prudẽtiſſimos loquar,quibus hæc inaudita non ſint: cur ego ſimulem me,ſi quid in his ſtudijs operæ poſuerim,perdidiſſe? Dictum eſt igitur ab eruditiſſimis uiris. Niſi ſapientem liberum eſſe neminem. Quid eſt enim libertas? Poteſtas uiuendi ut uelis. Quis igitur uiuit ut uult,niſi qui recta ſequitur, qui gaudet officio, cui uiuendi uia conſiderata atq; prouiſa eſt: qui ne legibus quidem propter metũ paret,ſed eas ſequitur atq; colit,quod ſalutare maxime eſſe iudicat: qui nihil dicit,nihil facit,nihil cogitat deniq;,niſi libenter ac libere: cuius omnia conſilia,resq; omnes quas gerit,ab ipſo proficiſcuntur,eodemq; feruntur: nec eſt ulla res quæ plus apud eum polleat,q̃ ipſius uoluntas atq; iudicium. Cui quidem etiam (quæ uim habere maximam dicitur) fortuna ipſa cedit, ſicut ſapiens poeta dixit. Suis ea cuiq; fingitur moribus. Soli igitur hoc contingit ſapienti,ut nihil faciat inuitus,nihil dolens,nihil coactus. Quod & ſi ita eſſe pluribus uerbis diſſerendum eſt,illud tamen & breue,& confitendum eſt,niſi qui ita ſit affectus,eſſe liberum neminem. Igitur omnes improbi,ſerui. Nec hoc tam re eſt,q̃ dictu inopinatum,atq; mirabile. Non enim ita dicunt eos eſſe ſeruos,ut mancipia,quæ ſunt dominorum facta nexu,aut aliquo iure ciuili: ſed ſi ſeruitus ſit (ſicut eſt) obedientia fracti animi,& abiecti,& arbitrio carẽtis ſuo,quis neget omnes leues,omnes cupidos,omnes deniq; improbos, eſſe ſeruos? An ille mihi liber,cui mulier imperat, cui leges imponit,prǽſcribit,iubet,uetat quod uidetur? qui nihil imperanti negare poteſt, nihil recuſare audet? poſcit,dandum eſt: uocat,ueniendum: eijcit,abeundum: minatur,extimeſcendum. Ego uero iſtum non modo ſeruum,ſed nequiſſimum ſeruum, etiam ſi in ampliſſima familia natus ſit,appellandum puto. Atq; ut in magna familia ſtultorum,ſunt alij lautiores (ut ſibi uidentur) ſerui,ſed tamen ſerui,atrienſes,ac topiarij ſtultitiæ ſuæ quos ſigna,quos tabulǽ, quos cœlatum argẽtum, quos Corinthia opera,quos ædificia magnifica nimio opere delectant. Et ſumus,inquiunt,principes ciuitatis. Vos uero ne cõſeruorũ quidem ueſtrorum principes eſtis. Sed ut in familia,qui tractant iſta,qui tergẽt,qui ungunt, qui uerrunt,qui ſpargunt,non honeſtiſſimum locum ſeruitutis tenent: ſic in ciuitate,qui ſe iſtarum rerum cupiditatibus dediderũt: ipſius ſeruitutis locum penè infimum obtinent. Magna,inquis,bella geſſi: magnis imperijs & prouincijs præfui. Gere igitur animum laude dignum. Eetionis tabula te ſtupidum detinet,aut ſignũ aliquod Polycleti. Mitto unde ſuſtuleris, quomodo habeas: intuentem te,admirantem,clamores tollentem, quum uideo ſeruum eſſe ineptiarum omnium iudico. Nónne igitur ſunt illa feſtiua? Sint. Nam nos quoq; oculos eruditos habemus. Sed obſecro te,ita uenuſta habeantur iſta, non ut uincula uirorum ſint,ſed ut oblectamenta puerorum. Quid enim cenſes? ſi L. Mummius aliquem iſtorum uideret matellionem Corinthium cupidiſſime tractantem,quum ipſe totam Corinthum contempſiſſet,utrum illum ciuem excellentem,an atrienſem diligentem putaret? Reuiueſcat M. Curius, aut eorum aliquis quorum in uilla ac domo nihil ſplendidum, nihil ornatum fuit prǽter ipſos,& uideãt aliquem ſummis populi beneficijs uſum,barbatulos mululos exceptantem de piſcina,& pertractantem,& murenarum copia gloriantem:

riantem: nonne hunc hominem ita ſeruum iudicet, ut ne in familia quidem dignum maiore aliquo negocio putet? An eorum ſeruitus dubia eſt, qui cupiditate peculij nullam conditionem recuſant duriſſimæ ſeruitutis? Hæreditatis ſpes, quid iniquitatis in ſeruiendo non ſuſcipit? Quem nutum locupletis orbi ſenis non obſeruat? Loquitur ad uoluntatem: quidquid denunciatum ſit, facit: adſectatur, aſſidet, muneratur. Quid horum eſt liberi? Quid deniqꝫ ſerui non inertis? Quid iam illa cupiditas (quæ uidetur eſſe liberalior) honoris, imperij, prouinciarum? q̄ dura eſt domina, q̄ imperioſa, q̄ uehemens? Cethego homini non probatiſſimo ſeruire coegit eos qui ſibi eſſe ampliſſimi uidebantur, munera mittere, noctu uenire domum ad eum, precari, deniqꝫ ſupplicare. Quæ ſeruitus eſt, ſi hæc libertas exiſtimari poteſt? Quid quum cupiditatis dominatus exceſſit, & alius eſt dominus exortus ex conſcientia peccatorū, timor? Qꝫ eſt illa miſera, q̄ dura ſeruitus? Adoleſcentibus paulo loquacioribus eſt ſeruiēdum. Omnes qui aliquid ſcire uidentur, tanq̄ domini timentur. Iudex uero quantum habet dominatum? quo timore nocentes afficit? An nō eſt omnis metus ſeruitus? Quid ualet igitur illa eloquentiſſimi uiri L. Craſſi copioſa magis q̄ ſapiēs oratio? ERIPITE NOS EX SERVITVTE. Quæ eſt iſta ſeruitus tam claro homini, tamqꝫ nobili? Omnis animi debilitata, & humilis, & fracta timiditas, ſeruitus eſt. NOLITE SINERE NOS CVIQVAM SERVIRE. In libertatem uindicari uult? Minime, Quid enim? adiungit. NISI VOBIS VNIVERSIS. Dominū mutare, nō liber eſſe uult. QVIBVS ET POSSVMVS, ET DEBEMVS. Nos uero, ſi quidē animo excelſo & alto & uirtutibus exaggerato ſumus, nec debemus nec poſſumus. Tu poſſe te dicito, quoniā quidē potes, debere ne dixeris: quoniā nihil quiſq̄ debet, niſi qꝫ ē turpe nō reddere. Sed hec hactenus. Ille uideat quomodo Imperator eſſe poſſit, quū eū ne liberū quidē eſſe, ratio & ueritas ipſa conuincat.

ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος, Qꝫ ſolus ſapiens diues.

QVæ eſt iſta incommemoranda pecunia tua tam inſolens oſtentatio? Solus ne tu diues? Pró dij immortales, ego'ne me audiuiſſe aliquid, & didiciſſe non gaudeam? Solus ne diues? Quid ſi ne diues quidem? quid ſi pauper etiam? Quem enim intelligimus diuitem? aut hoc uerbum in quo homine ponimus? Opinor in eo, cui tāta poſſeſſio eſt ut ad liberaliter uiuendum facile contentus ſit: qui nihil quærat, nihil appetat, nihil optet amplius. Animus oportet tuus ſe iudicet diuitem, non hominū ſermo, neqꝫ poſſeſſiones tuæ. nihil ſibi deeſſe putat, nihil curat amplius, ſatiatus eſt, aut contentus etiam pecunia? cōcedo, diues eſt. Sin autem propter auiditatem pecuniæ nullum quæſtum turpem putas, quum iſti ordini ne honeſtus quidem poſſit eſſe ullus, ſi quotidie fraudas, decipis, poſcis, paciſceris, auſers, eripis, ſocios ſpolias, ærarium expilas, ſi teſtamenta amicorum expectas, aut ne expectas quidem, at ipſe ſupponis: hæc utrum abundantis, an egentis ſigna ſunt? Animus hominis diues, non arca, appellari ſolet. Quis illa ſit plena, dum te inanem uidebo, diuitem non putabo. Etenim ex eo quantum cuiqꝫ ſatis eſt, metiuntur homines diuitiarum modum. Filiam quis habet? pecunia eſt opus. Duas? maiore. plures? maiore, etiam. Si (ut aiunt Danai) quinquaginta ſunt filiæ, tot dotes magnam quærunt pecuniam. Quātum enim cuiqꝫ

opus eſt,ad id accommodatur,ut ante dixi,diuitiarum modus. Qui igitur nõ filias plures,ſed innumerabiles cupiditates habet,quæ breui tempore maximas copias exhaurire poſſint,hunc quando ego appellabo diuitem, quũ ipſe egere ſe ſentiat? Multi ex te audierunt quum diceres. Neminem eſſe diuitem, niſi qui exercitum alere poſſet ſuis fructibus,quod populus R.tantis uectigalibus iam pridem uix poteſt.Ergo hoc propoſito nunquam eris diues, antequam tibi ex tuis poſſeſſionibus tantum reficiatur,ut eo tueri ſex legiones,& magna equitum ac peditum auxilia poſſis. Iam fateris igitur non eſſe te diuitem,cui tantum deſit,ut expleas id quod exoptas. Itaq; iſtam paupertatẽ, uel potius egeſtatem ac mendicitatem tuam nunquam obſcure tuliſti. Nam ut ijs qui honeſte rem quęrunt mercaturis faciendis,operis dandis,publicis ſumendis,intelligimus opus eſſe quæſito: ſic qui uidet domi tuæ pariter accuſatorũ atque indicum conſociatos greges,qui nocentes & pecunioſos reos eodem te auctore corruptelam iudicij molientes,qui tuas mercedum pactiones in patrocinijs interciſas,pecuniarũ in coitionibus candidatorum,dimiſſiones libertorum ad fœnerandas diripiendasq; prouincias,qui expulſiones uicinorum qui latrocinia in agris,qui cum ſeruis,cum libertis,cum clientibus ſocietates, qui poſſeſſiones uacuas,qui proſcriptiones locupletum,qui cædes municipiorum,qui illam Syllani temporis meſſem recordetur,qui teſtamenta ſubiecta, qui ſublatos tot homines,qui denique omnia uenalia,delectum,decretũ,alienam,ſuam ſententiam,forum,domum,uocem,ſilentium: quis hunc non putet confiteri ſibi quæſito opus eſſe? Cui quæſito autem opus ſit,quis unquã hunc uere dixerit diuitem? Etenim diuitiarum eſt fructus in copia: copiam autem declarat ſatietas rerum atq; abundantia. Quam tu quoniam nunquam aſſequere,nunquam omnino es diues futurus. Meam autem quoniam pecuniam contemnis,& recte,eſt enim ad uulgi opinionem mediocris,ad tuam nulla, ad meam modica: de me ſilebo,de re loquar. Si cenſenda nobis atq; æſtimanda res,utrum tandem pluris ęſtimemus pecuniam Pyrrhi quam Fabricio dabat,an continentiam Fabricij,qui illam pecuniam repudiabat? Vtrum aurũ Samnitum,an reſponſum M.Curij? Hæreditatem L.Pauli,an liberalitatem Aphricani,qui eius hæreditatis Q.Maximo fratri partẽ ſuam conceſſit? Hęc profecto,quę ſunt ſummarum uirtutum,pluris ęſtimanda ſunt q̃ illa quę ſunt pecuniæ. Quis igitur,ſi quidem ut quiſque quod plurimi ſit poſſideat,ita diuitiſſimus habendus ſit,dubitet quin in uirtute diuitiæ ſint: quoniam nulla poſſeſſio,nulla uis auri & argenti pluris q̃ uirtus æſtimanda eſt. O dij immortales,nõ intelligunt homines q̃ magnum uectigal ſit parſimonia. Venio enim iam ad ſumptuoſos,relinquo iſtum quæſtuoſum. Capit ille ex ſuis prædijs ſexcenta ſeſtertia,ego cẽtena ex meis. Illi aurata tecta in uillis,& ſola marmorea,facienti,& ſigna,tabulas,ſupellectilem & ueſtem infinite concupiſcẽti,nõ modo ad fructum ille eſt ſumptus,ſed etiam ad fœnus exiguus. Ex meo tenui uectigali,detractis ſumptibus cupiditatis, aliquid etiam redundabit. Vter igitur eſt diuitior? cui deeſt,an cui ſuperat? qui eget,an qui abundat? cuius poſſeſſio quo eſt maior,eo plus requirit ad ſe tuendam,an quæ ſuis ſe uiribus ſuſtinet? Sed quid ego de me loquor,qui morum ac temporum uitio aliquantum etiam ipſe fortaſſe in huius ſeculi errore uerſer? M. Manilius patrũ noſtrorũ memoria (ne ſemper Curios & Luſcinios loquamur) pauper tandẽ

fuit:

fuit: habuit enim ædiculas in Carinis, & fundum in Labicano. Nos igitur diuitiores, qui plura habemus? Vtinam quidem. Sed non æſtimatione cenſus, uerum uictu atq; cultu terminatur pecuniæ modus. Non eſſe cupidum pecunia eſt, non eſſe emacem, uectigal eſt. Contentum uero ſuis rebus eſſe, maximæ ſunt certiſſimæq; diuitiæ. Etenim ſi iſti callidi rerum æſtimatores prata & areas quaſdam magno ęſtimant, quod ei generi poſſeſſionũ minime quaſi noceri poteſt: quanti eſt æſtimanda uirtus, quæ nec eripi, nec ſurripi poteſt, neq; naufragio neq; incendio amittitur, nec tempeſtatum, nec temporum permutatione mutatur? Qua præditi qui ſunt, ſoli ſunt diuites. Soli enim poſſident res & fructuoſas, & ſempiternas: ſoliq; (quod eſt proprium diuitiarũ) contenti ſunt rebus ſuis. Satis eſſe putant quod eſt: nihil appetunt, nulla re egent, nihil ſibi deeſſe ſentiunt, nihil requirunt. Improbi autem & auari, quoniã incertas atq; in caſu poſitas poſſeſſiones habent, & plus ſemper appetũt, nec eorũ quiſquã adhuc inuentus eſt cui quod haberet eſſet ſatis, nõ modo nõ copioſi ac diuites, ſed etiam inopes ac pauperes exiſtimandi ſunt.

MARCI TVLLII CICERONIS EX TIMAEO PLATONIS DE VNIVERSITATE LIBER.

M VLTA ſunt à nobis & in Academicis conſcripta cõtra Phyſicos, & ſæpe P. Nigidio Carneadeo more & modo diſputata. Fuit enim uir ille quum ceteris artibus, quæ quidem dignæ libero eſſent, ornatus omnibus, tũ acer inueſtigator, & diligens earum rerum, quæ à natura inuolutę uidentur. deniq; ſic iudico, poſt illos nobiles Pythagoreos, quorũ diſciplina extincta eſt quodammodo quum aliquot ſecula in Italia Siciliaq; uiguiſſent, hunc extitiſſe qui illam renouaret. Qui, quum me in Ciliciam proficiſcentem Epheſi expectauiſſet, Romam ex legatione ipſe decedẽs, ueniſſetq; eodem Mitylenis me ſalutandi & uiſendi cauſa Cratippus, Peripateticorum omnium, quos quidem ego audierim, meo iudicio facile princeps, perlibenter & Nigidium uidi, & cognoui Cratippum. At primum quidem tempus ſalutationibus, reliquum percontatione conſumpſimus.

Multa deſunt.

Quid eſt quod ſemper ſit, neq; ullum habet ortum, & quod gignatur, nec unq̃ ſit: quorum alterum intelligentia & ratione comprehenditur, quod unũ, atq; idem ſemper eſt: alterum quod affert opinionem ſenſus, rationis expers quod totum opinabile eſt, id gignitur, & interit, nec unq̃ eſſe uere poteſt. Omne autem quod gignitur, ex aliqua cauſa gigni neceſſe eſt. Nullius enim rei, cauſa remota, reperiri origo poteſt. Quocirca ſi is qui aliquod munus efficere molitur, eam ſpeciem quæ ſemper eadem eſt, intuebitur, atq; eam ſibi proponet exemplar, præclarum opus efficiat neceſſe eſt. Sin autem eam quæ gigni-

tur,nunq̃ illam quam expetet pulchritudinem conſequetur. Omne igitur cœlum ſiue mundus,ſiue quo alio uocabulo gaudet,hoc à nobis nuncupatus ſit, de quo id primum conſideremus,quod principio eſt in omni quæſtione conſiderandum,ſemper ne fuerit nullo generatus ortu,an ortus ſit,an ab aliquo temporis principatu ortus eſt, quandoquidem cernitur, & tangitur, & eſt undiq; corporatus. Omnia autẽ talia ſenſum mouent: ſenſusq; mouentia quæ ſunt,eadem in opinatione conſidunt,quę ortum habere,gigniq; diximus. Nihil autem gigni poſſe ſine cauſis. Atq; illum quidem quaſi parentem huius uniuerſitatis ĩuenire difficile,& quum iam inueneris indicare in uulgus nefas. Rurſus igitur uidendum,ille frabicator huius tanti operis utrum ſit imitatus exemplar,id ne quod ſemper unum idem uti ſui ſimile,an id quod generatum ortumq; dicimus. Atqui ſi pulcher eſt hic mundus & ſi probus eius artifex, profecto ſpeciem æternitatis imitari maluit: Sin ſecus,quod ne dictu quidem fas eſt,generatum exemplum eſt pro æterno ſecutus. Non igitur dubiũ, quin æternitatem maluerit exequi,quandoquidem neq; mundo quidq̃ pulchrius neq; eius ædificatore præſtantius. Sic ergo generatus,ad id ẽ effectus,quod ratione ſapientiaq; comprehenditur,atq; æternitate immutabili continetur. Ex quo efficitur,ut ſit neceſſe hunc,quem cernimus mundum, ſimulacrum æternum eſſe alicuius æterni. Difficillimum autem eſt in omni conquiſitione rationis exordium. De his igitur quæ diximus,hæc ſit prima diſtinctio,in omni oratione cum his rebus de quibus explicata uidetur eſſe cognitio. Itaque quum de re ſtabili & immutabili diſputatur,oratio talis ſit, qualis illa, quæ neq; redargui,neq; conuinci poteſt. Quum autem ingreſſa eſt imitata & effecta ſimulacra,bene agi putat,ſi ſimilitudinem ueri conſequatur. Quantũ enĩ ad id,quod ortum eſt,æternitas ualet,tantum ad fidem ueritas. Quocirca ſi forte de deorum natura,ortuq; mundi diſſerentes, minus id quod habemus animo conſequimur,ut tota dilucide & plane exornata oratio ſibi conſtet, & ex omni parte ſecum ipſa conſentiat,haud ſane erit mirum,contentiq; eſſe debebitis,ſi probabilia dicentur. Aequum eſt enim meminiſſe,& me qui diſſeràm hominem eſſe,& uos qui iudicetis,ut ſi probabilia dicentur nequid ultra requiratis. Quæramus igitur cauſam,quæ impulerit eum,qui hæc machinatus ſit,ut originem rerum,& molitionem nouam quæreret. Probitate uidelicet præſtabat. Probus autem inuidet nemini. Itaque omnia ſui ſimilia generauit. Hæc nimirum gignendi mundi cauſa iuſtiſſima. Nam quum conſtituiſſet deus bonis omnibus explere mundum,mali nihil admiſcere,quoad natura pateretur,quidquid erat quod in cernendi ſenſum caderet,id ſibi aſſumpſit, nõ tranquillum & quietum,ſed immoderate agitatum & fluitans. Idq; ex inordinato in ordinem adduxit. Hoc enim iudicabat eſſe præſtantius. Fas autem nec eſt,nec unquam fuit,quidquam niſi pulcherrimum facere ei qui eſſet optimus. Quum rationem igitur habuiſſet,reperiebat nihil eſſe eorum,quæ natura cernerentur,non intelligens intelligente in toto genere præſtantius: quocirca intelligẽtiam in animo,animum concluſit in corpore. Sic ratus eſt opus illud effectum eſſe pulcherrimum. Quam ob cauſam non eſt cunctãdum profiteri,ſi modo inueſtigari aliquid coniectura poteſt, hunc mundum animal eſſe,idq; intelligens,& diuina prouidentia conſtitutum. Hoc poſito,quod ſequitur uidendum eſt,cuiuſnam animantium deus in fingendo mundo ſimilitudinem

tudinem ſecutus ſit. Nullius profecto eorum quidem quæ ſunt nobis nota animantia. Sunt enim omnia in quædam genera partita, aut inchoata, nulla ex parte perfecta. Imperfecto autem nec abſoluto ſimile pulchrum eſſe nihil poteſt. Cuius ergo omne animal quaſi particula quędam eſt, ſiue in ſingulis, ſiue in diuerſo genere cernatur, eius ſimilem mundum eſſe dicamus. Omnes igitur qui animo cernũtur, & ratione intelliguntur animantes, complexu rationis & intelligentiæ, ſicut homines hoc mundo, & pecudes, & omnia quæ ſub aſpectum cadunt, comprehenduntur. Quod enim pulcherrimum in rerũ natura intelligi poteſt, & quod ex omni parte abſolutiſſimum eſt, quum deus ſimilem mũdum efficere uellet, animal unum aſpectabile, in quo omnia animalia continerentur, effecit. Recte ne igitur unũ mundum dixerimus, an ſint plures, an innumerabiles, dic tu, melius & uerius. Vnus profecto, ſi quidẽ fact us eſt ad exemplum. Quod enim omnes animantes eos qui ratione intelliguntur complectitur, id non poteſt eſſe cum altero. Rurſus enim alius animans, qui eum contineat, ſit neceſſe eſt, cuius partes ſint animantes ſuperiores. Cœlumq́ hoc ſimulacrum illius ultimi ſit, non proximi. Quorum ne quid accideret, atq; ut hic mundus eſſet animanti abſoluto ſimillimus, hoc ipſo, quod ſolus atq; unus eſſet, idcirco ſingularem deus hũc mũdum, atq; unigenam procreauit. Corporeum autem & aſpectabile, itemq́ tractabile omne neceſſe eſt eſſe, quod natum eſt. Nihil porrò igni uacuum uideri poteſt, nec uero tangi quod careat ſolido: ſolidũ autẽ nihil, quod terræ ſit expers: quã obrẽ mundũ efficere moliens deus, terram primum, ignemq́ iungebat. Omnia autem duo ad cohærendum tertium aliquid anquirunt, & quaſi nodum uinculumq́ deſiderant. Sed uinculorum id eſt aptiſſimum atq; pulcherrimum, quod ex ſe, atque de his quæ aſtringit q̃ maxime unum efficit. Id optime aſſequitur, quæ græce ἀναλογία, latine (audendum eſt enim, quoniam hęc primum à nobis nouantur) comparatio, proportióue dici poteſt. Quando enim trium uel numerorum, uel figurarum, uel quorumcũq; generum contingit, ut quod medium ſit uti primum proportione, ita id poſtremo comparetur, uiciſſimq́ ut extremum cum medio, ſic medium cum primo conferatur, id quod medium eſt, tũ primum ſit, tum poſtremum, poſtrema autem & prima media fiunt. Ita neceſſitas cogit, ut eadem ſint ea quæ deiuncta fuerunt. Eadem autem quum facta ſint, efficitur ut omnia ſint unũ. Quod ſi uniuerſitatis corpus planum & ęquabile explicaretur, neq; in eo quidq̃ eſſet requiſitum, unum interiectum medium, & ſeipſum, & ea quibus eſſet interpoſitum colligaret. Sed quum ſoliditas mundo quæreretur, ſolida autem omnia uno medio nunquam, duobus ſemper copulentur, ita contigit, ut inter ignem atq; terram, aquã deus animamq́ poneret, eaq́ inter ſe compararet, & proportione coniungeret, ut quemadmodum ignis animæ, ſic anima aquę, quodq́ anima aquæ, id aqua terræ proportione redderet. Qua ex cõiunctione cœlum ita aptum eſt, ut ſub aſpectum & tactum cadat. Itaq; & ob eam cauſam, & ab ĳs rebus numero quatuor, mundi eſt corpus effectum, ea conſtrictus comparatione qua dixi, ex quo ipſe ſe concordi quadam amicitia & caritate complectitur, atque ita apte cohęret, ut diſſolui nullo modo queat, niſi ab eodem à quo eſt colligatus. Earum autem quatuor rerum, quas ſupra dixi, ſic in omni mundo partes omnes collocatæ ſunt, ut nulla pars huiuſce generis excederet extra, atq; ut in hoc uniuerſo in-

eſſent genera illa uniuerſa. Id ob eas cauſas primum, ut mundus animans poſſit ex perfectis partibus eſſe perfectus: deinde ut unus eſſet, nulla parte unde altera gigneretur relicta: poſtremo ne qui morbus eum poſſit, aut ſenectus attingere. Omnis enim coagmentatio corporis, uel caloris, uel frigoris, uel aliqua impulſione uehementi labefactatur & frangitur, & ad morbos ſenectutemq́ compellitur. Hanc igitur habuit rationem effector mundi & molitor deus, ut unum opus totum atq; perfectum ex omnibus totis atq; perfectis abſolueret, quod omni morbo & ſenio uacaret. Formam autem, & maxime cognatam & decoram dedit. A quo enim animante omnes reliquos contineri uellet animantes, hunc ea forma figurauit, qua una omnis forma reliqua concluditur. Et globoſus eſt fabricatus, quod σφαιροειδὴς Græci uocant, cuius omnis extremitas paribus à medio radijs attingitur. Idq́ ita tornauit, ut nihil effici poſſit rotundius, nihil ut aſperitatis haberet, nihil offenſionis, nihil incluſum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunoſum, omnesq́ partes ſimillimæ omnium, quoad eius præſtabat iudicio, diſſimilitudini ſimilitudo. Omni autem totam figuram mundi leuitate circundedit. Nec enim oculis egebat, quia nihil extra, quod cerni poſſet, relictum erat: nec auribus, quia ne quod audiretur quidem: neq; erant anima circunfuſa extrema mundi, ut reſpirationem requireret. Nec uero deſiderabat, aut alimenta corporis, aut detractionem confecti & conſumpti cibi. Neq; enim ulla deceſſio fieri poterat neque acceſſio, nec uero erat unde. Itaq; ſe ipſe conſumptione & ſenio alebat ſui, quum ipſe per ſe, & à ſe, & pateretur & faceret omnia. Sic enim ratus eſt ille, qui iſta iunxit, & condidit: ipſum ſe contentum eſſe mundum, neq; egere altero. Itaq; ei nec manus affixit, quoniam nec capiendum quidquam erat, nec repellendum: nec pedes, aut aliqua mēbra, quibus ingreſſus corpore ſuſtineret. Motum enim dedit cœlo, eum qui figuratus ſit aptiſſimus, qui unus ex ſeptem motibus mentem atque intelligentiam cieret, maxime itaq; una conuerſione, atque eadem ipſe circum ſe torquetur & uertitur. Sex autem reliquos motus ab eo ſeparauit. itaque eum ab omni erratione liberauit. Ad hanc igitur conuerſionem, quæ pedibus, & gradu non egeret, ingrediendi membra non dedit, hæc deus is qui erat, de aliquando futuro deo cogitans, leuem illum effecit, & undiq; æquabilem, & à medio ad ſummum parem, & perfectum atque abſolutum ex abſolutis atque perfectis. Animum autem, ut in eius medio collocauit, ita per totum tetendit: deinde eum circundedit corpore, & ueſtiuit extrinſecus, cœloq́ ſoliuago & uolubili, & in orbem incitato cōplexus eſt quod ſecum ipſum propter uirtutem facile eſſe poſſet, nec deſideraret alterum, ſatis ſibi ipſum notum, & familiare. Sic deus ille ęternus hunc perfecte beatum deū procreauit, ſed animum haud ita, ut modo locuti ſumus, tum deniq; quum corpus ei effeciſſet, inchoauit. Neque enim eſſet rectum minori parere maiorem. Sed nos multa inconſiderate, ac temere dicimus. Deus autem, & ortu & uirtute antiquiorem genuit animum, eumq́ ut dominum, atque imperantem obedienti præfecit corpori, idq́ molitus tali quodam eſt modo, ex ea materia quæ indiuidua eſt, & quæ ſemper unius modi ſuiq; ſimilis, & ex ea quę ex corporibus diuidua gignitur, tertium materiæ genus ex duobus in medium admiſcuit, quod eſſet eiuſdē naturæ, & quod alterius, idq́ interiecit inter indiuiduum, atq; id quod diuiduum eſſet in corpore. Ea quum tria ſumpſiſſet, in

unam ſpeciem temperauit,naturamq́ illam quam alterius diximus, uel cum eadem coniunxit fugientem, & eius copulationis alienam permiſcens cum materia,quum ex tribus effeciſſet unum,id ipſum in ea quæ decuit membra partitus eſt. Iam partes ſingulas ex eodem,& ex altero,& ex materia temperauit. Fuit autem talis illa partitio, Vnam principio partem detraxit ex toto, ſecundam autem primæ partis duplam: deinde tertiam quæ eſſet ſecundę ſeſquialtera: primæ tripla: deinde quartam quæ ſecundæ dupla eſſet: quintam inde quæ tertiæ tripla: tum ſextam octuplam primæ: poſtremo ſeptimam, quæ ſeptem & uiginti partibus antecederet primæ. Deinde inſtituit dupla & tripla interualla explere,partes rurſus ex toto deſecans: quas interuallis ita locabat,ut in ſingulis eſſent bina media. Vix enim audeo dicere medietates, quas Græci μεσότητας appellant,ſed quaſi ita dixerim intelligatur, erit enim planius. Earum alteram eadem parte præſtantem extremis, eademq́ ſuperatam: alteram pari numero præſtantem extremis, pariq́ ſuperatam. Seſquialteris autem interuallis,& ſeſquitertijs,& ſeſquioctauis, ſumptis ex his colligationibus, in primis interuallis ſeſquioctaui interuallo ſeſquitertia omnia explebat: quum particulam ſingulorum relinqueret. Eius autem particulæ interuallo relicto habebat numerus ad numerum eandem proportionem comparationemq́ in extremis quam habent.cc. lvi. cum cc. xliii. atque ita permixtum illud ex quo hæc ſecuit, iam omne conſumpſerat. Hanc igitur omnem coniunctionem duplicem in longitudinem diffidit,mediæq́ accommodans mediam quaſi decuſſauit. Deinde in orbem torſit,ut & ipſæ ſecum, & inter ſe ex commiſſura quæ è regione eſſet, iungerentur: eoq́ motu cuius orbis ſemper in eodem erat,eodemq́ modo ciebatur,undiq́ eſt eos circumplexus. Atque ita quum alterum eſſet exteriorem amplexus orbem, illum eiuſdem naturæ,hunc alterius notauit: eamq́ quæ erat eiuſdem detorſit à latere in dextram partem,hanc autem citimam,à mediana linea direxit ad læuam: ſed principatum dedit ſuperiori, quam ſolam indiuiduam reliquit, Interiorem autem quum in ſex partes cœli diuiſiſſet, ſeptem orbes diſpares duplo & triplo interuallo moueri iuſſit contrarijs inter ſe curſibus. Eorum autem trium fecit pares celeritates, ſed quatuor & inter ſe diſpares & diſſimiles trium reliquorum. Animum igitur quum ille procreator mundi deus ex ſua mente & uoluntate genuiſſet, tum denique omne quod erat concretum atque corporeum ſubſternebat animo, interiusq́ faciebat: atque ita medio medium accommodans copulabat. Sic animus à medio profectus extremitatem cœli à ſuprema regione rotundo ambitu circuniecit, ſeſeq́ ipſe uerſans,diuinius,ſempiternæ,ſapientisq́ uitæ induxit exordium. Et corpus quidem cœli ſpectabile effectum eſt, animus autem oculorum effugit obtutum. Eſt autem unus ex omnibus rationis contentionisq́ quæ ἁρμονία græce,ſempiternarum rerum,& ſub intelligentiam cadentium, compos & particeps,quo nihil ab optimo & præſtantiſſimo genitore melius procreatum: quippe qui ex eadem uinctus,alteraq́ natura adiuncta materia temperatione trium partium proportione compacta,ſe ipſe conuerſans quum materiam mutabilem arripuiſſet, & quum rurſus indiuiduam atque ſimplicem per quam omnis mouetur, diſcernitq́ quid ſit eiuſdem generis, quid alterius, & cetera diiudicat,quid cuiq́ rei ſit maxime aptum, quid quoque loco, aut

modo,aut tempore contingat, quæq; diſtinctio fit inter ea quæ gignantur, & ea quæ ſint ſemper eadem. Ratio autem utraque quæ uerſatur in his quæ ſunt ſemper eadem,& in his quæ mutantur,quum in eodem, & in altero mouetur ipſa per ſeſe ſine uoce, & ſine ullo ſono, quum eandem partem attingit qua ſenſus cieri poteſt,orbis illius generis alterius immutatus & rectus: omnia animo mentiq; denunciat,tum opiniones aſſenſionesq; firmæ ueręq; gignuntur. Quum autem in illis rebus uertitur,quę manentes ſemper eędem, non ſenſu,ſed intelligentia continentur,

Multa deſunt

*ius natura conuerteret,ut terram Lunæ curſus proxime ambiret,eiq; ſupra terram proxima ſolis circunuectio eſſet. Lucifer deinde, & ſancta Mercurij ſtella,curſum habent ſolis celeritati parem, ſed uim quandam contrariã , eaq; concurſationes inter ſe habet Lucifer, Murcurius, Sol: alijq; alios uincunt, uiciſſimq; uincuntur. Reliquorum ſiderum quæ cauſa collocandi fuerit, quæq; eorum ſit collocatio,in ſermonem alium differendum eſt,ne in eo quod attingendum fuit,quàm in eo cuius cauſa id attigimus, longior ponatur oratio. Quando igitur unumquodq; eorum ſiderum,curſum decorum eſt adeptum, ex quibus erat motus tẽporis cõſignandus, colligatisq; corporibus uinculis animalibus,tum animantia orta ſunt,eaq; imperio parere didicerunt,tunc ex alterius naturæ motione tranſuerſa,in eiuſdem naturæ motum incurrentia, in eaq; hærentia atque impedita,quum alia maiorem luſtrarent orbem, alia minorem, tardiusq; maiorem, celeriusq; minorem, motu unius eiuſdemq; naturæ,quæ uelociſſime mouebantur,ea celeritate uinci à tardioribus,& cum ſuperabant ſuperari uidebantur. Omnis enim orbis eorum quaſi Helicis inflexione uertebat, quam bifariam contrarie ſimul procedentia efficiebant, ut quod eſſet tardiſſimum id proximum fieret celerrimo. Atque ut eſſet menſura quædam euidẽs,quæ in octo curſibus celeritates tarditatesq; declararet, Deus ipſe ſolem,quaſi lumen accendit ad ſecundum ſupra terram ambitum, ut quàm maxime cœlum omnibus colluceret, animantesq; quibus ius eſſet doceri,ab eiuſdem motu, & ab eo quod ſimile eſſet, numerorum naturam uimq; cognoſcerent. Nox igitur & dies ad hunc modum,& ob has generata cauſas,unum circuitum orbis efficit ſapientiſſimum atq; optimum. Menſis autẽ quãdo luna luſtrato ſuo curſu,ſolẽ cõſecuta ẽ. Annus ubi ſol ſuũ totũ confecit & peragrauit orbẽ. Ceterorũ autẽ ſiderũ ambitus ignorantes homines præter admodũ paucos,neq; nomẽ appellant,neque inter ſe numero cõmetiuntur. Itaq; neſciunt hos ſiderũ errores idipſum eſſe,quod rite dicitur tẽpus, multitudine infinita,uarietate admirabili præditos. Attamẽ illud perſpici & ĩtelligi poteſt,abſoluto perfectoq; numero tẽporis abſolutũ perfectũq; annũ tunc cõpleri deniq;,quũ ſe octo ambitus cõfectis ſuis curſibus ad idẽ caput retulerunt,quũq; eos permẽſus eſt idẽ,& ſemper ſui ſimilis orbis. Has igitur ob cauſas nata aſtra ſunt,quę per cœlũ penetrantia ſolſtitiali ſe & brumali reuocatione cõuerterẽt,ut hoc omne animal quod uidemus,eſſet illi animali quod ſentimus ad æternitatis imitationẽ ſimillimũ. Et cetera quidẽ uſq; ad tẽporis ortũ impreſſa ab illis quę imitabaẽ effinxerat,ſed quia nõdũ omne animal in

mundo

mundo intus incluſerat,ex ea parte deficiebat ad propoſitum exemplar imaginis ſimilitudo. Quot igitur,& quales animalium formas mens in ſpeciem rerum intuens poterat cernere,totidem,& tales in hoc mundo ſecum cogitauit effingere. Erant autem animantium genera quatuor,quorum unum diuinum atq; cœleſte,alterum pennigerum,& aeriū:tertium * terreſtre quartum Diuinæ animationis maxime ſpeciem faciebat ex igni,ut & ſplendidiſſimus eſſet,& aſpectu pulcherrimus. Quumq; eum ſimilem uniuerſi naturæ efficere uellet,ad uolubilitatem rotundauit,comiteq; eum ſapientia quamoptimæ mentis effecit,circumq; omne cœlum æqualiter diſtribuit,ut hunc uarietate diſtinctum bene Græci κόσμον nos lucētem mundum nominaremus. Dedit autem diuinis duo genera motus:unum quod ſemper eſſet in eodem eque, & idem in omnibus,atq; uno modo celeraret:alterum quod in anticam partem à conuerſione eiuſdem,& ſimilis,pelleretur. Quinq; autem reliquis motibus orbem eum uoluit eſſe expertem,immobilem,& ſtantem,ex quo genere ea ſunt ſidera,quæ infixa cœlo non mouentur loco,quæ ſunt animātia,eaq; diuina,ob eamq; cauſam ſuis ſedibus inhærent,& perpetuo manent. Quæ autem uaga & mutabili ratione labuntur,ita generata ſunt,ut ſupra diximus. Iam uero terram altricem noſtram,quæ traiecto axi ſuſtinetur, diei noctisq; effectricem,eandemq; cuſtodem antiquiſſimā deorū omniū uoluit eſſe eorū, qui intra cœlum gignerentur. Flexiones autem deorum, & inter ipſos deos concurſiones,quæq; in orbibus eorum conuerſiones,anteceſſionesq; eueniāt quumq; inter ſe pene contingant,eos qui propè copulentur contrariaq; regione,aut ponè quos,aut ante labantur,quiſq; temporibus à noſtro aſpectu oblitescant,rurſusq; emerſi errorem incutiant rationis expertibus, ſi uerbis explicare conemur nullo poſito ob oculos ſimulacro earum rerum,fruſtra ſuſcipiatur labor. Sed hæc ſatis ſint dicta nobis,quæ de deorum qui cernuntur quiq; ſunt orti, natura præfati ſumus,habeant hunc terminum:reliquorum autem quos Græci δαίμονας appellant,noſtri (opinor) Lareis, ſi modo hoc recte conuerſum uideri poteſt,& noſſe,& nunciare ortum eorum maius eſt quàm ut profiteri ſcribere nos audeamus. Credendum nimirum eſt ueteribus,& priſcis,ut aiunt,uiris,qui ſe progeniem deorum eſſe dicebant, itaque eorum uocabula nobis prodiderunt:noſſe autem generatores ſuos optimè poterant. Ac difficile factu eſt,à dijs ortis fidem non habere, quanquam nec argumentis,nec rationibus certis eorum oratio confirmatur. Sed quia dè ſuis notis rebus uidentur loqui ueteri legi moriq; parendum eſt. Sic igitur ut ab ijs eſt traditum, horum deorum ortus habeatur,atque dicatur ut Oceanum Salaciamq; cœli ſatu terræq; conceptu generatos editosq; memoremus. Ex ijs Saturnum & Opem, deinceps Iouem atque Iunonem reliquos fratres inter ſe agnatosq; uſurpare atque appellare uidemus, & eorum ut utamur ueteri uerbo,proſapiam. Quando igitur omnes & qui mouentur, palamq; ſe oſtendunt,& qui eatenus nobis declarantur quo ipſi uolunt creati ſunt,tum ad eos is deus qui omnia genuit,fatur hæc. Vos qui deorum ſatu orti eſtis attendite. Quorum operum ego parens effectorq; ſum, hæc ſunt indiſſoluta me inuito,q̄q̄ omne colligatum ſolui poteſt. Sed haudquaquam boni eſt ratione uinctum uelle diſſoluere. Sed quoniam orti eſtis immortales uos quidem eſſe & indiſſolubiles nō poteſtis. Neutiq̄ tamē diſſoluemini;

neq; uos ulla mortis ſata periment: nec fraus ualentior q̃ conſilium meum, quod maius eſt uinculum ad perpetuitatem ueſtram, q̃ illa quibus eſtis tum quum gignebamini, colligati. Quid ſentiam igitur cognoſcite. Tria genera nobis reliqua ſunt, eaq; mortalia, quibus prætermiſſis cœli abſolutio perfecta non erit. Omnia enim genera animalium complexu non tenebit. Teneat autem oportebit ut ex eodem ne quid abſit quæ à me ipſo effecta ſint, deorum uitam poſſint adæquare. Vt igitur mortali conditione generentur uos ſuſcipite, ut illa gignatis imitemini q; uim meam qua me & in ueſtro ortu uſum eſſe meminiſtis. In quibus qui tales creantur ut deorum immortalium quaſi gentiles eſſe debeant, diuini generis appellentur, teneantq; omnium animantium principatum, uobiſq; iure & lege uolentes pareant. Quorum uobis initium ſtatuſq; traditur à me. Vos autem ad id quod erit immortale partem attexitote mortalem. Ita orientur animantes quos & uiuos alatis & conſumptos ſinu recipiatis. Hæc ille dixit, deinde ad temperationem ſuperiorẽ reuertit. In qua omnem animum uniuerſæ naturæ temperans permiſcebat, ſuperiſq; permixtionis reliquias fundens æquabat, eodem modo ferme niſi quod non ita incorrupta, ut ea quæ ſemper iiſdem, ſed à dijs ſecundum ſumebat atq; etiam tertiũ. Toto igitur omni conſtituto ſideribus parem numerum diſtribuit animorũ, & ſingulos adiunxit ad ſingula, atq; ita quaſi in currum uniuerſitatis impoſuit, commonſtrauitq; leges fatales ac neceſſarias. Et oſtendit primum ortum unum fore omnibus, eumq; moderatum atq; conſtantem, nec ab ullo imminutum. Satis autem & quaſi ſparſis animis fore, uti certis temporum interuallis, oriretur animal, quod eſſet, ad cultum deorum aptiſſimum. Sed quũ duplex eſſet natura generis humani, ſic ſe res habebat, ut præſtãtius genus eſſet eorũ, qui eſſent futuri uiri. Quũ autẽ animis corpora neceſſitate inſeuiſſet, quũq; ad corpora neceſſitate cum acceſſio fieret, tum abſceſſio, principio neceſſe erat ſenſum exiſtere unum, communemq; omnium uehementiore motu excitato coniunctoq; naturæ, deinde uoluptate & moleſtia mixtum amorem, poſt irã & metum, & reliquos motus animi, comites ſuperiorum, & his etiam contrarios diſſidentes: quos qui ratione rexerit, iuſte uixerit: qui autem his ſe dederit, iniuſte. Atque ille qui recte atq; honeſte curriculũ uiuẽdi à natura datũ cõfecerit, ad illud aſtrum quocum aptus fuerit, reuertetur: qui autem immoderate & intemperate uixerit, eum ſecundus ortus in figuram muliebrem tranſferet. Et ſi ne tum quidem finem uitiorum faciet, grauius etiam iactabitur, & in ſuis moribus ſimillimas figuras pecudum & ferarum transferetur: neque terminum malorum prius aſpiciet, quàm illam ſequi cœperit conuerſionem quã habebat in ſe ipſe eiuſdem & ſimilis innatam & inſitam: quod tum eueniet, quum illa quæ ex igni, anima, aqua, atque terra turbulenta & rationis expertia inſederint, ratione depulerit, & ad primam atq; optimam affectionem animi peruenerint. Quæ quum ita deſignaſſet, ſeſeq; ſi quid poſtea fraudis, aut uitij eueniſſet extra omnẽ culpam, cauſamq; poſuiſſet, alios in terra, alios in luna, alios in reliquas mundi partes, quę ſunt ad ſpatiorũ tẽporis ſignificationẽ notæ conſtitutæ, ſpargens quaſi ſerebat. Poſt autem eã ſationẽ, dijs, ut ita dicã, iunioribus permiſit; ut corpora mortalia effingerent, quantũq; eſſet reliquũ ex humano animo quod deberet accedere, id omne & quæ cõſequẽtia eſſent perpolirent, & abſoluerent: deinde ut huic animanti principẽ ſe ducẽq; pręberet,

ret,uitamq́ꝫ eius pulcherrime regeret & gubernaret. Quatenus non ipſe beneſactus,ſua culpa ſibi aliquid miſeriæ quæreret. Atqꝫ is quidem qui cuncta compoſuit,conſtanter in ſuo manebat ſtatu: qui autem erant ab eo creati,quū parentis ordinem cognouiſſent hunc ſequebantur. Itaqꝫ quum accepiſſent immortale principium mortalis animantis,imitantes genitorem & effectorem ſui,particulas ignis & terræ,& aquæ,& animæ à mundo,quas rurſus redderent,mutuabantur,easq́ꝫ inter ſecopulabant,haud iiſdem uinculis quibus ipſi erant colligati,ſed talibus quæ cerni non poſſent propter paruitatem , crebis quaſi cuneolis inliquefactis, unum efficiebant ex omnibus corpus , itemq́ꝫ in eo influēte atqꝫ effluente animo diuino ambitus illigabant. Itaqꝫ illi in flumē immerſi,neqꝫ tenebant,neqꝫ tenebantur,ſed ui magna tum ferebant,tum ferebantur. Ita totum animal mouebatur illud quidem,ſed immoderate & fortuitu,ut ſex motibus ueheretur: nam & ante & pone, ad læuam & ad dextram, & ſurſum & deorſum,modo huc modo illuc. Sed ſi in ſplendore cōſedit,tum uel eadem ſpecies,uel interdum immutata redditur,quum ignis oculorum cū eo igne qui eſt ob os offuſus,ſe confudit & contulit. Dextra autem uidentur, quę lęua ſunt,quia contrariis partibus oculorum,contrarias partes attingūt. Reſpondent autem dextra dextris, læua læuis conuerſione luminum , quum ea inter ſe non cohæreſcunt. Id fit quum ſpeculorum leuitas,hinc illincq́ꝫ altitudinem aſſumpſit,& ita dextra detruſit in læuam partem oculorum, læuaq́ꝫ in dextram. Supina etiam ora cernuntur depulſione luminum,quæ conuertēs inferiora reddit quæ ſunt ſuperiora. Atqui hæc omnia ex eo genere ſunt,quæ rerum adiuuant cauſas,quibus utitur miniſteriis deus,quum optimi ſpeciem quoad fieri poteſt efficit. Sed æſtimant pleriqꝫ non hæc adiuuantia cauſarum ſed has ipſas eſſe omnium cauſas, quæ uim habeant refrigerandi calfaciendi, concreſcendi,liquendi,careant autem omni intelligentia atqꝫ ratione,quę niſi in animo nulla alia in natura reperiantur. Animus autem ſenſum omnem effugit oculorum. At ignis,aqua,terra,corpora ſunt,eaq́ꝫ cernuntur. Illum autem qui intelligentiæ ſapientiæq́ꝫ ſe amatorem profitetur, neceſſe eſt intelligentis ſapientisq́ꝫ naturæ primas cauſas conquirere , dein ſecundas earum rerū quæ neceſſario mouent alias quum ipſæ ab aliis mouentur. Quocirca nobis ſic cerno eſſe faciendum,ut de utroqꝫ nos quidem dicamus genere cauſarum,ſeparatim autē de his quæ cū intelligentia ſunt efficientes pulcherrimarū rerum atqꝫ optimarum,de his quæ uacantes prudentia,inconſtantia perturbataq́ꝫ efficiunt. At de oculorum quidem cauſis,ut haberent eam uim quam nunc habent, ſatis ferme eſſe dictum puto. Maxima autem eorum utilitas donata hominū generi deorum munere deinceps explicetur. Rerum enim optimarum cognitionem nobis oculi attulerunt. Nam hæc quæ eſt habita de Vniuerſitate oratio à nobis haud unq̄ eſſet inuēta,ſi neqꝫ ſydera,neqꝫ ſol,neqꝫ cœlum ſub oculorum aſpectum cadere potuiſſent. Nunc uero dies noctesq́ꝫ oculis cognitæ, tum menſium annorumq́ꝫ conuerſiones ad numerum machinatæ ſunt,& ſpatium temporis dimenſæ,& ad quæſtionem totius naturę impulerunt,quibus ex rebus philoſophiam adepti ſumus: quo bono nullum optabilius, nullum præſtantius,neqꝫ datum eſt mortalium generi deorum conceſſu atque munere,neqꝫ dabitur.

Multa deſiderantur.

Q. CICERONIS DE PETITIONE CON SVLATVS AD M. TVLLIVM FRATREM. LIBER.

ETSI tibi omnia ſuppetunt ea quæ conſequi ingenio,
aut uſu homines,aut diligentia poſſunt,tamen ab amo
re noſtro non ſum alienum arbitratus ad te perſcribere
ea quæ mihi ueniebant in mentem dies ac noctes de pe
titione tua cogitanti,nõ ut aliquid ex ĳs noui adĳcerẽ,
ſed ut ea quæ in te diſperſa atqꝫ infinita uiderentur eſſe
ratione & diſtributione,ſub uno aſpectu ponerentur.
Qꝫ q̃ plurimum natura ualet,tamen uidetur in pauco-
rum menſium negocio poſſe ſimulatio naturam uincere.Ciuitas quæ ſit cogi
ta,quid petas,qui ſis.Propè quotidie ad forum tibi deſcendenti meditandum
hoc ſit,nouus ſum,Conſulatum peto.Roma eſt.Nominis nouitatem dicendi
gloria maxime ſubleuabis.Semper ea res plurimum dignitatis habuit. Non
poteſt qui dignus habetur patronus Conſularium,indignus Conſulatu puta
ri.Quamobrem quoniã ab hac laude proficiſceris,& quidquid es ex hoc es,
ita paratus ad dicendum uenito,quaſi in ſingulis cauſis iudicium de omni in-
genio futurum ſit.Eius facultatis adiumenta,quæ tibi ſcio eſſe ſepoſita,ut prõ
pta ac parata ſint,cura,& ſæpe quæ de Demoſthenis ſtudio & exercitatione
ſcripſit Demetrius,recordare:deinde & amicorum multitudo & genera ap-
pareant.Habes enim ea quæ noui habuerunt,omnes publicanos, totum ferè
equeſtrem ordinẽ:multa præterea municipia,multos abs te defenſos cuiuſqꝫ
ordinis,aliquot collegia,præterea ſtudio dicendi conciliatos plurimos ado-
leſcentulos,quotidianam amicorum aſſiduitatem & frequentiam. Hæc cura
& ut teneas cõmendando & rogando,& omni ratione efficiendo, ut intelli-
gant qui debent tua cauſa,referendæ gratiæ,& qui uolunt obligandi tui tem
pus ſibi aliud nullum fore.Etiam hoc multum uidetur adiuuare poſſe nouum
hominem, hominum nobilium uoluntas,& maxime Conſularium.Prodeſt
quorum in locum ac numerum peruenire uelis,ab his ipſis illo loco ac nume
ro dignum putari.Hi rogandi omnes ſunt diligenter, & ad eos allegandum,
perſuadendumqꝫ eſt ĳs,nos ſemper cum optimatibus de republica ſenſiſſe,mi
nime populares fuiſſe:ſi quid locuti populariter,id nos eo conſilio feciſſe, ut
nobis Cn.Pompeium adiungeremus,ut eum qui plurimum poſſet, aut ami-
cum in noſtra petitione haberemus,aut certe non aduerſarium.Præterea ado
leſcentes nobiles elabora ut habeas,uel teneas ſtudioſos quos habes:multum
dignitatis afferent.Plurimos habes,perfice ut ſciant quantũ in his putes eſſe.
Si adduxeris,ut ĳ qui non uolunt cupiant,plurimum quidem proderunt. Ac
multum etiam nouitatem tuam adiuuat quod eiuſmodi nobiles tecum petunt
ut nemo ſit qui audeat dicere plus illis nobilitatem q̃ tibi uirtutem prodeſſe
oportere.Iã P.Galbã,& L.Caſſiũ ſummo loco natos,quis eſt qui petere Con
ſulatũ putet? Vides igitur ampliſſimis ex familĳs homines,qui ſine neruis ſũt
tibi pares nõ eſſe.At Antonius & Catilina moleſti ſunt, imo homini nouo
induſtrio,innocẽti,diſerto,gratioſo apud eos qui res iudicãt,optandi cõpeti-
tores

tores,ambo à pueritia ſicarij,ambo libidinoſi,ambo egentes:eorum alterius bona proſcripta uidimus,uocem deniq; audiuimus iurantis ſe Romæ iudicio æquo,cum homine Græco certare non poſſe,& ex Senatu eiectũ ſcimus.Optima uero Cenſorum exiſtimatione in prætura competitorem habuimus amico Sabidio & Panthera,quod ad tabulã quos poneret nõ habebat,quo tamẽ in magiſtratu amicã,quã palam domi haberet,de machinis emit.In petitione autẽ Cõſulatus caupones omnes hic cõpilare per turpiſſimã legationẽ maluit q̃ adeſſe,& populo Romano ſupplicare.Alter uero dij boni quo ſplendore eſt? Primũ nobilitate eadẽ qua Catilina,nũ maiore? nõ,ſed uirtute.Quamobrẽ quã Manius umbrã ſuã metuit,hunc negliges quidẽ,natũ in patris egeſtate,educatũ in ſororis ſtupris,corroboratũ in cęde ciuiũ:cuius primus ad rẽ publicã aditus in Equitibus Romanis occidendis fuit.Nã illis quos meminimus Gallis,qui tantũ Titiniorũ,ac Nanniorũ,ac Tanuſiorum capita demebant,Sylla unũ Catilinã præfecerat, in quibus ille hominẽ unũ optimumq́; Catulũ ſororis ſuæ uirũ,Equitẽ Romanũ,nullarũ partiũ, cum ſemper natura,tũ etiã ætate iam quietũ,ſuis manibus occidit.Quid ego nunc dicã petere eũ tecũ Conſulatũ qui hominẽ cariſſimũ populo Romano M.Marium ĩ ſpectãte populo Romano uirgis per totã urbẽ ceciderit,ad buſtũ egerit,ibi omni cruciatu lacerarit,uiuo ſtanti collũ gladio ſua dextera ſecuerit, quũ ſiniſtra capillũ eius à uertice teneret,caput ſua manu tulerit,quũ inter digitos eius riui ſanguinis fluerent:qui poſtea cũ hiſtrionibus,& cũ gladiatoribus ita uixit, ut alteros libidinis,alteros facinoris adiutores haberet:qui nullũ in locũ tam ſanctũ & tã religioſũ acceſſit,in quo nõ etſi in alijs culpa nõ eſſet,tamẽ ex ſua nequitia dedecoris ſuſpitionẽ relinqueret,qui ex curia Curios & Annios, ab atrijs Sapalas & Caruilios,ex equeſtri ordine Pompilios & Cneos ſibi amiciſſimos compararit:qui tantum habet audaciæ,tantum nequitiæ,tantum deniq; in libidine artis & efficacitatis,ut propè in parentum gremijs, prætextatos liberos conſtuprarit? Quid ego nunc tibi de Aphrica? quid de teſtium dictis ſcribam? Nota ſunt,& ea tu ſæpius legito.Sed tamen hoc mihi non prætermittendum uidetur,quod primum ex eo iudicio tam egens diſceſſit,q̃ quidam iudices eius ante illud iudicium fuerunt:deinde tam inuidioſus,ut aliud in eum iudicium quotidie flagitetur.Hic ſe ſic habet,ut magis timeat etiam ſi quieuerit,q̃ ut contemnat,ſi quid commouerit. Quanto melior tibi fortuna petitionis data eſt,q̃ nuper homini nouo C.Cælio? Ille cum duobus hominibus ita nobiliſſimis petebat,ut tamen in ijs omnia pluris eſſent q̃ ipſa nobilitas:ſumma ingenia,ſummus pudor,plurima beneficia, ſumma ratio ac diligẽtia petendi.Tamen eorum alterum quum deeſſet alter. Cælius etiam quum multo eſſet ĩferior genere,ſuperior nulla re pene,ſuperauit. Quare ſi tibi facies ea quæ tibi natura & ſtudia,quibus uſus es ſemper,largiuntur,quæ temporis tui ratio deſiderat,quæ potes,quæ debes,non erit difficile certamen cũ ijs competitoribus,qui nequaq̃ ſunt tam genere inſignes,q̃ uitijs nobiles. Quis enim reperiri poteſt tam improbus ciuis,qui uelit uno ſuffragio duas in rempublicam ſicas diſtringere? Quoniam igitur quæ ſubſidia nouitatis haberes & habere poſſes expoſui,nunc de magnitudine petitionis dicendum uidetur. Conſulatum petis,quo honore nemo eſt qui te nõ dignũ arbitretur, ſed ſunt multi qui inuideant.Petis enim homo ex equeſtri loco,ſummũ locũ ciuitatis.

atq; ita ſũmum,ut forti homini,diſerto, innocẽti,multo ille idem honos plus amplitudinis q̃ ceteris afferat.Noli putare eos qui ſunt eo honore uſi,nõ uidere,tu quum idem ſis adeptus,quid dignitatis habiturus ſis.Eos uero qui Conſularibus familijs nati locum maiorum conſecuti nõ ſunt,ſuſpicor tibi,niſi qui admodum te amant,inuidere.Etiam nouos homines Prætorios exiſtimo,niſi qui tuo beneficio iuncti ſunt,nolle abs te ſe honore ſuperari.Iam in populo q̃ multi inuidi ſunt,q̃ multi conſuetudine horum annorum ab honoribus nouis alienati,uenire tibi in mentem certo ſcio.Eſſe etiam nonnullos tibi iratos ex ijs cauſis,quas egiſti,neceſſe eſt.Iam illud tute circumſpicito,quod ad Cn. Pompeij gloriam augendam,tanto ſtudio te dediſti,num quos tibi putes ob eam cauſam eſſe amicos? Quamobrem quum & ſummum locum ciuitatis petas,& uideas eſſe ſtudia,quę tibi aduerſentur,adhibeas neceſſe eſt,omnem rationem,& curam & laborem, & diligẽtiam. Et petitio magiſtratuum diuiſa eſt in duarum rationum diligentiam: quarum una in amicorum ſtudijs, altera in populari uoluntate ponenda eſt. Amicorum ſtudia, beneficijs, & officijs,& uetuſtate,& facilitate,ac iucunditate naturę,parta eſſe oportet. Sed hoc nomen amicorum in petitione latius patet q̃ in cetera uita. Quiſquis eſt enim qui oſtendat aliquid in te uoluntatis, qui colat,qui domum uentitet,is in amicorum numero eſt habendus. Sed tamen qui ſunt amici ex cauſa honeſtiore, cognationis,aut affinitatis,aut ſodalitatis,aut alicuius neceſſitudinis, his carum & iucundum eſſe maxime prodeſt: deinde ut quiſq; optimus ac maxime domeſticus,ut is amet, quique fideliſſimum eſſe te cupiat, ualde elaborandũ eſt: tum ut tribules,ut uicini,ut clientes,ut deniq; liberti,poſtremo etiam ſerui tui: nam ferè omnis ſermo ad forẽſem famam à domeſticis emanat auctoribus. Deniq; inſtituendi ſunt cuiuſcunq; generis amici ad ſpeciem hominis illuſtris honore ac nomine: qui etiam ſi ſuffragandi ſtudia non nauant, tamen afferunt petitori aliquid dignitatis ad iuſtitiam obtinendam. Magiſtratus ex quibus maxime COS. Deinde Trib.pleb.ad conficiendas centurias homines excellenti gratia,qui tribuent centuriam,ut aliquod ex te beneficium, aut habent, aut ut habeant ſperent, eos prorſus magnopere compara & confirma. Nam per hos annos homines ambitioſi uehementer omni ſtudio atq; opera laborarunt,ut poſſent à tribulibus ſuis ea quæ peterent impetrare. Hos tu homines quibuſcunque rationibus poteris,ut ex animo,atq; ex illa ſũma uoluntate tui ſtudioſi ſint,laborato. Quod ſi ſatis grati homines eſſent, hæc tibi omnia parata eſſe debebant,ſicut parata eſſe concerno. Nam hoc biẽnio quatuor ſodalitates ciuium ad ambitionem gratiſſimorũ tibi obligaſti, C. Fundani,Q. Galli,Cn. Cornelij,L. Coruini: & horum in cauſis ad te defe rendis quid tibi eorum ſodales receperint,& confirmarint ſcio: nam interfui. Quare hoc tibi faciendum eſt,ut hoc tempore ab ijs quod debent exigas,ſępe commonendo,rogando,confirmando,curando ut intelligant nullum tẽpus aliud ſe unq̃ habituros referendæ gratiæ. Profecto homines & ſpe reliquorũ tuorum officiorum,etiam recentibus beneficijs ad ſtudium ſeruandum excitabuntur. Et omnino quoniam eo genere amicitiarum petitio tua maxime munita eſt,quod cauſarum defenſionibus adeptus es,fac ut planè ijs hominibus, quos deuinctos tenes,deſcriptũ,ac depoſitũ ſuũ cuiq; munus ſit. Et queadmodũ nemini,quod nulla in re illis unq̃ moleſtus fuiſti,ſic cura ut intelligãt omnia

nia

nia te,quæ ab illis tibi deberi putaris,ad hoc tempus reſeruaſſe. Sed quoniam tribus rebus homines,maxime ad beneuolentiam,atq; hæc ſuffragādi ſtudia ducuntur,beneficio,ſpe,adiunctione animi uel uoluntate, animaduertendum eſt,quemadmodum cuiq; horum generi ſit inſeruiendum. Minimis benefi- cijs homines adducuntur,ut ſatis cauſæ putent ſe ad ſtudium ſuffragationis de diſſe,nedum ij quibus ſaluti fuiſti,quos tu habes plurimos, & intelligant, ſi hoc tuo tempore nō ſatis fecerint,ſe probatos nemini unq̄ fore. Quod quum ita ſit,tamen rogandi ſunt,atque etiam in hanc opinionem adducendi,ut qui nobis adhuc obligati fuerint,ijs uiciſſim nos adhuc obligari poſſe uideamur. Qui autem ſpe tenentur,quod genus hominum multo eſt diligentius atq; of ficioſius,ijs fac ut propoſitum,ac paratum auxilium tuū eſſe uideatur. Deniq; ut ſpectatorem te ſuorum officiorum eſſe intelligant diligentem, ut uide- re te planè atq; animanduertere quantum ab unoquoque proficiſcatur appa- reat. Tertium illud genus eſt ſtudiorum uoluntarium,quod agendis gratijs accommodandis ſermonibus ad eas rationes propter quas quiſque ſtudio- ſus tui eſſe uidebitur,ſignificando erga illos pari uoluntate adducendam ami citiam,in ſpem familiaritatis & conſuetudinis confirmari oportebit, atq; in ijs omnibus generibus iudicato & perpendito quātum quiſq; poſſit,ut ſcias, & quemadmodum cuique inſeruias, & quid à quoq; expectes & poſtules. Sunt enim quidam homines in ſuis ciuitatibus,& municipijs gratioſi, ſunt di ligentes & copioſi,qui etſi antea non ſtuduerunt huic gratiæ,tamen ex tem- pore elaborare ejus cauſa cui debent & uolunt facile poſſunt. His hominum generibus ſic inſeruiendum eſt,ut ipſi intelligant te uidere quid à quoque ex- pectes,ſentire quid accipias,meminiſſe quid acceperis. Sunt autem qui aut ni- hil poſſunt,aut odio ſunt etiam tribulibus ſuis,nec habēt tantum animi aut fa cultatis,ut enitantur extempore. Hos ut internoſcas,uideto,ne ſpe in aliquo maiore poſita,præſidij parum comparetur. Et quanquam partis & fundatis amicitijs fretum ac munitum eſſe oporteret,tamen in ipſa petitione amicitiæ permultæ ac perutiles comparantur. Nam in ceteris moleſtijs habet hoc ta- men petitio commodi,ut poſſis honeſte,quod in cetera uita non queas,quoſ- cunque uelis adiungere ad amicitiam: quibuſcum ſi alio tempore agas, ut te utantur,abſurde facere uideare. In petitione autem niſi id agas,& cum multis & diligenter,nullus petitor eſſe uideare. Ego autem tibi hoc cōfirmo,eſſe ne- minem,niſi aliqua neceſſitudine competitorum alicui tuorum ſit adiunctus, à quo non facile ſi contenderis impetrare poſſis,ut ſuo beneficio promerea- tur ſe ut ames,& ſibi ut debeas,modo intelligat te magni æſtimare,ex animo agere,bene ſe ponere,fore ex eo non breuem & ſuffragatoriam, ſed firmam & perpetuam amicitiam. Nemo erit, mihi crede,in quo modo aliquid uir- tutis ſit,qui hoc tempus ſibi oblatum amicitiæ tecum conſtituendæ præter- mittat,preſertim quum tibi hoc caſus afferat,uti tecum petant, quorum ami- citia,aut contemnenda,aut fugienda ſit,& qui hoc quod ego te hortor,nō mo do non aſſequi,ſed ne incipere quidem poſſint. Nam quid incipiat Antoni- us homines adiungere,atq; inuitare ad amicitiam,quos per ſe ſuo nomine ap pellare non poſſit? Mihi quidem nihil ſtultius uidetur q̄ exiſtimare eum ſtu dioſum tui,quem non noris. Eximiam quandam gloriam & dignitatem, ac rerum geſtarum magnitudinem eſſe oportet in eo quem homines ignoti,nul

lis ſuffragantibus meritis honore afficiant. Nanque ut homo iners ſine officio, ſine ingenio, cum infamia, nullis amicis ſeptus, hominem plurimorum ſtudio atq; omnium bona exiſtimatione munitum præcurrat, ſine magna culpa negligentiæ fieri non poteſt. Quamobrem omnes centurias multis & uarijs amicitijs cura ut confirmatas habeas, & primum id quod ante oculos ſitū eſt, Senatores equitesq́; Ro. ceterorum hominum uarios homines & gratioſos complectere. Multi homines urbani induſtrij, multi libertini in foro gratioſi, nauiq́; uerſantur, quos per te, quos per communes amicos poteris ſumma cura ut tui cupidi ſint, elaborato, appetito, allegato ſummo beneficio te affici oſtendito. Deinde habe oratores urbis totius, collegium omnium pagorū, uicinitatum. Ex ijs principes ad amicitiam tuam ſi adiunxeris, per eos reliquā multitudinem facile tenebis. Poſtea totam Italiam fac ut in animo & memoria tibi diſtributā cōprehenſamq́; habeas, ne quod municipium, coloniam, præfecturā, locum deniq; Italiæ, ne quē eſſe patiare, in quo nō habeas firmamenti, quod ſatis eſſe poſſit. Perquiras etiam & inueſtiges homines ex omni regione, eosq́; cognoſcas, appetas, confirmes, cures ut in ſuis uicinitatibus tibi aliquos petant, & tua cauſa quaſi candidati ſint: uolent te amicum ſi ſuam à te amicitiam expeti uidebunt. Id ut intelligant oratione quæ ad eam rationem pertinet conſequere. Homines municipales, & ruſticani ſi nomine tantū noti ſunt, in amicitia ſe eſſe arbitrantur. Si uero etiam præſidij ſe aliquid ſibi cōſtituere putant, non amittunt occaſionem promerēdi. Hos ceteri, & maxime tui competitores ne norunt quidē: tu & noſti, & facile cognoſces, ſine queis amicitia eſſe nō poteſt. Neq; id tamen ſatis eſt, tametſi magnū eſt, ſed ut conſequatur ſpes utilitatis atq; amicitiæ, ne nomenclator ſolū, ſed amicus etiā bonus eſſe uideare. Ita quū & hos ipſos propter ſuā ambitionē qui apud tribules ſuos plurimū gratia poſſint ſtudioſos in centurijs, habebis, & ceteros qui apud aliquā partem tribuliū propter municipij, aut ciuitatis, aut collegij rationem ualent, cupidos tui conſtitueris, in optima ſpe eſſe debebis. Iā equitum centuriæ multo facilius mihi diligentia poſſe teneri uidentur. Primū cognoſcendi ſunt equites, pauci enim ſunt, deinde adipiſcendi: multo enim facilius illa adoleſcētulorū ad amicitiā ętas adiungitur. Deinde habebis tecū ex iuuentute optimū quenq; & ſtudioſiſſimū humanitatis: tū equeſter ordo ſequetur illius auctoritatē ordinis, ſi abs te adhibebitur ea diligentia, ut nō ordinis illius auctoritatē ſolū uoluntate, ſed etiā ſingulorum amicitijs eas centurias confirmatas habeas. Iā ſtudia adoleſcentulorū in ſuffragando, in obeundo, in nunciando, in aſſectando, mirifice & magna & honeſta ſunt. Et quoniam aſſectationis mentio facta eſt, id quoque curandum eſt, ut quotidiana cuiuſque generis, & ordinis, & ætatis utare. Nam ex ea ipſa copia coniectura fieri poterit quantum ſis in ipſo campo uirium ac facultatis habiturus. Huius autem rei tres partes ſunt una ſalutatorum quum domum ueniunt, altera deductorum, tertia aſſectatorum. In ſalutatoribus qui magis uulgares ſunt, & ad hanc cōſuetudinem quæ nunc eſt, plures ueniunt, hoc efficiendum eſt, ut hoc ipſum minimum officium eorum tibi gratiſſimum eſſe uideatur. Qui domum tuam uenient, his ſignificato te animaduertere, & eorū amicis qui illis renuncient oſtendito, ſæpe ipſis dicito: ſic homines ſæpe quum obeunt plures competitores, & uident unū eſſe aliquem qui hæc officia maxime animaduertat, ei ſe dedunt, deſerunt ce-

teros,

teros,minutatim ex communibus proprij,ex fucoſis firmi ſuffragatores euadunt. Iam illud teneto diligenter,ſi eum qui tibi promiſerit,fucum,ut dicitur facere uelle ſenſeris,ut te id audiſſe,aut ſcire diſſimules. Si quis tibi ſe purgare uolet,quod ſuſpectum eſſe arbitretur, affirmes te de illius uoluntate nunq̃ dubitaſſe,nec debere dubitare. Is enim qui ſe non putat ſatiſfacere, amicus eſſe nullo modo poteſt. Scire autem oportet quo quiſq; animo ſit,ut & quantum cuiq; confidas conſtituere poſſis. Iam deductorum officium quo maius eſt q̃ ſalutatorum,hoc grauius tibi eſſe ſignificato, atq; oſtendito, & quoad eius fieri poterit certis temporibus deſcendito. Magnam affert opinionem, magnam dignitatem,quotidiana in deducendo frequentia. Tertia eſt ex hoc genere aſſidua aſſectatorum copia: in ea quos uoluntarios habebis,cura ut intelligant te ſibi in perpetuum ſummo beneficio obligari. Qui autem tibi debēt, ab ijs plane hoc munus exige,qui per ætatem ac negocium poterunt,ipſi tecū ut aſſidui ſint,qui ſi ipſi ſectari non poterunt,neceſſarios ſuos in hoc munere cōſtituant. Valde ego te uolo,& ad rem pertinere arbitror,ſemper cum multitudine eſſe. Præterea magnam affert laudem,& ſummā dignitatem,ſi ij tecum erunt qui à te defenſi,& qui per te ſeruati,ac iudicijs liberati ſunt: Hæc tu plane ab ijs poſtulato,ut quoniam nulla impenſa per te alij rem honeſtam, alij ſalutem ac fortunas omnes obtinuerunt,nec aliud ullum tempus futurum ſit,ubi tibi referre gratiam poſſint,hoc te officio remunerent. Et quoniam in amicorum ſtudijs hæc omnis oratio uerſatur,qui locus in hoc genere cauendus ſit,prætermittendum non uidetur. Fraudis,atq; inſidiarum, & perfidiæ plena ſunt omnia: non eſt huius temporis perpetua illa de hoc genere diſputatio,quibus rebus beneuolus & diſſimulator diiudicari poſſit. Tantum eſt huius temporis admonere. Summa tua uirtus eoſdem homines,& ſimulare tibi eſſe amicos,& inuidere coget. Quamobrem ἐπιχάρμειον illud teneto, neruos atq; artus eſſe ſapientiæ,non temere credere. Et quum tuorum amicorum ſtudia conſtitueris,tum etiam obtrectatorū atq; aduerſariorū rationes & genera cognoſcito. Hæc tria ſunt: unum ex ijs quos læſiſti: alterum qui ſine cauſa non amant: tertium qui competitorum ualde amici ſunt. Quos læſiſti, quum contra eos pro amico diceres,ijs te purgato plane,neceſſitudines commemorato,in ſpem adducito,te in eorum rebus ſi ſe in amicitiam contulerint, pari ſtudio atq; officio futurum ſpondeto. Qui ſine cauſa non amant,eos aut beneficio,aut ſpe,aut ſignificando tua erga illos ſtudia futura delinies,dans operā ut de illa animi prauitate deducas. Quorum uoluntas erit abs te propter competitorum amicitias alienior,his quoq; eadem inſerui oratione qua ſuperioribus,& ſi probare poteris,te in eos ipſos competitores tuos beneuolo eſſe animo oſtendito. Quoniam de amicitijs conſtituendis ſatis dictum eſt,dicendū eſt de illa altera parte petitionis,quæ in populari ratione uerſatur. Ea deſiderat nomenclationem, blanditiam, aſſiduitatem, benignitatem, rumorem, ſpem in rep. Primum id quod facis,ut homines noris,ſignifica ut appareat,& auge ut quotidie melius fiat. Nihil mihi tam populare,neq; tam gratum uidetur. Deinde id quod natura non habes,induc in animum ita ſimulandum eſſe ut natura facere uideare. Non committas tibi neceſſe eſt,ea quæ bono ac ſuaui homine digna ſunt,ſed opus eſt magnopere blanditia,quę etiam ſi uitioſa eſt & turpis in cetera uita,tamen in petitione neceſſaria. Tibi enim quum dete-

riorem aliquem aſſentãdo facit,improba eſt:quum amiciorem,non tam uitu peranda:petitori uero neceſſaria eſt,cuius & frons,& uultus,& ſermo ad eorum quoſcunq; conuenerit ſenſum & uoluntatem commutandus eſt.Iam aſſiduitatis nullum eſt pręceptum,uerbumq; ipſum docet quæ res ſit. Prodeſt quidem uehementer nuſq̃ deeſſe,ſed tamen hic fructus eſt aſſiduitatis,non ſolum eſſe Romæ atque in foro,ſed aſſidue petere,ſæpe eoſdem appellare,non committere ut quiſq̃ poſſit dicere,quod eius ſit conſequi poſſis ſi abs te nõ ſit rogatum,& ualde ac diligenter rogatum.Benignitas autem late patet, & eſt in re familiari,quæ q̃q̃ ad multitudinem peruenire non poteſt,tamen ab amicis laudatur,multitudini grata eſt.Eſt in conuiuijs quæ facere te oportet & amicis tuis concelebrentur,& paſſim,& tributim:eſt etiam in opera, quam peruulga & communica.Cura ut aditus ad te diurni atq; nocturni pateant, neq; foribus ſolum ædium tuarum,ſed etiam uultu & fronte, quæ eſt animi ianua.Quæ ſi ſignificat uoluntatem abditam eſſe,ac retruſam,parui refert patere oſtium.Homines enim non modo prompte ſibi, preſertim quæ à candidato petant,ſed etim large ac honorifice promitti uolunt. Quare hoc quidẽ facile præceptum eſt,ut quod acturus ſis,id ſignifices te ſtudioſe ac libenter eſſe facturum.Illud difficilius, & magis ad tempus q̃ ad naturam accommodatum tuam,quod facere non poſſis,ut id iucunde neges: quorum alterũ eſt boni uiri,alterum boni petitoris.Nam quum id petitur quod honeſte,aut ſine detrimẽto noſtro promittere non poſſumus:quomodo ſi quis roget ut cõtra amicum aliquam cauſam recipiamus,belle negandum eſt,ut oſtendas neceſſitudinem,demonſtres q̃ moleſte feras,alijs te id rebus exacturum eſſe perſuadeas. Audiui hoc dicere quendam de quibuſdam oratoribus,ad quos cauſam ſuã detuliſſet,gratiorem ſibi orationem fuiſſe qui negaſſet,q̃ illius qui recepiſſet.ſic homines fronte & oratione magis q̃ ipſo beneficio, req; capiũtur. Verum hoc probabile eſt, illud alterum ſubdurum tibi homini Platonico ſuadere,ſed tamen tempori tuo conſulam.Quibus enim propter aliquod officium neceſſitudinis affuturum negaris, tamẽ ij poſſunt abs te placati, ęquiq; diſcedere:quibus autem idcirco negaris quod te impeditum eſſe dixeris, aut amicorum negocijs,aut grauioribus cauſis,aut ante ſuſceptis,inimici diſcedũt omnes,qui hoc animo ſunt,ut ſibi te mentiri malint,q̃ negare.C.Cotta in ambitione artifex dicere ſolebat,ſe operam ſuam quod non contra officium rogaretur polliceri ſolere omnibus,impertire ijs apud quos optime poni arbitraretur.Ideoq; ſe negare nemini,quod ſæpe accideret cauſa,cur is qui pollicitus eſſet,non uteretur,ſæpe ut ipſe magis eſſet uacuus quàm putaſſet: neque poſſe domum eius compleri qui tantum modo reciperet, quantũ uideret ſe obire poſſe:caſu fieri ut agantur ea quæ nõ putaris,illa quæ credideris in manibus eſſe,ut aliqua de cauſa non agantur. Deinde eſſe extremum ,ut iraſcatur is cui mendacium dixeris.Id ſi promittas,& incertum eſt,& in diem, & in paucioribus:ſin autem id neges,ſtatim abalienant ſe, & inimicantur. Plures enim multo ſunt qui rogant ut uti liceat opera alterius,q̃ qui utãtur. Quare ſatius eſt ex ijs aliquos aliquando tibi in foro iraſci,quàm omnes continuo domi:preſertim quũ multo magis iraſcãtur ijs qui negẽt q̃ ijs qui uideant ea cauſa impeditum,ut facere quod promiſit cupiat ſi ullo modo poſſit . At ne uidear aberraſſe à diſtributione mea,qui hæc in hac populari parte petitionis

diſputem

diſputem,hoc ſequor:hæc omnia non tam ad amicorum ſtudia,q̃ ad popularem famam pertinere.Etſi ineſt aliquod dictum ex illo genere,benigne reſpõdere,ſtudioſe inſeruire negocijs amicorum ac periculis,tamen hoc loco ea dico quibus multitudinẽ capere poſſis:ut de nocte domus compleatur, ut multi ſpe tui præſidij teneantur,ut amiciores abs te diſcedant,q̃ acceſſerint, ut q̃ plurimorũ aures optimo ſermone compleantur.Sequitur enim ut de rumore dicendum ſit cui maxime ſeruiendum eſt.Sed quæ dicta ſunt omni ſuperiori oratione,eadem ad celebrandum rumorem ualent,dicendi laus,ſtudia publicanorum,& equeſtris ordinis,hominum nobilium uoluntas, adoleſcentulorum frequentia,eorum qui abs te defenſi ſunt aſſiduitas,ex municipijs multitudo eorum,quos tua cauſa ueniſſe appareat:bene homines noſſe, comiter appellare,aſſidue ac diligenter petere,benignum ac liberalem eſſe,bene loqui, exiſtimare:domus ut multa nocte compleatur, omnium generum frequentia adſit,ſatiſfiat oratione omnibus,re operaq́ multis perficiatur id quod fieri poteſt labore,& arte,ac diligentia,non ut ad populum ab ijs omnibus fama perueniat,ſed ut in ijs ſtudijs populus ipſe uerſetur.Iam urbanam illam multitudinem & eorum ſtudia qui conciones tenent,quæ adeptus es in Pompeio ornando,in Manilij cauſa recipienda,Cornelio defendendo,excitanda nobis ſunt,quæ adhuc habuit nemo,qui idem ſplendorem hominum uoluntatesq́ haberet.Efficiẽdumq́ etiam illud eſt,ut ſciant omnes Cn.Pompeij ſummam erga te eſſe uoluntatem,& uehementer ad illius rationes te id aſſequi quod petis pertinere.Poſtremo tota petitio cura ut pompæ plena ſit, ut illuſtris, ut ſplendida,ut popularis,ut habeat ſummam ſpeciem,ac dignitatem,ut etiam ſi qui poſſit,ne competitoribus tuis exiſtat aut ſceleris,aut libidinis,aut largitionis accommodata ad eorum mores infamia. Atque etiam in hac petitione maxime uidendum eſt,ut ſpes Romani populi bona de te ſit,& honeſta opinio.

Nec tamen in petendo R.P.Capeſſenda eſt neq; in Senatu, neq; in concione,ſed hæc ſunt tibi retinenda,ut Senatus te exiſtimet ex eo quòd ita uixeris defenſorem auctoritatis ſuæ fore:& equites Romani boni & locupletes,ex uita acta te ſtudioſum otij,atq; rerum tranquillarum: multitudo ex eo dũtaxat quòd oratione in concionibus ac iudicio popularis fuiſti,te à ſuis commodis alienum non futurum. Hæc mihi ueniebant in mentem de duabus illis commotionibus matutinis,quo tibi quotidie ad forum deſcendenti meditandum eſſe dixeramus:nouus ſum,Conſulatum peto.Tertium reſtat, Roma eſt ciuitas ex nationum conuentu conſtituta,in qua multę inſidię,multa fallacia,multa in omni genere uitia uerſantur: multorum arrogantia,multorum contumacia,multorum maleuolentia,multorum ſuperbia,multorum odium ac moleſtia perferenda eſt. Video eſſe magni conſilij atq; artis,in tot hominum huiuſmodi uitijs,tantisq́ uerſantem uitare offenſionem, uitare fabulam, uitare inſidias,eſſe unum hominem accommodatum ad tantam morum,ac ſermonum,& uoluntatum uarietatem.Quare etiam atque etiam perge tenere iſtã uiam,quam inſtituiſti,excelle dicendo:hoc etiam tenentur Romæ homines, & alliciuntur,& ab impediendo ac lædendo repelluntur.Et quoniam in hoc uel maxime uitioſa eſt ciuitas,quod largitione interpoſita uirtutis,& dignitatis obliuiſci ſolet,in hoc fac ut te bene noris,ut intelligas eum eſſe te qui iudicij ac periculi metum maximum competitoribus afferre poſſis. Fac itaque ut ſe

abs te cuſtodiri,atque obſeruari ſciant: tum diligentiam tuam,tum auctoritatem uimq; dicendi,tum profecto equeſtris ordinis erga te ſtudium pertimeſcent. Atque hæc ita te uolo illis proponere,ut uideare occaſionem non meditari,ſed ut hoc errore facilius hoc ipſum quod agis conſequare. Et plane ſic cõtende omnibus neruis ac facultatibus,ut adipiſcamur quod petimus. Video eſſe nulla comitia tam inquinata largitione,quibus non gratis aliquæ centuriæ renunciẽt ſuos maxime neceſſarios. Quare ſi aduigilamus pro rei dignitate, & ſi noſtros ad ſummum ſtudium beneuolos excitamus,& ſi hominibus ſtudioſis gratioſisq; noſtri ſuum cuique munus deſcribimus,& ſi cõpetitoribus iudicia proponimus,ſi equeſtribus metum inijcimus,diuiſores ratione aliqua coercemus,perfici poteſt ut largitio nulla fiat,aut nihil ualeat. Hæc ſunt quæ putaui non melius ſcire me quàm te,ſed facilius his tuis occupationibus colligere unum in locum poſſe,& ad te per ſcripta mittere. Quæ tamen etſi ita ſcripta ſunt,ut non ad omnes qui honores petant,ſed ad te proprie, & ad hanc tuam petitionem ualeant,tamen tu ſi quid mutandum eſſe uidebitur,aut omnino tollendum,aut ſi quid erit præteritum,uelim hoc mihi dicas. Volo enim hoc commentariolum petitionis haberi omni ratione perfectum.

ARATI PHÆNOMENON INTERpretatio,ſed lacera & corrupta à Cicerone admodum adoleſcentulo facta.

*

E quibus hinc ſubter poſſis cognoſcere fultum
Iam cœli mediam partem terit ut prius illæ
Chelæ quum pectus quod cernitur Orionis,
Et prope conſpiciens paruum ſub pectore claro
Andromedæ ſignum, Deltoton dicere Graij
Quod ſoliti,ſimili quia forma litera claret.
Huic ſpatio ductum ſimili latus extat utrunq;.
At non tertia pars lateris,nam non minor illis
Sed ſtellis longe denſis præclara relucet.
Inferior paulo eſt aries,& flamen ad auſtri
Inclinatior,atq; etiam uehementius ille
Piſces,quorum alter paulo prlabitur ante,
Et magis horriſonis Aquilonis tangitur alis,
Atq; horum & caudis duplices uelut eſſe catenæ
Dicantur ſua diuerſæ per lumina ſerpunt.
Atq; una tandem in ſtella communiter hærent,
Quam ueteres ſoliti cœleſtem dicere nodum.
Andromedę lęuo ex humero ſiqua exere perges
At poſitum poteris ſupra cognoſcere piſcem.
E pedibus uatum ſummo natus Ioue Perſeus
Quos humeros retinet defixo corpore Perſeus:
Quẽ ſũma ab regione Aquilonis flamina pulſant.
Hic dextram ad ſedes intendit Caſſiepeæ
Diuerſosq; pedes uinctos talaribus aptis

= Diuerſosq; pedes uinctos talaribus aptis

Pulverulentus uti de terra lapſu' repente
In cœlum uictor magnum ſub culmine portat.
At propter læuum genus omni ex parte locatas
Paruas Vergilias tenui cum luce uidebis
Hæ ſeptem uulgo perhibentur more uetuſto
Stellæ, cernuntur uero ſex undiq; paruę.
At non interiſſe putari conuenit unam:
Sed fruſtra temere à uulgi ratione ſine ulla
Septem dicier, ut ueteres ſtatuere poetæ
Aeterno cunctas æuo qui nomine dignant
Alcyone, Meropeq́;, Celæno, Taygeteq́;,
Electra, Steropeq́;, ſimul ſanctiſſima Maia.
Hæ tenues paruo labentes lumine lucent.
At magnum nomen ſigni, clarumq́; uocatur.
Propterea quod & æſtatis primordia clarēt
Et poſt hiberni præpandens temporis ortus
Admonet ut mandent mortales ſemina terris,
Inde fides leuiter poſita & conuexa uidetur,
Mercurius paruus manibus quam dicitur olim
Infirmis fabricatus in alta ſede locaſſe
Quod genus ad læuum nixi delapſa reſedit
Atq; inter flexum genus & caput alitis hæſit.
Nanq; eſt ales auis lato ſub tegmine cœli
Quæ uolat, & ſerpens geminis ſecat aera pennis.
Altera pars huic obſcura eſt, & luminis expers,
Altera nec paruis nec claris lucibus ardet,
Sed mediocre iacit quatiens è corpore lumen.
Hæc dextram Cephei dextro pede pellere palmam
Geſtit: iam uero clinata eſt ungula uehemens
Fortis equi propter pennati corporis alam.
Ipſe autem labens multis equus ille tenetur
Piſcibus: hinc ceruix dextra mulcetur Aquari
Serius hæc obitus terrai iuſſit equinis
Q; gelidum ualido de corpore frigus anhelans
Corpore ſemifero magno Capricornus in orbe.
Quem quum perpetuo ueſtiuit lumine Titan,
Brumali flectens contorquet tempore curſum.
Hoc caue te ponto ſtudeas committere menſe.
Nam non longinquum ſpatium labere diurnum.
Non hiberna cito uoluetur curriculo nox.
Humida non ſeſe ueſtris aurora querelis
Ocyus oſtendet clari prænuncia ſolis.
At ualidis æquor pulſauit uiribus auſter,
Tum fixum tremulo quatietur frigore corpus.
Sed tamen anni iam labuntur tempore toto,
Nec cui ſignorum cedunt, neq; flamina uitant,

Nec metuunt canos minitanti murmure fluctus.
Atq; etiam ſuper hos naui pelagoq; uagato
Menſe ſagittipotens ſolis quum ſuſtinet orbem.
Nam iam quum minus exiguo lux tēpore præſto eſt
Hoc ſignum ueniens poterunt prænoſcere nautæ.
Iam prope pręcipiti ante licebit uiſere nocti
Vt ſeſe oſtendens emergit Scorpios alte
Poſteriore trahens flexum ui corporis, arcum,
Iam ſupera cernes arcti caput eſſe minoris,
Et magis erectum ad ſummum uerſarier orbem.
Tum ſeſe Orion toto iam corpore condit
Extrema propè nocte, & Cepheus conditur ante
Lumborum tenus à prima depulſus ad undas.
Hic miſſo reuocans fulgens iacet una ſagitta
Quam propter nitens penna conuoluitur ales,
Et clinata magis paulo eſt Aquilonis ad auras.
At propter ſe Aquila ardenti cum corpore portat
Igniferum mulgens tremebundis æthera pennis,
Non minus ingenti cum corpore, ſed graue mœſtis
Oſtendit nautis perturbans æquora ſignum.
Tum magni curuus Capricorni corpora propter
Delphinus iacet haud nimio luſtratu' nitore,
Præter quadruplices ſtellas in fronte locatas
Quas interuallum binas diſterminat unum.
Cetera pars læta tenui cum lumine ſerpit.
Illæ quę fulgent luces ex ore coruſco
Sunt inter partes gelidas Aquilone locatas,
Atq; inter ſpatium & lęti ueſtigia ſolis.
At pars inferior Delphini fuſca uidetur
Inter ſolis iter, ſimul inter flamina uenti
Viribus erumpit qua ſummi ſpiritus auſtri.
Exinde Orion obliquo corpore nitens
Inferiora tenet truculenti corpora tauri,
Quem qui ſuſpiciet in cœlum nocte ſerena
Lęte diſperſum non uiderit, abdita uero
Cetera ſe ſperet cognoſcere ſigna poteſſe.
Nanq; pedes ſubter rutilo cum lumine claret
Feruidus ille canis ſtellarum luce refulgens.
Hunc tegit obſcurus ſubter præcordia ueſper
Ver toto ſpirans rabido de corpore flammam
Aeſtiſeros ualidis erumpit flatibus ignes,
Totus ab ore micans iacitur mortalibus ardor.
Hic ubi ſe pariter quum ſolem lumina cœli
Extulit, haud patitur foliorum tegmine fruſtra
Suſpenſos animos arbuſta ornata tenere.
Nam quorum ſtirpeis tellus amplexa prehendit

Hęc augens anima uitali flamina mulcet.
At quorum nequeūt radices ſindere terras,
Denudat folijs ramos & cortice truncos.
Hunc propter ſubterq́ pedes quos diximus ante,
Oriona iacet leuipes lepus. Hic ſugit ictus
Horrificos metuens roſtri tremebundus acuti.
Nam canis infeſto ſequitur ueſtigia curſu
Præcipitantem agitans, oriens iam deniq́ paulo
Curriculum nunq̄ defeſſo corpore ſedans.
At canis ad caudam ſerpens prælabitur Argò
Conuerſam præ ſe portans cum lumine puppim
Non alię naues ut in alto pondere proras
Ante ſolent roſtro Neptunia prata ſecantes
Sed conuerſa retro cœli ſemper loca portat,
Sicut quum cœptant tutos conſtringere portus
Obuertunt nauem magno cum pondere nautæ,
Aduerſamq́ trahunt optata ad littora puppim.
Sic conuerſa uetus ſuper æthera uertitur Argò
Atq́ uſq́ à prora ad cœlum ſine lumine malum,
A malo ad puppim cum lumine clara uidetur.
Inde gubernaclum diſperſo lumine fulgens
Clari poſteriora Canis ueſtigia condit.
Exin ſemotam procul in tutoq́ locatam
Andromedam tamen explorãs fera quęrere piſtrix
Pergit, & uſq́ ſitam ualidas Aquilonis ad auras
Cœrula ueſtigat finita in partibus aſtra.
Hanc aries tegit & ſquamoſi corpore piſces
Fluminis illuſtri tangentem corpore ripas.
Nanq́ etiam Eridanum cernes in parte locatum
Cœli, funeſtum magnis cũ uiribus amnem,
Quem lachrymis mœſtæ Phaethontis ſæpe ſorores
Sparſerunt, letum mœrenti uoce canẽtes.
Hunc Orionis ſub læua cernere plãta
Serpẽtem poteris, proceraq́ uincla uidebis
Quæ retinent piſces caudarum parte locata
Flumine mixta retro ad piſtricis terga reuerti.
Hanc una ſtella uertũtur quam iacit ex ſe
Piſtricis ſpinæ ualida cum luce refulgẽs.
Exinde exiguæ tenui cum lumine multæ
Inter piſtricem fuſę ſparſęq́ uidentur,
Atque gubernaclum ſtellæ quas contigit omnis
Formidans acrem morſum lepus, his neque nomen
Nec formam ueteres certam ſtatuiſſe uidentur.
Nam quæ ſyderibus claris natura poliuit:
Et uario pinxit diſtinguens lumine formas,
Hęc ille aſtrorum cuſtos ratione notauit,

Signaq; ſignauit cœleſtia nomine uero.
Has autem quæ ſunt paruo ſub culmine fuſę
Conſimili ſpecie ſtellas pariliq; nitore
Non potuit nobis nota clarere figura.
Exinde auſtralem ſoliti cōuincere piſcem
Voluitur inferior Capricorno uerſus ad auſtrum
Piſtricem obſeruans procul illis piſcibus hærens.
Et prope conſpicies experteis nominis omnes
Inter piſtricem & piſcem quem diximus auſtri
Stellas ſub pedibus ſtratas radiantis Aquari,
Propter Aquarius obſcurum dextra rigat amnem
Exiguo qui ſtellarum cādore niteſcit.
E multis tamen is duo late lumina fulgēt,
Vnum ſub magnis pedibus cernetur Aquari,
Quod ſupereſt gelido delapſum flumine fontis
Spiniferam ſubter caudam piſtricis adhęſit.
Et tenues ſtellæ perhibētur nomine Aquari.
Hic aliæ uolitant paruo cum lumine claræ,
Atq; priore pedum ſubeūt ueſtigia magni
Arcitenentis, & obſcure ſine nomine condunt.
Inde Nepæ cernes propter fulgentis acumen
Aram quam flatu permulcet ſpiritus auſtri
Exiguo ſuperum quæ lumina tempore trānat.
Nam procul arcturo eſt aduerſa parte locata.
Arcturo magnum ſpatium ſupra dedit, orbem
Iuppiter hunc paruum inferiore in parte locauit.
Hic tamen æterno inuiſens loca curriculo nox
Signa dedit nautis, cuncti quę noſcere poſſent,
Commiſerans hominum metuēdos undiq; caſus.
Nam quum fulgentem cernes ſine nubibus atris
Aram ſub media cœli regione locatam
A ſumma parte obſcura caligine tectam,
Tum ualidis fugito deuitans uiribus auſtrum.
Quem ſi proſpiciens uitaueris omnia caute
Armamenta locans tuto labere per undas.
Sin grauis inciderit uehementi flamine uentus
Perfringet celſos defixo robore malos,
Vt res nulla feras poſſit mulcere procellas
Ni parte ex aquilonis opacam pellere nubem
Cœperit, & ſubitis auris diduxerit ara.
Si numeros medio in cœlo Centaurus habebit
Ipſeq; cœrulea contectus nube feretur
Atq; aram tenui caligans ueſtiet umbra,
Ad ſignorum obitum uis eſt metuenda Fauoni.
Ille autem Centaurus in alta ſede locatus
Qua ſeſe claro collucēs Scorpios infert

Hæc

Hæc ſubter partem perpotãs ipſe uirilem
Cedit equi partis properat coniungere chelis.
Hic dextram porgens quadrupes qua uaſta tenetur
Quam nemo certo donauit nomine graiûm
Tendit,& illuſtrem truculẽtus cædit ad aram.
Hic ſeſe inferni de partibus erigit hydra
Præcipiti lapſu flexo cum corpore ſerpẽs.
Hæc caput atq; oculos torqueri ad terga Nepai,
Conuexoq; ſinu ſubiens inferna Leonis
Centaurum leni contingit lubrica cauda,
In medioq; ſinu fulgens cratera relucet
Extrema nitens plumato corpore Coruus
Roſtro tũdit & hic,geminis eſt ille ſub ipſis
Antecanem graio Procyon qui nomine fertur.
Hæc ſunt quæ uiſens nocturno tẽpore ſigna
Legitimo cernes cœli luſtrantia curſu,
Aeternumq; uolens mũdi pernoſcere motum.
Nam quæ per bis ſex ſignorum labier orbes
Quinq; ſolent ſtellæ,ſimili ratione notari
Non poſſunt:quia quæ faciunt ueſtigia curſu,
Non eodem ſemper ſpatio portata teruntur.
Sic malũt errare uagæ per nubila cœli
Atq; ſuos uario motu metirier orbes.
Hæc faciunt magnos longinqui temporis annos
Quum redeũt ad idem cœli ſub tegmine ſignum.
Quare ego nunc nequeo totos euoluere curſus.
Verum hæc quæ ſemper certo euoluuntur in orbe
Fixa ſimul magno ſedem gentibus orbes
Quatuor æterno luſtrantes lumine mundum,
Orbis ſtelligeri portantes ſigna feruntur
Amplexi terra cœli ſub tegmine fulti.
E quibus annorum uolitãtia lumina noſces
Quę denſis diſtincta licebit cernere ſignis,
Tum magnos orbis magno cum lumine latos
Vinctos inter ſe & nodis cœleſtibus aptos
Atq; pari ſpatio duo cernes eſſe duobus.
Nec ſic nocturno cognoſcens tempore cœlum
Quum neq; caligans detergit ſydera nubes,
Nec pleno ſtellas ſuperaret lumine Luna
Vidiſti magnum candentem ſerpere circum.
Lacteus hic nimio fulgens candore notatur.
His non perpetuum detexens conficit orbem
Sed ſpatio multum ſupereſt præſtare duobus,
Dicitur & late cœli luſtrare cauernas,
Quorum alter tangens aquilonis uertitur auras
Ora petens geminorum illuſtratum genus ardens

Et ſimul à medio media de parte ſecatur
Atq; obliquus in his nitens cũ lumine fertur,
Vt nemo cui ſancta manu doctiſſima Pallas
Solertem ipſa dedit fabricę rationibus artem
Tam tornare cate contortus poſſidet orbis
Quàm ſunt in cœlo diuino lumine flexi
Terram cingentes, ornantes lumine mundum,
Culmine tranſuerſo retinentes ſydera fulta.
Quattuor in motus cuncti uoluuntur eodem,
Sed tamen ſupera terras ſemper tenet ille.
Curriculũ oblique iflexus tribus orbibus unus,
Quãto eſt diuiſus Cãcer ſpatio à Capricorno
Ac ſubter terras ſpatium par eſſe neceſſe eſt.
Et quãtos radios iacimus de lumine noſtro
Quis lunę conuexum cœli contingimus orbẽ
Sex tantæ poterunt ſub eum ſuccedere partes
Bina pari ſpatio cœleſtia ſigna tenentes.
Zodiacum hunc Græci uocitãt, noſtriq; Latini
Orbem ſigniferum perhibebunt nomine uero.
Nam gerit hic uoluens bis ſex ardentia ſigna.
Aeſtifer eſt pandens feruentia ſydera Cancer.
Hunc ſubter fulgens cedit uis torua Leonis.
Quem rutilo ſequitur collucens corpore uirgo.
Exin proiectæ claro cum lumine chelæ,
Ipſaq; conſequitur lucens uis magna Nepai.
Inde ſagittipotens dextra flexum tenet arcum.
Poſt hunc ore fero Capricornus uadere pergit
Humidus inde loci collucet Aquarius orbem.
Exin ſquamiferi ſerpentes ludere piſces,
Quis comes eſt Aries obſcuro lumine labens
Inflexoq; genu proiecto corpore Taurus,
Et gemini clarum iactantes lucibus ignem.
Hæc ſol ęterno conueſtit lumine luſtrans
Annua conficiens uertentia tempora curſus.
Hic quantus terris confectus pelliturorbis
Tantundem ille patens ſupra mortalibus edit.
Sex omnes ſemper cedũt labentia nocte
Tot cœlum iuſſus fugientia ſigna reuiſunt.
Huc ſpatium tranans cæcis nos cõficit umbris
Quod ſupera terras prima de nocte relictũ eſt
Signifero ex orbis & ſignorum ordine fultum.
Quod ſi ſolis aues certos cognoſcere curſus,
Ortus ſignorum nocturno tempore uiſes.
Nam ſemper ſignũ exoriens Titan trahit unũ.
Sin autem officiẽs ſignis mons obſtruet altus,
Aut adiment lucem cæca caligine nubes,
Certas ipſe notas cœli de tegmine ſumes.
Ortus atq; obitus omnis cognoſcere poſſis.
Quæ ſimul exiſtant cernes quæ tẽpore eodem
Præcipitent obitũ nocturno tempore nóſces
Iam ſimul ut ſupero ſe toto lumine Cancer
Extulit extemplo cedit delapſa corona
Et loca conuiſit cauda tenus infera piſcis.
Dimidiam retinens ſtellis diſtincta corona
Partẽ etiam ſupera atq; alia de parte repulſa eſt
Quũ tamẽ inſeqtur piſcis, nec totus ad umbras
Tactus, ſed ſupero contectus corpore cedit,
Atq; humeros uſq; à genibus, clarumq; recõdit
Anguitenẽs ualidis magnũ à ceruicibus anguẽ,
Iã uero Arctophylax nõ æqua parte ſecatur.
Nam breuior clara cœli de parte uidetur,
Amplior infernas depulſus poſſidet umbras.
Quatuor hic obiens ſecum deducere ſigna
Signifero ſolet ex orbi, tum ſerius ille
Quum ſupera ſeſe ſatiauit luce recedit
Poſt mediam labens claro cum corpore noctem.
Hæc obſcura tenens conueſtit ſydera tellus,
Dimidiam retinet ſtellis diſtincta corona.
Ac parte ex alia claris cum lucibus errat
Orion humeris & lato pectore fulgens
Et dextra retinens non caſſum luminis enſem.
Sed quum de terris uis eſt par facta Leonis
Omnia quę Cancer præclaro detulit ortu
Cedunt obſcurata, ſimul uis maior Aquari
Pellitur, ac flexo confidens corpore nixus
Iam ſupero ferme depulſus lumine cedit.
Sed lçuum genus atque illuſtrem liquit in altum
Plantam, tum contra exoritur clarũ caput hydrę
Et Lepus & Procyon, qui ſeſe feruidus infert
Ante canem, inde canis ueſtigia prima uidẽtur.
Non pauca è cœlo depellens ſigna repente
Exoritur candens illuſtria lumina uirgo.
Cedit clara fides Cyllenia, mergitur unda
Delphinus, ſimul obtegitur depulſa ſagitta,
Atq; auis ad ſummam caudam, primasq; recedit
Pinnas, & magnus pariter delabitur amnis.
Hic equus à capite & longa ceruice lateſcit,
Longius exoritur iam claro corpore ſerpens,
Crateraq; tenus lucet mortalibus hydra
Inde pedes canis oſtendit iam poſteriores,
Et poſt ipſe trahit claro cum lumine puppim.
Inſequitur labens per cœli lumina nauis,
Et iamiam toto proceſſit corpore uirgo.
Hæc medium oſtendit radiato ſtipite malum.
At quum procedunt obſcuro corpore chelæ
Exiſtet pariter larga cum luce Bootes,
Cuius in aduerſum eſt arcturus corpore fixus
Totaq; iam ſupera fulgẽs prolabitur Argo.
Hydraq; quod late cœlo diſperſa tenetur
Nondũ tota latet, non caudam contegit umbra,
Iam dextrum genus, & decoratam lumine ſuram
Erigit ille uagans uulgato nomine nixus,
Quẽ nocte extinctum atq; exortũ uidimus unà
Perſępe in paruum tranans geminauerit orbem.
Hic genus & ſuram cum chelis erigit alte,
Ipſe autem præceps obſcura nocte tenetur
Dum Nepa & Arcitenens inuiſant lumina cœli,
Non ſecum medium pandet Nepa tollere uero
In cœlum totum exoriẽs conabitur arcus.
Hic tribus elatus cum ſignis corpore toto
Lucet at exoritur media de parte corona,
Caudaq; Centauri extremo candore refulget.
Hic ſe iam totum cæcas equus abdit in umbras.
Quem rutila fulgens p luma præteruolát ales.
Occidit Andromedę clarum caput, & fera piſtrix
Labitur horribileis epulas funeſta requirens.
Hanc cõtra Cepheus non ceſſat tendere palmas.
Illa uſque ad ſpinam mergens ſe cœrula condit.
At Cepheus caput atq; hũeros, palmasq; recliat.
Cum uero uis eſt uehemens exorta Nepai

Late uolat fuſa:per,terras fama uagatur
Vt quondã Orion manibus uiolaſſe Dianam
Dicitur excelſis errans in collibus amens,
Quos tenet Aegæo defixa in gurgite Echineis
Brachia quam uiridi conueſtit tegmine uini.
Ille feras vecors amenti corde necabat
Oenopionis auens epulas cœnare nitentis.
At vero pedibus ſubito perculſa Dianæ
Inſula diſceſſit,diſiectaq́; ſaxa reuellẽs
Perculit & cæcas luſtrauit luce lacunas.
E quibus ingenti exiſtit cum corpore prę ſe
Scorpios infeſta præportans flebile acumen,
Hic ualido cupide uenantem perculit ictu
Mortiferum in uenas figens per uulnera uirus.
Ille graui moriens conſtrauit corpore terram.
Quare cum magnis ſeſe Nepa lucibus effert
Orion fugiens commendat corpora terris.
Tũ uero fugit Andromeda,& Neptunia piſtrix
Tota latet,cedit conuerſo corpore Cepheus
Extremas medio contingens corpore terras.
Hic caput & ſuperas potis eſt demergere partes,
Infera lumborum nunquã conueſtiet umbra.
Nam retinent arcto luſtrantes lumine ſuras.
Labitur illa ſimul gnatam lacrimoſa requirens
Caſſiepea,neq; ex cœlo depulſa decore
Fertur:nam uerſo contingens uertice primum
Terras poſt humeros euerſa ſede refertur,
Hãc illi tribuunt pœnam Nereides almæ.
Cũ quibus ut perhibent auſa eſt cõtẽdere forma
Hæc obit inclinata:at pars exorta corona eſt
Altera,cum caudaq́; omnis iam panditur hydra.
At caput & totum ſeſe Centaurus opacis
Eripit è tenebris linquens ueſtigia parua
Ante pedum contecta ſimul cum lumine pandit,
Ipſe feram dextra retinet:prolabitur inde
Anguitenẽs capite & mãibus ꝓfert ſimul anguis
Iam caput & ſummum flexo de corpore lumen.
Hic ille exoritur conuerſo corpore nixus
Aluũ crura humeros ſimul & pręcordia luſtrans,
Et dextræ radios læto cum lumine iactans.
Inde ſagittipotens ſuperas conuiſere luces
Inſtitit & mergit nixi caput:& ſimul effert
Seſe clara fides,& promit corpore Cepheus.
Feruidus ille canis toto cum corpore cedit,
Abditur Orion,obiit ſimul abditus umbra eſt.
Inferiora cadunt aurigæ lumina,lapſum
Crus dextrumq́; pedẽ linquẽs obit ĩfera Perſeus
In loca,tum cedens à puppi linquitur Argo:
Inde obiens Capricornus ab alto lumine pellit
Aurigã,inſtantemq́; caprã paruos ſimul hœdos
Et magnam antiquo depellit nomine nauem.
Obruitur Procyon,emergunt alite lapſum,
Et terris uolucris exiſtit clara ſagitta,

*

Index cartharum.

aa bb cc dd ee ff gg hh ii kk ll mm nn oo pp qq rr ſſ tt uu xx yy zz aaa bbb ccc ddd eee fff ggg hhh iii kkk lll mmm nnn ooo ppp qqq rrr ſſſ ttt uuu xxx yyy zzz

Omnes ſunt terniones.

Venetijs in Officina Lucæantonij Iuntæ
Florentini M. D XXXVI.
Menſe Auguſto.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



Digitized by Google



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google